UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Visual Library

Th. 2235.

G III
2π

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SVMMA THEOLOGIÆ MORALIS,

R. P.

ANTONII DE ESCOBAR & MENDOZA
Societ. IESV.

~~Jodoco Hauckelen.~~

Post viginti supra septem volumina edita, plura digerit.

Apoc. 4

Collegij Soc. Iesv Paderb. 1669

LIBER THEOLOGIÆ MORALIS,

VIGINTI QVATVOR SOCIETATIS IESV DOCTORIBVS

RESERATVS

Quem R.P. Antonius de Escobar, et Mendoza Vallisoletanus è Societate IESV *Theologus in* EXAMEN CONFESSARIORVM *digeßit addidit illuſtrauit*

Vltima editio

~~Seruio Iodoco Henckelen Fürsten-~~
~~bergensi diœceſis Paderbornensis~~

~~SS. Theologiæ Doctori~~

LEGES | PECCATA | IVSTITIA | CENSVRÆ | VIRTVTES | STATVS | SACRAMENTA

Coll. Soc. IESV LVGDVNI Iesu Paderb.
Sumpt. Ph. Borde, Laur. Arnaud, et Claud. Rigaud. 1659.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D.D. RODERICO ORDOÑO

Aluarez de las Asturias, Naua, & Noroña primęuæ antiquissimæ Domus de Noroña successori apud Italiam Principi, ac Duci.

CECINIT *Periander Græcus*, Ad elucubrationum tuarum protectionem Mecænatem perquire, qui præcelsa nobilitate præfulgeat. Nobilitas enim nuda sine aliarum virtutum fulcris præstantissimum est firmamentum. *Te igitur clarissimè Adolescens feliciter adeo, si præcelsæ nobilitatis præfulgens Mecænas est perquirendus: antiquitatis enim Iberiæ monumenta euoluens te inuenio vigesimumquintum Varonem successorem legitimum illustrissimæ Domus de Asturias, Naua, & Noroña, vnde præclarissimi Hispaniæ Proceres suam trahere gestiunt*

ſtiunt originem: & vnde nonnulli exteri Reges ſanguinem purpuraſſe profitentur. Quid mirum, ſi Proauus ille tuus Alfonſus Aluarez de Naua ſortitus eſt Regem, ac Dominum ſuum D.D. Henricum ſecundum ex eadem propagine exortum in filium adoptare. Parum iam tibi tot Comitum, tot diuitum Hominum, tot Merinorum, tot generalium Ducum, tot Prouinciarum Præſidum, tot Pedagogorum ac Præfectorum Domus Regum eſſe filium. Ne autem videar, id temerè indicaſſe: quod ab vtero hauſiſti, quod moribus, & ingenio refers, quod à tuo perilluſtri Auunculo D.D. Sancho de Doriga Toletanæ Eccleſiæ Canonico, Granatenſi, ac Valliſoletano Inquiſitore doctiſſimo, meritiſſimo, poſt impigrum ipſius laborem, didiciſti, tuam ad memoriam grauiſſimorum Hiſtographorum calamo exaratum, latio tranſcriptum fideliter idiomati, reuocabo Epiſcopus Sandoüal in Cardeniæ Fundatione de hac præclariſſima Domo locutus § 4. profatur: Ex hac illuſtriſſima Familia ortum habuit Ximena Diez: & de eadem

ſtirpe

stirpe procedunt Velascos, Quiñones, Comites de Licuana, ex quibus Girones, & Rodriguez de Cisneros, generosæ quidem familiæ exortæ in Montibus de Ouiedo y santillana, è quibus tanta Hispaniæ nobilitas profluit. Inibi natus est magnus ille Eques D. D. Rodericus Aluarez de Asturias Dominus de Norena. *Idem Antistes in Cronica Regis D. Alfonsi VII. commendaturus clarissimam Gironum Familiam ann.* 1136. Non credendum *(inquit)* quòd D. Rodericus Gonzalez Giron ex priuato vulgari Milite ad præcelsum illum peruentauit statum, eo quod ex vestimento Regio segmentum *(seu Giron)* instar Dauidis, detraxit. Ex antiquissima enim ac nobilissima Domo de Asturias Equitem magnum esse traxerat. *Contestatur Ioannes Garcia de Hispanor. nobilit. gloss.* 18. *num.* 23. *&* 24. *Dum ait: D.D. Henricum D. Alfonsi Regis filium, vt Aliquid (vulgariter* Algo, *haberet, & Hispano more* Hijo de Algo *nominaretur)*

D. Rodericus Aluarez Domus de Norueña Dominus in filium adoptauit: ipſeque Henricus ob Roderici obitum hanc Domum velut hæres obtinuit: *Præponente ſcilicet D. Roderico ſui Principis commoda propriæ poſteritatis oſtentationi. Quid plura? Pater Mag. Fr. Antonius de Yepes Benedictinus Ordinis ſui annales ſcribens, ſic de tua illuſtriſſima Familia loquitur:* Proſapia hæc pręclariſſima cum Legionenſibus Hiſpanis Regibus ſanguinem miſcuit: diuitiarum eius tunc vis erat immenſa: eius in Aſturianis Montibus potentia maxima, procedens videlicet ex præcelſa Domo Comitis D. Didaci Rodriguez ſoceri D. Roderici de Viuar *Cid* nuncupati.

Iam verò illā Periandri nota particulam. Nobilitas enim nuda, &c. *Profectò (vt verbis ludam, nobilitatem eximiam tuam nudam aſpecto. Gudiel enim eam commendaturus, ait:* Diuitiarum inopia tantam proſapiam penè obliuione obrutam habet. *Et Sandoual perſe*

perſequens Domus de Naua encomia, & verba faciens de Infantibus Chriſtina, & Ximena, adijcit: Certiſſimum eſt, eas traxiſſe genus ex Aſturiæ Domo, & hac tempeſtate trahere. Sed antiquitas gignit obliuionem, & diuitiarum defectio firmamenti ſtellas obnubilat. *Attamen ea eſt nobilitas tua ô Roderice, quam nec diuitiarum abundantia exauget, nec penuria imminuit. Iam contemplatus es cœleſte illud portentum, de quo Ioannes viuens Apoc.* 12. Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta ſole ſole, amicta *(noſter Alcaſar ait)* deſcribitur quia nuda apparet proprio induta fulgore. *Solaris namque ſplendor veſtimenti ornatu non indiget. Tuam nobilitatem nudam tot ornatam fulgoribus Creſſi ac Craſſi veſtitæ nobilitati præponendam non dubito. Spero tamen Magni Regis Catholici benignitate dicam an iuſtitia? ob tam nota tuorum Maiorum obſequia, ob tam illuſtria, pace, bellóque facinora, tuam nobilitatem agna-*

tis nunc ſolummodo veſtitam fulgoribus prædiuitibus fortunæ indumentis exornandam. Si igitur nuda nobilitas *(vt ad Periandum recurram)* ſine aliarum virtutum fulcris præſtantiſſimum eſt firmamentum, *te ad meum Opuſculum Mecænatem requiro non ſolùm nobilitate eximium, ſed & omnium virtutum fulcris ſtipatum : quæ ſi recenſere intenderem, non Epiſtolam per longam ſcribere, ſed integrum cogerer Volumen attexere. Vale.*

Tui obſequentiſſimus

ANTONIVS DE ESCOBAR
& MENDOZA.

OPERIS

OPERIS IDEA.

IOANNES videns Apocalypseos cap. 5. methodum, meo operi indulget, vt Theologiæ Moralis tractatio Positiuę sapiat interpretem. Agnus IESVS Theologiæ Moralis librum obsignatum ostentat. Septem sigillis Leges, Peccata, Iustitia, Censuræ, Virtutes, Status ac Sacramenta occluduntur; quæ quatuor Animantibus Boui fortissimo agri versatori Suario, volanti Aquilæ Vasquez, prudenti iuris Homini Molinæ, ac Leoni aduersùs hæreses rugienti Valentiæ reserauit. Considerent lectores vigintiquatuor Iesuitæ, seniores quidem non ætatæ solùm, sed scientia, videlicet, *Sanctius, Azorius, Toletus, Henriquez, Lessius, Rebellus, Coninch, Auila, Reginaldus, Filliucius, Salas, Hurtado de Mendoza, Gaspar Hurtado, Laymanus, vterque Lugo, Franciscus, & Ioannes*, sanguine ac sapientia germani, (hunc virtutes & sapientia ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Principatum euexerunt,) *Becanus, Fagundez, Granados, Castro Palaus, Gordonus, Baldellus, Saa, ac Mæratius.* Legunt *& Præpositus, Tannerus,*

nerus, Bellarminus, Grethserus, Turrianus, vterque Polancus, Busæus, Fernandez de Cordoüa, & alij, si, Alcasare authore, numerus ille vigintiquatuor seniorum officij est. Etenim omnes præcelsi Ordines Angeli septem appellantur, iuxta illud Raphaëlis, *Sum vnus ex septem*, Tob. 12. cùm penè sint innumerabiles. Mysteria itaque libri reseraturus, libri, præmittam Proœmium principiorum Theologiæ Moralis nonnulla prælibans, nempe de Fine vltimo de Actibus humanis, de Conscientia, de Gratia.

Mox quidem ad sigilli primi pergo reserationem. *Et vidi* (ait Ioannes) *quòd aperuisset Agnus vnum de Septem sigillis, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum*, Apoc. 6. Christus eques potestatis arcum ostentans, qua & naturæ author, & Rex, ac Parens Ecclesiæ leges præscribit, præcepta antiqua indicit, noua profert: in onerisque subleuationem Priuilegia indulget.

Sigillo secundo reserato, *exiuit equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficerent: & datus est ei gladius magnus*, Apoc. 6. Pacis ablegatio, vulnera, interitus vndenam ducunt exortum? An non ex peccati gladio animum vulnerante, corpus comminuente? Ita Absbertus, & alij huiusce gladij

dij magnitudinem interpretantur. Exhibet igitur huiuſce ſigilli Myſterium materias de peccatis in communi, de ſeptem vitiis capitalibus, de vniuerſis peccatis mortalibus, quæ poſſunt à fideli committi.

Et cùm aperuiſſet (pergit Ioannes) *ſigillum tertium, ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua; & audiui quaſi vocem, Bilibris tritici denario*, Apoc. 6. Quis non videat hîc Iuſtitiæ manu ſtateram geſtantis imaginem, vt cunctis ſuum ius impertiri poſſit?

Porrò ex quarto aperto ſigillo *equus pallidus* prodiit, *& qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum: & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, & interficere gladio, fame, & morte*, Ap. 6. Quàm appoſitè mortem peccati, quàm inferni contumacia comitatur, Cenſurarum, ac Pœnarum vulnera flagellant!

Poſt quinti ſigilli apertionem, *Vidi* (ait Ioannes) *ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei, & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*, Apoc. 6. Martyres quidem adhuc clamitantes ſubtus Altare diui amoris igne ſuccenſi Fidei aſſertores, ſpeíque felicitatis interminabilis, ob quam perituram vitam obtulere, commendatores Theologicarum virtutum fidei, ſpei, ac charitatis victorias

conce

concelebrant, Religioníſque gloriæ thura libant.

Equidem ſexti ſigilli reſerationem terræ ſequitur concitatio, *Et ecce terræ motus magnus factus eſt, &c.* Apoc.6 Principes, diuites, & fortes terræ montium aduolant ad latibula, Agni futuram iram inſtar Leonis meditantes. Adſtant Eccleſiæ Proceres Ordinum ſignati charactere. Gentes, Tribus, Populi, & linguæ innocentiæ amictu Agnum adorant. Dominicæ Reipublicæ tres ſtatus hoc profert ſigillum Clericalem, Regularem, Secularem. Quorum obligationes aggrediar exprimere.

Denique Apoſtolus, *Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius Angelus ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa,* Apoc.8. Planè Angelus hic Sacerdos Pontifex Eccleſiæ Dominicæ, miniſter vtique Sacramentorum, quæ ſeptem in Tubis, totidem Angelorum, Auguſtino auctore, ſignantur.

Iam verò ſeptem ſigillorum myſteria, ſeu libri Theologiæ Moralis doctrinam quamplurimis Eccleſiæ Doctoribus apertæ fuere, vt doctiſſimis voluminibus exararent. At ego ſolummodo memoro reſerationem factam

ab

ab Agno ſuis Auctoribus Ieſuitis, quorum ſcripta abſumere curaui non vti Propheta Ezechiel Doctor, ſed vti edocendus Diſcipulus, vt ſcilicet tot volumina tanta tantillum vnicum digererem in libellum, vt abſque hyemalis preſſura culturæ Autumni gloria potiare.

Qualibet igitur in materia in primis Auctorum Societatis exhaurio, medullam Confeſſariorum in examen exponendã, indicatis generatim Auctoribus. Mox circa materias ſingulas ſpeciales Doctorum meorum reſolutiones ad principiorum generalium praxim attexo, iam ſpecialiter Auctorum nomina & ſcripta citans, iam ſola nomina recenſens. Hoc ingenuè profiteor, me nihil toto in libello ſcripſiſſe, quod Societatis IESV non acceperim ex Doctore. Quas enim proprias paſſim reſolutiones innuo, ex ſcholæ Societatis apertè deductas exiſtimarim. Licèt autem profiteor totum meum opus ex Societatis Doctoribus texuiſſe, non ideo aſſero omnes ſententias, omnium eſſe, (vt non bene Caramuel intellexit) ſed ſingulas ſingulis tribuendas, vt apertè oſtendo, dum ferè nunquam pro vna ſententia duos Doctores recenſeo. Dum autem eorum refero dictorum varietatem, non ideò me idem ſentire affirmo. Problemmatum moralium Volumina

quæ

quæ edidi, quæ digero post vnam & alteram contradictoriam relatam sententiam, quid sentiam, aperiunt. Porrò licet Societati IESV Summula hæc omnem attribuit sententiam, non ideo indico, propriam esse Societatis, nullam enim propositionem ex primo, quæ non possit grauissimis extra societatem Doctoribus confirmari. Quod si sæpè videar me laxioribus opinionibus adhærescere: id certè non est definire quod sentio, sed exponere, quid sine conscientiæ læsione Docti poterunt, cum eis visum fuerit expedire ad sedandos pœnitentium animos, ad praxim adducere.

FACVL

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

ANTONIVS MILLIEVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1585. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; Permitto Hæredibus Petri Prost, Philippo Borde, & Laurentio Arnaud Bibliopolis Lugdunensibus, vt librum qui inscribitur, *Liber Theologiæ Moralis, Auctore* R.P. ANTONIO DE ESCOBAR, à duobus eiusdem Societatis Patribus recognitum, ad nouem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Camberij 28. Iulij 1644.

ANTONIVS MILLIEVS.

APPROBATIO.

NOs infrà scripti in Sacra Theologiæ facultate Parisiensi Doctores, fidem facimus nos hunc librum cuius titulus est, *Liber Theologiæ Moralis, Auctore* R. P. ANTONIO DE ESCOBAR legisse, nihilque in eo fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ dissonum deprehendisse. Ideo dignum iudicamus qui publicis vsibus tribuatur. Actum Lugduni 11. Iulij Anno ab enixa Virgine 1644.

F. MOLIN, Carmelita.
F. MICHAEL MICHARD, Minor.

LICENTIA ORDINARII.

VIsa approbatione Religioſorum Patrum in Pariſienſi Theologiæ facultate Doctorum ſuper doctrina præfatæ *Theologiæ Moralis*, aſſerentium omnia in ea contenta Fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ conſona exponi, in eorum ſententiam de Typis mandanda lubentes imus. Lugduni 11. Iulij 1644.

DE VILLE, Vic. Gen. Subſtitutus.

CONSENSVS.

VIsis ſupradictis approbationibus, *Librum* hunc *Theologiæ Moralis Auctore* R. P. ANTONIO DE ESCOBAR, Typis mandari, & in lucem edi ſumptibus Hæredum Petri Proſt, Philippi Borde, & Laurentij Arnaud Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius, & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Lugduni 12. Iulij 1644.

LORIN.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis Conſenſu, fiat vt petitur, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat hunc librum, prohibemus. Datum Lugduni die 12. Iulij, anno 1644.

SEVE.

Viginti

Viginti quatuor Societatis IESV *Doctores, quibus libri Theologiæ Moralis septem signacula reserantur.*

Suarius.	Reginaldus.
Vasquez.	Lessius.
Molina.	Castro.
Toletus.	Saa.
Valentia.	Petrus Hurtado.
Sanchez.	Gaspar Hurtado.
Azorius.	Fagundez.
Salas.	Gordonus.
Layman.	Granados.
Lugo vterque.	Turrianus.
Coninch.	Baldellus.
Rebellus.	Filliucius.

SYLLABVS CAPITVM.

PROOEMIVM

GENERALIA PRINCIPIA.

EXAMEN PRIMVM.

De Fine vltimo & Beatitudine.

CAP. I. DE Fine hominis vltimo. pag. 2
II. De Beatitudine. ibid.

EXAMEN II.

De Actibus humanis.

CAP. I. De voluntario, & libero. 3
II. Vndenam voluntarium & liberum tollatur. 4
III. De Bono & malo morali. ibid.
IV. De Humanarum actionum circunstantijs. 5
V. De coactione, metu, & ignorantia. 6
VI. Practicæ resolutiones circa prædicta. 8

EXAMEN III.

De Conscientia.

CAP. I. De essentia Conscientiæ. 23
II. De Conscientia erronea. ibid.
III. De Conscientia probabili. 24
IV. De Conscientia dubia. ibid.
V. De Conscientia scrupulosa. 25
VI. Practicæ Resolutiones circa præfata. 27

EXA

CAPITVM.

EXAMEN IV.

De Gratia & Merito.

Cap.I. *Quid & quotuplex Gratia.* 30
II. *De Gratiæ necessitate.* 31
III. *De Iustificatione.* 32
IV. *De Merito,* *ibid.*

PRIMVS TRACTATVS.

Circa Sigillvm Primvm.

LEGES.

EXAMEN PRIMVM,

De Legibus in communi.

Cap.I. *DE Legis diuisione.* 35
II. *De legislatoribus.* 36
III. *De promulgatione, & acceptatione legis.* 38
IV. *De legum materia.* 40
V. *De subiecto legum.* *ibid.*
VI. *De legis obseruandæ obligatione.* 42
VII. *Regula ad cognoscendum, num obliget sub mortali.* 43
VIII. *De lege irritante.* 44
IX. *De legis obseruatione.* 45
X. *De legum interpretatione.* 46
XI. *De legis abrogatione.* 47
XII. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 49

EXAMEN II.

De Legibus in particulari, de diligendo Deo.

Cap.I. *De Decalogo nonnulla præmitto.* 59
II. *Præceptum de diligendo Deo.* 61

III. *De Adoratione.* 62
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 63

EXAMEN III.

De Iuramento & Blasphemia.

CAP. I. *Quid sit iuramentum, cuisnam virtutis actus, & quonammodo diuidatur.* 65
II. *De iuramenti conditionibus.* 66
III. *De tribus conditionibus requisitis ad iuramenti sanctitatem, & de transgressione.* 68
IV. *De iuramenti amphibologia.* 69
V. *De commutatione, dispensatione, & interpretatione iuramenti.* 70
VI. *De Blasphemia, & Maledictis.* 71
VII. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 72

EXAMEN IV.

De Voto.

CAP. I. *De voti essentia.* 78
II. *De voti materia, & diuisione materiali.* 79
III. *De obligatione voti.* 80
IV. *Quisnam possit vouere.* 82
V. *De delictis voto contrariis.* 83
VI. *De voti, irritatione, commutatione, dispẽsatione.* 84
VII. *Practicæ resolutiones circa præmissa.* 86

EXAMEN V.

De Festorum Obseruatione.

CAP. I. *De Festiuitatibus obseruandis.* 95
II. *Quidnam præceptum, ac prohibitum in Festo.* 96
III. *De personis, quæ obligantur ad festos dies custodiendos; de causis excusantibus ab obseruatione, ac de transgressionis grauitate.* 97
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 99

EXA

CAPITVM.

EXAMEN VI.

De Parentum cultu.

CAP. I. *De mutua parẽtum ac filiorum obligatione.* 102
II. *De mutua obligatione coniugum.* 104
III. *De mutua dominorũ ac seruorum obligatione.* ibid.
IV. *De mutua Clericorum & Prælatorum,* &c. 105
V. *De mutua Principis & subditi,* &c. 107
VI. *De mutua Magistri & Discipuli,* &c. 109
VII. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* ibid.

EXAMEN VII.

De Homicidio.

CAP. I. *Quidnam in præcepto quinto prohibeatur.* 111
II. *De variis Homicidij speciebus.* 112
III. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 116

EXAMEN VIII.

De Luxuria.

CAP. I. *De peccatis cordis, oris, auditus, visus, & tactus.* 134
II. *De septem luxuriei speciebus.* 136
III. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 140

EXAMEN IX.

De Furto.

CAP. I. *De graui Furti materia.* 151
II. *De Furtis minutis.* 152
III. *De filio, vxore, & aliis furantibus.* 153
IV. *Practicæ Resolutiones circa præmissa.* 153

EXAMEN X.

De Testimonio falso.

CAP. I. *De iudicio temerario.* 159

II. *De Mendacio,& ſecreti reuelatione.* 160
III. *De contumelia,detractione, ſuſurratione, & aliis peccatis oris.* 161
IV. *Practicæ Reſolutiones circa præfata.* 164

EXAMEN XI.

De audiendo ſacro.

CAP.I. *De Miſſæ ſacrificio.* 169
II. *De Miſſæ celebratione.* 172
III. *De Miſſæ audiendæ obligatione.* 174
IV. *Practicæ Reſolutiones circa prædicta.* 175

EXAMEN XII.

De Confeſſione,& Communione.

CAP.I. *De Confeſſionis præcepto.* 188
II. *De Communionis præcepto.* 190
III. *Practicæ Reſolutiones circa prædicta.* *ibid.*

EXAMEN XIII.

De Ieiunio.

CAP.I. *Quid ieiunium Eccleſiaſticum.* 195
II. *De ieiunij obligatione.* 197
III. *Practicæ Reſolutiones circa præfata.* 198

EXAMEN XIV.

De Decimis.

CAP.I. *De Oblatione, Primitiis, Decimis.* 208
II. *De perſonis à quibus dandæ Decimæ. De quibus rebus ſoluendæ ſunt,& queiſnam.* *ibid.*
III. *Quomodo & quando ſoluendæ ſint.* 210
IV. *Practicæ Reſolutiones circa prædicta.* 211

EXA

CAPITVM.

EXAMEN XV.

De Priuilegiis in communi.

CAP. I. *De Priuilegiorum varietate.* 213
II. *De accipiente priuilegium.* 214
III. *De Priuilegij vsu.* 215
IV. *De Priuilegij ambiguitate & explicatione.* *ibid.*
V. *Quonammodo Priuilegium amittatur.* 216
VI. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 219

EXAMEN XVI.

De Dispensatione.

CAP. I. *Quisnam possit dispensare.* 222
II. *De dispensationis, validitate, & nullitate.* *ibid.*
III. *De dispensationis vi amissa, & de ipsius expẽsis.* 226
IV. *Practicæ resolutiones circa præfata.* 228

EXAMEN XVII.

De Bulla Cruciata.

CAP. I. *De iis, queis frui datur Bullæ priuilegio.* 234
II. *De priuilegio audiendi sacrum, & sepeliendi tempore interdicti.* 235
III. *De edendi carnes, ac vsus lacticiniorum priuilegio.* 236
IV. *De indulgentiarum lucratione, operibúsque per Bullam iniunctis ad eas consequendas.* 237
V. *De eligendo Confessario.* 240
VI. *De peccatis aliísque, à quibus Confessarius absoluere potest per Bullam.* 243
VII. *De votorum commutatione.* 245
VIII. *De Commissarij potestate.* 246
IX. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 247

SYLLABVS

EXAMEN XVIII.

De Bulla Compositionis.

CAP. I. *Queisnam in casibus fieri valeat per Bullam Compositio.* 259

II. *De nonnullis expositionibus, aut resolutionibus ex præfata doctrina.* 261

TRACTATVS SECVNDVS.

CIRCA SIGILLVM SECVNDVM.

PECCATA.

EXAMEN PRIMVM.

De Peccatis in genere.

CAP. I. DE *Originali peccato.* 265

II. *De peccato Actuali, & Habituali.* 266

III. *De requisitis ad peccatum, vbi de eius malitia.* ibid.

IV. *De peccato Mortali, & Veniali.* 267

V. *De peccatorum numero dignoscendo.* 269

VI. *De peccato Commissionis, & Omissionis.* 270

VII. *De peccato Cordis.* 272

VIII. *De peccatis Oris.* 273

IX. *De peccatis Operis.* ibid.

X. *De peccati effectibus.* 274

XI. *De causis à peccato excusantibus.* ibid.

XII. *Practicæ resolutiones circa præfata.* 276

EXAMEN II.

De septem peccatis Capitalibus.

CAP. I. *De Superbia.* 280

II. *De Auaritia.* 383

III. *De*

III. *De Luxuria.* 284
IV. *De Ira.* 286
V. *De Gula.* 288
VI. *De Inuidia.* 291
VII. *De Acedia.* 292
VIII. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 293

EXAMEN III.

Cuncta peccata Mortalia, seu instructio ad generalem Confessionem.

CAP. I. *De prænoscendis ante Confessionem.* 295
II. *Quonammodo pœnitens proferre debeat crimina lethalia contra Decalogi, & Ecclesiæ præcepta.* 298
III. *Peccata Mortalia Principum.* 302
IV. *Peccata Mortalia Ecclesiasticorum.* 303
V. *Peccata grauia Regularium.* 205
VI. *Peccata grauia secularis communitatis, scilicet Collegij, Vniuersitatis.* 307
VII. *Peccata Mortalia Regiminis Vrbium.* 308
VIII. *Peccata Mortalia quorundam Ministeriorum Reipublicæ.* 310
IX. *Peccata Mortalia circa Medicinam.* 312
X. *Peccata Mortalia Militiæ.* 314
XI. *Peccata Mortalia Agriculturæ.* 315
XII. *Peccata Mortalia Mercatorum.* 316
XIII. *Peccata Mortalia Artificum.* 317
XIV. *Peccata Mortalia Tribunalis iudiciarij.* 320
XV. *Peccata Mortalia coniugum.* 328

TRACTATVS TERTIVS,
CIRCA SIGILLVM TERTIVM.
IVSTITIA.

EXAMEN PRIMVM,
De Dominio.

CAP. I. DE iure, iustitia, & iniuria. 330
II. Quid sit Dominium, quotuplex, & in quei-snam personis reperiatur. 331
III. De modo acquirendi dominium rerum rationabilium, & irrationabilium. 332
IV. De acquirendo dominio præscriptione. 333
V. Practicæ Resolutiones circa prædicta. 335

EXAMEN II.
De Restitutione.

CAP. I. De Restitutionis necessitate. 336
II. De persona, quæ debet restituere. 337
III. De circunstantiis Restitutionis. 339
IV. Causæ excusantes à Restitutione. 341
V. De Restitutione in particulari. ibid.
VI. Practicæ Resolutiones circa prædicta. 346

EXAMEN III.
De Contractibus in communi.

CAP. I. De Contractuum essentia, & varietate, vbi de promissione. 360
II. Quinam possint, & non possint contrahere. 362
III. De contractus obligatione. 364
IV. De dolo in contractibus. 364
V. De culpa in contractu, casu fortuito, & aliis accidentibus. 366
VI. Practicæ Resolutiones circa prædicta. 367

CAPITVM.

EXAMEN IV.

De Contractibus Gratuitis.

CAP. I. *De Depoſito.* 371
II. *De Donatione.* 372
III. *De Teſtamentis, & Legatis.* 374
IV. *De Commodato.* 375
V. *De Precario.* 376
VI. *De Mutuo.* 377
VII. *Practicæ Reſolutiones circa prædicta.* 378

EXAMEN V.

De Vſura.

CAP. I. *Quid, & quotuplex vſura.* 378
II. *De vſurarum reſtitutione.* 390
III. *De Montibus Pietatis.* 392
IV. *Practicæ Reſolutiones circa præfata.* 393

EXAMEN VI.

De contractibus oneroſis, ac primò de Emptione, & Venditione.

CAP. I. *Quid, & quotuplex venditio, & circa quaſnam res verſetur.* 396
II. *De naturali ac legali iuſto pretio.* 398
III. *De venditionibus in particulari.* 399
IV. *De aliis ad venditionem pertinentibus.* 402
V. *Practicæ Reſolutiones circa prædicta.* 405

EXAMEN VII.

Secundò de Cenſibus.

CAP. I. *Quid, & quotuplex Cenſus.* 412

II. *De*

II. *De iustitia, ac conditionibus censuum.* 413
III. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 415

EXAMEN VIII.

Tertiò de Cambiis.

CAP. I. *De Cambij essentia, & speciebus.* 416
II. *De nonnullis aliis ad Cambia pertinentibus.* 419
III. *Practicæ Resolutiones crica prædicta.* 420

EXAMEN IX.

Quartò de Locatione, & Conductione.

CAP. I. *Quid, & quotuplex, & ad quos transeat Locatio, & quibus pereat.* 422
II. *De mutuis Locatoris, & Conductoris obligationibus.* 423
III. *De famulorum mercede.* 424
IV. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 425

EXAMEN X.

Quintò de Emphyteusi.

CAP. I. *De Emphyteusis conditionibus.* 428
II. *De successionibus in Emphyteusi.* 429
III. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 430

EXAMEN XI.

Sextò, de Feudo.

CAP. I. *De substantia, & conditionibus Feudi.* 431
II. *De domino, & feudatario plura.* 432
III. *Quidnam in Feudo succedant.* 433
IV. *Practicæ Resolutiones circa præmissa.* 435

EXAMEN XII.

De Ludo.

CAP. I. *Quid ludus, quonammodo licitus, & vitiosus. ib.*
II. *De solutione eorum, quæ in ludo amittuntur.* 436

III. *De*

CAPITVM.

III. *De ludo cum specialibus personis.* 437
IV. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 439

EXAMEN XIII.

De Societatibus.

CAP. I. *De Societatibus in genere.* 445
II. *De Societatibus in specie.* 446
III. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 449

EXAMEN XIV.

De Contractibus in quibus fortuna, & qui aliis contractibus sunt adminiculo, de quasi Contractibus, & Innominatis.

CAP. I. *De Contractibus fortunæ.* 452
II. *De Contractibus qui adminiculo alijs.* 453
III. *De quasi Contractibus, & Innominatis.* 455

TRACTATVS QVARTVS,

CIRCA SIGILLVM SECVNDVM.

CENSVRÆ.

EXAMEN PRIMVM,

De Censuris in communi.

CAP. I. *Quid, & quotuplex Censura.* 460
II. *De ferente Censuram.* 461
III. *De eo in quem Censura ferenda.* 462
IV. *De causa ob quam Censura fertur.* 464
V. *De modo, quo ferenda est.* 465
VI. *De causis excusantibus à Censuræ incursu.* 466
VII. *De Censuræ effectibus.* 467
VIII. *De absolutione à Censura.* 468
IX. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 470

EXA

SYLLABVS

EXAMEN II.

De Excommunicatione.

CAP. I. *De essentia, diuisione excommunicationis maioris.* 474

II. *De effectibus spiritualibus eiusdem.* 476

III. *De temporariis emolumentis, queis priuat.* 478

IV. *De aliis accidentibus effectibus, déque communicatione cum excommunicato.* 480

V. *De Absolutione ab excommunicatione maiori.* 481

VI. *De excommunicatione Minori.* 482

VII. *De excommunicato vitando, ob cuius communicationem excommunicatio Minor incurritur, &c.* 484

VIII. *De excommunicationibus in particulari tam reseruatis, quàm non reseruatis.* 486

IX. *Eas seligo, quæ communi vsui esse possunt.* 492

X. *De excommunicatione contra Clerici percussorem.* 493

XI. *Practicæ resolutiones circa prædicta.* 495

EXAMEN III.

De Suspensione.

CAP. I. *Suspensio quid, quotuplex, eius species.* 408

II. *De suspensionis causis.* 510

III. *De suspensi peccatis, & irregularitatis contractione.* 511

IV. *De suspensionibus in particulari.* 512

V. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 514

EXAMEN IV.

De Interdicto.

CAP. I. *De interdicti essentia, causis, & relaxatione.* 518

II. *De*

CAPITVM.

II. *De interdicti effectibus.* 520
III. *De interdictis in particulari.* 523
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 523

EXAMEN V.

De cessatione à Diuinis, ac Dispositione.

CAP. I. *Quidnam, & quotuplex cessatio.* 528
II. *De cessationis effectibus.* 529
III. *De Depositione, ac Degradatione.* ibid.
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 530

EXAMEN VI.

De Irregularitate.

CAP. I. *De natura, institutione & causis eius.* 531
II. *De effectibus irregularitatis, ac eius dispensatione.* 532
III. *De irregularitatibus ex defectu.* 534
IV. *De irregularitatibus ex delicto.* 539
V. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 545

TRACTATVS QVINTVS.

CIRCA SIGILLVM QVINTVM.

VIRTVTES.

EXAMEN PRIMVM,

De Fide.

CAP. I. DE *Fidei essentia, & materia.* 558
II. *De eius necessitate & ratione medij, & ratione Præcepti.* 559
III. *De exteriori Fidei confessione.* 561
IV. *De peccatis contra Fidem.* 563
V. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 566

SYLLABVS

EXAMEN II.

De Tribunali S. Inquisitionis.

CAP. I. *De DD. Inquisitorum potestate.* 571
II. *De In quos habeant iurisdictionem, & de quibus cognoscant DD. Inquisitores.* 573
III. *De modo procedendi, tortura, sententia.* 575
IV. *De bonorum confiscatione, pœnisque delictorũ.* 579
V. *De Sacerdote sollicitante pœnitentem ad venerem.* 584
VI. *De denunciatione, & testificatione.* 590
VII. *Practicæ resolutiones circa præfata.* 592

EXAMEN III.

De Spe.

CAP. I. *De spei essentia, & præceptis.* 597
II. *De peccatis aduersùs spem.* 598

EXAMEN IV.

De Charitate ad Deum.

CAP. I. *De essentia, & præceptis charitatis.* 599
II. *De peccatis contra illam.* 601

EXAMEN V.

De Charitate ad proximum.

CAP. I. *De præcepto charitatis huiusmodi.* ibid.
II. *De ordine seruando circa eam.* 603
III. *De effectibus externis. Ac primò de Fraterna correptione.* 604
IV. *De secundo effectu, id est, Eleemosyna.* 608
V. *De vitiis charitati huic oppositis.* 611

VI. *Practicæ resolutiones circa prædicta.* 613

EXAMEN VI.

De Religione.

Cap.I. *De essentia virtutis Religionis.* 627
II. *De Oratione in communi.* 628
III. *De Horis Canonicis.* 630
IV. *De vitijs Religioni contrarijs.* 631
V. *Quodnam recitandum officium.* 632
VI. *Ordo recitandi.* 633
VII. *Peccatum non recitandi.* 634
VIII. *De attentione.* *ibid.*
IX. *Tempus recitationis.* 635
X. *Causæ excusantes à recitatione.* 636
XI. *Pœnæ non recitantis.* 637
XII. *De vitijs Religioni contrariis.* 638
XIII. *Practicæ resolutiones circa prædicta.* 643

TRACTATVS SEXTVS,

Circa Sigillvm Sextvm.

STATVS.

EXAMEN PRIMVM.

De statu Clericali.

Cap.I. *De Ecclesiastico Beneficio.* 654
II. *De Pensionibus Ecclesiasticis.* 661
III. *De rerum Ecclesiasticarum alienatione.* 663
IV. *De Ecclesiasticis spoliis.* 664
V. *Practicæ resolutiones circa præfata.* 666

SYLLABVS

EXAMEN II.

De Simonia.

CAP. I. *Quidnã illa, & in quasnam personas cadat.* 670
II. *Quotuplex, & quænam eius materia.* 672
III. *Quandonam id, quod datur pro re spirituali, existimetur habere pretij rationem.* 676
IV. *De alijs causis à Simonia excusantibus.* 877
V. *De pœnis Simoniaci.* 678
VI. *Practicæ Resolutiones circa præmissa.* 680

EXAMEN III.

De Ecclesiastica libertate.

CAP. I. *De immunitate ab oneribus.* 683
II. *De immunitate à Foro.* 686
III. *Quisnam sit reputandus Clericus ad Ecclesiastica immunitate fruendum.* 687
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 688

EXAMEN IV.

De immunitate Templorum.

CAP. I. *De libertate Templi.* 694
II. *Quisnam locus habendus sacer.* 695
III. *Quinam sunt Templi immunitate priuati.* 697
IV. *De Templorum violatione.* 699
V. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 700

EXAMEN V.

De statu seculari, ac primo de Tributis.

CAP. I. *Quinam possit Tributum imponere.* 702

II. *De*

II. *De obligatione subditorum circa Tributum.* 703
III. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 704

EXAMEN VI.

De Iudice, Teste, & Reo.

CAP.I. *De Iudice.* 707
II. *De Accusatore.* 708
III. *De Teste.* 710
IV. *De Reo.* 711
V. *De Aduocato, Procuratore,& Notario.* 712
VI. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 713

EXAMEN VII.

De statu Regulari.

CAP.I. *De essentia status Religiosi.* 718
II. *De Religionis ingressione,& abscessione.* 720
III. *De professione, & votis.* 723
IV. *De Religiosi status prærogatiuis,* &c. 728
V. *De Monialium, virorúmque Religiosorum clausura.* 731
VI. *De Regularium Prælatis.* 732
VII. *Practicæ resolutiones circa prædicta.* 733

TRACTATVS SEPTIMVS,

CIRCA SIGILLVM SEPTIMVM.

SACRAMENTA.

EXAMEN PRIMVM,

De Sacramentis in genere.

CAP.I. DE definitione Sacramenti,numero, ac necessitate Sacramentorum. 740

II. *De causa efficiente, finali, materia, ac forma Sacramentorum.* 741
III. *De Ministro, & suscipiente.* 742
IV. *De Sacramentorum effectibus.* 743
V. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 744

EXAMEN II.

De Baptismo.

CAP. I. *De Baptismi definitione, institutione, proprietatibus, ac ritu.* 746
II. *De materia & forma Baptismi.* 748
III. *De Ministro, suscipiente, & effectibus.* 749
IV. *Practicæ resolutiones circa præmissa.* 751

EXAMEN III.

De Confirmatione.

CAP. I. *De Confirmationis essentia.* 760
II. *De dispensatione ad eam recipiendam, & ritu conferendi.* *ibid.*
III. *De Ministro, suscipiente, déque effectibus Confirmationis.* 761
IV. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 762

EXAMEN IV.

De Pœnitentia.

CAP. I. *De Pœnitentiæ virtute.* 765
II. *De Sacramenti Pœnitentiæ institutione, necessitate, præcepto, materia, & forma.* 766
III. *De Pœnitentiæ effectibus.* 767
IV. *De Contritione prima parte Pœnitentiæ.* 769
V. *De Confessione secunda parte.* 770

CAPITVM.

VI. *De satisfactione tertia parte Pœnitentiæ.* 778
VII. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 780
VIII. *Practicæ adhuc speciales Resolutiones Confessarium ad munus rectè obeundum instruentes.* 797

EXAMEN V.

De Indulgentiis.

CAP. I. *De Ecclesiæ Thesauro.* 806
II. *Quid, & quotuplex Indulgentia.* 807
III. *De iis, qui possunt Indulgentias concedere.* 808
IV. *De causa eas concedendi.* 809
V. *De suscipiente Indulgentias.* 810
VI. *De earum valore.* 811
VII. *De Indulgentia pro defunctis.* 813
VIII. *Practicæ resolutiones circa prædicta.* 814

EXAMEN VI.

De Eucharistia.

CAP. I. *Definitio, institutio, necessitas.* 825
II. *De materia & forma Eucharistiæ.* 826
III. *De effectibus Eucharistiæ.* 827
IV. *De Ministro, & suscipiente.* 829
XII. *Practicæ Resolutiones circa prædicta.* 831

EXAMEN VII.

De Extrema-Vnctione.

CAP. I. *De Extremæ-Vnctionis materia & forma.* 842
II. *De Ministro, & suscipiente.* 843
III. *De effectibus, ac conferendi ritu.* 844
IV. *Practicæ Resolutiones circa dicta.* *ibid.*

EXA

SYLLABVS

EXAMEN VIII.

De Ordine.

CAP. I. *Essentia, institutio, numerus, materia & forma huius Sacramenti.* 849
II. *De effectibus Ordinis.* 850
III. *De Ministro, ritu, & suscipiente.* 851
IV. *Practicæ Resolutiones circa præfata.* 853

EXAMEN IX.

De Matrimonio.

CAP. I. *De Matrimonij essentia, indissolubilitate, Ministro, solemnitate, diuortio.* 858
II. *De causa efficiente, id est consensu.* 860
III. *De Matrimonio Clandestino, vbi de denunciationibus.* 862
IV. *De Sponsalibus.* 863
V. *De debito.* 865
VI. *De impedimentis dirimentibus.* 866
VII. *De impedimentis Matrimonium impedientibus.* 873
VIII. *De dispensationibus Matrimonialibus.* 874
IX. *Practicæ Resolutiones circa prædicta, ex Societatis* IESV *Doctoribus.* 877

PROOE

PROOEMIVM
LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS.

GENERALIA PRINCIPIA,

Vbi materiæ de vltimo Fine, de Actibus humanis, de Conscientia, de Gratia, & Merito expenduntur.

IN *quorum expositionem sequor præcipuè doctrinam* Suarij, Filliucij, Azorij, Reginald. Laymani, Castro-Palao, Toleti, Baldelli, Meratij, Henriquez, Valentiæ, Raynaudi, & Præpositi.

A EXA

EXAMEN PRIMVM,

Circa materiam de Fine vltimo, & Beatitudine.

CAPVT PRIMVM.

De Fine hominis vltimo.

1. QVANDONAM *actiones humanæ dicuntur esse propter finem?* Quando humano modo operatur. Nil autem aliud est, actionem aliquam esse propter finem, quàm eam effici ex bonitatis ipsius cognitione, vel finis allicientis voluntatem ad operandum: vnde tam intentio finis, quàm electio medij dicitur esse propter finem.

2. *Est ne proprium hominis agere propter finem, ita vt ad finem ipse sese excitet, ac impellat?* Ita planè; bruta enim etsi finem agnoscant quodammodo materialiter, non tamen formaliter agnoscendo rationem finis, & boni, quæ conuenientiam quandam importat. Hinc humana actio suam speciem desumit à fine.

3. *Datur ne singularum actionum vltimus finis?* Datur quidem secundùm quid, vltra quem alius absolutè & simpliciter vltimus datur, isque tantùm vnus est, ob quem alia omnia ab homine appetuntur.

4. *Est ne hic idem cum vltimo fine creaturarum?* Maximè, si de re, quæ finis est, sermonem habeamus; si autem de consecutione eius, idem non est; cum homines cognoscendo, amandóque Deum finem consequantur, aliæ verò creaturæ variis modis iuxta variam eius participationem Deum manifestando: vnde absolutè loquendo eundem non esse dicendum finem affirmo.

CAPVT II.

De Beatitudine.

VBinam *posita est Beatitudo formalis, & obiectiua?* Hæc quidem in solo Deo, illa in hominis actione consistit, eáque

eáque intellectiuæ partis vtriusque iuxta probabilem sententiam : at secundùm probabiliorem solius intellectus.

6. *Quænam ex Beatitudine proprietates consequuntur* ? Plures equidem, ex quibus tres dicuntur animæ dotes, Visio, Comprehensio, & Delectatio ; nam rectitudo voluntatis effectus tantùm est necessarius beatitudinis.

7. *Requiritúrne ad essentialem animæ beatitudinem coniunctio cum corpore* ? Minimè, nec eius societate minuitur, aut augetur nisi accidentariè, ad illam etiam aliqua ratione deriuata.

8. *Quotnam corpori dotes concedentur* ? Quatuor, Impassibilitas, Claritas, Subtilitas, & Agilitas.

9. *An amicorum consortium, aut externorum copia bonorum aliquid ad eius perfectionem beatitudinis conferent* ? Nihil, Deus enim omnia beato.

10. *Estne ad hanc beatitudinem in homine capacitas* ? Ita planè. At neque viribus naturæ explerij nec homini debita, aut proportionata est, cum naturalem omnem excedat perfectionem, ideo congruentius affirmo haud esse naturalem ad eam in homine appetitum : ideóque sine gratiæ auxilio ad eam non potest peruenirj.

EXAMEN II.

Circa materiam de Actibus humanis.

CAPVT PRIMVM.

De Voluntario, & Libero.

1. QVid est *humana Actio*? Propriè loquẽdo, est hominis operatio volũtaria ac libera, aut eius omissio. §. 1. *Voluntarium.*

2. *Quidnam Voluntarium* ? Id quod à principio intrinseco fit cum cognitione particularium, in quibus actio consistit. *Reperitur in brutis* ? Ita planè, sed imperfectum. Ad perfectum enim Voluntarium etiam rationis vsus, & libertas requiritur?

3. *Quotuplex Voluntarium* ? Duplex. Directum, quod à voluntate tanquam à causa fit operante. Indirectum, quod ab eadem tanquam à causa non operante fit. Item Voluntarium expressum, quod signis aut verbis significatur ; & tacitum

citum quod sine verbis aut signis, ex circunstantiis colligendum.

§. 2. *Liberũ.* 4. *Quid Liberum?* Quod positis omnibus requisitis ad agendum, absque eo quod vlla fiat in se mutatio, potest agere, vel non. Hinc Libertas in voluntate formaliter sita est, in intellectu verò radicaliter.

5. *Num actiones vsum rationis præuenientes liberæ sunt?* Non, quia ad has rationis aduertentia requiritur.

CAPVT II.

Vndenam Voluntarium aut Liberum tollatur?

6. *Vidnam ergo Voluntarium seu Liberum tollit? Num Vis?* Tollit quidem Vis absoluta, nec imputatur ad culpam, quod ex illa committitur, vti in virgine stuprum, idoli adoratio, contractus cum vi initus.

7. *Num Ignorantia?* Si sit antecedens, voluntarium tollit, non consequens. Comitans autem aufert tantùm negatiuè; quia tollit necessariam negationem, non autem efficit inuoluntarium.

8. *Num Metus?* Est quidem Metus grauis, qui in virum constantem cadit, nec à constantia valet repelli; & leuis, qui cadit in meticulosum. Neuter irritat contractus iure naturæ; at grauis positiuo iure nullos reddit. Metus igitur tollit secundùm quid Voluntarium, absolutè verò Voluntarium facit pro loco, & tempore.

9. *Num Concupiscentia?* Hæc quidem Voluntarium auget in actu, quatenus delectabilis est. At minuit in eo quod efficit, vt inhonesti ratio minùs consideretur; quæ vera sunt de concupiscentia consequenti ex vehementi voluntatis appetitu, & consideratione intellectus: non autem de antecedenti consensum voluntatis, & aduertentiam intellectus.

CAPVT III.

De Bono, & Malo Morali.

10. *CVm Morale per se primò conueniat actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus: Quidnam est Morale?*

rale? Quod pertinet ad mores. Diuiditur autem in Bonum morale, seu honestum: & Malum morale, seu inhonestum. Bonum honestum dicitur quod substantiæ rationali liberæ per se decens est. Inhonestum verò quod dedecet eandem.

11. *Vndenam actus morales bonitatis vel malitiæ speciem accipiunt?* A reali obiecto suo. Consequenter bonitas vel malitia in obiecto fundamentaliter reperitur, formaliter autem in actione. Profectò actus alij per se & præcisè ex obiecto mali sunt, alij verò propter legis positiuæ prohibitionem. Actus morales alij internè consummantur, alij verò in externam transeunt operationem. Externa moralis operatio obiectiuè quidem prior est actu interno, sed vt exercita ab actu interno posterior tanquam participans bonitatem & malitiam ab interno actu. *Actus internus & externus in genere moris faciúntne numerum*; Minimè; verùm actus internus voluntatis efficax si opere non completur, quia deest operandi facultas, habet quidem omnem substantialem bonitatem, vel malitiam, sed non accidentalem, quandoquidem externa executione materialiter perficitur.

Caput IV.

De humanarum actionum circunstantiis.

12. *Pertinéntne circunstantiæ ad humanarum actionum bonitatem, vel malitiam?* Pertinent quidem tanquam quædam ipsius humanæ actionis accidentia. Septem adnumerantur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

13. Præcipuæ ergo circunstantiæ sunt finis propter quem peccatur, tempus, locus, in quibus peccatur, & persona peccans, & cum qua peccatur.

14. *Necessúmne semper has circunstantias confiteri?* Minimè, sed in casibus sequentibus. 1. Quando circunstantia facit mortale peccatum, quod aliàs erat veniale. v.g. qui dicit mendacium iocosum vt alter occidatur, seu ob fornicationem. 2. Cum circunstantia mutat speciem peccati, ita vt ex vnius speciei mortali mortale alterius speciei efficiat, v. g. qui furatur in Ecclesia. 3. Cùm ex circunstantia multiplicatur peccatum, quia etiam circunstantia est contra præceptum aliquod. v. g. qui furatur, vt adulteretur, duo sunt peccata, furtum, & adulterium. 4. Circunstantia, quæ secum fert

excommunicationem. v.g. qui percussit Clericum, debet personam manifestare. 5. Cum circunstantia est necessariò cognoscenda ad satisfactionem. v. g. qui furatus est centum aut mille, tenetur exprimere, vt Confessarius de restitutionis modo prouideat.

CAPVT V.

De Coactione, Metu, & Ignorantia.

§. 1. *Coactio.* OPeræpretium planè, de tribus hisce generalibus principiis accuratiùs periculum facere. *Quidnam Vis seu Coactio?* Cùm membra ab extrinseco mouentur contra voluntatis inclinationem, tunc homo violèntiam patitur: verbi gratia, in stupro violenter illato puellæ. Est quidem vis seu coactio propriè dicta, quæ membris exterioribus infertur, quam asserui voluntarium tollere; quia quod fit voluntate repugnante, in id voluntas non consentit. Vis autem seu Coactio impropriè dicta, & secundùm quid est, quæ infert metum alicuius mali, ob quem actio fit, quæ alioquin non fieret: hæc non tollit voluntarium simpliciter, sed secundùm quid facit inuoluntarium, adeóque efficit, vt actio sit mixta ex voluntario, & inuoluntario. v.g. latroni pecunias das, ne nex inferatur: consideratis circunstantiis consultò eligis tanquam hîc & nunc bonum pecunias dare: datio ergo est simpliciter loquendo voluntaria. Attamen inuoluntarium admiscetur; quia quod fit cum auersione voluntatis inuoluntarium est; ab eo autem, quod metu gero, alioquin non acturus voluntas abhorret.

§. 2. *Metus.* 16. *Quidnam Metus?* Est iuxta Vlpian. mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa. At metu fieri id dicitur, quod quis mali declinandi causa facit, alioquin non acturus. Metus quidem alius ab intrinseco proficiscitur: v.g. si nauta pecunias metu naufragij vltrò abiiciat. Alius ab extrinseca persona directè incutitur, vel iustè: v.g. si magistratus te sub pœna excommunicationis cogat ad matrimonium, vel iniustè: v. g. si quis alicui mortem minitetur, nisi filiam ducat, quod quidem nullum matrimonium. Porrò Metus hic ab extrinseco alius est (vt diximus) cadens in constantem virum, qui etiam grauis, iustus & probabilis dici solet: alius cadens in inconstantem virum, qui & leuis, vanus, & iniustus vocitatur. Igitur vt Metus factum alioquin illicitum excuset, neces-

neceſſe eſt, vt ſit maioris mali, quàm ſit illud, quod metus cauſa ſuſcipitur. Vnde metus mortis non cenſetur iuſtus, ſi ob eam etiam in minimum peccatum conſentiam; quia grauius malum quàm mors minimum crimen malum intrinſecè.

17. *Quotuplex Ignorantia?* Quadruplex. Primò eſt Ignorantia priuationis, ſeu carentia ſcientiæ in ſubiecto apto: & Ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ eſt poſitiua deceptio, & contrarius error veritati exiſtens: v.g. in Iudæis, hæreticis, aliiſque errantibus. Secundò eſt Ignorantia iuris, vt ſi quis ignoret, quod lege vel conſuetudine conſtitutum eſt, v.g. carnes die Veneris eſſe prohibitas: & Ignorantia facti, vt ſi quis ignoret rem particularem, ex qua actio moralis veluti obiecto dependet, vt ſi quis neſciat carnem eſſe, quam comedit, vel non exiſtimet diem Veneris adeſſe. Tertiò eſt Ignorantia, quæ cauſa operis exiſtit: v. g. amicum ex ignorantia occidi, putans eſſe feram: & Ignorantia, quæ non eſt cauſa operis, ſed concomitans illud, v.g. ſi inimicum, quem maximè à te occiſum cupiebas, pro fera occidiſti. Quartò eſt Ignorantia antecedens, quia omnem voluntatis actum antecedit, ideóque prorſus inculpata, inuincibilis dicta, quia adhibita diligenti inquiſitione veritatis cognitio acquiri non potuit: & Ignorantia conſequens, quæ aliquo modo voluntaria eſt, ideóque culpabilis, & vincibilis, quia ſuperari ac tolli, & oppoſita ſcientia acquiri potuiſſet, ac debuiſſet. Certè vincibilis Ignorantia ſubdiuiditur in affectatam, cùm quis data opera vult ignorare: & non affectatam, quæ vel craſſa aut ſupina, vt ſi ad eam tollendam nullam curam adhibeas: vel non craſſa, quæ non tam facilè ſuperari potuit, ſeu ad quam vincendam diligentia adhibita eſt, ſed non ſufficiens. §. 3. *Ignorantia.*

18. *Quandónam igitur Ignorantia excuſat à culpa, & quando non excuſat?* Inuincibilis tam iuris, quàm facti excuſat omnino, quia vbi non eſt voluntarium, nulla adeſt culpa. Concomitans inuincibilis excuſat; qui enim inuincibiliter ignorat hominem inimicum eſſe quem occidit, non vult ea actione committere homicidium. *Homo ita affectus eſt, vt ſi aduerteret animo, homicidium faceret.* Non obſtat; quia Deus non imputat homini peccata quæ gereret, ſi hoc vel illud in mentem veniret. Ignorantia vincibilis non excuſat, facit tamen culpam leuiorem, ſi affectata non ſit; quia minuit voluntarium. Ignorantia vincibilis affectata ſeu craſſa in re magni momenti mortalis eſt.

CAPVT VI.

Praxis ex Societatis IESV *Schola circa materiam de Actibus humanis.*

§. 1. *De ignorantia.*

19. *QVis ignorat, quæ scire debet, & potest. v. g. tenentur homines scire delectationem morosam esse peccatum, & quando occurrit, aduertere: rogo, an delinquat grauiter qui consentit, quamuis ignorans, aut non aduertens eius malitiam?* Affirmat *Salas* 1. 2. *tract.* 13. *d.* 8. *sect. vltim. num.* 87. quia ignorat vincibiliter. At cum *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 21. assero non delinquere, quia ad ignorantiam vincibilem, & peccaminosam præter obligationem aduertendi requiritur ante consensum expressa aliqua cogitatio, & consideratio actualis malitiæ, aut periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio. Nam si de malitia operis nulla suspicio vel scrupulus grauis veniat in mentem, opus in quantum malum non erit voluntarium: cum nulla ratione fieri possit, voluntatem annuere malo, quod intellectus non prægnouerit.

Salas. Sanch.

20. *Culpabilis ignorantia mysteriorum fidei, & aliorum, quæ per se sciri præcipiuntur, seu negligentia ea cognoscendi, est ne peccatum graue?* Est planè, & distinctum ab eo cuius est causa, contra specialem virtutem studiositatis, quæ moderatur sciendi appetitum iuxta peculiares materias, & personas. Sic *Vasquez* 1. 2. *d.* 126. *c.* 3.

Vasq.

21. *Vincibilis ignorantia excusat ne à transgressione legis humanæ? Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 9. asserit excusare, si non sit affectata, seu crassa; quia lex humana non obligat cum tanto rigore. At *Palao tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *punct.* 16. *num.* 3. negat; quia tota materia transgressionis in hoc casu consistit in negligentia culpabili sciendi præceptum.

Sanch. Palao.

22. *Ignorantia vincibilis excusátne à censuris, & pœnis spiritualibus? Sanchez de Matr. tom.* 3. *lib.* 9. *d.* 32. *n.* 31. affirmat, siue sit ignorantia facti, siue iuris. Etsi pœnà lata sit contra scienter violantes, aut præsumentes, excusat etiam crassa, & supina, imò probabiliter affectata. Quæ omnia procedunt de ignorantia solius pœnæ stante scientia præcepti; quia non satis est ad incurrendam censuram, me scire, opus esse prohibitum, nisi etiam sciam sub censura prohiberi.

Sanch.

23. *Num casuum reseruatio locum habeat in ignorante?* Cardin. Lugo *de Pœn. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 11. distinguit. Si in pœnam

Lugo.

pœnam imponitur reseruatio, non habet locum in ignorante; si in medecinam, v. g. quando ad prudens Ecclesiæ regimen facultas limitatur confessariis, ab ignaro etiam incurritur Scio Bonacinam & alios reseruationem inter odia connumerare, vnde possem inferre nullam reseruationem locum habere posse in ignorante: non tamen audeo à communi recedere.

24. *Vouet quis sub peregrinationis pœna non fornicari, immemor voti delinquit: tenetur ne ad pœnam voti?* Respondet *Sanchez. sum. tom. 1. lib. 4. cap. 22. num. 18.* non teneri; quia obliuio, seu inaduertentia inculpata æquiparatur ignorantiæ. Sanch.

Metum dixisti & à peccato excusare, & irritos efficere contractus: rogo, an ex metu mortis, aut grauis alterius damni, licitum sit celebrare Missam sine altari, sine vestibus sacris, seu lumine? Azorius *tom. 1. lib. 1. cat. 11. quæs. 11.* licere ait, si metus odio Religionis non sit incussus. *Poterit sine admistione aquæ consecrare?* Affirmat *Becanus tom. 2. tract. 2. cap. 6. q. 4. num. 8. Poterit sacramenta in materia dubia conficere?* Asseruit *Henriquez lib. 1. c. 9. n. 7.* quia haud intrinsecè mala. §. 2. *De Metu excusãte à peccato.* Azor. Becan.

25. *Licet ne ex metu graui inire Matrimonium, inualidum propter impedimentum dirimens.* Licet cum intentione non consummandi. *Vasquez 1. 2. d. 161. cap. 3. num. 17. Licet communicare cum excommunicato non tolerato?* Licet ex Suario de cens. lib. 6. sect. 3. n. 10. Vasq. Suar.

26. *Tenetur ne adultus Eucharistiam, vel Baptismum suscipere cum periculo mortis, si est moraliter certus de contritione?* Negat *Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 11. quæst. 2.* Affirmat *Valentia tom. 3. d. 9. q. 3. part. 1.* Azor. Valent.

27. *Scio licitum non esse, directè ex metu mortis innocentem occidere: rogo tamen, An liceat occisi carnibus vesci?* Licet, quia vel esus carnium non est iure naturali prohibitus, vel non est prohibitus cum vitæ discrimine. Idque siue mors ab intrinseco per famem immineat, siue ab extrinseca violentia. Sic *Lessius lib. 4. c. 3. dub. 2. n. 10.* Less.

28. *Si contractus lucratiui donationis, seu promissionis ex metu iniusto celebrentur, validi ne?* Probabile est, iure naturæ esse validos. Æquè probabile, inualidos esse, & non parere obligationem nec naturalem; quia ferè omnes Doctores mei asseruut, eum, qui aliquid per vim & metum extorquet, teneri in conscientia restituere; quod falsum esset, si talis donatio transferret dominium, & iure naturali valeret. Attamen *Sanchez lib. 4. d. 8. num. 4.* huiusmodi contractus graui, §. 3. *De Metu contractus irritante.* Sanch.

& iniusto metu celebratos non solùm iure naturæ, sed etiam positiuo validos. Ex probabili tamen, quam sequor, opinione altera, existimo promissiones factas latroni propter metum iniustum nullam ex iustitia inducere obligationem: Stuprantem puellam per metum teneri ad restitutionem: Prorogationem cuiusuis iurisdictionis metu extortam iure naturali, & positiuo nullam esse: Priuilegia & dispensationes nullas esse, nisi concederentur titulo compensationis ob obsequia exhibita: Renunciationem beneficij metu factam non prodesse ei, qui beneficium accipit: Excommunicationis absolutionem, vel reuocationem censuræ metu extortam excommunicato minime suffragari.

29. *Validine contractus oneroſi, in quibus datur res pro re, vt ſunt venditiones, aut promiſſiones reciprocæ*; Inualidos, si metu graui, eóque iniusto celebrentur, etiam iure naturæ.

Rebell. *Rebellus* affirmat *p. 2. lib. 1. q. 5. concl. 3. n. 15.*

30. *Contractus, ex iniuſtè leui metu incuſſo, cenſentur validinè?* Inualidos

Lessius. *Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 7. n. 46.* putat; quia metus leuis aliquando non minus hominem conturbat, quàm grauis: & sic eum per iniuriam sua priuat libertate. Ex qua doctrina Lessij infero contractus celebratos cum metu reuerentiali, rescindi posse: & eum, qui commodum inde reportauit, ad restitutionem teneri: vxorem in aliquem contractum consentientem eo quod non audeat contradicere marito timens iurgium, & austerum conuictum, posse reuocare consensum; & eos, qui inde commodum reportarunt, ad restitutionem teneri: obtenta per preces importunas, voluntate concedentis repugnante restituenda esse cum queisdam limitationibus à Lessio citato expressis.

31. *Irritantúrne ſponſalia ex graui & iniuſto metu inita?*

Henriq. Assero ex *Henriquez lib. 11. c. 9. n. 6.* irritari non solùm si iuramento firmata non sint, verùm licet iuramento fuerint roborata; quia iuramentum metu extortum non confirmat contractum, sed eum in suo valore, ac nullitate relinquit. Obiicis, iurantem soluere vsuras, teneri illas soluere. Fateor, sed ideo teneri affirmo, quia contractus vsurarius prohibetur principaliter ob bonum priuatum: vnde non est paritas cum sponsalibus coactis, quæ ob vtilitatem publicam sunt prohi-

Sanch. bita. *Sanchez de matr. tom. 1. lib. 4. d. 21. n. 3.* Addo probabiliter iuramentum extortum non solùm non confirmare contractus aliàs prohibitos: verum neque obligare, aut relaxatione indigere. Attamen probabilius *Suarium tom. 2. de Rel. lib. 2.*

Suar. *c. 11. à n. 14.* contrarium asseruisse.

32. *Grauis*

32. *Grauis metus iniustè infertur non ad contrahendum determinatè cum Maria; sed indeterminatè & in genere cum vna ex filiabus Petri: Matrimonium nè nullum?* Negat *Azorius tom.1. lib.1. cap.14. q.11.* Ego nullum cum aliis asseruerim, quia Matrimonium non solùm debet esse liberum quoad electionem personæ; sed etiam quoad electionem status. Azor.

33. *An Matrimonium ex iniusto quidem, sed leui metu contractum sit nullum, quando re vera talis est, vt deficiente metu Matrimonium non fieret?* Negat *Sanchez tom.1.lib.4.d.17.n.6.* quia qui ex metu leui operatur, censetur liberè, & voluntariè operari, cum posset metum deponere,& non agere. Sanch.

34. *Metus iustè infertur, irritat ne Matrimonium?* Minimè. v.g. inuentus in stupro Matrimonium offert,ne prodatur Magistratibus puniendus; Matrimonium est validum,quia iustè prodi poterat. Secus si Matrimonium offerat ob timorem mortis comminatæ, quia metus mortis iniustè incuteretur.

35. *Matrimonium contrahitur ex metu iniusto & graui tantum vnius: potest ne dissolui, resiliente eo, qui metum non est passus.* Affirmat *Sanchez d.15. n.5.* etiam si ipse metum intulisset alteri coniugi. *Intulit*, ais, *iniuriam, quam resarcire debet.* certè hæc iniuria, nisi aliud damnum secutum sit, non est tanta, vt aliter quàm per Matrimonium resarciri non possit. Sanch.

36. *Minatur quis malum, quod iustè ferre potest, absque animo tamen inferendi. v.g. potest quis accusare homicidam iustè: minatur illi, nisi soluas centum argenteos, accusaberis: rogo, an possit retinere sibi centum illos argenteos?* Affirmat *Lessius lib.2. c.17.dub.6.n.42.* quia pecunia soluitur, non ad deponendum animum, quem re vera non habet; sed ad cedendum iure accusandi, quod habet, & est pretio æstimabile, siue eo vti intendat,siue non,vnde accedens dolus non est iniustus. Negat *Molina tom.2. tract.2.d.514.n.4.* quia nummi soluerentur ex metu doloso.Lessio subscripserim. Lessius. Molin.

37. *Circa Voluntarium tacitum requiro, quonam modo regula illa 43. in 6. intelligenda: Qui tacet, consentire videtur?* Consentire tacēs videor, si agatur, de meo fauore, & commodo: non item si de incommodo. v. g. si aliquis mihi promittat, aut donet,taceo, nec contradico: acceptare censeor. At si quis à me sibi rem donari postulet, tacens non ideo censeor assensum præbere. Item tacens videtur consentire, si consentire nolens negare, vel contradicere deberet, non autem si contradicere, aut respondere non teneretur: Ex *Laymano, & aliis.* §.4. *De Voluntario tacito.* Laym.

alijs. Reus à iudice legitimè interrogatus ad obiecta respondere. tacet : quid? Fateri præsumitur. Sedens in Capitulo iniquæ constitutioni non reclamat: consentire ne videtur? Ita planè si vtiliter reclamare possit. Quod verum existimo in ordine ad incurrendum peccatum, aut pœnam: non ad valorem electionis; quia in re graui, & communitati præiudicante taciturnitas non debet haberi pro consensu.

38. *An scientia, & patientia Prælati consensus æstimetur?* Ita quidem, si contradicendo, absque scandalo, alteriusvè mali periculo impediri res possit: non autem, si facilè non possit impediri. v.g. Prælatus habens potestatem dispensandi, scit subditum suspensum, vel irregularem (præsumentem ex iusta causa Prælatum scire, & annuere (confessiones audire:&
Laym. non prohibet; censetur hoc ipso velle dispensare. Ita *Laymanu.*

§. 5. *De circunstantijs peccatorũ.* 39. *Certum planè, vt dixisti, circunstantias mutantes speciem necessariò exprimendas in confessione, cùm addant nouam malitiam moralem: rogo, An idem asserendum de circunstantiis notabiliter aggrauantibus?* Affirmat *Suarez 3. p. tom. 4. d. 22. sect. 3.* Negatiuæ tamen sententiæ cum *Vasquez 3. p. tom. 4. q. 91. a. 1. dub. 3. n. 3.* hæreo; quia nullum extat præceptum de
Suar. Vasq. his circunstantiis explicandis. Nam de iure diuino solùm tenemur omnia peccata mortalia confiteri, quæ omnia confiteri possumus sufficienter absque his circunstantiis. v. gr. commisi furtum mortale toties, non exponendo furti quantitatem. Præterea Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* assignans necessaria ad confessionem asserit explicandas circunstantias speciem mutantes: nec aggrauantes addit aperiendas; proinde virtualiter abnegat. Excipio tamen hinc circunstantiam *quid*, seu circa quid, si attingat integritatem obiecti principalis, aut substantialis admodum. v. gr. quod decem millia furatus sis: quod incestum in primo consanguinitatis gradu commiseris: quod totam domus familiam tanto numero hominum constantem occidere proposueris: quod per integri diei spatium sine interruptione delictum committere meditatus
Laym. fueris. Collegi ex *Laymano*, Vasquez, & aliis: *Quæ de circunstantiis notabiliter aggrauantibus dixisti, procedunt ne in circunstantiis notabiliter minuentibus?* Procedunt. Vnde puella, quæ metu mortis, alterius libidini consentit, non tenetur circunstantiã metus quæ imminuit, exponere. *Vasquez citat.*
Vasq.

40. *Tenentur ne sponsi de futuro fornicationis rei exprimere sponsalium circunstantiam?* Minimè, quia hæc non efficit adul-
Henriq. terium. *Henriquez lib. 11. c. 13. n. 4.*

41. *Tenetur*

41. *Tenetur ne qui primò dedit operam fornicationi?* Tenentur fœminæ ob integritatis, seu clausuri violationem. At mares iudico non teneri, sicut non tenetur primò post Baptismum peccans exprimere circunstantiam innocentiæ baptismalis amissæ, quod est maius damnum. *Integritatem vir amittit.* Fateor, sed quæ non est corporali æstimabili adeò clausuro munita. Hæc ex *Suario 3. part. d. 22. sect. 4.* Attamen probabilius puto cum *Vasquez opusc. de restit. c. 3. §. 2. dub. 1. num. 6.* nec fœminam teneri licèt sit sub cura parentum, quia dum Virgo sponte consentit, eius fornicatio non est stuprum; non facit sibi iniuriam nec parentibus, cùm sit domina suæ integritatis virginalis. *Quidnam de raptu, cui ipsa consentit?* *Fagundez p. 2. lib. 4. c. 3. num. 17.* asserit non teneri eam circunstantiam aperire; quia cessante iniuria contra iustitiam, quæ requiritur ad stuprum, vel raptum, non dicitur fœmina rapta, aut stuprata. Suar. Vasq. Fagund.

42. *Necessarium ne explicari in confessione eunuchum fœminam cognouisse?* Aperienda impotentiæ circunstantia, quæ talem copulam fecit esse contra naturam. *Henriquez lib. 5. c. 6. n. 3. & Filliucius tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 1. n. 23.* Henriq. Filliuc.

43. *Furatur quis rem proximi, quam ex officio tenetur custodire: teneturnè exponere officij circunstantiam, v.g. tutoris, &c.* Non, quia hæc circunstantia non variat speciem, imò nec aggrauat notabiliter. *Henriquez lib. 2. cap. 6. num. 3.* Henriq.

44. *An in Sodomia explicanda sit sexus circunstantia: aut in bestialitate animalium genera?* Minimè, quia tales differentiæ sunt materiales, & in genere entis: non formales, & in genere moris. *Filliucius tom. 2. tract. 30. c. 7. num. 131.* sufficit ergo dicere, Peccaui in Sodomia, vel in bestialitate. Filliuc.

45. *In Sodomia ne necessum est exponere cognationis gradum?* Aliquis putauit cognationem in linea recta explicandam, quia mutat species. Existimo satis esse dicere: Coiui cum consanguineo, aut cum affine, quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat speciem. *Committit quis Sodomiam cum à se baptizato, vel adoptato.* Haud tenetur circunstantiam aperire, vt *Azorius* asseruit citat. Azor.

46. *Explicandusne gradus in Incestu?* Probabile est inter cognatos non solum explicandam esse lineam, sed & gradum; & Incestum cum matre differre specie ab incestu cum sorore, aut filia propter grauissimam violationem pietatis. At *Hurtado d. 9. de sacr. pœn. dist. 4.* probabiliter docet esse eiusdem speciei incestum in eodem gradu, & linea; quamuis eo grauiorem, quo gradus est vicinior stipiti. Satis dicere: *Rem habui* Hurtad.

habui cum consanguinea in linea recta. Scio Caietanum asseruisse, etiam in diuersa linea specie incestum non differre, quare satis dicere: *Commisi incestum toties.*

47. *Delinquit fœmina cum Sacerdote Religioso; est necessarium circunstantiam sacerdotij, ac Religionis explicare?* Sufficit alteram manifestare; quia vota solemnia castitatis, quæ emittuntur tam in professione Religiosa, quàm in sacrorum ordinum susceptione sunt eiusdem speciei. Sic *Sanchez tom.2. de matr.lib.7.d.27.n.27. Sufficitne dicere, rem habui cum habente votum castitatis?* Negat Pallao, sed alij probabiliter affirmant.

Sanch.

Pallao.

48. *Occidit fœmina virum, vt nuberet cum Amasio, & postea fornicata est cum eo, debet ne huiusmodi exponere in confessione hanc circunstantiam?* Affirmat *Henriquez lib.5.c.6.n.3.* quia eo pacto, quo tale crimen est impedimentum Matrimonij, est etiam constitutiuum speciale talis fornicationis in gradu peiori. Hæreo *Lessio lib. 4. cap.3. dub.6. num.45.* neganti, dum asserit, impedimenta Matrimonij, quæ imposita sunt in pœnam delicti, & non habent speciale motiuum virtutis, non addere nouam malitiam fornicationi in confessione exprimendam.

Henriq.

Lessio.

49. *Rem habuit quis cum Turca, Iudæa, aut Hæretica: necesse ei exponere disparitatis cultus circunstantiam?* Affirmat *Lessius lib.4.cap.3.dub.6.num.43.* quia huiusmodi concubitus ad sacrilegium reducitur. Sentio cum *Azorio p.3.lib.3. cap.29.quæs.3.* hanc circunstantiam speciem non mutare, sed tantum aggrauare fornicationis speciem, vnde secluso scandalo, subuersionis periculo, Religionis contemptu, & reseruatione Episcopali, satis dicere: *Fornicatus sum toties.*

Less. Azor.

50. *Morosè quis delectatur de virgine absque intentione inferendi vim: tenetur ne explicare virginitatis circunstantiam?* Negatiuè respondeo cum *Lessio lib.2.cap.10. dub.1. num.8.* quia non expetit libidinem cum iniuria. Addiderim defloratorem virginis sponte consentientis non teneri circunstantiam virginitatis explicare; quia consentiente illa, non adest stuprum. Idem de raptu fœmina consentiente, asserendum est.

Less.

51. *Confessarius rem habens cum pœnitente, debet ne exponere filiationis spiritualis circunstantiam?* Asserit *Filliucius tom.1.tract.10.cap.5.num.187.* de Confessario præsenti, qui actu illius confessionem reciperet, non de eo, qui aliàs recepit; quia præsens Confessarius, qui in actu confessionis, vel imme

Filliuc.

immediatè post delinquit, iniuriam specialem infert sacramento. At qui aliàs receperit confessionem, liber adest, cùm sacramentum pœnitentiæ propriè spiritualem cognationem non inducat.

52. *In Iactantia de mortali opus est exponere speciem peccatorum?* Asserit *Sanchez sum.tom.1.lib.1.cap.3.num.13.* At tanti viri venia, si Iactantia non fiat cum complacentia & approbatione efficaci, ac ratificante, crediderim necessarium non esse speciem peccati exponere; quia omnis Iactantia de peccato mortali est eiusdem speciei, quatenus peccata mortalia assumuntur, vt instrumenta ad gloriam comparandam. Sanch.

53. *Explicandáne in iniurijs, in detractionibus, in iudicijs temerarijs species?* Sufficit dicere: Toties proximum iniuria affeci: Toties detraxi, seu temerè iudicaui; quia omnes iniuriæ sunt eiusdem speciei. *Fagundez part.2. lib.3. cap.5.n.3.* Fagund. *An non diffamare aliquem dicendo falsum, differt specie à diffamatione, dicendo verum occultum?* Ita planè, quia illud opponitur iustitiæ, hoc charitati. *Granadas 3.p. cont.7.tract.9.* Granad. *d.9.sect.3.num.20.* At conueniunt in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri famam. Porro in iudiciis temerariis, quamuis alioqui sit iudicium physicè diuersum: Clericus furatur: Laicus est hæreticus; tamen sunt iudicia eiusdem speciei atomæ in genere moris contra iustitiam commutatiuam prohibentem lædi famam alterius extrinsecè per iniurias, aut detractiones: intrinsecè per iudicia temeraria.

54. *Debet quis odio graui delinquens, speciem exponere: odio prosecutus proximum circa vitam, seu circa famam?* Eiusdem speciei legi apud Bonacinam; quia hæc sunt volita sub vna formali ratione nocendi proximo. Ast cum *Suario de charit.d.6.sect.2.num.2.* affirmo diuersæ esse speciei peccata odij circa vitam, & circa famam ad diuersa præcepta attinentia; quia alioqui qui cogitatione delinquit contra quintum, & contra octauum præceptum, sufficienter exprimeret fatus bis contra vnum, aut alterum deliqui. Suario.

55. *Apostata, qui in totum recedit à fide, tenetur exprimere apostasiam?* Sufficit se hæreticum profiteri; quia apostasia ab hæresi specie non differt: sed secundùm magis & minus: nam apostata recedit in toto, hæreticus in parte. *Sanchez sum.lib.1.cap.7.num.17.* Exponenda ne hæresis species? Non; quia omnes se habent materialiter ad speciem peccati. *Reginaldus tom.2.lib.6.c.4.n.114.* Sanch. Regin.

56. *Sufficit*

56. *Sufficit fornicario dicere se deliquisse contra castitatem, cum soluta, non exprimendo fornicationem?* Asserunt aliqui
Turriã. apud *Turrianum de Pœn. quæst.9. art.2. d.29. dub.2. ad arg.5.* Non improbat ipse, sed vsui in contrarium agenti hæresci-mus.

57. *Furatur quis in loco sacro: si res est sacra proculdubio exponenda est circunstantia. At si prophana sit res; v.g. crumena orantis in Ecclesia, explicanda ne?* Etiam si res furtiua pro-
Suar. phana sit, exponendam sacri loci circunstantiam, *Suarius to.1. de Relig. lib.3. cap.4. num.7.* affirmat probans Ioannis Papæ sententiam *cap. quisquis, q.9. sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.* At tamen *vò vel non sacrum de sacro* exposuerim, si res non sacra sit in Ecclesia velut sub illius potestate ratione custodiæ, pignoris, mutui, vel depositi. Verùm si adesset solum per accidens, vt in casu proposito, existimo non esse sacrilegium, quia talis fur haud specialem iniuriam Ecclesiæ infert.

58. *Furatus quis rem sacram de loco sacro, satisfacit dicendo: Furatus sum rem sacram, vel. Furatus sum de loco sacro?* Ita planè; quia vtrumque est eiusdem speciei contra Religio-
Fagund. nis virtutem. *Fagundez p.2.lib.4. c.5. n.21.*

59. *Copula illicita in oratorio alicuius domus, in sacristia, in cubiculis aut aliis locis Regularium, in campanarum turri, aut in porta Ecclesiæ forinsecus est ne sacrilegium in confessione explicandum?* Non; quia per locum sacrum solum corpus ipsum
Azor. Ecclesiæ consecratæ, aut benedictæ intelligitur. Ita *Azorius p.3. lib.3. cap.27. q.13.*

60. *Tactus impudici in loco sacro habent ne specialem malitiam in confessione aperiendam?* Asserit *Suarius tom.1. de Relig.*
Suar. *lib.3. cap.7. num.11.* quia licet non extet præceptum Ecclesiasticum nisi de sanguinis, & seminis effusione; prohibet vis legis naturalis in Ecclesia fieri actus turpes ob reuerentiam loci. Attamen probabiliter iudicarim malitiam sacrilegij non consurgere ex lege naturali, sed ex Ecclesiastica prohibente sacra fieri, & diuina officia recitari in Ecclesia post sanguinis, seu seminis effusionem. Vnde si tactus impudicos pollutio comitata non est, haud opus exprimi circunstantiam
Vasq. loci. Ex *Vasquez in 1.2. tom.2. q.72. art.6. d.98. cap.3. num.4.* Addo ex eodem *num.6.* nec pollutionem occultam in Ecclesia esse sacrilegium; quia ideo effusio seminis in Ecclesia est sacrilegium, quòd polluat Ecclesiam, quod non facit occul-
Suar. ta. Attamen hæreo *Suario tom.1. de Relig. lib.3. cap.7. num.4.* affirmanti

affirmanti sacrilegium esse, quia actus ille ex genere suo Ecclesiæ repugnat sanctitati. Alioquin species peccati ex futuro penderet euentu.

61. *Tenetur ne diuinator exprimere, num exercuerit chiromantiam, pyromantiam, hydromantiam, &c. Seu an diuinauerit cum pacto dæmonis, nécne?* Negat *Reginaldus tom.1. lib.6. cap.4. numero* 114. quia hæ circunstantiæ non mutant speciem. Regin.

62. Tenetur exponere, an violarim ieiunium per esum carnium, aut per duplicem comestionem? Respondet *Granado in 5.ᵐ.contr.7. tract.9.d.9. n.22.* sufficientem esse huiusmodi confessionem: *Toties ieiunium fregi*, quia vtraque fractio eidem virtuti temperantiæ opponitur. Gran.

63. *Deliquisti ex confidentia Bullæ vel Iubilæi: opus ne exprimere?* Non; quia speciem non mutat, *Fagundez part.2.lib.4. cap.5.n.8.* actore. Fagund.

64. *Proiecit quis Breuiarium in pelagus, aut venenum alicui propinauit: necessarium ne aperire causam, & effectum secutum?* Sufficit aut se accusare de breuiarij proiectione, aut veneni propinatione: aut omissionem officij, & homicidium; quia in prima confessione aperit peccatum in causa, in secunda autem exprimit in effectu. *Vasquez 1.2.tom.1. dict.94.cap.3. num.16.* Vasq.

65. *Obijcit se quis delinquendi periculo, & mox peccat: satisne confiteri peccatum?* Satis; quia vnicum est peccatum, nisi notabilis mora interceſſerit. *Sanchez summ.tom.1.lib.1.cap.8. num.4.* Sanch.

66. *Quis pluribus peccatis committendis per ignorantiam se exponit, quam de facto commisit. v.gr. cognoscit quis fœminam vincibiliter vel affectatè ignorans qualis illa sit: exponit se periculo adulterij, incestus, sacrilegij. Quæsierim. si postmodum compererit solutam esse, sufficit se fornicatum esse indicare?* Explicanda est ignorantia affectata, qua tot peccatorum specie distinctorum periculo se subiacuisse compererit. *Sanchez sum. tom.1.lib.1.cap.17. num.23.* Sanch.

67. *Finis continet malitiam: verbi gr. furatur quis propter fornicationem, aut confitetur propter inanem gloriam: tenetur ne vtrumque confiteri?* Si finis continet malitiam grauem, (vt in primo casu) tenetur; quia addit actui nouam malitiam. Si autem venialem malitiam continet, (vt in casu secundo) non tenetur. Verùm in primo casu non oportet circunstantiam finis explicari, vt finem, sed explicari potest, vt distinctum peccatum: Furatus sum, & mox, Habui intentio-

Conin. nem fornicandi. Ex *Coninch. de sacr. d.7.dub.4.num.42. Quid si finis nullam habeat malitiam præter malitiam obiecti: v. gr. omittit quis sacrum propter studium.* Nullo pacto est explicandus finis, quia studium nec venialem habet malitiam ab ipsa omissione distinctam. Sic *Vasquez* 1.2. *disp.93. cap.3.*

Vasq.

68. *Peccauit quis coram alijs, qui in scandalum ideo adducti sunt: quidnam exponendum?* Aperiendus numerus personarum,& species peccatorum, ad quæ alij inducti sunt. Exponendum, an ruina alterius fuerit formaliter volita: an verò solum interpretatiuè, & in causa. Fatur Magister meus Hurtado de *Mendoza* 2. 2. *d.* 173. *sect.*8. §. 61. Scio excusari ab scandalo qui coram aliis delinquunt, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles, vt nullo modo censeantur scandalum passuri: vel quia adeò profligati,vt ex aliorum crimine minimè immutandi videantur. Sic & Magister meus *Ioannes de*

Hurt.

Salas. *Salas* 1.2.*tom.*1.*tract.*7.*d.*46. *n.*11.

69. *Sollicitauit vir fœminam: tenetur ne exprimere cum fornicatione scandalum?* Minimè; quia plerumque fœmina à viro sollicitatur. *Ipsa sollicitauit virum?* Exprimere debet quod insolitum est. Vir etiam exponat si adeo precibus importunis est vsus,vt violentiæ possunt æquari. *Salas* 1.2.*tom.*2.*tract.*13. *d.*5.*sect.*15.*n.*133.

Salas.

70. *Explicanda ne circunstantia ignorantiæ inuincibilis in ordine ad censuras?* Etiam;quia ab illis excusat,sicut excusat à transgressione præcepti humani. *Quid de ignorantia affectata?* Si non affectatur ad liberius viuendum,aliquando minuit culpam; si verò affectetur ad liberius viuendum, constituit specialem malitiam aduersùs voluntatem seruiendi Deo. *Palao tom.*1.*tract.*7.*d.*1.*p.*16.*n.*3.At *Sanchez auctore sum.tom.*1.*lib.*1. *cap.*17. aggrauat solum notabiliter intra eandem speciem, ideò haud necessariò explicanda.

Palao.

71. *Furatur quis coram iudice, seu cum periculo vitæ manifesto: tenetur hanc circunstantiam confiteri?* Asserit *Vasquez* 1.2. *tom* 2 *quæst.*73. *art.*9. *dub.*3. quia duo peccata gerit, furti,ac temeritatis. Hæreo *Tannero* 1. 2. *d.*4. *quæst.*1. *dub.*3. *num.*72. existimanti non teneri; quia non vult directè pœnæ, aut periculo subiacere.

Vasq.

Tann.

72. *Exponenda ne circunstantia delinquendi in die festo, in hebdomada sancta, in communionis die?* Abnego cum *Henriquez lib.*5. *cap.* 6. *num.*6. quia circunstantia hebdomadæ sanctæ, aut dieicommunionis tantum est aggrauans. At diei festi delictum nec grauius est, quia in die festo prohibetur

Henriq.

opus

opus seruile corporale, non spirituale, quale metaphoricè peccatum dicitur.

73. *Tenetur quis aperire, an peccatum commissum sit post confessionem vltimam?* Non nisi ob aliquam circunstantiam mutantem speciem, aut constituentem hominem in proxima occasione peccandi .v.g. rubore quis afficitur de aliquo crimine, potest generaliorem confessionem facere, & illud peccatum simul confiteri non explicando, an aliàs confessum sit; quia id parum variat confessarij iudicium. *Quid de pœnitentia grauiori imponenda, si expressisset nouum esse peccatum?* Poterit ipse pœnitens maiorem sibi pœnam adaptare. Sanchez apud *Bonac. n. de sacr. dict. 5. quæst. 5. sect. 2. part. 2. §. 7. diff. 4. num. 5.* Sanch.

74. *Assolent peccata multiplicari aut ex multitudine actuum, aut obiectorum, aut Præceptorum. Rogarim in primis, quoad actuum multitudinem: An meretrix (verbi gratia,) tenetur numerum peccatorum exprimere?* Satis est exprimete tempus, quo perstitit in prostibulo. *Fagundez p. 2. lib. 3. cap. 4. num. 11.* Aduertens teneri saltem species peccatorum exprimere. §. 6. *De circunstantia. Quoties, seu de numero actuum obiectorum, & Præceptorum.*

75. *Exponenda ne oscula, & tactus post actum venereum?* Suarez *in 3. p. tom. 4. d. 22. sect. 2. n. 8. & 9.* asserit esse nouum peccatum, quia ad nouam copulam dirigitur. *At Henriquez lib. 5. cap. 5. num. 5.* aptè abnegat nouum peccatum, si huiusmodi tactus non dirigantur ad nouam copulam, sed ad complementum præcedentis. Suar. Henriq.

76. *Operam dat quis tactibus impudicis, & osculis, sed non ad copulam ordinando; quæ tamen postea secuta sit: tenetur ne vtrumque confiteri?* Tenetur; quia sunt distincta peccata. *Hurtado de sacr. d. 9. dif. 6.* Hurtad.

77. *Actus mali interni continuati quónam modo sunt in confessione exprimendi quoad numerum?* Iuxta interruptionum numerum, siue interrumpantur per actum contrarium, siue per obliuionem, siue per somnium; quia tales actus nullam habent continuationem, cum vnus ab alio non dependeat. Sic *Vasquez in 3. tom. 4. quæst. 91. a. 1.* Ego quidem de obliuione & somno negarem cum *Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. d. 5. sect. 2. num. 35.* quia accidentaliter se habent circa actum, qui mutatus non est per contrarium. Vasq. Salas.

78. *Retinet quis per annum rem alienam: quot peccata committit?* Scio probabile vnum peccatum committere, etiamsi plures occasiones restituendi fuerint oblatæ, aut pluries propositum non restituendi conseruarit, dummodo

non renouauerit, aut confirmauerit nouo actu: aut determinans restituere, data occasione non gesserit. At tamen
Lessius. *Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 3. num. 11.* asserit voluntariam rei alienæ retentionem discontinuari, si obligatus restituere, fiat impotens: per actum contrarium: per somnum: per inconsiderationem: vel obliuionem: si creditor exigit, & ipse non restituit: si videt illum egere, & non soluit. Quoad somnum, obliuionem, aut inconsiderationem non approbo; quia accidentaliter stanti proposito obueniunt.

79. *Per actus contrarios quis interrupit voluntatem prauam, v. gr. non restituendi, & potest explicare numerum peccatorum, tenetur ne explicare moram?* Non tenetur,
Vasq. *Vasquez asserente in 3. part. tom. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 3. num. 36.* At si aliter non possit numerum interruptarum exponere, tunc necessariò moram deberet exprimere.

80. *Potest quis, adhibita diligentia, numerum peccatorum exactè declarare, sufficit ne moram exprimere?* Quamuis actus interrupti, & retractati sint plura peccata, in explicando tamen numero peccatorum non est seruandus rigor metaphysicus: sed sufficit confessario pœnitentis statum constare, qui sufficienter illi aperitur, si dixerit: Retinui rem alienam, aut officium diuinum omisi per annum; quia molestum esset
Granad. maiorem imponere obligationem. *Granado in 3. p. cont. 7. tract. 9. d. 10. num. 8.*

81. Assolet pœnitens, quando numerus peccatorum exactè non venit in mentem, addere, *plus, vel minus?* postea vltra, vel citra numerum confessum aliqua veniunt in mentem: an necessarium est exprimere? Sufficit quod post nu-
Fagund. merum verisimilem addidit: *plus, vel minus. Fagundez parte 1. libro 3. cap. 5. numero 9.* Ego si confessus decem, recordarer viginti commisse, non quiescerem; quia illa addita particula, *plus, aut minus*, hanc vim habet: *Poco mas o menos*, & ad duo vel tria vltra vel citra est solum extendenda.

82. *Profectò circa obiectorum numerum certum cum sit, posse in eodem actu plures malitias reperiri: rogo, an in confessione debeant exponi?* Ita planè; quia numerus obiectorum pertinet substantialiter ad actus indiuiduationem, qui explicari
Vasq. debet in indiuiduo. Sic *Vasquez in 3. part. tom. 4. quæstion. 91.*
Suar. *art. 10. dub. 4. num. 8.* At *Suarius in 3. part. tom. 4. dist. 22. sect. 5. numero 35.* putat plura numero obiecta concurrere vt vnum moraliter, & vnum numero peccatum constituere: esse tamen

tamen distinctè explicanda, quia peccatum aggrauant. At cùm intra eandem speciem aggrauent, numerus obiectorum haud necessariò confitendus. Itaque in *Vasquez* sententia determinatus non ieiunare tota Quadragesima quadraginta peccata committit: qui vnico voluntatis actu statuit non recitare per annum officium, tot peccata gereret, quot anni sunt dies, &c. *Maledicit quis vno sermone Deum, Virginem, Apostolos.* Tredecim peccata committit. *Furatur plures oues vnius domini*, est vnum peccatum: *Plurium dominorum pro indiuiso*, etiam vnum. *Plurium pro diuiso*, sunt peccata diuersa. *Vasquez. Ladens vno verbo famam plurium personarum.* Plura peccata gerit. *Multos quis vnico ictu occidit.* Multorum homicidiorum est reus. *Si sunt Clerici occisi, aut vulnerati?* Multas percussor excommunicationes, & irregularitates incurrit. *Suarius de cens. dist. sect. 3. num. 8.* quia tres iniuriæ Ecclesiæ consurgunt. *Recogitat quis in pollutione tres coniugatas simul?* Tria peccata distincta gerit in confessione aperienda. *Henriquez libro 5. capite 8. numero 8. Inducit vno verbo tres ad peccandum.* Tria peccata committit. *Sanchez summ. tom. 1. libro 1. cap. 6. numero 8.* Porrò in Suarij probabili sententia, vnum solummodo his in casibus peccatum perpetratur. Vnde si circunstantia tantum aggrauans non est necessariò aperienda in confessione numerus obiectorum non erit necessariò explicandus. *Existens quis in peccato vnica verborum prolatione, aut ablutione viginti baptizat: vna absolutione plures absoluit: quid?* Vnum peccatum solummodo perpetrat, quia licet sint plura Sacramenta, per modum vnius ministrantur. *Tannerus 2. 2. dist. 4. quæstion. 2. dub. 4. Vnico quis iuramento rogatus de pluribus articulis, plura mendacia confirmat: quodnam crimina?* Vnum periurium, nec tenetur numerum explicare. *Henriquez lib. 5. capite 5. numero 6. Quis plures fidei articulos vincibiliter ignorat.* Vnicum pecatum gerit, sicut qui plures horas vna die omittit recitare. *Suarius de fide d. 15. sect. 1. num. 7.*

Vasq. Vasq. Suar. Henriq. Sanch. Tann. Henriq. Suar.

83. *Circa numerum denique præceptorum quid obseruandum?* Tunc plura præcepta constituunt actum multipliciter peccaminosum, quando diuersam virtutem respiciunt. Vnde ratione diuersorum præceptorum actus contrahit malitias diuersæ speciei: nisi eadem virtus pluries per eundem actum violaretur respectu diuersorum præceptorum, verbi gratia, coniugatus rem habens cum coniugata, duplex committit

adulteræ. Contra verò qui omittit sacrum die Dominica in qua aliud Festum de præcepto incidisset; vel ieiunium vigiliæ occurrentis in die Quadragesimæ: vnum peccatum ageret; quia hæc præcepta eandem virtutem respiciunt: hoc temperantiæ, illud Religionis *Vasquez in 3. part. quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 9.* Vasq.

84. *Furatur quis rem sacram de loco sacro: quot sacrilegiorum est reus?* Vnius, ob vnicam virtutem violatam. *Fagundez p. 2. lib. 4. c. 5. n. 21. Teneor ad officium diuinum ratione beneficij & ordinis sacri.* Vnicum peccatum, quia contra vnam Religionis virtutem. *Fagundez citat. n. 35.* Fagund.

85. *Pluribus iuramentis, aut scripturis, pluribus votis obligatus ad rem agendam, aut non agendam, omnia violaui: quot peccata commisi?* Vnum, sic in confessione aperiendum: violaui vnum iuramentum, aut votum. *Henriquez lib. 2. cap. 5. num. 6.* Henriq.

86. *In quadragesima confessionem inualidam agens delinquit, contra præceptum diuinum de integritate confessionis, & contra Ecclesiasticum de confessione annua: quot peccata gessit?* Vnum: quia præceptum Ecclesiæ diuino subordinatur. *Fagundez p. 2. lib. 3. cap. 5. num. 8.* Fagund.

87. *Quis Eucharistiam sumens in peccato duo præcepta violat, vnum confessionis ante communionem, alterum dignæ susceptionis Eucharistiæ: quot crimina perpetrat?* Vnum contra dignam susceptionem Sacramenti; quia præceptum confessionis præuiæ in hunc finem ordinatur. *Azorius part. 1. lib. 10. c. 31. quæs. 11.* Azor.

88. *Celebrat quis cum peccato mortali, & excommunicatione: quot perpetrat crimina?* Vnum, quia vtrumque præceptum prohibet communionem eiusdem virtutis intuitu, scilicet Religionis. *Vasquez in 3. part. tom. 3. d. 106. cap. 1. num. 6.*

* * *

EXAMEN III.

Circa materiam de Conſcientia.

CAPVT PRIMVM.

De eſſentia Conſcientiæ.

1. QVID *eſt Conſcientia?* Actus intellectus practici iudicantis aliquid hîc & nunc agendum eſſe, vel fuiſſe tanquam bonum honeſtum: vel fugiendum eſſe, aut fuiſſe tanquam inhoneſtum. Vnde Conſcientia partim ſe extendit ad opera noſtra præterita ea accuſando tanquam malè facta, aut tanquam rectè geſta commendando: partim verò ad opera futura, dictando, vtrum agenda vel omittenda ſint. Verum conſcientia de agendis ſeu omittendis actus eſt à Prudentiæ virtute elicitus.

2. *Quotuplex Conſcientia?* Multiplex planè. Recta, Erronea, Probabilis, Dubia, Scrupuloſa.

3. *Num vlla quæſtio de Conſcientia Recta?* Nulla prorſus; ſiue enim præcipiat, ſiue prohibeat, ſic obligat voluntatem, vt grauiter, aut leuiter iuxta materiam delinquat, ſi illam non ſequatur.

CAPVT II.

De Conſcientia Erronea.

4. QVænam *Erronea Conſcientia?* Quæ obiectum aliter ac eſt, agnoſcit. Conſcientia autem huiuſmodi aſſolet iam inuincibiliter, iam vincibiliter errare.

5. *Num delinquat, qui contra Conſcientiam errantem agit?* Delinquit planè vel lethaliter, vel venialiter qualiter ipſa Conſcientia dictat: ſi tamen inuincibiliter erronea dictet aliquid agendum, quod reuera fugiendum fuiſſet. Nam inuincibiliter errans Conſcientia vim habet obligandi, iuxta id, quod ipſa dictat: inuincibiliter autem ad non agendum contrarium. *Quid ſi tantum dictet aliquid eſſe peccatum in genere?* Probabile exiſtimo tantùm eſſe veniale.

6. *Ex Conſcientia Erronea delinquens cuiuſnam ſpeciei pec-*

catum perpetrat? Illius planè, quam Conscientia apprehendit; quia affectus ad huiuscemodi speciei peccatum allicitur. Expuo in terram credens me delictum sacrilegij committere ob loci sacri reuerentiam, peccati sacrilegij sum reus, si re ipsa expuo priusquam me ab isto expediam errore.

7. *Si aliquis eò perplexitatis deueniat vt vtrumque oppositorum existimet esse peccatum, eóque errore nec per se nec per alium explicare se possit: quidnam præstabit?* Eligere debet quod minus malum apparet. Quod si quod minus malum apparet secutus adhuc errem in ipsa minoris apparentis mali electione, non delinquam; quia nemo necessitate peccat.

CAPVT III.

De Conscientia Probabili.

8. *QVænam Probabilis Conscientia?* Quæ iudicium continet alicuius rei ex opinione probabili. Probabilis autem opinio ea dicitur, quæ rationibus innititur alicuius momenti. Vnde aliquando vnus tantùm Doctor grauis admodum opinionem probabilem potest efficere; quia vir doctrinæ specialiter additus haud adhærebit sententiæ cuilibet nisi præstantis, seu sufficientis rationi, vi allectus.

9. *Num licet opinionem probabilem sequi, relicta probabiliori?* Licet, imò & tutiori, modò non immineat aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, aut iustitia, aut charitas dictet oppositam sententiam esse eligendam.

10. *Possum me probabili aliorum sententiæ aptare mea, probabiliori ac tutiore relicta?* Ita planè, nec sic operans contra conscientiam agam, modo existimem alienam opinionem, quam sequor, esse probabilem.

CAPVT IV.

De Conscientia Dubia.

11. *QVænam Conscientia Dubia?* Quæ circa vtramque contradictionis partem suspensa est, & neutri assentitur.

12. *Delinquit ne, qui contra conscientiam practicè Dubiam operatur?*

operatur? Qui operatur cum dubio, an hîc & nunc opus sit licitum, nec ne, delinquit, peccato scilicet eiusdem rationis, & speciei, cuius est res, de qua dubitat: quia qui anceps operatur, se periculo delinquendi exponit.

13. *Qui aliquid præstat non practicè, sed speculatiuè tantùm dubitans, num sit malum, delinquit ne?* Minimè; quia prudenter operatur, cùm ex iusta causa dubium deponat, v.g. si dubitat, an liceat capere rem alienam, si hîc & nunc credat, id sibi licere propter extremam necessitatem, à furti crimine excusatur; quia practicè non dubitat.

14. *Quónam modo Conscientia practicè Dubia deponetur, speculatiuúmque vincetur dubium?* Duo requiruntur. Primum, debita diligentia ad inquirendam veritatem. Secundum, iusta aliqua causa mutandi iudicium, seu deponendi practicè dubium speculatiuum, scilicet consilium doctrina pollentium virorum. Verùm iusta causa contra speculatiuum iudicium est possessio, quæ præstat, vt in dubio pro possessore iudicetur, iuxta illud: Melior est conditio possidentis.

Caput V.

De Conscientia Scrupulosa.

15. *Quid Scrupulosa Conscientia?* Profectò Scrupulus non est Conscientia appellanda, cùm non sit iudicium: sed vana apprehensio, & hinc ortus timor peccatum alicubi esse, vbi non est.

16. *Quódnam, precor, hominis scrupulosi indicamentum?* In vna vel pluribus materiis frequenter dubitare, præter consuetum morem interrogando: aliàs diligentem curam suæ habere Conscientiæ: credere aliquid esse peccatum ob leuem rationem: quæcunque in dubium reuocare, & aliquando suspensum manere: contra sapientium denique, imò contra proprium iudicium frequenter, nihilominus inquietum esse. Hi quidem in causa aliena plerumque sine formidine iudicant, hominémque absoluunt. At verò si idem casus illis eueniat, statim peccatum inesse formidant.

17. *Num contra scrupulos licitum operari?* Imo consultum. Remedia autem contra morbum huiusmodi sunt triplicia. Primò naturalia, vt contemnere scrupulos, melancholiæ mederi. Secundò, moralia, vt leges secundùm æquitatem interpretari, opinionem probabilem eligere, se submittere iudicio

aliorum. Tertiò, supernaturalia, vt sese ad Dei auxilium speciale disponere, assiduè orare, sollicitè cuncta manifesta peccata cauere.

CAPVT VI.

Praxis, seu resolutiones Societatis IESV *Scholæ circa materiam de Conscientia.*

§. 1. *De Conscientia erronea.*

18. DIxisti, agere cum Conscientia erronea dictante actum esse lethalem, peccatum mortale esse: rogo, An peccatum hoc habeat specialem malitiam contra præceptum, vel virtutem? Minimè, sed generalem quandam rationem peccati determinandam ex tali, seu tali materia circa quam versatur. v.g. falsò existimo hodie esse Vigiliam, & non ieiuno: eiusdem speciei peccatum gero ac si verè vigilia esset: & ideo non est opus in confessione exprimere Conscientiæ errantis circunstantiam: sed sufficit proferri: non ieiunaui in Vigilia. *Salas in* 1.2. *tract* 8. *d.* 1. *sect.* 33. *num.* 28. scio *Valentiam tom.* 4. *d.* 7. *q.* 11. *p.* 7. contrarium tradidisse.

Salas. Valent.

19. *Est ne semper mortale crimen, contra conscientiam errantem agere?* Aliquando est veniale, suámque grauitatem, aut leuitatem à grauitate aut leuitate materiæ sumit, in qua errat Conscientia: & à diuersitate iudicij falsò suadentis, vel monentis; quia Conscientia dictare potest, vt peccatum mortale, etiamsi materia sit leuis; & vt peccatum veniale, etiamsi sit grauis materia. *Azorius tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 8. *q.* 5.

Azor.

20. *Suppone aliquem eò erroris deuenire, vt vtrumque oppositorum ei peccatum sit v. g. mentiri, est delictum: non mentiri, vt proximum à graui periculo eripiam, etiam contra charitatem crimen est mihi erranti. Die festo sacrificaturus pro populo recordatus me non ieiunum, ab altari abstinere decerno: non possum populum sine scandalo dimittere, nec adest alius sacerdos. Si non audio sacrum pastor ouium, contra præceptum delinquo: si audituru, gregem à lupis comminuendum relinquo, tecco: quid tunc?* si non habeo, quem consulam, minus malum eligam. Primo in casu minus malum mentiri, vt culpa grauior contra charitatem euitari possit. In secundo Missæ audientiæ operam dabo, ne populus scandalo feriatur. In tertio, vt proximi prouideam vtilitati, templum non adibo. *Quid si quod minus malum apparet, secutus, adhuc erremi* Non delinquam. *Quid si ita anceps errauero, vt mihi minus malum repræsentetur?* Tunc non quidquid

quidquid egero, non peccabo; quia nemo necessitate peccat. Ex *Laymano, Baldello, Castro Palao, & alijs.* Laym.

21. *Dixisti vnum Doctorem doctum sufficere ad opinionem probabilem constituendam: an aliqua addenda conditio?* sine vlla conditione asserit *Filliucius tom.2.tract.21. cap.4. n.134.* Addiderim tamen non sufficere Doctorem doctum esse, si pius simul non sit: etsi singularis eius opinio sit contra communem; tunc enim talis opinio deberet irrefragabili niti ratione, vt esset admittenda. §.2. *De Conscientia probabili.* Filliuc.

22. *Est opinio speculatiuè probabilis: rogo, an sit in praxi tuta?* Assero ex *Sanchez de matr.lib.7.d.7.* non omnem opinionem probabilem speculatiuè esse tutam in praxi; vnde aliquæ Doctorum sententiæ sapientes speciatim laxationem, aut mitiorem legum interpretationem à communi Doctorum placito omnino recedentes, sunt specialissimo, prudentiæ pondere librandæ. Sanch.

23. *Occurrunt duæ sententiæ probabiles, tenetur quis sequi probabiliorem?* Non, quia reprehendi non potest vt imprudens, & temerarius qui rationi, authoritatiue ponderis hæret: & esset oneris intolerabilis, si teneretur speciatim indoctus opiniones probabiliores vestigare. *Sanchez tom.1.lib.1.c.9.n.14.* Infero posse iudicem secundùm opinionem probabilem iudicare, aduocatúmque patrocinari. Sanch.

24. *An confessarius, aut consultor possit contra propriam opinionem minus probabilem consulere, vt pœnitentem, aut consulentem ab onere aliquo liberet?* Posse *Vasquez* affirmat 1.2. *d.62.cap.9.num.47.* Becanum scio distinxisse in 1.2. *tract.1. cap.4.q.9.n.16.* sed idem demum asseruisse constat. *Petit consulens, aut pœnitens sibi exprimi, quænam sit sententia probabilior?* Tenetur tunc illam aperire, quam sequitur. Sed si solum de practica obligatione scisciatur, potest consulere, quod minus probabile iudicat: imo meliorem se geret consiliarium sæpe id consulens, quod facilius, & cum minori periculo, seu incommodo præstari potest. Ex eodem *Becano* diftinguente. Vasq. Becan. Becan.

25. *Potest ne Medicus habens copiam medicamentorum, exhibere minus certum, & certius relinquere, etiam si non habeat certum?* Non potest, quia charitas postulat, vt indigenti certiori quo possumus remedio succurramus. *Suarez* apud Portel. v. *Opinio eligenda.* At in defectu medicamenti certi etiam quando ægroti salus non est desperata, asserit *Azorius tom.1.lib.2.cap.17.q.11.* non peccare Medicum exhibentem medicamentum probabile, stante opinione probabiliori quod nocebit; Suar. Azor.

noebit; quia id, quod ex probabili ratione efficitur, reprehendi non potest. Ast venia tanti viri, temeritatis Medicum incusarem, nisi ex notitia speciali ægrogantis colligat minus probabile remedium magis profuturum.

26. *Potest ne Medicus experimenti gratia dubio medicamento uti?* Asserit *Baldellus de consc.* grauiter peccare contra iustitiam, quando nulla suppetit opinio probabilis, & aliàs adsunt remedia probabiliter profutura; quia vitam, aut salutem ægrotantis periculo sine iusta causa exposuit. Bald.

27. *Tenetur ne pœnitentis opinionem probabilem confessarius sequi, relicta sua probabiliori?* Tenetur, quia pœnitens habet ius ad absolutionem opinioni probabili nitens. *Vasquez* 1.2.*tom.*1.*dist.*62.*cap.*7.*num.*40. Qui addit confessarium non proprium negantem absolutionem secundum opinionem probabilem, solum venialiter delinquere. At crediderò mortaliter peccare, si de mortalibus facta confessio; quia illum obligat ad peccata alteri confessario detegenda, quod onus graue est. *Quid si confessario falsa videatur opinio pœnitentis?* Debet se accommodare si à probatis Auctoribus probabilis reputatur. Vasq.

28. *Quid tenendum circa essentialia sacramentorum? Amplectenda ne opinio probabilior?* Exprimam mentem ex Societatis Doctoribus. Communiter asserunt probabiliorem eligendam, quia ex charitate tenemur proximo certiori remedio subuenire, ne cadat à salute. Vnde crediderim in sacramentis non necessariis ad salutem id non procedere; & in casu necessitatis, quando v.g. Eucharistiæ deest materia certior. Verum quoties ex opinionibus circa validitatem sacramenti altera fauet sacramento, altera suscipienti: hæc eligi debet, licet minus probabilis; quia sacramenta infidelium gratiam instituta suo iuri cedunt, vt fidelibus faueant. Ideo danda absolutio moribundo, qui illam in absentia petiit, &c. quia strictius charitas obligat, quàm Religio. Et Sacerdos tali in casu Parochus contra iustitiam, non Parochus contra charitatem delinqueret.

29. *Quæsierim, an his in casibus absolutio absolutè debeat dari?* Ita planè, quia conditio adhibenda in dubio, non in opinionibus. *Dubium est de potestate confessarij: posset ne tunc eligi opinio probabilis, probabiliore relicta?* Potiori quidem iure; quia non est periculum irritandi sacramentum. Opinione enim probabili stante, sicut stante errore communi, Pontifex Summus confert iurisdictionem in ædificationem filiorum. *Palao tom.*1.*distinct.*2.*part.*5.*num.*9. Addo, quia omnis sa- Palao.

cerdos

cerdos habet iurisdictionem in venialia; vnde cum regulariter fideles aliqua venialia confiteantur, Sacerdos absoluendo illa directè, absoluet etiam mortalia (si Papa non dat iurisdictionem) indirectè.

30. *Num liceat in mortis articulo opinionem probabilem sequi, relicta tutiori?* Scio *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.*2. *cap.*1. *num.*6. negauisse; quia debet homo in nouissima animi ægritudine ei efficacius remedium adhibere. At ex aliorum sententia, licere crediderim, quia non minus tenetur homo non delinquere in vita, quam in morte: & semper est necessarium aptam medicinam delictis adhibere. Probabilis opinio est; Ergo medicamen appositum. Sanch.

31. *Varietas opinionum inter superiorem, & subditum adest: tenetur ne subditus obedire?* Asserit *Salas* 1.2. *tractat.*8. *d.vnic. sect.*8. *num.*76. teneri subditum obedire, quoties potest absque peccato. *At Castro Palao tom.*1. *d.*2. *part.*6. *num.*5. Quando subditus, inquit, nititur opinione probabili, quod præceptum sit illicitum, vel extra superioris iurisdictionem: potest non obedire; quia vnicuique fas est sequi probabilem opinionem. Salas. Palao.

32. *Est opinio probabilis, superiorem non esse legitimum, quia non est electus*, &c. *teneturne subditus obedire?* Non quia de eius possessione probabiliter dubitat. *Sanchez sum. tom.*2. *lib.*6. *cap.*3. *n.*29. contrarium sentit probabiliter. Sanch.

33. *Varietas opinionum versatur inter iudicem laicum, & Ecclesiasticum circa iurisdictionem: quinam est competens?* Ecclesiasticus, quia maior. *Sanchez opusc. tom.*1. *lib.*2. *c.*4. *dub.*52. *n.*2. Generaliter quidem in opinionum varietate, illa amplectenda, quæ fauet Ecclesiæ, in fauorem Religionis, Ecclesiasticæque potestatis. Sanch.

34. *Scio ad rectè operandum, requiri iudicium practicum moraliter certum? hoc tamen rogarim, an oporteat vt sit ita certum, quod omnem oppositi formidinem excludat?* Minimè, sed sufficit assensus rationis probabiliter dictans, hoc vel illud honestè agi. *Vasquez* 1.2. *d.*62. *cap.*5. Porro *Layman. lib.*1. *tract.*1. *c.*5. §.1. *n.*3. contrarium asseruit. §.3. *De Conscientia dubia.* Vasq. Laym.

35. *Regula illa iuris: Melior est conditio possidentis, est ne semper vera?* Asserit *Vasquez* 12. *disp.*65. *cap.*3. solùm in materia iustitiæ veram esse. At *Suarius tom.*2. *de Religion. lib.*4. *cap.*5. *numero* 4. affirmat veram esse in omnibus virtutibus; quia est regula iustitiæ generalis, quæ in omnibus virtutibus, in quibus legi vniuersali obedire tenemur, imbibitur. Subscripserim. Vasq. Suar.

36. *Operatur quis cum dubia conscientia, an actus sit peccatum mortale, vel veniale: & proponente illum vti malum in confesso: quodnam piaculum est?* Asserit Vasq. *Vasquez* 1.2. *d.* 59. *c.*3. *n.* 10. esse mortale, etiamsi postea esse veniale comperiatur; quia voluntas, dum non examinat, vult illud perpetrare, qualecumque sit. At Valent. *Valentia tom.*2. *d.*2. *q.*14. *p.*4. contrarium affirmat; quia velle malitiam in genere, est velle malitiam, quæ non excedit veniale; si enim excederet, haud esset veniali & mortali communis.

37. *An in dubijs tutior sit pars eligenda?* Regula est Iuris, quæ habetur *in cap. iuuenis, de sponsal. Tene certum, & dimitte incertum.* At non continet præceptum, sed consilium. Palao. *Palao tom.*1. *d.*3. *part.*6. *n.*4. Becan. Porrò *Becanus* 1.2. *tract.*1. *cap.*4. *q.*9. *n.*4. putat procedere in dubio practico, non in speculatiuo; quia non obstante dubio speculatiuo de iustitia cambij (v. g.) peculiaris alicuius, possum ipse formare iudicium practicum moraliter certum, me posse illud efficere, eo quod hîc & nunc licitum mihi est secundum probabilem opinionem speculatiuam operari.

38. *Dubium, quisnam è duobus pater sit alicuius illegitimi: quid præstandum?* Vterque alere illum tenetur. *Renuit alter, aut nequit.* Azor. Non tenetur alter in integrum. *Azorius tom.*2. *lib.*2. *cap.*19. *quæs.*8. Ratio est, quia illegitimus ius contra vtrumque non habet. Vasq. *Vasquez sic* 1.2. *disp.*66. *cap.*8. *n.*48. Salas. Addit *Salas* 1.2. *tract.*8. *d. vnic. sect.*24. *n.*248. matrem aliquid plus exigere posse à nobiliori, & ditiori, qui scilicet meliora alimenta præstare deberet, si certus esset, esse suum.

EXAMEN IV.

Circa materiam de Gratia, & Merito.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Gratia?

1. *VIDNAM Gratia?* Donum superadditum naturæ gratis à Deo homini collatum merito Christi.

Quotuplex Gratia? Triplex. Prima diuisio sumpta ex diuerso modo existendi, quem habet in homine, est in habitualem,

tualem,& actualem. Secunda desumpta ex fine propter quem confertur, amplectitur gratiam iustificationis,& gratiam gratis datam, sumpto nomine generis pro specie. Tertia est per habitudinem ad voluntatem nostram, & diuiditur in præuenientem, comitantem,& subsequentem.

habitudinē

CAPVT II.

De necessitate Gratiæ.

2. *Estne Gratia homini lapso necessaria?* Ita planè. Porrò necessitas Gratiæ respectu hominis lapsi considerari potest tum in ordine ad cognitionem, tum in ordine ad actionem.

3. *Quàm est necessaria ad cognitionem?* Quæcunque veritas naturalis cognosci potest absque peculiari gratiæ auxilio,siue sit speculatiua, siue practica;at supernaturales veritates egent auxilio gratiæ, & etiam theologicæ.

4. *Quàm est necessaria ad actionem?* Inter extremas Pelagij & Lutheri sententias pro hæresibus damnatas, ex quibus ille sine gratia posse hominem omnia bona opera tam moralia, quàm supernaturalia facere: hic verò nullum omnino bonum opus absque gratiæ auxilio fieri posse asserebat: media Catholica veritas constituenda est gratiam esse simpliciter necessariam ad opera requisita ad salutem: & in homine etiam peccatore bonam aliquam operationem esse posse, quæ peccatum non sit. Hinc primò, assero hominem lapsum solo Dei generali auxilio bonum aliquod opus moraliter facere posse; vt autem tale opus ad iustificationem conferat peculiaris Christi gratia præterea necessaria est. Secundò, hominem lapsum sine Christi gratia non posse diligere Deum super omnia, neque vt finem supernaturalem, neque vt finem naturalem. Tertiò,hominem lapsum legem totam naturalem seruare non posse,nec quoad modum,nec quoad substantiam, absque gratia Christi. Quartò, ad seruandam totam naturalem legem, multo tempore, præsertim verò per totam vitam habitualem gratiam requiri. Quintò, hominem lapsum absque speciali auxilio tentationi alicui posse resistere, graui autem nequaquam,& multo minus omni. Homo verò iam iustus absque speciali auxilio opera aliqua bona moraliter agere potest; ad longum tamen tempus,aut vsque ad vitæ finem in bonis operibus perseuerare absque speciali gratia non potest.

rest. *Homini iusto iam quidnam confert hæc noua Gratia?* Tribuit ei ad perseuerandum, moralem facultatem tentationibus omnibus resistendi. Vt autem omnia etiam venialia peccata deuitet, communis gratia satis non est, peculiaris autem ex priuilegio satis esse potest.

CAPVT III.

De Iustificatione.

5. *Quid est Iustificatio?* Gratiæ habitualis in anima inhærentis, & facientis hominem iustum effectus. Definitur autem, Gratuita, & supernaturalis quædam mutatio, per quam supernaturalia infunduntur dona.

6. *Sunt ne ad Iustificationem aliquæ in homine dispositiones necessariæ?* Sunt, nempe fides, spes, & pœnitentia, quæ procedunt à Spiritu sancto mouente, nondum inhabitante.

7. *Num iustus de sua iustificatione certitudinem potest habere?* Fidei quidem minimè, moralem tamen, & magnas coniecturas habere potest.

CAPVT IV.

De Merito.

Quidnam Meritum? Opus est liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione pertinens, quod secundum aliquem æquitatis aut debiti modum aliquo præmio ab altero debet compensari.

8. *Quotuplex Meritum?* Duplex est, de Condigno vnum, alterum de Congruo. Quinque ad Meritum de condigno requiruntur. 1. Libertas. 2. Bonitas non solùm moralis, sed etiam supernaturalis, vt scilicet actio fiat ex supernaturali motiuo fidei, spei, charitatis, vel ex simili motiuo imperetur. 3. Gratitudo personæ quæ meretur, vt videlicet in gratia habituali sit. 4. Vt sit viator. 5. Vt vltra operis bonitatem etiam diuina promissio intercedat. Ad Meritum verò de Congruo nec habituali gratia, nec promissione præmij, quo

actio

actio remuneretur, opus est; sufficit honestas operis tali præmio remunerabilis.

9. *Cadit ne sub meritum primum gratiæ auxilium?* Minimè; nec prima gratia iustificans sub meritum de condigno. *Num gloria?* Hæc quidem sub meritum de condigno cadit.

10. *Iustus ne reparationem sibi post lapsum potest mereri?* Nec de condigno nec de congruo; at sanctitatis augmentum de condigno meretur.

11. *Num alteri gratiam, aut gloriam mereri potest?* De condigno minimè, de congruo maximè.

12. *An bona temporalia quatenus adiumenta perueniendi ad beatitudinem æstimantur, cadunt sub meritum?* Sub meritum quidem de condigno cadere possunt. Hæc loco Proœmij moralis Theologiæ libri innuisse sufficiat, ad sigillorum septem reserationem veniamus, in secundum sigillum tractationem de Peccatis in communi, quæ ad principia moralis Theologiæ pertinebat, differentes.

TRACTATVS PRIMVS

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS.

Leges.

Vbi Materiæ de legibus, de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, de Priuilegiis in communi, ac de Priuilegio Bullæ Cruciatæ & Dispensationum in particulari discutiuntur.

SEQVOR *præcipuè harum materiarum scriptores* Suarium, Salas, Henriquez, Toletum, Laymanum, Ferdinandum de Castro, Filliucium, Baldellum, Meratium, Reynaudum, Gordonium, Thomam Sanctium, Molinam, Præpositum, Azorium, & Fagundez, Tannerum, & Amicum.

EXA

EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Legibus in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Legis diuisione.

1. QVID *est Lex?* Ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, seu qui potestatem habet obligandi.

2. *Ad Legem condendam quotnam requiruntur conditiones?* Quinque. 1. Vt sit iusta. 2. Vt promulgetur. 3. Vt à legitimo superiore feratur. 4. Vt ob bonum commune immediatè vel mediatè indicta sit; lex enim communitati omnino inutilis non obligat. 5. Vt acceptetur.

3. *Indica Legis diuisiones.* Primò, est *Lex æterna*, seu mens & ratio Dei bona præcipiens, mala prohibens. Secundò, *Lex diuina*, seu quæ vim habet, quatenus à Deo proficiscitur, est duplex, Vetus seu Mosaica; Noua, seu Euangelica: adhúcque subdiuiditur in diuinam naturalem (qua idem præcipitur, quod naturali lege) vt sunt Decalogi præcepta: & in diuinam positiuam, qua præcipitur aliquid, quod Lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab eo qui est sibi in lethali crimine conscius. Tertiò, *Lex humana*, seu quæ humana authoritate fertur, dependenter tamen à Deo: éstque duplex: Ecclesiastica, & secularis. Quartò, *lex naturalis* seu dictamen ac lumen nostræ rationis naturale, quo quidem quid faciendum, quid vitandum agnoscimus. Quintò, *Lex gentium*, seu quam omnes homines naturali ratione ducti constituunt, cuiusmodi est illa: *Possessiones sunt diuidendæ*. Sextò, *lex Ciuilis*, seu quæ simpliciter hominum authoritate sancitur. Septimò, *Lex Canonica*, quæ Ecclesiæ authoritate decernitur, cui quidem obediendum contra ciuilem repugnantem; Ecclesia enim leges ciuiles valet abrogare. Octauò, *Lex affirmatiua*, quæ percipit aliquid faciendum: & negatiua, quæ aliquid fieri videtur prohibere.

Caput II.

De Legislatoribus.

4. *Visnam ergo Leges potest ferre?* Qui habet publicam potestatem, iurisdictionem, & vim cogendi.

5. *Quidnam de Pontifice summo?* Leges Ecclesiasticas toto in orbe potest præscribere: Leges autem ciuiles non in suo territorio tantùm, sed etiam in alieno, indirectè saltem in ordine ad spiritualem animorum finem. Quam quidem potestatem immediatè accepit à Christo eius Vicarius immediatus.

6. *Episcopus quid?* Quod potest Papa in tota Ecclesia, id etiam in diœcesi sua potest Episcopus, cum dependentia tamen, & subordinatione ad Papam: quia Episcopus à Pontifice summo hanc potestatem mutatur, non immediatè à Christo.

7. *Quid Metropolitanus?* Archiepiscopus in subditos Coëpiscoporum nullam ordinariè iurisdictionem obtinet, nisi ad ipsum à suo Episcopo appellarint. Verùm est ordinarius superior Coëpiscoporum prouinciæ: tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ authoritate.

8. *Num Imperator Leges condere possit?* Si legitimè electus in Regna & Prouincias sibi subditas Leges ciuiles ferre valet, non verò in orbem vniuersum: multi enim Christicolæ non sunt subditi Imperatori. Quare Prouinciæ nec iure dominij, nec iure feudi, nec alio titulo Imperatori subiectæ haud Cæsareis Legibus tenentur.

9. *Num Reges?* In suis Regnis Leges ciuiles ferre possunt: habent enim potestatem publicam, supremámque iurisdictionem. Id quod de quibuslibet Principibus supremis in temporalibus superiorem non agnoscentibus consequenter affirmo. *Si superiorem agnoscunt?* Adhuc possunt Leges iuxta limites à Principe sibi præscriptos sancire.

10. *Quid de Regina, quæ Regni domina est, nullúmque in temporalibus superiorem reuereatur?* Idem ius Legum ferendarum obtinet. *Si illigetur matrimonio?* Ad ipsam adhuc pertinet Leges ferre, nisi vices marito cedat: quia penes ipsam ius, & dominium Regni, minimè ex matrimonio translatum viro, cùm Regnum nec alienari, neque in dotem dari queat.

11. *An*

11. *An condunt Respublicæ, aut communitates perfectæ, quæ per se ipsas gubernantur?* Condunt equidem in territoriis suis. Idem de ciuitatibus, quæ supremæ Reipublicæ formam aliquam retinent, affirmarim. Quæ autem in Principem potestatem transtulere, Leges propria authoritate non sanciunt.

12. *De Conciliis generalibus quid dicendum?* Concilia summi Præsulis auctoritate collecta possunt Leges & statuta generalia condere iuxta potestatem sibi à summo Pontifice concessam. Vnde colligo à summo Præsule ad Concilium non dari appellationem, quia Pontifex superiorem non habet. *Prouincialia Concilia quid?* Prouincialia, Nationalia, ac Synodalia Concilia vim habent condendi Leges obligantes territoria sua: nec commune ius efficiunt nisi à summo Pontifice generaliter approbentur.

13. *Potest ne Cardinalium Collegium?* Non potest seu viuente summo Pontifice, seu sede Apostolica vacante Legem vniuersalem condere, imo nec particularem nisi in suis Titulis, in quibus iurisdictionem Episcopalem habent: cùm enim Collegium Cardinalium (vti probabilior fert sententia) non sit de iure diuino, nullámque habeat iurisdictionem, quæ à summo Præsule non pendeat, nusquam legitur hæc facultas condendi Leges Cardinalibus à Papa concessa: sed illis tantùm permittuntur, quæ ad Papæ electionem, & ad Ecclesiæ defensionem spectant.

14. *An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante possit Leges, & statuta in diœcesi ferre?* Potest planè, duratura quidem, donec ab Episcopo successore reuocentur. Imo potest statuta ab antecessoribus Episcopis facta reuocare, & contraria stabilire, si expedire iudicauerit: quia Capitulum exceptis casibus à iure expressis, vacante sede, in iurisdictionem plenam Episcopi succedit. *Quid viuente Episcopo?* Non potest Leges, aut statuta ferre nisi circa ea, quæ ad bonum regimen & ordinem Capituli pertinent.

15. *De Generalibus, Prouincialibus, ac Prælatis Religionum approbatarum quidnam?* In Capitulo generali, aut Prouinciali concurrente maiori suffragiorum portione, Leges ferre possunt Generales, & Prouinciales iuxta propriij instituti præscripta. Reliqui verò Prælati ea valent præcipere, quæ obseruantiam regulæ sunt accommodata. *Num hi possunt subditos ad regulæ obseruationem, quæ iam erat abolita, cum professionem emiserunt, compellere?* Minimè, si aut auctoritate Papæ, aut consuetudine legitimè præscripta erat iam

abrogata; secus si regula paucorum culpa non seruabatur, non tamen erat legitima consuetudine abolita: tunc enim subditi ad custodiam legum nouis possunt constitutionibus compelli; nam qui illius Religionis regulam vouerunt, consequenter ad eius compelli debent obseruationem.

CAPVT III.

De Promulgatione, & Acceptione Legum.

§. 1. Promulgatio Legis.

16. *AD ferendam Legem quinque innuisti conditiones necessarias, vt scilicet à legitimo superiore ferretur, vt esset iusta, vt in commune bonum, vt & promulgaretur, & acceptaretur: circa quæ requiram, num necessaria omnino Legis promulgatio?* Ita planè, facienda in singulis Prouinciis, neque obligat illius Prouinciæ subditos, in qua facta non est huiusmodi promulgatio.

17. *Dicendum ne idem de summi Pontificis Legibus promulgandis?* Minimè, sed sufficit in Curia Romana fieri, vt vbique legis seruandæ obligatio inducatur; vsus enim obtinuit, vt leges Pontificiæ solùm in Romana Curia promulgentur.

18. *Obligat ne lex statim post promulgationem?* Obligat planè, quando nullus ad obligandum fuit terminus constitutus, nisi aliter de Legislatoris mente constet. Solet certè legislator, quando non intendit ante certum tempus obligare legem, hoc exprimere. *Nullum exceſſit tempus.* Censetur igitur velle Legem statim post sufficientem promulgationem obligare. Scio tamen, illud speciale Legibus Imperatoriis, vt ante duos menses à promulgatione non obligent.

19. *Qui Legem rescissoriam contractus (v.g.) sufficienter promulgatam ignorat, delinquit ne celebrando contractum contra Legem?* Minimè, sed inualidè init contractum; Leges enim rescissoriæ hoc habent, vt post promulgationem etiam obligent ignorantes.

20. *Leges priuilegiorum reuocatoriæ obligant ne ante quàm ad aures illius, cui concessa priuilegia fuerant, perueniat reuocatio?* Non: quia priuilegium est fauorabile; fauores autem ampliandi sunt.

§. 2. Acceptatio legũ.

21. *Num acceptatio est ad Legis valorem necessaria?* Leges sub hac tacita conditione feruntur, vt vim habeant, si fuerint acceptatæ, & vsu receptæ.

22. Quando

22. *Quandónam Lex dicitur non esse acceptata, nec recepta vsu?* Quando populus, vel maior pars mori præterito præscripto adhæret, siue sciat contrariam esse latam Legem, siue ignoret.

23. *Et quandónam recepta dicitur?* Quando maior communitatis pars, quod Lex præcipit, præstat: aut eam approbat verbo, vel scripto, vel saltem non improbat. Post tamen Legitimus superior legem in commune bonum ferre, quæ obliget rebelles subditos independenter ab eorum acceptatione; alioquin maior esset potestas ægritudinis popularis, quàm medici Principis.

24. *Lex ne quoad vnam partem acceptata, obligat quoad totum?* Minimè, sed tantùm quoad eam partem, quæ acceptatur; quia quæ ratio est totius ad totum, eadem prorsus est partis ad partem. Potest etiam Lex aliquando per consuetudinem quoad vnam partem abrogari: (aut quoad pœnam) reliquis partibus suo in robore permanentibus.

25. *Possunt ne subditi ex iusta causa non solùm supplicationes, & preces ad Legislatorem transmittere, vt legem reuocet: verùm & Legis obligationem interim suspendere donec rursus de Principis constet voluntate?* Possunt; quia data iusta, & rationabili causa reuocandæ Legis, consonum rationi, vt subditis pateat aditus ad Legislatorem pro Legis reuocatione: & interim legis onere non premantur.

26. *Potest ne Princeps intra decennium subditos pœnis compellere ad Legis promulgatæ obseruationem?* Maximè, sed translato decennio, si Lex acceptata non fuit, non potest Princeps, per se loquendo, subditos ad seruatam Legem compellere; Lex enim per desuetudinem decennalem abrogatur, & tollitur.

27. *Vt Lex obliget, & acceptabilis sit, requiritur ne scriptura tanquam necessaria conditio?* Minimè; potest enim Lex acceptari non scripta, modò contrarium non sit vsu sancitum. Hinc infero priuilegium absque scriptura concessum morte concedentis non expirare, etiam si litteræ non essent expeditæ. Vt plurimum tamen & regulariter loquendo, Lex per scripturam ferri consueuit.

CAPVT IV.

De Legum Materia.

28. *QVidnam Legi Materiam præstat?* Cum Leges circa humanas actiones versentur; præcipiendo bonas, malas prohibendo, Actiones humanæ Legum materia sunt.

29. *Num interni actus possunt præcipi, aut prohiberi?* Possunt aliqua ratione; non ex se præcisè, quia merè interna soli Deo reseruantur: sed quatenus pertinent ad actus externi complementum. v.g. Ecclesia præcipiens Canonici officij recitationem, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus; quia attentio est omnino ad orationem necessaria. Similiter aliquem actum externum prohibens, simul etiam prohibet internum illi respondentem. v.g. cum furtum prohibetur, etiam furandi voluntas resecatur.

CAPVT V.

De Subiecto Legum.

30. *QVodnam Legum Subiectum assignas?* Legis Subiectum est homo subditus iuxta Legis tenorem. Colligo hinc Infideles, aut Cathecumenos Legibus Ecclesiasticis minimè adstringi, quia non sunt subditi Ecclesiæ. Pueros autem ratione vtentes illigari prorsus, ac consequenter ad confessionem annuam, ad Missæ die festo auditionem teneri.

31. *Num Regina coniux Principis, qui condidit Legem, eidem obseruandæ addicantur?* Ex natura rei obligatur; nisi exempta sit, vt re ipsa eximi assolet, à vi scilicet coactiua.

32. *Tenetur Princeps suorum prædecessorum Leges obseruare?* Præciso scandalo non tenetur; quia à sibi superiore latæ non sunt.

33. *An ad obseruationem Legis à se ipso latæ teneatur superior?* Propriè loquendo ex vi coactiua non obligatur; quia lex obligat subditos, nullus autem sibi subditus est, nec potestatem ac iurisdictionem coactiuam exerit in se ipsum. v.g. si Papa Clericum percutiat haud excommunicationis vulnere afficitur. *Loquamur de vi non coactiua, sed directiua fundata*

fundata in iure naturæ: sic ne Princeps propriis Legibus illigatur? Ita planè; debet enim subditos suo exemplo mouere, modò Leges sint vniuersales, suóque statui conuenientes.

34. *Tenentur ne Clerici, aliique Ecclesiastici ciuilibus Legibus subiacere?* Ex vi coactiua minimè; quia laicus Princeps non habet in Clericos iurisdictionem: ex vi autem directiua tenentur legi ad bonum commune spectanti subiici, dummodo Ecclesiasticæ non repugnet libertati; quia Clericos decet aliis exemplum exhibere.

35. *Num Cardinales Legibus generalibus etiam odiosis à iure communi latis illigentur?* Ita planè, & consequenter censuris per verba generalia à iure communi impositis feriuntur, sunt etenim subditi iuri communi, seu Præsuli summo, modò queisdam in casibus aliter de Pontificis mente non constet.

36. *Peregrinus qui ad aliquem locum peruenit absque intentione inibi constituendi domicilium, vel maiori anni portione manendi, ligatúrne Legibus particularibus, ac illius loci propriis?* Minimè; quia per breuem moram non acquiritur in illum iurisdictio: nisi fortè ratione scandali vitandi, aut aliûs circunstantiæ vi obligari videatur. Qui verò ad aliquem locum accedit animo inibi maiore anni parte manendi, legibus eo loci receptis illigatur, fitque parochianus illius loci quoad Sacramenta, excepta tonsura, & ordine: licet postea accidentaliter post paruum discedat interstitium.

37. *Quid si non sit peregrinus sed viator, sed vagus qui nusquam certam habet sedem?* Profectò locorum Legibus, & consuetudinibus ligatur; alioquin omnino exemptus ab omnibus Legibus, & statutis municipibus, aut etiam Episcoporum decretis vagans esset, quod minimè rectæ consentaneum gubernationi.

38. *Qui in alieno territorio versatur, tenetur ne Leges propriji ibi non obligantes obseruare?* Non tenetur; quia Princeps suam potestatem & iurisdictionem non extendit, subditúsque in alieno territorio existens non est actu subditus legislatori. Id quod extendo non solùm ad leges municipales, verùm etiam ad Leges iuris communis, quarum obseruatio proprio viget in territorio, non verò eo loci, vbi ad tempus versatur.

Caput VI.

De Legis obseruandæ obligatione sub peccato.

39. *Num Lex aliqua, quæ neque ad culpam obliget, nec ad pœnam?* Minimè; propriè enim Lex vocitanda non est, quæ nec culpâ nec pœnâ exigit obseruantiam: sed potiùs regulæ seu ordinationes ad bonum dirigentes appellandæ, qualia equidem nonnullarum Religionum præscripta, quæ nec ad culpam venialem obligare videntur.

40. *An omnes Leges humanæ obligent in conscientia sub mortali præsertim?* Non omnes obligant; Leges enim prohibentes v.g. venationem, aut piscationem sine proximi nocumento: aut armorum tempore nocturno delationem, per se loquendo & præcisis aliis circunstantiis non obligant sub mortali. Nec enim Legislator, præsertim ciuilis ad hæc intendit sub graui culpa obligare; sed solùm sub aliqua assignata pœna deterrere.

41. *Obligat sub mortali Lex pœnalis, qua scilicet aliquid imperatur, aut prohibetur assignata pœna transgressori?* Obligat iuxta materiæ grauitatem sub mortali, aut veniali, nisi aliunde constet Legislatorem non intendere obligare ad culpam; quia pœna culpam supponit. v.g. præceptum recitandi horas sub amissionis fructuũ pœna, aut Lex soluendi vectigalia sub pœna amissionis mercium, obligant in conscientia.

42. *Lex inferens ipso facto pœnam transgressoribus, obligat ne in conscientia ante sententiam declaratoriam pœnæ subeundæ?* Non; nec potest ipsa pœna executioni mandari absque hominis actione, nisi apertè eam esse mentem Legislatoris constet. Potest enim Legislator ad soluendam pœnam ante sententiam obligare, regulariter tamen non obligat. *Quid si delictum ita notum sit, vt non possit vlla tergiuersatione celari?* Adhuc affirmo delinquentem non teneri ante declaratoriam sententiam soluere pœnam, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit. *Quidnam autem de Lege ipso facto lata, quæ ad sui executionem hominis actionem non postulat?* Statim post violatam legem incurritur. Quare si Lex ita feratur: Qui hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus: delinquens patrato delicto, statim incurrit excommunicationem, cùm ad hanc pœnam subeundam nulla actio requiratur, nec sententia criminis declaratoria expectanda est. Fateor tamen circa pœnam priuationis officij, beneficij, vocis actiuæ & passiuæ,

&c.

&c. delinquentem non teneri cum grauis infamiæ periculo hanc pœnam ante iudicis sententiam subire.

43. *Obligat ne in conscientia lex illa, quæ iuri diuino, aut communi bono aduersatur: aut quæ legislatoris potestatem excedit: aut quæ onus improportionatum imponit: aut quæ in falsa præsumptione fundatur?* Non obligat, modo scandali, aut perturbationis Reipublicæ periculum absit.

44. *Tenemur ne Legibus, ac sententijs Tyranni parere?* Tenemur profectò Legibus latis ab eo, qui solùm tyrannus est regimine, & administratione: id est, qui iustè quidem possidet Regnum, sed iniustè subditos aggrauat; hic enim est legitimus superior. Porrò tyranno qui per vim Regnum vsurpauit obedire tenemur, quandiu pacificè Regnum possidet, & Reipublicæ non resistit. Nec enim Christicolæ in terris Turcarum existentes à Turcæ Legibus eximuntur, licet Turca tyrannus sit Regni vsurpatione. *Peccat ne Tyrannus Leges & sententias ferendo?* Non; hoc enim Reipublicæ auctoritate præstat, quæ ex suppositione tyrannidis vult ab ipso exerceri iudicia, ne incommoda multiplicentur. Delinquit tamen ille non solùm Regnum vsurpando, verùm & illud iniustè retinendo.

Caput VII.

Regulas exhibeo, queis cognoscitur, num Leges obligent sub mortali.

45. *Quonam modo poteris dignoscere, an Lex obliget sub mortali, nec ne?* Id apertè præstabo, si septem hasce regulas mente euoluerim. *Prima*, mentem legislatoris rimatur, quæ ex materiæ grauitate, aut ex alijs coniecturis colligitur. Vnde Lex quando absolutè condita est, non addito sub qua culpa velit obligare legislator, iuxta materiæ grauitatem est iudicandum.

46. *Secunda* sumitur ex verbis, queis Lex fertur, modò leuitas materiæ non excuset. v.gr. lex illa obligat sub mortali, quæ in graui materia fertur in hæc verba: *Iubemus, præcipimus, prohibemus*, &c. *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub indignatione Dei*, &c. Item verbum *oportet*: necnon Lex verbo imperatiuo condita posita materiæ grauitate; & illa: *Sancimus, statuimus*, &c. Legislator enim hac loquendi forma quantum potest obligare velle censetur.

47. *Tertia*

47. *Tertia* ex materiæ grauitate desumitur; ex graui materia grauis obligatio Legis colligitur: in materia autem leui Legislator non potest sub mortali obligare; quia Lex esset iniusta. *Quónam modo dignoscemus num Legis materia grauis sit, an leuis?* Vix certa regula potest adscribi, sed prudentis arbitrio relinquendum. Attamen ego finem Legis contemplarer: Lex enim, quæ ex se leuis est, habita ratione finis grauis assolet apparere. *Num in materia graui potest Legislator sub veniali obligare?* Quis dubitet; quia moralis actus agentis intentionem non excedit.

48. *Quarta* regula, ex vna Lege aliam explicante, aut ex communi hominum æstimatione Legem sub mortali obligare petenda est.

49. *Quinta* ex Legis acceptatione: Lex enim obligat, quatenus acceptatur. Si ergo non acceptatur vt obligans sub lethali, sub lethali non obligat, etiam si Legislator intentionem habuisset grauiter illigandi: nisi intenderit ille independenter ab acceptatione obligare.

50. *Sexta* in pœnæ grauitate fundatur: pœna enim proportionem debet habere cum delicto. *Obligat ne sub mortali Lex, quæ grauem pœnam continet, quando pœna huiusmodi ponitur in re leui tantùm ad terrorem?* Minimè: nec enim esset iusta Lex, quæ sub pœna capitis leporum venationem prohiberet, ob materiæ leuitatem. Vnde subditus non tenetur illi Legi vt pote inualidæ obedire in conscientia, nisi ex aliqua circunstantia iusta præsumatur.

51. *Septima* denique ex aliqua graui censura colligitur, vel Ecclesiastica pœna transgressoribus Legis imposita: nam grauis censura, v.gr. excommunicatio maior, aut grauis suspensio non fertur nisi ob lethalia delicta.

Caput VIII.

De Lege irritante.

52. *Acta, quæ fiunt contra aliquam Legem irritantem, sunt ne valida?* Ipso facto in vtróque foro inualida sunt. Vnde qui contractu irrito rem accepit, talis actus vi præcisè non potest illam vt propriam retinere: quia per irritum contractum dominium non acquiritur.

53. *Num irritatio ipso facto incurritur ante declarationem?* Incurritur quidem, quando irritatio in falsa præsumptione non

non fundatur, seu quando forma substantialis requisita ad valorem non seruatur.

54. *Ad incurrendam irritationem actus requiritur ne scientia Legis irritantis?* Minimè speciatim illius actus, qui defectu formæ substantialis irritatur. Vnde Matrimonium clandestinum est inualidum etiam respectu illius, qui Tridentini decretum Matrimonium clandestinè initum irritans, ignorat. Item qui beneficium obtinet bona fide per pactum Simoniacum, quod ipse ignorat, inualidè obtinet.

55. *Actus humana lege irritus obligat ne in conscientia?* Obligat; Ecclesia enim & Principes possunt actus in vtroque foro irritare.

56. *Actus ne contra Legem prohibentem sunt inualidi ex eo solùm capite, quod prohibentur à Lege?* Minimè; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Neque verò omnes actus, qui iure naturæ prohibentur, sunt irriti: validus enim est contractus, quo quis rem vni promissam alteri vendit: validum Matrimonium de præsenti cum vna celebratum, post sponsalia prius celebrata cum alia: quamuis delinquat vtriusque contractus præuaricator.

57. *Actus contra ius commune est ne ipso facto irritus?* Ita planè: at non secundùm se, & in foro conscientiæ ante sententiam iudicis: sed quia per sententiam iudicis ita declarari potest irritus, ac si irritus à principio esset. Id quod in iis tantummodo locis procedere, affirmo, in quibus Lex Theodosij Imperat. quæ incipit: *Non dubium*, recepta est.

58. *Actus celebrati sine forma substantiali, ac sine solemnitate à iure requisita sunt ne validi?* Minimè: sed in vtroque sunt inualidi foro. *Quandónam autem solemnitas substantialis adesse censebitur?* Quando clausula apponitur factum irritans sine huiusmodi forma celebratum. Scio sanè actus ad causas pias factos excipiendos: sunt enim validi etiam sine solemnitate à Ciuili iure præscripta.

CAPVT IX.

De Legis satisfactione, seu adimpletione.

59. *Ex ne aut præceptum potest adimpleri ex actu ex aliqua circunstantia malo?* Potest: vt quando quis ex vanæ gloriæ motiuo ieiunat: modus quippe sub præceptum

non cadit, dummodo non sit de intrinseca ratione præcepti: vt quando alioquin præceptum non valet adimpleri, nisi modus adimpleatur. verbi gr. qui dormiens Missæ assistit, non satisfacit Missæ audiendæ præcepto; quia assistentia humana requiritur tanquam modus ad præcepti pertinens substantiam.

60. *Possum ne vnico actu pluribus præceptis satisfacere?* Potes; superior enim à cuius mente legis obligatio pendet, id concedere præsumitur. Vnde qui ieiunium in Vigilia D. Petri vouit, eadem abstinentia & Ecclesiæ præcepto, & voti obligationi facit satis.

61. *Eodem autem tempore per diuersos actus possum ne pluribus satisfacere præceptis?* Potes planè, quando vnus actus alium non impedit. v.gr. qui tempore, quo celebratur Missæ sacrificium, horas canonicas recitat, vtrique obligationi satisfacit, quia vnus actus non impedit, alium vtroque scilicet ad Dei cultum tendente.

62. *Vt præceptum impleatur, requiritur ne intentio præstandi opus, quod præcipitur?* Ita planè. v.g. vt quis præcepto audiendi sacrum satisfaciat, requiritur intentio Missam audiendi, quia opus præceptum implendum est humano modo, seu cum intentione illud præstandi. Non autem erit necessum, vt opus præceptum fiat cum intentione satisfaciendi. v.g. Missam audit nescius diem festum celebrari, præcepto satisfacit. *Quid si quis opus præceptum præstat cum intentione non adimplendi præceptum per illud opus: satisfacit ne, si postea mutet intentionem?* Ita sanè. v. g. Audio Missam intendens non adimplere præceptum illa auditione, sed alia; postea accidit alij Missæ non interesse, præceptum impleui; quia opus iniunctum præstiti.

Caput X.

De Legum interpretatione.

63. *Licet ne Leges interpretari, non solùm exponendo, verùm etiam ampliando, & coarctando?* Licet; hic enim vsus, & praxis viget. Porrò Tridentini decreta fas est obiter, & humiliter rebus in dubiis interpretari. Declarationes Congregationis Cardinalium circa Tridentinum maximi quidem sunt ponderis, ab iisque non facilè recedendum: vim tamen legis non habent antequam sufficienter promulgen-

tur, & publicentur. Id quod de huiusmodi declarationibus affirmarim.

64. *Qubnam modo humana lex interpretanda est?* Lex quidem odiosa explicanda, & extendenda iuxta naturalem verborum proprietatem: non verò strictiùs aut laxiùs. At in materia fauorabili explicanda & extendenda est, quantum verba patiuntur non solùm iuxta naturalem, sed etiam iuxta ciuilem verborum proprietatem. v.g. lex fauorabilis loquens de filiis, ad adoptiuos extendenda: loquens de legitimis, extendenda est ad legitimatos. *Quid in dubiis legis pœnalis materiæ.* Mitior pars amplectenda est, seruata verborum proprietate.

65. *Lex ne pœnalis extendenda est ab vno casu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna persona ad aliam ob rationis paritatem?* Minimè, iuxta illud tritum axioma: In lege pœnali non valet argumentum à simili, seu ab identitate rationis, seu à fortiori, seu à maiori ad minus, seu à contrario sensu. Si tamen lex sit generalis, generaliter de omnibus casibus, ad quos verba legis extendi possint, est intelligenda: & licet vnius tantum personæ fiat mentio, non tamen propterea cæteræ videntur, seu censentur exclusæ.

CAPVT XI.

De Legis abrogatione præcipuè per consuetudinem.

66. *Quandónam lex antea recepta vim obligandi amittit?* Per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per correctionem, seu per restrictionem, iuxta restrictionis, aut correctionis qualitatem; quia posterior voluntas Principis priori derogat, etiam si in posteriori lege fiat mentio prioris. §. 1. *Abrogatio legum.* nulla

67. *Cessante causa motiua, seu finali legis respectu totius communitatis, cessat ne obligatio legis etiam absque alio decreto, vel Principis declaratione?* Cessat; quia non præsumitur velle obligare, cessante legis fine.

68. *Cessat item legis obligatio in casibus, qui per epijcheiam comprehensi in lege non censentur, etiam si verba legis eos comprehendere videantur?* Cessat planè; quia legislator non præsumitur casus illos comprehendere, qui ob superuenientem aliquam circunstantiam fiunt illiciti, aut Reipublicæ

blicæ pernicioſi, aut nimium difficiles, ſeu moraliter impoſſibiles.

§. 1. Conſuetudo.

69. *Amittunt ne Leges vim obligandi per contrarium conſuetudinem legitimè introductam?* Amittunt; legitima enim conſuetudo vim obtinet Legis.

70. *Indica legitimæ conſuetudinis proprietates.* Prima eſt, Leges interpretari; quando enim dubium ſuſcitatur circa Legis intelligentiam, ad conſuetudinem, quæ optima Legum interpres vocitatur, recurrendum. Vnde ad contractuum validitatem non leue ex conſuetudine ducitur argumentum. Secunda proprietas conſuetudinis eſt, Legem inducere. Tertia Legem inductam mutare, & abrogare vel in totum, vel in partem. *Vt autem conſuetudo veterem Legem abrogare, & nouam introducere poſſit, quænam conditiones requirũtur?* Octo. 1. Vt id, quod per conſuetudinem introducitur, poſſit eſſe materia Legis. Hinc fit, vt contra ius diuinum, aut naturale, conſuetudo legitima induci non poſſit; quia materia huius conſuetudinis eſt mala, & prohibita. 2. Vt conſuetudo per actus voluntarios inducatur; Lex enim eſt actus voluntatis, & liber. 3. Vt conſuetudo abrogans Legem, ab iis, qui tenentur eam ſeruare, inducatur. 4. Vt adſit intentio eximendi ſe per conſuetudinem à Lege abroganda, vtque id, quod inducitur per conſuetudinem, obſeruetur tanquam præceptum, ſeu per modum obligationis; alioquin conſuetudo vim Legis non ſortietur; quod enim frequenter fit ex ſola deuotione, aut liberalitate, nullam obligationem, nullam Legem inducit. 5. Vt conſuetudo ſit vniuerſalis; minor quippe populi pars conſuetudinem non poteſt inducere, maior poteſt. 6. Vt conſuetudo per eos inducatur, qui Legem poſſunt condere, vel habent capacitatem actiuam condendi, vel ſaltem paſſiuam eam recipiendi, interueniente aliquo ſuperioris conſenſu. 7. Vt conſuetudo ſit longæua, ſcilicet ſeruata fuerit per decem annorum ſpatium, decem enim anni ſufficiunt ad conſuetudinem præſcribendam, modò non ſit contra ius Eccleſiaſticum, ad præſcribendam enim contra Eccleſiæ iura conſuetudinem quadraginta anni requiruntur cum aliquo titulo, aut etiam tempus immemorabile, ſi ius reſiſtat. 8. Denique, vt Principis conſenſus ſaltem tacitus adſit.

71. *Poteſt ne Lex vi ſua, & abſque alia clauſula præcedentem conſuetudinem abrogare?* Poteſt, modò habeat omnimodam contrarietatem & repugnantiam cum conſuetudine, & legiſlator ſit conſuetudinis conſcius; quia conſuetudo non adimit ſuperiori condendi Leges auctoritatem.

72. Per

72. *Per legem vniuersalem abrogantur ne consuetudines speciales locorum, aut statuta particularia?* Non, nisi eorum in lege mentio fiat; aut nisi saltem per clausulam generalem; *qualiscunque contraria consuetudo, statutum aut priuilegium* expressè reuocetur; quia Princeps, qui consuetudines speciales locorum ignorare censetur, non videtur eas velle abrogare, nisi specialem earum memoriam efficiat.

73. *Per hæc verba: Non obstante contraria consuetudine, reuocatur ne consuetudo immemorabilis?* Non reuocatur, nisi addatur in reuocatione: *Non obstãte consuetudine etiam immemorabili:* aut nisi aliquid æquiualens apponatur; quia consuetudo immemorabilis peculiaribus in iure priuilegiis gaudet.

74. *Peccant ne introducentes consuetudinem contra legem, seu contra antiquam aliam consuetudinem legitimè receptam?* Peccant planè toto eo tempore, quo agunt contra legem, vel consuetudinem, donec elapsum sit tempus requisitum ad legitimam consuetudinem inducendam; nisi fortè Princeps etiam tunc, quando contra legem aut consuetudinem faciunt, id sciat, & tolleret, aut nisi è bona fide excusetur.

CAPVT XII.

Praxis, ex Societatis IESV *Schola circa materiam de legibus in communi.*

75. *Tenetur ne legislator seruare suas leges?* Minimè, quia non habet potestatem in se ipsum. Intelligo de obligatione coërcitiua: nam ad eas, quæ ex æquo obligant, v. gr. quæ taxant pretia rerum, &c. tenetur vi directiua; quia lex naturalis præcipit caput cum suis membris conformari. *Granado* 1. 2. *cont.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *d.* 17. *sect.* 3. *num.* 22. qui asserit legislatorem suas leges frangentem (graues quidem) peccare mortaliter. Hæreo tamen Filliucio negant; quia omnis obligatio ex legislatoris voluntate pendet, qui non præsumitur voluisse sibi tantum onus imponere. §. 1. *Quinã lege obligentur.* Granad.

76. *Valida ne lex Principis laici de causis Ecclesiasticis disponens, aut aliquo modo illigare tentans Ecclesiasticos?* Minimè, Clericusque legibus ciuilibus etiam non pugnantibus cum iure Canonico, aut cum eorum statu, tenentur solùm directiuè, vt se cum aliis membris eiusdem Reipublicæ conforment. *Layman. tract.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. Laym.

77. *Tenentur ne Regulares, Episcoporum seruare statuta?*

Non quia exempti sunt ab eorum iurisdictione. Scio aliquibus statutis in iure expressis subiacere, quæ expressit *Malderus* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Tenetur itaque solùm ex decentia, & ad scandalum vitandum: quo cessante non peccabunt violatores. *Granado* 1. 2. *cont.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *d.* 6. *sect.* 3. *n.* 18.

Gran.

78. *Subditi incolæ loci, in quo est statutum, tenetur ne illud seruare extra territorium?* Minimè. v. g. festum aut ieiunium Vallisoleti non tenetur seruare Vallisoletanus, qui Palentiæ reperitur. *Ex industria fugit ad Palentiæ ditionem, ne ieiunaret: deliquit?* Non, quia non fraus, sed fuga præcepti, quæ non est contra præceptum. *Sanchez summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 35.

Sanch.

79. *Adest in loco festiuitatis, aut ieiunij domus exempta à iurisdictione Episcopali: potest ne quis in ea festum, aut ieiunium non seruare?* Posse assero ex *Fagundez tract.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. *num.* 13. quia locus exemptus habetur pro extraneo.

Fagund.

80. *Excommunicatio Episcopi pro tota diœcesi ligat ne subditos, qui in loco exempto commorantur?* Non ligat, quia locus is pro extraneo reputatur. Exempta ne Monasteria Regularium ad hoc dici possunt? Aliquis asseruit extra Societatem. Sed *Suarius de cens. d.* 5. *sect.* 4. *num.* 6. conuenientius negauit.

Suar.

81. *Seruatur v. g. ieiunium, aut festum in loco, & in oppido, vbi peregrinus reperitur, ex Episcopi ordinatione: tenetur ne peregrinus ei legi subiacere?* Teneri existimat *Fagundez*, citatus, sed contrarium probabile existimat; quia non est subditus Episcopi illius loci, & ad leges patriæ non tenentur absentes.

Fagund.

82. *Tenentur ne vagi, qui nullas habent sedes certas?* Asserit *Suarez de Rel. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 20. teneri locorum, in quibus reperiuntur, leges obseruare; quia in illis domicilium acquirunt; alioqui exempti essent ab omnibus legibus, & statutis locorum, quod absurdum. At *Lessius lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 7. *n.* 47 contrariam sententiam probabilem iudicat ex peregrinorum paritate. Nec absurdum putat vagum qui nullam certam sedem habet nullis certis legibus subiacere.

Suar.

Less.

§. 2. *Quando lex obliget?*

83. *Scio legem, vt iusta sit debere æqualitatem ad ius alterius seruare: rogo, si hæc æqualitas temporis successione deficit, obligabit ne lex?* Minimè. v. gr. antiquis statutis taxantur stipendia Notariis, modò non obligant; quia latæ fuerunt eo tempore, quo pecunia carior, & res viliores. *Iurarunt seruare taxas.* Non refert; quia iuramentum exponitur, quatenus iustæ sunt. *Sanchez opusc. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 14.

Sanch.

84. *Fit*

84. *Fit lex iusta in bonum finem, scilicet in vtilitatem communitatis: cessat finis hic aut in toto, aut in parte, cessat ne lex obligare?* Negat *Vasquez* 1. 2. *tom.* 2. *d.* 163. *cap.* 3. *n.* 19. Vasq. cessare in partem obligare cessante in parte fine. *Granado* Granad. autem asseruit; quia sicut cessante fine legis in vniuersum, cessat lex totaliter; ita cessante fine adæquato legis in vno casu, cessabit lex obligare pro illo casu. Sicut enim se habet lex in vniuersali ad rationem acceptam in generali: ita lex in particulari ad rationem acceptam in casu speciali. Admonet *Petrus Hurtado* 2. *tom.* 1. *d.* 74. *sect.* 3. § 26. quod quando Hurt. lex præter finem extrinsecum, & remotum habet finem intrinsecum, & per se, & independenter ad illum, honestum, & qui sit actus virturis: tunc non cessat lex in particulari, cessante solum fine extrinseco: secus verò vbi nullus est finis intrinsecus, & lex non præcipit actum per se honestum. v. gr. lex ieiunij quæ condita est ad sedandos in homine motus turpes, non cessat in eo, qui libidinis morbo non subiacet: quia ieiunium independenter ab eo fine habet bonum temperantiæ. Verùm laïcum doctum cum hæretico non disputare non est actus alicuius virtutis; vnde cum etiam cesset in eo subuersionis periculum, ob quod in c. *inhibemus*, id laïcis prohibetur, poterit disputare.

85. *Lex prohibet famulari, nutririve Iudæos fundata in periculi subuersionis præsumptione, obligat ne eos, qui huic periculo non sunt expositi?* Non; quia cessat causa legis. Sic *San-* Sanch. *chez summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. *num* 2 At *Petrus Hurtado* 2. 2. Hurt. *d.* 76. *sect.* 2. *num.* 81. hoc concedens circa familiaritatem solam, in qua finis legis est solum vitare periculum, negat tamen quo ad famulatum, nutritionem, &c. quia in his non potest cessare finis prohibitionis, qui fuit tollere suspicionem fidei, & eo honore priuare Iudæos.

86. *Peccat ne mortaliter, qui contra ciuitatis statutum asportaret pecuniam, arma,* &c. Si in modica quantitate fiat, non peccat mortaliter; quia cessaret finis legis. Sic *Palaus tom.* 1. Palao. *tract.* 2. *d.* 2. *c.* 7. *num.* 6. At *Sanchez summ. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 8. Sanch. asserit attendendum esse detrimentum, quod infertur, si omnes ciues eandem quantitatem asportarent, quæ esset sine dubio notabilis. Profectò ex hac assertione Sanctij Palaus infert, quod si quis asportaret quantitatem, quæ in furto sufficeret ad mortale, peccaret mortaliter ex eo præcisè, quòd si omnes ciues tantam quantitatem extraherent, proculdubio nocerent Reipublicæ notabiliter: hoc autem est ridiculum. *Quænam sit notabilis quantitas sufficiens ad mortale in tali ex-*

tractione? Excluſa obſidione: regulariter loquendo centũ aurei in pecunia, ſeu mercibus, aut armamentũ decẽ militũ. Sic *Pal.*

87. *Quandónam lex dicitur eſſe ſufficienter promulgata?* Non ſatis eſt, vt promulgetur apud paucos, ſed ſufficienter diffundi per totam communitatem. Vnde qui præſens eſſet, dum aliqua lex primò publicatur, non ſtatim teneretur eam ſeruare; ſed expectare poſſet, donec per totam communitatem diffundatur. Ratio eſt, quia lex prius obligat communitatem, quàm particulares; prius enim totum, in cuius bonum ordinatur, quàm partes. *Suarius de leg. lib. 3. c. 17. n. 5. & 14.* Suar.

88. *Scit quis Principem cogitare de condenda lege, aut eam condidiſſe, vt, v. gr. moneta creſcat, aut minuatur: tenetur ne illam ſeruare priuſquam promulgetur?* Minimè, ſed poteſt ſuas pecunias abſumere (ſi minuendæ,) vel emẽdo, vel mutuo dando: aut (ſi altiori addicẽdæ valori) poteſt vendere merces, &c. vt acquirat pecunias; quia nulla adhuc ad contrarium lege, haud promulgata, tenetur. Ex *Suar.* citati doctrina arguitur. Suar.

89. *Num leges Pontificiæ, vt obligent per totum orbem, debeant per totum orbem promulgari?* Affirmatiuè reſpondendum, quoad leges irritantes contractus ex *c. ſi in adiutorium. d.* 10. vbi habetur huiuſmodi leges non obligare, niſi ſint promulgatæ in ſingulis Prouinciis, & diœceſibus. At de aliis nouis conſtitutionibus *Vaſquez* 1. 2. *tom.* 2. *d.* 156. *c.* 2. aſſerit obligare mox poſt promulgationem Romanam; quia omnes cauſæ, quæ ad Romanam curiam referuntur, diuiduntur quidem iuxta regulas Cancellariæ, & alias leges, quæ Romæ ſolum publicatæ ſunt. Et Bulla cœnæ nuſquam niſi Romæ publicatur. Item Pius IV. in ſua Bulla obligat totum orbem ad obſeruantiam Tridentini poſt promulgationem Romanam. Vaſq.

90. *Rogo, an ſicut leges ciuiles obligare non incipiunt ante duos menſes à die publicationis, idem dicendum ſit de Canonicis, ac Pontificiis?* Reſpondet negatiuè *Suarez de leg. lib. 3. cap.* 18. quia id in nullo iure Canonico ſtatuitur. At *Reginal. tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 16. *n.* 152. affirmat, quia tempus id præſcriptum eſt, non ſolum vt ignorantes non ligentur; ſed etiam vt rixæ tollantur, quæ ſequerentur, ſi aliquibus legem ſcientibus, ac proinde ad eam obligatis, alij ignorarent, & exempti eſſent: vt notat *Becanus p.* 2. *tom.* 3. *c.* 6. *con.* 2. *n.* 3. *Curia Romana*, ait, *punit delinquentes contra leges infra bimeſtre publicatas.* Ideo eſt, quia ſequitur contrariam ſententiam, quo non obſtante poſſunt ſubditi probabili huic hærere, cauendo à pœnis curię. Hęc enim ſententia in foro ſolummodo cõſcientiæ procedit. Suar. Regin. Becan.

91. *Quid de acceptatione legis?* Sentiunt *Leſſius lib.* 2. *c.* 22. *dub.* Leſſius.

dub. 13. *n.* 98. *& Becanus p.* 2. *tract.* 3. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 2. requiri, quod sit à populo, seu maiori illius parte acceptata; quia videtur benignæ Pontificis, & Principum menti conforme, vt leges promulgare faciant sub tacita conditione, si à subditis acceptentur, ne nimia sint oneri. Porrò de legibus Pontificiis vniuersaliter sentio cum *Vasquez* 1. 2. *tom.* 2. *d.* 156. *c.* 5. *n.* 36. Vasq. non dependere à populi acceptatione; quia Papa non habet suam potestatem dependenter á populo: vt suarum legum vis à populi consensu sit petendus. De legibus autem ciuilibus subscribo Lessio, & Becano, addens, eo ipso, quod à maiori parte sit lex acceptata, omnes obligare, ac singulos.

92. *Adest dubium, num lex sit alicubi vsu recepta, præsumi ne debet recepta esse?* Respondet *Sanch. sum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. af- Sanch. firmatiuè; quia possessio stat pro lege, quam certum est esse latam, & solum de executione dubitatur. At *Pal.* contrariam esse Palao. tutã existimat *tõ.* 1. *d.* 3. *p.* 7. *n.* 4. quia in odiosis benignior pars est amplectẽda: & possessio potius stat pro subditorũ libertate.

93. *Peccant ne subditi, qui primò legẽ iustam sine iusta causa non acceptant?* Non, quia lex non obligat singulis ante acceptationem populi: nondum enim impleta conditio illa tacita, sub qua lex condita est, *si populus acceptauerit.* Scio communem esse sententiã peccare subditos qui priuilegium legitimè promulgatam sine causa non recipiunt, de quo eruditissimus *Antoninus Diana p.* 5. *tract.* 14. *resol.* 3. At meo hæreo Diana. *Valentia tom.* 2. *d.* 7. *quæst.* 5. *part.* 5. primæ authori sententiæ. Valent.

94. *Rogo, possint ne subditi libellos supplices legislatori offerre, & interim legem non seruare.* Negat *Vasq.* 1. 2. *tom.* 1. *q.* 94. *a.* 3. Vasq. *d.* 156. *c.* 5. *n.* 43. quia appellatio & supplicatio nusquam concessa reperitur contra legem, sed solum contra sententiam. At *Salas d. leg. d.* 13. *sect.* 4. *num.* 20. affirmat, quia talis præ- Salas. sumitur benigna legislatoris intentio, vt si aliqua iusta causa legi obstet, informetur, vt possit eam reuocare.

95. *Possunt ne superiores Ecclesiastici, aut seculares suos subditos ad legem arctare sub lethali criminis pœna?* Possunt in graui §. 3. materia, in leui minimè. *Sanch. t. n.* 1. *sum. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 3. quia solus Deus habet ius obligãdi sub mortali in leui materia: vt probabile est se gessisse cum Adamo, & Eua, Adnoto cũ *Ca Pal. tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 14. *n.* 13. posse contingere, vt res in se leuis, fiat ex circunstantia grauis. v. g. si ad seruandum silentiũ, vel vitandum aliquod periculum Religioso interdiceretur ingressus in aliorũ cellã, tunc materia grauis fieret, & obligatio sub lethali teneret; etiã si in particulari casu, quo cessaret periculũ. *Quid si superior in materia omnino leui obligationem sub*

Quãm dolex m obliget, graui- térne, an leuiter? Sanch. Pal.

Suar. *morali imponeret?* Sub veniali obligaret. *Suario* authore *de leg. cap. 26. num. 6.*

Vasq. 96. *Potest ne superior in graui materia obligationem leuem imponere?* Negat *Vasquez 1.2. tom.2. d.158.c.3. num.17.* quia voluntas superioris requiritur solùm ad imponendam obligationem in genere, obligationis verò qualitas ex gra-

Lessius. uitate, vel leuitate est desumenda. Affirmat verò *Lessius lib.2. cap.4. dub. 9.num. 96.* quia tota legis obligatio ex legislato-

Sanch. ris voluntate dependet. Hinc colligo cum *Sanctio de Matr. tom.1.lib.1. d. 9.num.6.* vouentem posse se obligare ad mate-

Suar. riam grauem sub leui culpa. Et cum *Suario in 3.part. tom. 4. d.38. sect.7. num. 5.* Confessarium posse imponere pœnitentiam grauem sub obligatione veniali; quia tota obligatio voti, & pœnitentiæ ex voluntate vouentis, ac Confessarij pendet.

97. *Regulas innuisti ad cognoscendam legislatoris intentionem circa obligationem grauem, aut leuem: rogitarim in earum enodationem, si lex traditur per verbum oportet?* Non obligat sub peccato, sed solùm quandam conuenientiam im-

Saa. portat. Addit *Saa verbo lex, num. 6.* verba *Iubeo, Mando* non importare obligationem. Quod negat *Vasquez 1.2.d. 158. cap.3. num.22. Quid de verbis imperatiuis, Facite, Cauete, Sol-*

Saa. *uite, Abstineant omnes, Nemo audeat*, &c. Putat Saa citatus, non continere graue præceptum, sed obligare sub veniali. Standum profectò consuetudini Religionis, & vbi de ea non

Sanch. constat materiæ grauitas attendenda. *Sanchez summ. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 39.*

98. *Lex ciuilis est purè pœnalis: v.g. qui arma gestauerit, tali subiaceat pœnæ: siue purè præceptiua, quæ aliquid fieri iubet, vel prohibet simpliciter: siue mixta, quæ præcipit, aut pro-*

Lessius. *hibet, & addit pœnam: quid dicendum?* Ex *Lessio lib.2. cap.33. dub.8. num. 59.* respondeo. Si materia est grauis, & seriò exponitur verbis imperatiuis, obligat in conscientia; quia in pœnalibus puris, & mistis vehementius conspicitur legislatoris voluntas, dum aliquid præcipit, aut prohibet sub pœna; omnis enim pœna supponit culpam. *Quanta verò legis pœnalis obligatio?* Ex pœnæ grauitate pensanda est, v.g. lex prohibens aliquid sub pœna capitis, aut amissionis omnium bono-

Regin. rum, &c. obligat sub mortali. Attamen *Reginaldus tom. 1. lib.15.cap.6.sect. 5. num.50.* probabiliter docet, legem pœnalem puram, vel mistam non obligare ad culpam, nisi aliàs res præcepta sit iure naturali, aut diuino: etiam si imponat pœnam mortis, aut amissionis omnium bonorum; quia legislator,

lator, qui potest obligare ad pœnam temporalem, & spiritualem, siue ad culpam grauem, cui annexa pœna æterna: dum meminit solius temporalis, non videtur velle obligare ad æternam; lex enim debet de minori pœna exponi.

99. *Dubium est, an lex obliget sub mortali, an verò sub veniali: quid?* Obligat sub veniali; quia pœnæ semper benignè interpretandæ. *Molina tom. 3. d. 673. n. 6. & 7.* Molin.

100. *Lex Ecclesiastica sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, obligat ne sub mortali?* Communiter Doctores mei sub mortali asserunt obligare. *Quid quando imponitur pœna suspensionis, interdicti, irregularitatis? Valentia tom. 2. d. 7. q. 5 p. 9. §. 19.* asserit non obligare semper sub mortali; quia hæ pœnæ per solam culpam venialem sæpe incurruntur. Valent.

101. Num Bulla Sixti V. contra *Astrologos iudiciarios obliget in conscientia?* Affirmat *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. c. 38. num. 34.* Consule *Delrium disq. Mag. lib. 4. cap. 3. q. 1. con. 2. & Filliucium. tom. 2. tract. 24. cap. 4. num. 84.* Scio probabilem oppositam sententiam, nempe licere in foro conscientiæ Astrologis quidquid, ipsa tuta, ante licebat: posset tamen ab inquisitoribus puniri. Sanch. Delr.

102. *Dixisti sæpe legem gratiosam ampliandam, pœnalem restringendam rogo, an in legibus pœnalibus fiat extensio à casu in casum non expressum, propter paritatem rationis?* Minimè, imò nec si in hoc vrgeat maior ratio. v. g. Cogentes viros Religionem ingredi non incurrunt excommunicationem, *Trident. sess. 25. cap. 8.* contra cogentes fœminas ingredi Monasteria. *Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 4. num. 3.* Excommunicationem Gregorij XIII. contra ingredientes in Monasteria Monialium prætextu licentiarum, non incurrunt ingredientes sine licentiæ prætextu. *Suarez de censur. d. 22. sect. 6. num. 11.* Lex imponens pœnam priuationis vocis, intelligenda est tantũ de octauia, quæ est propriè, & principaliter vox. *Palaus tom. 2. tract. 13. d. 6. p. 6. num. 15.* contra *Lessium lib. 2. cap. 34 dub. 29. num. 105.* c. ad hæc, *de Iudæis*, prohibetur Christianis famulari, & nutrire Iudæos: non est extendenda prohibitio ad Sarracenos, & Paganos. *Petrus Hurtado de Mendoz. 2. 2. d. 76. sect. 3. num. 81.* contra *Suarez de fide, d. 18. sect. 6. num. 6.* Leff. Sanch. Suar. Palaus. Mend. Suar.

103. *Num in casu dubio, detur locus epijcheiæ, seu æquitatis?* Consulendus superior, an in lege voluerit casum, de quo est dubium, comprehendere. *Et si dubium est de potestate superioris?* Pro illa est iudicandum. *Palaus tom. 1. d. 3. p. 1. num. 4.* Pal.

addens etiam in casu vrgenti, in quo superior consuli non
Suar. potest, limitat *Suarius de leg. lib. 6. cap. 8. num.* 12. nisi lex alteri legi grauiori aduersari dubitetur : nam tunc licet exequi grauiorem, altera omissa; quod Palaus non admittit. Porro si dubium est speculatiuum, & incompletè practicum, licet operari cum illo. v. gr. quando dubito rationabiliter, an superior velit me obligare, hæresceere possum parti minus tutæ, ad notabile vitandum incommodum. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 13. *num.* 3.

Henriq. §. 4. *De statutis laicalibus, & Papalibus.*

104. *Principes seculares assolent Ecclesiasticam libertatem violare statutis: innuas precor quodnam statutum sit contrarium Ecclesiasticæ libertati?* Carptim ex Societatis Doctoribus, aliisque Iurisprud. & Canonist. respondebo. Laicale statutum lædit Ecclesiæ immunitatem, si tangit Ecclesiam, aut causas Ecclesiasticas: v. g. causas Beneficiorum, Iuramentorum, Decimarum. Si interdicat Ecclesiæ, quæ sibi de iure competunt, aut priuilegio. v. gr. si præcipiat ei, bona recens quæsita infra certum tempus extra manum ponere. Si prohibeat, bona immobilia in Ecclesiam, aut Ecclesiasticos transferri. Si præcipiat, ab Ecclesia, & Ecclesiasticis aliquid solui pro immobilibus amortizandis. Si prohibeat laicis, ne Clericis molant, coquant, vendant, vel seruitia exhibeant. Si disponat de numero Religiosorum, Missarum, candelarum, aut cultricis in funere : vel aliquod onus imponat Clericis, vt foro fruantur. Si vetaret Clericis frui priuilegio alicui communitati concesso. Si prohiberet laicis prorogare Ecclesiasticam iurisdictionem. Si ferretur communiter pro laicis, & Ecclesiasticis, v. gr. quod auferantur arma inuenta horis prohibitis etiam à Clericis. Quod non imprimantur libri etiam Clericorum sine licentia Principis. Quod non extrahantur victualia à territorio etiam à Clericis : vel in territorium ab ipsis non introducantur. Equidem ex vi statuti laicalis iniustè auferuntur à Clericis victualia contra pragmaticam inuenta : vendita supra taxam, cum falsis ponderibus, aut mensuris: aut vexantur eorum ministri hæc peragentes : v. gr. cum coguntur præstare fideiussionem de soluendis pœnis, si in vini venditione fraudem commiserint, &c. Non comprehenduntur Clerici in Principum monopoliis, v. gr. si in aliqua ciuitate adesset statutum, vt aliqui tantum vendant vinum, &c. hoc statutum non impediret quominus Clerici possent exponere tabernas: etiam si pecuniam ciuitatis insumeret in Hospitalis, aut Monasterij alicuius sustentatione; nisi publica vtilitas

æquè

æquè primò Clericos, & laicos reſpiciat. Lege *Molinam de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 147. *num.* 13. *Sanchez ſum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 15. *Torres* 2. 2. *q.* 87. *a.* 1. *d.* 9. *num.* 17. *Sanchez de Matr. tom.* 1. *lib.* 4. *diſ.* 23. *n.* 2. *Vaſquez de Reſt. c.* 6. §. 1. *dub.* 2. *n.* 34. *Palaum tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 14. §. 6. *n.* 2. *& 9.* Molin. Sanch. Torr. Vaſq. Pal.

105. *Dixiſti ſtatuta Papalia ſufficere promulgari Romæ, vt obligent: rogo, an Epiſcopi poſt notitiam publicationis Romanæ, poſſint ſubditos ad obſeruantiam cogere?* Probabile eſt poſſe, & probabile non poſſe, niſi illis Pontifex id præcipiat. Si autem Pontifex ſignificaret ſe velle, vt lex abſque alia publicatione vbique ſeruetur, tunc tenentur Epiſcopi procurare obſeruantiam: non tamen legem promulgare, niſi lex ad ipſos dirigatur proferenda. ex prædictis.

106. *Quid de legibus Tridentini, vbi receptum non eſt?* Leges pœnales non ligant incolas, vel alienigenas commorantes; fauorabiles verò ſcio ex aliquorum ſententia fauere, etiam his locis, At *Sanchez apud Barb. de pot. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 39. *num.* 3. contrarium docuit. Sanch.

107. *Pontifex legem promulgat, Epiſcopi, & Principes, qui tunc viuunt, non admittunt; ad quid ſucceſſores tenentur?* Ex *Becano*, reſpondeo omnino eos ab huius legis obſeruatione excuſari; quia verè non extat tunc, cùm ad illos pertinet dominatus. §. 5. *Varia de legibus.* Becan.

108. *Quantam ætatem leges ligare incipiunt?* Affirmo non ligare ante ſeptennium, etſi ſubditus vſum rationis habeat; quia ad ea, (*Sanchez* ait) quæ frequentius accidunt, leges adaptatur: per accidens autem eſt, aliquem ante ſeptennium vſu rationis pollere. Sanch.

109 *Vt lex per non vſum abrogetur, requiritur ne certum tempus, v. g. decem annorum?* Sentio cum *Suario* non requiri, ſed ſolùm populi repugnantiam per actus contrarios ſufficere; quia nullum ius præſcribere certum tempus inuenitur. Imo *Azorius* affirmat ſciente Principe, & non repugnante, & eius auditoribus, & Epiſcopis duos, vel tres actus contra legem ſufficere. Suar. Azor.

110. *Dixiſti legiſlatorem, qui ſuperiorem non habet, teneri legibus quæ omnes obligant vi quidem non coërcitiua, ſed directiua: rogo, num lethaliter delinquat illas non obſeruando?* Reſpondeo ex doctrina *Leſſij* non peccare; niſi iurauerit, ſe illas ſeruaturum. Leſſ.

111. *Dubitas, an lex ſit vſu recepta, vel an obliget ad mortale: cuinam ſententiæ eſt tibi adhærendum?* Mitiori; quia melior eſt conditio poſſidentis. ſic *Azor.* Vnde ſimiliter *Meratius* Azor. Merat.

affirmat, in dubio, an consuetudo sit inducta ex obligandi intentione, vel tantùm prætextu deuotionis? hoc posterius esse eadem ratione præsumendum.

112. *An regulæ Cancellariæ obligent in foro interiori?* Non obligant. Quare donatio inter viuos, v.g. per Episcopum facta intra viginti dies ante obitum valet in foro conscientiæ,
Baldel. licet per regulam Cancellariæ in foro externo sit nulla. *Baldellus* sic.

113. *Si subditi sciant superiorem iudicare consultum, vt aliquid ab ipsis geratur, idemque velle, aut optare: exequi ne illud teneantur?* Non, si superior voluntatem obligandi externo
Laym. præcepto non intimat. *Laymanum* sequor. Interim consilij tibi sit, quandcunque signum iustæ voluntatis Prælati instar præcepti habere.

114. *In quo differt lex seu statutum commune à præcepto, seu mandato ad personas singulas tendente?*
Laym. Respondeo ex *Laymano* in eo quod lex seu statutum perpetuò manet ob continuam communitatis successionem: neque extinguitur nisi à legislatore, eiusve successore reuocetur, vel derogetur desuetudine: præceptum autem, seu mandatum tendens ad personas singulas cum ipsis plerumque extinguitur, imo etiam per mortem præcipientis.

115. *Quandonam à foro seculari ad Ecclesiasticum licet recurrere?* Quando secularis iudex nolit iustitiam administrare, inter Christicolas Ecclesiasticus iudex adiri potest. Præterea si ciuiles leges peccata foueant, & animarum saluti repugnent, ad Ecclesiasticam potestatem pertinet prohibere.
Laym. *Laym. & alij.*

116. *Dixisti actus internos ab humana potestate præcipi, vel prohiberi posse concomitanter, quatenus requiruntur ad actuum externorum moralem substantiam: rogo, vtrum si ebrius, dormiens, aut mentis inops dicat Horas Canonicas, præcepto satisfaciat?* Non satisfacit, sed ad mentem si redeat, debet iterum recitare; quia illa actio humana non fuit. Si au-
Laym. tem aliquis in somno (*Layman* addit mentis impotentia, vel per vim adductus decimas soluat Parocho, materialiter & in effectu satisfactum est legi; quia effectus ille imperatus non requirit à legislatore voluntatem, sed quod efficaciter decimæ soluantur. *Qui autem ob metum opus præceptum exequitur, satisfacit ne legi?* Ita planè. v. g. puer, qui à Pædagogo metu adactus Missam attentè audit, licet expressam habeat intentionem non audiendi, si Pædagogus abesset: nihilominus opus præceptum implet, nec aliam Missam

tenetur

tenetur audire ; quia licet inuitus actionem assistendi ab Ecclesia imperatam impleuit, peccat tamen secundùm affectum internum peccato commissionis. ex *Laymano* didici. Laym.

117. *In his, quæ ad corporis naturam pertinent propagandam, & conseruandam, tenemur ne alienæ potestati obedire?* Homo in his sui iuris esse debet, & soli Deo subiectus. Quæ causa est, (loquor cum eodem *Doctore*) vt serui dominis, parentibus filij obedire in matrimonio contrahendo, aut virginitate seruanda non teneantur. Laym.

118. *Valet humana potestas interdum præcipere, aut prohibere aliquid cum periculo mortis?* Posse *Laymanus* affirmat, si videlicet ex obseruantia legis aut præcepti maius Reipublicæ commodum speretur: vel ex neglectu maius incommodum timeatur, quàm priuatum periculum mortis debeat æstimari.

119. *Obligatio legis extenditur ne ad actus præteritos?* Solùm extenditur ad futuros. Quatenus tamen lex declaratoria est (addit *Layman.*) etiam ad actus præteritos se extendit. Laym.

EXAMEN SECVNDVM.

De legibus in particulari circa materiam Primi Mandati Decalogi de Diligendo Deo.

CAPVT SECVNDVM.

De Decalogo non nulla præmitto.

1. QVotnam *sunt Decalogi præcepta,* (vt legum in particulari diuinarum seriem discutiamus) *& quanam in parte sacræ paginæ continentur?* Sunt decem Exodi vigesimo capite exarata. 1. *Non habebis Deos alienos coram me.* 2. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* 3. *Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.* 4. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* 5. *Non occides.* 6. *Non mœchaberis.* 7. *Non furtum facies.* 8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 9. *Non concupisces vxorem proximi tui.* 10. *Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non omnia, quæ illius sunt.*

2. *Sunt*

2. *Sunt ne præcepta hæc naturalia, an positiua diuina?* Sunt naturalia, tertium si excipias; quamuis enim ex iure naturali Deum certo die colere teneamur, determinatio tamen talis diei vel fuit ex præcepto diuino positiuo, vt in veteri lege Sabbathi sanctificatio: vel est ex præcepto positiuo Ecclesiastico, vt modo obseruantia Dominicæ, vel solemnia Sanctorum.

3. *Quare Præcepta Decalogi sunt forma negandi ferè expressa?* Id factum tribus de causis. 1. Quia ea forma valet ad coërcendos impios à flagitiis. 2. Quia negatio latius patet, quàm affirmatio, vt præceptum de non habendis diis alienis, quam de vno Deo colendo. 3. Quia negatio apertè includit affirmationem; si enim non habendi sunt dij, ergo vnus Deus colendus: similiter sub affirmatione negatiuum continetur, vt sub præcepto honorandi parentes, de iisdem non contemnendis præceptum includitur.

4. *Quo differunt negatiua ab affirmatiuis?* Affirmatiua quidem obligant semper, sed non pro semper, id est omni tempore; non enim teneor omni tempore parentes honorare: negatiua autem obligant semper, & pro semper; nullo enim tempore licet fornicari, furari, &c. illa quidem omissionis, hæc commissionis peccato violantur.

5. *Quale peccatum transgressio alicuius Decalogi præcepti?* Mortale, nisi trium causarum aliqua excuset; 1. defectus deliberationis, 2. defectus pleni iudicij, 3. paruitas materiæ modo ad huiusmodi materiæ paruitatem contemptus non accedat, de quo sigil. 2.

6. *Præter hæc præcepta naturalia in Decalogo scripta sunt ne alia naturalia præcepta?* Sunt equidem, & præcipua dilectio Dei, ac proximi; attamen in illis implicitè continentur: nec in Decalogo adnumerantur explicitè, quia sunt principia naturalia, prima, quæ naturæ ducatu ostenduntur. Fateor communi opinione præceptum de diligendo Deo cum primo Decalogi non meritò confundi: *Non habebis Deos coram me*, quibus quidem verbis solum peccatum superstitionis, & idololatriæ, quod est contrarium Religionis, & latriæ virtuti, prohibetur. Igitur præceptum de proximo diligendo in materiam charitatis referendo, communi errore de præcepto diligendi Deum periculum facias.

CAP.

CAPVT II.

Præceptum de diligendo Deo.

7. *QVonam modo Deus est à nobis diligendus?* Quemadmodum nos IESVS apud Marcum cap. 12. ex Deuter. 6. docuit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Ex toto corde, id est, ex tota mentis intentione; ex tota mente, id est, ex toto intellectu; ex tota anima, id est, ex toto affectu; ex omnibus viribus, id est, per omnia externa opera; ex omni mente, id est, ex toto interno obsequio.

8. *Tenemur ne Deum summè diligere super omnia intensiuè?* Non, sed solùm appretiatiuè, hoc est, vt eum, eiusque amorem pluris, quàm aliquam creaturam æstimemus; & propter illius amorem potius mortem oppetere, quàm ipsum vel corde, vel verbo, vel opera mortaliter delinquendo negare.

9. *Num tenemur, perpetuò in actu diuini amoris esse?* Minimè; nec enim huiusce miseræ vitæ conditio somno, aliisque diuerticulis aberrans patitur.

10. *Quando nam hoc præceptum sub mortali obligat?* Cùm sit affirmatiuum non pro quocunque obligat tempore. Existimo itaque solum obligare pro eo tempore, in quo homines tenentur actui contritionis operam dare.

11. *Quando autem contritio procuranda?* Cum adest mortis periculum. Cum administraturus est, vel recepturus aliquod Sacramentum. Cùm actum ordinis solemniter facturus, v. g. cantaturus Epistolam cum manipulo, aut Euangelium cum stola, vel quamuis aliam actionem officio, Ordinique solemniter annexam, si criminis lethalis illigetur vinculo, & copia confessarij careat.

12. *Num delinquat, qui Deum amat præcisè, quia ab eo accipit, vel sperat accipere seu spiritualia, seu temporalia bona?* Delinquit planè mortaliter.

CAP.

CAPVT III.

De Adoratione.

13. *CVm in primo præcepto propriè Dei adoratio præcipiatur, adorationis expende definitionem.* Adoratio est exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur. Eius tres sunt actus. Primus intellectus, quo adorati excellentiam cognoscimus. Secundus voluntatis, quo nos ei subiicimus. Tertius adorationis effectus, qua nostram subiectionem patefacimus.

14. *Quotuplex adoratio?* Alia interna, alia externa. Alia *Latriæ*, quæ debetur Deo; alia Hyperduliæ, quæ debetur B. Virgini; alia Duliæ, quæ debetur Sanctis. Alia denique absoluta, quæ conuenit rei intellectuali: & alia respectiua, quæ conuenit rebus ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur.

15. *Num vna Trinitatis persona possit distinctè ab aliis adorari?* Potest, modò aliæ personæ explicitè non excludantur.

16. *Sancti ne in cœlo degentes adorandi sunt?* Quis dubitet, si etiam viri Sancti nondum relati in numerum Sanctorum coli & adorari possent cultu quidem priuato, non publico.

17. *Christus homo, id est subsistens in natura humana & diuina, adorandus ne est adoratione latriæ, qua adoratur Trinitas, & singulæ Trinitatis personæ?* Maximè. At humanitas illius per se, & præcisa persona Verbi diuini Hyperduliæ est adoratione colenda. Dum autem colimus Christum, naturam humanam vt assumptam à Verbo diuino adoramus, eique ineffabilis vnionis vinculo annexam.

18. *Quid de sacrarum imaginum vsu?* Licitus est & honestus, proponendæque imagines Dei, & Angelorum, licet sint puri spiritus, eos per quandam metaphoram repræsentantes; quia Deus aliquando sub forma visibili apparuit. Imo adorari potest ipsamet imago, sed adoratione tantùm respectiua.

19. *Num lignum Crucis Dominicæ, & alia passionis instrumenta, quæ Christum tetigere adoranda?* Ita planè, latriæ quidem adoratione respectiua. At instrumenta quæ modo conficiuntur ad repræsentanda instrumenta illa, quæ in Christi sunt adhibita Passione, non possunt adorari præcisè quatenus

repræ

repræsentant instrumenta antiqua, sed quatenus Christi passionem, siue Christum passum repræsentant.

20. *Reliquiæ ne adorandæ sunt?* Maximè, & deuotè quidem custodiendæ, eadémque illis impendenda adoratio, quæ personæ cuius sunt reliquiæ tribuitur. *Quidnam per reliquias intelligis?* Corpora, ossa, cineres, vestes, pannos, &c. quæ Sanctorum corpora, vel reliquias attigerunt. Admonuero tamen reliquias, quæ publicè exponuntur, non esse absolutè adorandas, nisi postquam fuerint per Papam, vel Episcopum approbatæ.

CAPVT IV.

Praxis, ex Societatis IESV *Doctoribus circa materiam de diligendo Deo.*

§. 1. *De Dei dilectione.*

21. *Dixisti, præcepto charitatis teneri nos aliquando Deum actu elicito diligere: quoties, & quando tenemur?* Putat *Vasquez* 1.2. *tom.*4. *quæst.*86. *art.* 2. sufficere, si diligamus in fine vitæ. Multa tempora alij assignant: quando suscipitur Baptismus: quando præceptum contritionis obligat: quando insigni Dei beneficio donamur: quando est causa subeundi Martyrij: quando restituendum est blasphemantibus, aut Dei honorem, & nomen contemnentibus: quando tenemur diligere proximum: singulis diebus festis. Has *Palaus tom.*1. *tract.*6. *d.*1. *part.*4. *num.*3. *&* 4. impugnat meritò. Igitur meis hærendo Doctoribus assero in primis, teneri nos Deum diligere in articulo mortis; quia lege charitatis propriæ tenemur omnia damnationis vitare discrimina: & æternæ vitæ securitatem quærere, prout possumus; idque satis per Dei amoris actum obtinemus. *Hurtad. de Mendoza* 2.2. *d.*174. *sect.* 6. §. 27. Deinde paulò post rationis vsum, quando quis iam aduertit, & secum reputat rationes amandi Deum, cogitando de eius bonitate, & beneficiis. Non ita tamen, vt statim peccemus, si habita Dei sufficienti notitia, eum non diligamus: hoc enim nimis graue esset; sed quod secluſa omni ignorantia, & inaduertentia, non possimus sine graui peccato hanc dilectionem multo tempore differre, id est, vltra annum. *Coninch. d.* 24. *dub.*3. *num.* 50. *Scrupulis angor, vtrum huic præcepto satisfecerim.* Quando probabiliter, & positiuè non memineris te omisisse, persuadere tibi potes; vel feciſſe satis, vel inculpatè omisisse, & sic minimè peccasse.

Palao.

Hurt.

Conin.

Petrus

Hurt. Palao. *Petrus Hurtado 2. 2. d. 172. sect. 5. §. 24. Adhuc instar scrupulus, me huic tunc non satis feciſſe præcepto.* Hæreſce *Palao tom. 1. tract. 6. d. 1. part. 4. num. 2.* aſſerenti probabiliter hoc præceptum poſt vſum rationis non obligare. Tertiò aſſerit Hurt. *Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 74. ſect. 6. §. 36.* adeſſe per annos ſingulos implendi huius præcepti obligationem: imo remiſſius nobiſcum agi, quod ſæpius non petatur. At Conin. *Coninch* obligationem annuam iudicans datam, putat hoc præceptum ad tres, vel quatuor annos non eſſe differendum. Quartò addit Hurtado citat. teneri nos Deum diligere per ſe, quando odij Dei tentatio vrget.

22. *Rogo, an per accidens poſſumus obligari ad Deum diligendum?* Ita planè, cùm ſi tentationem grauem aliter vitare non poſſumus, tum quando adminiſtraturus Sacramentum eſt lethali crimini obnoxius, & non poteſt confiteri. *Mendeza vbi ſupr.*

§. 11. De Adoratione. 23. *Circa Adorationem autem quæſierim. Num liceat ſanctum beatificatum ſic honore proſequi, vt ex deuotione recites eius officium extra diem eius feſtum, aut commemorationem eius in Miſſa facias? Granados* affirmat non licere, & contra Granad. facientes peccare mortaliter. Exiſtimo tamen non eſſe lethale, ſi id ſolùm ſemel, aut bis fieret. Item quando conceditur aliquibus Religioſis facultas Miſſam de talibus Beatis celebrandi in ſuis Eccleſiis non poſſe illam alibi celebrare ſub eadem pœna ſentit Granados, à qua ſemel aut bis contrarium gerentem abſoluerim.

24. *Quando in beatificatione alicuius Pontifex concedit Sacerdotibus alicuius Religionis, vt poſſint de illo Miſſam celebrare, licet ne aliis Sacerdotalibus, ſeu ſecularibus, ſeu Regularibus de eo Beato in aſſignata Eccleſia Miſſæ celebrationi dare operam?* Minimè; quia illud priuilegium tantum conceditur Sacerdotibus illius Religionis, cum illi ſoli in Bulla exprimantur. Turriã. Sic *Turrianus* & alij.

25. *Poteſt ne Epiſcopus diem feſtum alicuius Beati nondum canonizati inſtituere?* Sanchez negat, ſed ſuarius & Fagundez affirmant. Porrò non licet talem Beatum in publicis litaniis inuocare, neque eius imaginem cum radiis vel diademate depingere, vti Bellar. *Bellarminus* affirmat.

26. *Si caro aut Sanguis Chriſti miraculosè in Euchariſtia apparet: num adorandus?* Adorare tenemur cultu latriæ. Caniſ. Sic *Caniſius.*

27. *Poteſt ne imago, & exemplar adorari vna, & eadem adoratione, qua prototypum? v. g. poteſt ne Crux Chriſti adorari*

latria

latriæ adoratione, qua ipse Christus adorandus est? Potest, imò debet; quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur. Ex *eodem.* Canis.

28. *An adoranda nomina* IESV, & MARIÆ? Maximè: adoratione quidem respectiua, propter eum, quem repræsentant, & ad quem diriguntur. Adhuc *Canisius.* Canis.

29. *Quidnam de cereis iuxta reliquias vel imagines Sanctorum accendendis, reliquiis ad collum appensis deferendis, agnis cereis adorandis?* Licitum planè cereos accendere, deferre reliquias. *Num speciale peccatum committitur ab eo, qui delinquit, cum reliquias ad collum gerit?* Minimè. Agni denique cerei adorari debent vti imago IESV. At vendi, aut minio, auro, alióve colore pingi sub excommunicatione prohibentur.

30. *Vt reliquiæ alicuius Diui recens inuentæ possint adorari, quidnam præcedere debet?* Sunt ab Episcopo approbandæ. Ad huiusmodi autem approbationem requiritur in primis certitudo moralis, non autem euidentia, quæ nitatur infallibilibus argumentis: deinde vt ille Sanctus sit canonizatus. *Bellarm.* Bellar.

EXAMEN III.

De legibus in particulari circa materiam de Iuramento & Blasphemia.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit iuramentum, cuiusnam est virtutis actus, & quónam modo diuiditur?

1. *Vidnam iuramentum?* Si nominis etymon spectes. Actio est, qua Deus in testem inuocatur; si interiorem essentiam. Affirmatio est, vel negatio, sacræ rei attestatione firmata, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Tria quidem ad illud concurrunt, intellectus necessitatem, vel vtilitatem proponens, voluntas iurandi intentionem addens, & lingua, sermone iuramentum complens.

2. *Num malum intrinsecè iurare?* Minimè, & ideo nec iure naturali, nec in lege gratiæ prohibitum, si debitæ seruentur circunstantiæ.

3. *Bonum ne iuramentum, debitis seruatis circunstantijs?* Bonum planè,& actus Religionis,ad quam si debitus modus in iurando seruetur maximè pertinet.

4. *Licitum ne per creaturas iurare?* Ita quidem, neque id est à Christo prohibitum, nec alio positiuo iure, nisi scandalum adsit. Per irrationales absolutè iurari non potest, sicuti per rationales,vt Sanctos,& viatores: suo autem modo licitè potest:nullo autem modo per dæmones,& damnatos.

5. *Differunt ne specie iuramenta per Deum & creaturas?* Absolutè loquendo non differunt; si tamen creaturæ secundùm se sumptæ accipiantur,sic vtique differunt.

6. *Quinam iuramenti finis?* Confirmatio veritatis:ad eam etenim iuramentum comparatur sicut principia ad conclusionem.

7. *Quotuplex est iuramentum?* Quadruplex. Assertorium, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, vel præteritum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo. Comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ. Execratorium, in quo siue promittendo, siue asserendo, aliquid affirmatur, vel negatur,sibi apponendo pœnam iurante. Comminatorium quidem ad Promissorium, Execratorium autem ad Promissorium, & Assertorium reuocatur.

8. *Assigna iuramenti materiam & formam?* Materia quidem res contingens esse debet: verba autem, sufficientiáve signa sunt ad formam. Verum ex parte formæ triplex est. Primum verbale,cum fit solis verbis. Secundum corporale, cum solis corporis actionibus geritur. Tertium mixtum, cùm signum ex verbis factisque compositum est.

CAPVT II.

De Iuramenti conditionibus.

1. *QVænam adesse Iuramento conditiones requiruntur ex parte eius, per quem iuratur?* Debet per Deum verum fieri, vt obliget, siue explicitè, siue implicitè per creaturas in ordine ad Deum. Nam si per falsos Deos fiat,non obligat,nisi ratione erroneæ conscientiæ. Ideo infideles conuersi ad sua iuramenta non tenentur, licet tamen pacta inter eos inita firma sint ex obligatione iustitiæ, vel fidelitatis. Nec fidelis si per Deos iuret ex vi iuramenti adstrictus est. Nec iura-

mentum

mentum per creaturas, quæ Deus existimentur, vt sol, &c. verum est. Qui per Dæmonem iurat, non manet obligatus, nisi ex falsa conscientia verum iuramentum ab aliquo censeretur. *Num per Sanctos Angelos, vel Homines obligaret, si ex intentione iurantis in eorum auctoritate sisteretur?* Minimè ex vi iuramenti; obligaret tamen (vti aduertit Filliucius) ex virtute Duliæ, quæ Sanctis exhibetur, illa promissio sub graui peccato. Iuramentum per creaturas sine ordine ad Deum non solum non obligat, verùm nec qui falsum, per lapidem iurat, periurus est, nisi vel idolum intelligatur, quo verus Deus errore censeatur: vel quid consecratum, & sanctum, tanquam creatura & scabellum Dei, quo pacto periurus esset.

10. *Ex parte item illius, qui iurat, quænam requiruntur conditiones?* Necessaria est libera voluntas eius, ideóque intentio deliberata, qualis ad mortale peccatum satis esset. Qui igitur iurare non intendit, non obligatur. *Intendo iurare, sed non intendo promittere, num obligor?* Ita planè: intentio enim non se obligandi cum iuratur, iuramenti obligationem non tollit, siue homini, siue Deo iuramentum præstetur. *Simulatum iuramentum num obligat?* Cum prudenti fit amphibologia, & absque alterius iniustitia, non obligat, quia verum iuramentum non est; quando verò dolo malo fit licet ex vi iuramenti directè non obliget, teneris tamen ad illud implendum iuxta sensum intentum, & obligaris præterea ratione iniustitiæ, & damni inde secuti. *Extortum ne per iniuriam obligat?* Maximè, si absque peccato impleri possit; quia absolutè voluntarium. Et quamuis latroni factum irritum sit iure naturæ, confirmat tamen assertionem, quamuis minimè promissionem. Hinc iuramentum de soluendis vsuris introductorium dicitur, affert enim obligationem, & confirmat assertionem: Soluam tibi vsuras. *Iuramentum ne ex metu sine iniuria illatum obligat?* Maximè; & etiamsi intercedat iniuria, vim habet obligandi, si de materia capaci sit, & impleri honestè possit. *Obligat ne factum per errorem.* Si error sit in substantia rei, non obligat; error enim siue det causam contractui, siue incidat in contractum, obligationem aufert; si verò sit circa extrinsecam causam, non irritat, nisi materiam substantialem afficeret.

11. *Quænam denique conditiones requiruntur ex parte materiæ, circa quam fit iuramentum?* De re bona debet fieri, & ita emissum obligat quantum est ex se, nisi maius bonum impediat. *Quid si maiori bono repugnat?* Probabile quidem

est promissorium non obligare; at contrarium reputo probabilius. *Si sit de re mortaliter mala?* Non obligat, neque de mala venialiter. *Si sit de re indifferenti?* Etiam non obligat, nisi ad honestum finem referatur. *Num si fiat de mali operis omissione obligabit?* Ita equidem; minimè autem de opere supererogationis, neque de mala re per diuinam legem positiuam prohibita, neque factum contra prius iuramentum, aut votum, aut simplicem promissionem, modò honesta fuerit; neque si de re sit humana lege prohibita, vt Canonica, vel Ciuili, modò hæc de re sit, quæ sine peccato seruari possit; neque contra bonos mores naturales. *Non obligat iuramentum illicitè factum?* Potest obligare, modò ex illicita materia non sit, nec illicitæ promissioni iungatur.

CAPVT III.

De tribus conditionibus requisitis ad Iuramenti sanctitatem, & de grauitate transgressionis.

§. 1. *Tres cõditiones ad iuramẽti sanctitatem.*

12. *QVidnam in iuramento requiritur, vt sanctum sit?* Tres conditiones habere debet, vt scilicet adsit veritas, iustitia, & iudicium: sine veritate est mendax: sine iustitia, hoc est, cùm sit de re illicita, est iniquum: sine iudicio, hoc est, debita reuerentia, seu exigente occasione & necessitate, est indecens. Ex defectu trium harum proprietatum iuramentum est peccatum.

13. *Quódnam peccatum est veritatis defectus?* Mortale semper siue materia sit grauis, siue leuis, imò quò res est leuior, eò grauius crimen. Incertum igitur, pro certo iurare, mortiferum est semper, & qui habitum pro falso iurat, licet verum sit aliàs, periurus est; secus si probabiliter putauit verum, licet aliàs falsum esset. Sub dubio iurare, semper mortale, licet verum sit; quia me periurio expono. *Num consuetudo iurandi mortalis sit?* Si cum veritate fiat, mortale peccatum non est; secus si promiscuè, hoc est, etiam cum admixta frequenter falsitate, sine debita addita cautèla, tunc enim iuramenta illa periuria censentur: secus si cautela plerumque adhibeatur, licet aliquando quis in falsum prolabatur.

§. 2. *Transgressio iuramenti.*

14. *Est ne mortale crimen defectus iustitiæ?* Profectò mortalis est defectus huiusmodi in materia graui, venialis autem

tem in leui materia. v.g. iuro per Deum me ab hoste vindictam sumpturum: si vindicta sit grauis, grauiter deliqui; si leuis, leuiter. *Quid si non intendam implere, sed terroris gratia solummodo iurauí?* Siue grauis vindictæ verba sint, siue leuis, mortale crimen est; qui veritas abest. Vnde in leui materia, quando v.g. parentes, aut domini filiis aut famulis, adhibito iuramento minas iactant, oportet implendi habere intentionem, licet iniusta sit vindicta; quia illa leuis iniustitia solummodo venialis est, at intentionis defectus mortalis, ob absentiam veritatis. *Quidnam? postquam cum intentione iurauí leuem filij, v.gr. aut famuli percussionem, mutata voluntate, non impleui?* Si supplicium illud erat iniustum, satius non opere exequi: quia venialis executio, sicut venialis iuramenti iniustitia; si autem iusta vindicta, in re graui, scilicet, quando ex indulgentia graue malum exoriatur, mortale est: in re leui: veniale non adimplere. *An mortale non implere iuramentum promissorium?* Non semper, vt si de re sit illicita; alioqui si licita res sit, & voluntariè non impleatur, mortale est, nisi materiæ leuitas excuset. *Peccatum ne absque intentione iurare?* Iurare quidem non absque intentione implendi (de quo supra) sed absque iurandi intentione, ex genere mortale est, etiam si cum veritate: non autem mortale, cum iniustè exigitur iuramentum. *Iuro rem malam impossibilem, grauiter ne delinquo?* Non, si cum ignorantia iuras, quod sit impossibilis. *Iuro me peccatum committurum: quónam me crimine illigo?* De veniali committendo, veniale iuramentum est: de mortali, mortale.

13. *Iuramentum absque iudicio aut necessitate, est ne mortale?* Non, sed solùm veniale, nisi modus incautus, & temerarius esset.

Caput IV.

De iuramenti amphibologia.

16. *VTi in iuramento amphibologia, hoc est, verbis alio sensu, quàm alius accipiat, est ne peccatum?* Malum intrinsecè non est, sæpe peccatum esse potest. Ex causa quidem honesta periurium dici non potest, & si verba sint æquiuoca, ex honesta causa amphibologia vti licitum est. Si tantum huiusmodi æquiuocatio sit in mente, nec eam verba ipsa includant, probabilis sententia est, haud licitum esse iurare: sed probabilius illicitum non esse.

17. *Verba ne aliqua honestari possunt, vt iuramenta non sint, licet communiter iuramenta habeantur?* Pluribus Sanchez huic quæstioni satisfacit, consulendus. Interea nonnulla verba huiusmodi à iuramento libero, *In mea conscientia*, cum intendo animum ipsum exponere, iuramentum est: cùm solùm cognitionem, minimè. *Per salutem meam, Per meam vitam, sic Deus me adiuuet*, &c. Si intendo animum ipsum periculo addicere, iuramentum est: si non animum, sed exteriorem viuendi rationem, vt est cibus, potus, cultus, aër, &c. non est ex Saa & aliorum sensu iuramentum. Alios loquendi modos adinuenit desiderium non peierandi, scilicet, *Possum iurare per Deum, per Christum: iurabo per Deum; si iuro per Deum, quare mihi fidem non præstas?* Qui quidem loquendi modi licet imperitis, vel incautis iuramenta videantur, verè, cùm nihil affirmetur, sed suspensa sit oratio, iuramenta non sunt.

Caput V.

De commutatione, dispensatione, & interpretatione iuramenti.

18. *Potest ne iuramenti obligatio auferri?* Variis equidem modis. Primò, irritatione, cum iuramentum aufertur ex parte materiæ, ob dominatiuam potestatem v. g. parentis, mariti. Secundò, Dispensatione, cum eius obligatio soluitur per superioris facultatem. Tertiò, Condonatione, siue relaxatione, cùm obligatio à creditore remittitur. Et quidem Promissorium potest irritari, nec in huiusmodi irritatione causa requiritur ad valorem.

19. *Quinam irritandi iuramenta obtinent potestatem?* Papa irritat ex materia ipsi subiecta, vt etiam laicus Princeps, nec non parentes re alia & personalia filiorum iuramenta, domini seruorum, tutores pupillorum in quibusdam casibus. Directè absque materiæ mutatione probabile est, irritari non posse. Homini factum per condonationem aufertur, vt dixi etiam si intuitu Dei factum sit: & certè huiusmodi condonatio peti potest ab eo, in cuius vtilitatem iuramentum factum esset. *Mutuò iurantes per modum reciprocæ promissionis, in mutuam vtilitatem facte?* Remittere ad inuicem possunt; si intuitu diuini seruitij non possunt. *Quid si vnus ex pietate in Deum, alter verò solo respectu humani contractus iurauerint?*

rint? Remittere vno, v.g. paupere promissa à diuite sponsalia propter Deum, diues liberatur.

20. *Potest ne in promissorio dispensari? Et quisnam dispensandi facultate fungitur?* Potest quidem per subtractionem materiæ, qua dispensans vice Dei debitum remittit, vel commutat in aliud. Et quidem Episcopi ordinariam potestatem in dispensando habent, præterquam in reseruata.

21. *Num iuramenta homini præstita absque eius consensu relaxantur?* Minimè, nisi cum turpitudine creditoris esset, tunc enim, eo inuito, relaxari possunt.

22. *Quæ autem Deo soli sunt facta?* Papa cuncta relaxat, Episcopus suorum non reseruata subditorum. Ciuilis potestas non relaxat, neque dispensat hoc modo. Etiam periurus dispensari potest, siue periurium occultum sit, siue publicum.

23. *Requiritur ne causa relaxationi?* Maximè, & sola turpido ex parte iuramentum exigentis, satis est; vt etiam graui cum iniuria quilibet metus.

CAPVT IV.

De Blasphemia, & Maledictis.

§. 1. *Blasphemia.*

24. *Quid est Blasphemia?* Laus Dei, quæ in secundo Præcepto continetur, manifestatio quædam est alicuius excellentiæ cum affectu voluntatis. Laudi opponitur Blasphemia, verbum scilicet maledictionis, conuitij, vel contumeliæ in Deum. *Non omnis Blasphemia contra fidem:* Non; quia nec omnis cum interiore assensu falsi.

25. *Quotuplex illa?* Multiplex, tum ratione verbi quod in Deum profertur; tum ratione formæ loquendi; tum ratione obiecti, in quod contumeliosum verbum effertur; tum denique ratione grauitatis.

26. *Si quando effertur in Sanctos erit ne Blasphemia?* Erit planè, si simul de Deo cogitetur intentione illi detrahendi; vel proferatur in Sanctum sicuti in amicum, vel ministrum Dei: secus si tantùm consideretur excellentia sanctitatis, in qua talis respectus fundatur; tunc enim erit tantum imperfectè, & indirectè Blasphemia.

27. *Quodnam peccatum Blasphemia?* Ex suo genere peccatum mortale & quidem inter grauissima, grauius tamen odium Dei, hæresis, & desperatio. Distinguitur eius malitia

ab infidelitate, atque periurio, & omnes eiusdem speciei sunt, si hæreticales excipias. Denique quæ in Deum, & in Sanctos effertur, ad eandem specie malitiam reuocatur.

28. *Num aliquando venialis Blasphemia?* Consuetudo quidem absque aduertentia, lethale peccatum nonfacit, eadem autem si voluntas directa, vel interpretatiua blasphemandi adsit, mortale peccatum erit.

§. 2. *Maledicta.*

29. *Quidnam de maledictionibus in creaturis dicendum?* Maledictum contra creaturas, tanquam quid Dei, Blasphemia est. Si rationales maledicantur optando illis graue malum, mortale crimen est; si leue, veniale. Irrationales verò si secundùm se maledicantur, veniale erit, secus si ratione Domini, cui graue malum desideretur; lethale enim peccatum esset. Admonuerim rarò quem cũ intentione deliberata maledicere, licet ex præcipitatione sibi plenè desiderare quod imprecatur proximo, videatur. Regulam accipite, quam magis ab experimento, quàm auctoritate accepi. Sæpe indignationis feruore maledicta iactas, quæ magis ex præcipitatione indignationis, quàm ex libertate procedunt. Assoles interdum in amicos indignari, vt filios, famulos, vicinos: interdum in inimicos, cùm ex inimicitiæ affectu maledicta prodeunt, plerumque cum plena intentione feruntur: cùm autem in amicos, rarissimè ex intentione exoriuntur, sed solùm ex perturbationis ebrietate: vnde lethalia peccata non erunt. Si interrogeris mox post prolationem maledicti, num intendas filium, aut famulum à diabolo arripi? respondebis: Minimè planè. Fateor quosdam tam immoderata passione perturbari solere, vt etiam illo instanti vel filios intendant deperire. Id quod prudentiæ Confessarij ex diligenti examine relinquo.

CAPVT VII.

Praxis, ex Societatis Doctoribus, circa materiam de iuramento, &c.

§. 1. *De iuramento. Sanch.*

30. *POtest quis in foro conscientiæ iurare, quod à viro fide digno audiuit?* Potest, quia non cedit veritati. Attamen id non sufficit in exteriori iudicio, in quo testis tenetur reddere rationem sui dicti. *Sanchez Sum. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 13.*

31. *Licet*

31. *Licet ne aliquem inducere ad iurandum falsum, quod tamen ipse iuraturus ex ignorantia verum putat?* Negat *Azor.* Azor. *tom.*1. *lib.*4. *c.*11. *quæst.*1. quia teneor vitare crimen in altero. Affirmat autem *Petrus Hurtado* 2. 2. *d.* 173. *sect.* 16. §. 199. Hurt. quia proximus tunc non inducitur ad effectum formaliter malum, cum ille iurando non delinquat; nec materialiter, cum potius mutari hic & nunc sit bona, quàm mala: nempe actus Religionis,& honoris Dei.

32. *Possum autem conscius veri, inducere alium ad iurandum id, quod ille ignorat?* Minimè, nisi iuraturus prius sibi persuadeat rem ita esse fundamento probabili; quia iurare sine dictamine practico de honestate iuramenti, est mortale. Hurt. *Hurtado citat. sect.* 5. §. 200.

33. *Licet ne, petere iuramentum ab eo, quem timeo, falsò iraturum?* Licet, dummodo non petatur, vt iuret falsum, & adsit iusta causa petendi iuramentum: vt necessitas, vt vtilitas; quia non teneor abstinere à petendo actum cum graui damno, quòm quis bene & male præstare potest: quamuis ex sua malitia sit iniquè præstaturus. Sic *Suar. de Rel. t.*2. *l.*3. *c.*15. *n.*10. Suar.

34. *Licitum ne ex iusta causa iuranti vti amphibologia, seu æquiuocatione, proferendo scilicet iuramentum, quod à circunstantibus in sensu communi accipiatur, quo autem proferens aliud subintelligat?* Affirmat *Sanch. sum. tom.*1. *lib.* 3. *c.*6. *n.*15. Sanch. Exemplis practicis confirmo. A iudice interrogatus cum iuramento, an Franciscum interfeceris? Si illum in propriam defensionem interfecisti, negare potes; subintelligendo de homicidio criminoso. *Lessius lib.*2. *dub.*9. *n.*47. Si est probabilis Lessius. opinio, quod taxa alicuius rei sit iniusta, & propterea venditor falsis ponderibus, vel aliàs iniustitiam sibi compensat: à iudice postea interrogatus, potest id totum iureiurando negare: subintelligendo, se iniustè non egisse. *Sanch. sum. tom.*1. *lib.*3. Sanch. *cap.* 6. *n.*29. Sacerdos interrogatus de peccato in confessione audito, potest respondere etiam (si opus est) addito iuramento se nihil tale in confessione audisse, subintelligendo, tanquam priuatum hominem. Aliqua tibi necessaria bona abscondis, ne à creditore capiantur, & cogaris mendicare: potes interrogatus à iudice iurare, te nulla abscondita habere, subintelligendo, quæ tenearis manifestare. Potest quis iurare latroni, daturum se pecunias absque intentione dandi, hac retentione mentali vtendo: *Dabo, si tenear.* Adultera rogata à marito, an admiserit adulterium: potest negatiuè iurare; concipiendo mente aliud, diem ab eo, quo illud admisit. Veniens è loco, qui falsò creditur peste infectus:

rogatus potest iurare, se inde non venire; subintelligendo
Sanch. tanquam è loco pestilenti. Omnia *ex Sanchez, & alijs.*

35. Num iurare verbis æquiuocis sine iusta causa, v. gr. quod Princeps sit in aula, intelligendo pictum, lethale pec-
Less. catum? Affirmat *Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. num. 46.* Probabi-
Sanch. lius *Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 22.* negat; quia huic iuramento deest solum iudicium, seu discretio, modo id non fiat in fraudem tertij: aut in iudicio, dum Iudex iuridice interrogat. At iuramentum, cui deficit sola discretio, solum est veniale.

Turr. 36. *Quæsierim, an iuramenta falsa inaduertenter prolata ex praua consuetudine sint peccata mortalia?* Asseruit *Torres 2. 2. quæst. 98. art. 3. d. 3.* quia sunt voluntaria in causa ob pra-
uam consuetudinem non correctam, Probabiliter alij negant; quia vbi quis per propositum non iurandi falsum, prauam consuetudinem retractauit: falsa ea iuramenta non sunt amplius voluntaria nec in se, nec in causa.

Less. 37. *Ficta promissioni iuramentum adieci: tenear ne adimplere?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 8. num. 38.* quia hoc est de natura iuramenti promissorij, & iurans tenetur efficere, vt iuramentum sit verum, si potest, ne adduxerit Deum in testem falsi. At alij negant; quia iuramentum naturam sequitur promissionis, cui adnectitur.

38. *Metu aut dolo addictur iuramentum contractui inualido, & à iure probato, v. g. iurat quis latroni minitanti dare au-*
Becan. *reorum quantitatem: obligat ne in conscientia iuramentum?* obligare existimat *Becanus 2. 2. q. 89.* quia nec iure naturæ
Azor. nec humano irritum est. Addit huiusmodi iuramenta relaxari posse ab Episcopo, & per Bullam commutari. At *Azorius tom. 1. lib. 12. c. 7. q. 2.* contrarium asseruit.

39. *Iuramenta seruandi statuta ciuitatum, Collegiorum &c. obligant ne sub graui piaculo?* Si sunt in vsu obligant planè: si recepta vsu non sunt, aut per vsum contrarium abrogata, non obligant, quia iurante intelligunt statuta seruare more recepto. At tunc materia iuramenti violati erit mortale periurium
Sanch. quando tanti momenti est, vt secluso iuramento statutum ratione materiæ ad mortale obligaret. *Sanch. sum. tom. 1. lib. 3. c. 14. n. 10.* Qui admonet iuramenti obligationem cessare, si statutum esset ab habente potestatem reuocatum.

40. *Possum ne dum in graui materia iuro, me ad solam venialem culpam obligare?* Minmiè; quia non possum limitare obligationem, cum Deum in testimonium rei adduco pro-
Suar. missæ. *Suarez 3. p. tom. 4. d. 38. sect. 7. n. 5.*

41. *Promi*

41. *Promisi aliquid addito iuramento. v.g. centum argenteos me pauperibus erogaturum : teneor ne præstare promissum cum intentione satisfaciendi pro iuramento?* Non, quia absque huiusmodi intentione iam præstatur, quod gerere iuraui. *Sanch. sum. tom. 1. lib. 1. c. 13. n. 18.* Addit *Lessius lib. 1. c. 37. dub. 10. n. 59.* iuramentum impleri etiam si res iurata præstetur cum animo expresso non satisfaciendi iuramento. Scio *Suarium de Rel. tom. 2. lib. 4. c. 26. n. 8.* contrarium tradidisse. Sanch. Less. Suar.

42. *Propositum non ludendi iuramento confirmaui; valet ne, etiam si iurans haberem intentionem abstinendi à ludo modico, quantitatis, qui secluso voto esset actus virtutis?* Obligare asserit *Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. c. 18. n. 2. & 3.* Admittit tamen materiæ paruitatem. Sanch.

43. *Iurat quis non bibiturum vinum, quandonam peccati grauis reus erit?* Materia grauis culpæ erit tantum vini, quantum pro vno potatu moderatè bibente sufficeret. *Sanch. sum. tom. 1. lib. 4. c. 12. num. 21.* At qui minus vini hauriret, leuiter peccaret.

44. *Igitur dari in iuramento promissorio materiæ paruitatem existimas?* Datur planè ex multorum Doctorum sententia; quia si datur in violatione voti, cur non dabitur in violatione iuramenti, cuius minor obligatio. *D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 8.* auctore? Igitur iurans, per annum quotidie semel *Aue Maria* recitare, non peccat mortaliter, etiam si per totum annum omittat. *Cur datur in promissorio materiæ leuitas, & non in assertorio?* Quia quamuis res iurata sit parua, non tamen parua iniuria Numinis, in testem falsitatis adducti. Scio *Lessium lib. 2. c. 42. dub. 5. n. 23.* contrariæ sententiæ quoad promissarij leuitatem hæresceere. Lessius.

45. *Rogo, an omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei?* Negat *Petrus Hurtado 2. 2. d. 91. sect. 12. §. 54.* probans blasphemias hæreticales specie differre ab imprecatiuis, & in confessione distinctè explicandas; quia diuersum conuitium est assertio rei turpis, ac imprecatio. Addit etiam specie differre blasphemias in Deum, & in Sanctos; quia per blasphemias in Deum violatur Religio; per blasphemias in Sanctos, Dulia; à qua quia Perdulia, aut differt specie, aut est valde maior intra eandem speciem, blasphemia in Deiparam seorsim in confessione explicandas. §. 2. *De Blasphemia.*

46. *An blasphemia, amasiam Deam vocitare suam, aut suum idolum?* Non; quia hæc verba non accipiuntur in sensu proprio, sed hyperbolico. *Hurt. de Mend. 2. 2. d. 91. sect. 4. §. 16.* Hurtad.

47. *Quodnam peccatum blasphemia?* Ex genere suo mortale

tale est. *In blasphemiis in Deum datur ne paruitas materiæ?* Nō, quia quæuis virtuti Religionis notabiliter aduersatur. *Quid de blasphemiis in Sanctos?* Paruitatem materiæ multi Doctores admittunt, si verba attingant Sanctos non vt Sancti sunt, sed ex alio respectu. At alij probabilius non subscribunt; quia in rebus tanti momenti locus est illicitus. Scio aliquem vniuersaliter docere in blasphemiis paruitatem materiæ dari; quia non est maior ratio, cur in aliis peccatis detur. Vnde asserit solùm esse veniale, verba sacræ Scripturæ absque debita
Sanch. reuerentia rebus ridiculis adaptare. Non probo. Ex *Sanchez & alijs.*

48. *Num ex defectu deliberationis possit esse in Deum blasphemia venialis etiam in iis, qui ex consuetudine blasphemiis vtuntur?* Ita planè; quia vbi pœnitens prauam consuetudinē per pœnitentiam retractauit, si deinde inaduertenter incidat in blasphemiam, non ei ad peccatum imputabitur; quia non est voluntarium in se, nec in causa; vt de iuramento exposuimus. *Layman. lib. 1. tract. 1. c. 3. n. 6.*

De iuramento varia. 49. *Quotuplex in promissorio iuramento obligatio?* Directè obligat Deo, nisi cum humana promissione iungatur; tunc enim ad vtrumque obligatio nascitur, Deo scilicet & homini ex promissione simplici, quæ quidem per iuramentum augetur non modò extensiuè, sed etiam intensiuè: non tamen ita
Filliuc. diuersæ speciei obligatio consurgat. Ex *Filliucio* accepi.

50. *Præstari ne iuramentum potest per procuratorem?* Ex rei
Filliuc. natura posse affirmat *Filliuccius*, quamuis humano iure personaliter debet emitti.

51. *Potest ne communitas iuramento obligari?* Maximè, ad quod singuli requiruntur de communitate, vel saltem pars maior. Ex *eodem.*

52. *Transit ne iuramentum ad iurantis successores?* Minimè (ait *Filliucius*) vinculum enim personale est. At ad succes-
Filliuc. sores eius, cui iuratur, vtique transit.

53. *Quidnam de iuramenti interpretatione?* Ex duobus maximè principiis pendere asserit idem Doctor. Primum est, iu-
Filliuc. dicandum esse iuxta naturam actus, cui adiungitur. Alterum strictè interpretandum esse, quoad materia, & verba permiserint. *In dubio de iuramento præstito, nec ne?* Haud obligare
Filliuc. docet *Filliucius*, idem, si dubium sit de verborum significatione. *Dubius autem de intentione?* Obligatur, si certus est de iuramento: vt etiam dubius de impletione, certus de facto, ad implendum tenetur. *Si dubium, an de re licita factum sit?* Tunc implendum in eo, quod de re licita possit esse: vbi autem

tem dubia materia iuramenti esset, non obligaret. Idem, *Pater.*

54. *Transfertur ne iuramentum ad materiam commutatam?* Non transferri probabile *Fillicius* reputat, attamen transferri asserit probabilius. Filliuc.

55. *Iuramentum de seruandis statutis ciuitatis, &c. extenditur ne ad statuta, quæ in desuetudinem abiere?* Minimè; cum enim per contrariam consuetudinem sint abrogata, illa non obseruantes periuri non sunt. *Sanchez* ita. Sanch.

56. *Iuramentum promissorium de faciendo peccato veniali quodnam peccatum est?* Veniale tantùm esse *Sanchez* idem affirmat. Sanch.

57. *Num liceat per falsos Deos ad iurandum inducere?* Determinatè inducere mortale crimen est; petere verò iuramentum ab eo, qui per Deos falsos est iuraturus, per se malum non est, si debito modo fiat. Sic *Filliucius.* Filliuc.

58. *Indica periuri pœnas.* Nec censuram, nec inhabilitatem vllam incurrit: aliquando ciuilis incurritur infamia: Canonica verò tantùm, cum publicum præstatur cum malitia periurij. Insuper illa etiam pœna periurus plecti solet, vt in testem non admittatur. Porrò blasphemia notoria iure communi non est Episcopo reseruata, nec ad publicè blasphemantem arguendum correctionis præceptum obligat, nisi spes emendationis effulgeat. Ex *Filliucio* carptim. Filliuc.

59. *Num permissum omnibus iudicialiter iurare?* Non, quia masculis ante decimum quartum annum, & puellis ante duodecimum, iuramentum solemne in iudicio in causis ciuilibus interdicitur.

60. *An ratione circunstantiarum periurium possit esse veniale, scilicet ratione leuitatis materiæ, vel coactionis, vel ignorantiæ, vel inaduertantiæ, vel ioci, seu intentionis non iurandi?* Prædictis addiderim ex *Busæo*, Periurium in iuramento assertorio etiam in materia leui, semper mortale est: in promissorio veniale. Periuria coacta venialia sunt secundùm Panormit. Sed assero mortalia esse cum D. Thoma; quia coactio periurium non efficit inuoluntarium. Ignorantia si crassa sit, vel affectata, à mortali non excusat; si verò sit inuincibilis & improbabilis, excusat à mortali, imò à veniali, si debita diligentia sit adhibita. Addo tamen peccare mortaliter eum, qui de re de qua dubitet, iurat sicut de certa. Inaduertentia excusat à mortali, quando lingua mentem præcurrit. Iocus denique à mortali non excusat. Busæ.

EXA

EXAMEN IV.

De Legibus in particulari circa materiam de Voto.

CAPVT PRIMVM.

De Voti essentia.

1. *Quid est Votum?* Voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. Hinc fit primò propositum deliberatum requiri faciendi aliquid in cultum Dei, animúmque se obligãdi. Liber deinde debet esse actus hic supererogationis cùm sit; ex metu tamen orto ex causis naturalibus, vt ægritudine, tempestate, &c. valet: ea itaque deliberatio requiritur, quæ ad mortale peccatum satis esset, vnde si passio tanta sit, vt non adsit aduertentia, erit actio indeliberata, & votum nullum; secus si aduertentia non desit. Tertiò, soli Deo colligo esse faciendum votum propriè loquendo; si autem fiat Sanctis vna promissione ad ipsos immediatè ordinata, non est votum. Denique debet esse de bono meliori, de quo infrà.

2. *Si substantiales conditiones voti ignorentur, eritne validum?* Non, secus si tantùm accidentales: eodémque modo si conditio ignorata pertinet ad causam finalem voti, votum irritum erit; secus si tantum ad motiuum; non refert autem, an ignorantia inuincibilis sit, vel vincibilis, nisi affectata esset.

3. *Num opus ex voto melius, quàm sine illo?* Ita planè, & cæteris paribus magis etiam meritorium.

4. *Quotuplex votum?* Multiplex. *Personale*, id est promissio facta à vouente alicuius functionis personalis præstandæ. *Reale*, id est, promissio facta alicuius rei dandæ vt eleemosynæ, &c. *Mixtum*, quod participat de vtroque, v.gr. vouere contra hostes fidei se pugnaturum. *Absolutum*, quod absolutè emittitur. *Conditionale*, quod adhibita conditione. *Simplex*, quod consistit in nuda promissione. *Solemne*, quod sistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprij corporis, & libertatis acceptata ab eo qui vices Dei gerit, cum quadam solemnitate, qualitate, ac circunstantiis approbatis ab Ecclesia. Præterea votum diuiditur in purum, & pœnale,

nale, in internum & externum, in expressum, & tacitum; in occultum & publicum, de quibus omnibus patebit essentia.

Caput II.

De Voti materia, & diuisionibus eius materialibus.

§. 1. *Materia voti.*

5. *Quidnam voti materia?* Totum id quod in Dei cultum potest promitti. Duplex est, vna proxima, humana scilicet actio, qua promittitur; & remota, vt in castitatis voto est humanum corpus. Debet esse de re possibili, & non de necessaria; quando autem esset de impossibili, non obligaret ad possibilem in illa inclusam. *Quid si materia promissa esset multorum actuum collectio?* Obligaret ad eos, qui possibiles sunt, nisi de vouentis contraria intentione constet.

6. *Num votum de non peccando mortaliter, vel venialiter ex plena aduertentia, validum?* De mortali vtcumque validum est, de veniali autem ex plena aduertentia etiam validum, secus de non peccando simpliciter.

7. *Actio mala est ne voti materia?* Minimè, imò nec indifferens; debet enim esse de bono meliori, quàm sit eius oppositum. v.gr. ieiunium est melius, quàm non ieiunare; vnde colligo votum contra prius votum, aut iuramentum, aut promissionem non valere. Valet autem actio bona sub turpi conditione, v.gr. voueo eleemosynam: si furabor; quia post patratum furtum, melius quidem eleemosynam dare, quàm oppositum. Item bonus effectus ex turpi actu est voti materia, v. gr. Voueo eleemosynam, si filius ex concubina nascatur. Similiter si fiat in gratiarum actionem pro actu turpi, v.gr. Voueo calicem, si bello iniusto sit parta victoria. *Quid si fiat ob turpis actus impetrationem?* Non valet; vt Voueo eleemosynam ad vindictam obtinendam.

8. *Num res præcepta possit esse materia voti?* Potest; quia de meliori bono actu illo rem illam Deo dicaui; vnde actus omnis virtutis voti est apta materia.

9. *Num Matrimonium?* Coniugij votum per se non valet, quia contra melius castitatis bonum; nisi vel ob commune bonum præcepto teneatur, vel ratione periculi intemperantiæ,

tiæ, vel pietatis intuitu (vt si cum fœmina paupere eo prætextu contrahas) cohoneſtetur.

10. *Obligat ne votum ex re bonum & malum includente?* Obligat planè ad id, quod bonum eſt, relicto malo.

11. *Sunt ne materia apta omiſſiones actionum, quæ ſunt in præcepto, vel conſilio?* Minimè, v.gr. votum non dandi eleemoſynam, vel non ingrediendi Religionem: at earum, quæ neque ſunt in præcepto, neque in conſilio, vt non nubendi, non ludendi, valent.

§. 2. *Diuiſio voti.*

12. *Sunt ne ex parte materiæ voti diuiſiones peculiares?* Sunt equidem, diuiditur enim in reale, & perſonale: affirmatiuum, & negatiuum: perpetuum, & temporale; reſeruatum, & non reſeruatum.

CAPVT III.

De obligatione Voti.

13. *Quænam voti obligatio?* Oritur quidem ex voto obligatio fidelitatis, & iuſtitiæ, interueniente acceptatione Dei. Et ex ſuo genere grauis, & maior quàm præcepti eadem de re, niſi præceptum ad ſuperiorem virtutem pertineat, vt fidem, ſpem, charitatem.

14. *Quàm grauis huiuſmodi obligatio?* In graui materia ad mortale obligat, niſi vouentis intentio ad venialem tantum culpam ſe adſtringat; in leui autem materia non obligat ad mortale, niſi ea ad grauem finem referatur: nec poteſt fieri votum ad ſolam obligans ſine culpa pœnam.

15. *De Voto dubius ſum: quidnam à me præſtandum?* Si dubium ſit, num factum Votum, ante diligentiam adhibitam teneris ad illud ſeruandum: poſt eam adhuc dubius liber es à promiſſione. Si tibi conſtat de facto voto, dubitas autem, num de licita materia ſit, ſeruare teneris. Si dubitetur, an intentio adfuerit, attendenda verba, & ſi promiſſionem ſignificent, illi ſtandum: ſi tantùm propoſitum, tenendum contra votum. *In dubio de vſu rationis?* Cenſendum pro libertate, vt etiam in pubertatis dubio. *Quonammodo igitur interpretatio facienda?* Si circunſtantiæ omnes determinatè intentæ fuerint, ad omnes votum obligat: ſi ſeruari aliqua non poteſt, ſeruandum quò ad alias; modò illa principalis non eſſet, traheret enim omnes ad ſe; ſi circunſtantiæ non determinentur intentione, iuxta materiæ exigentiam obligabit; denique

nique si ex his nil constet, expendenda sunt verba, & in dubio pro vouentis libertate erit interpretatio facienda.

16. *Ad singulas voti circunstantias descendo, quonam modo obligent: Circunstãtia, Quis?* Solus vouens obligatur. Communitas si voueat, ij soli ex ea obligantur, qui personaliter vouerunt, reliqui autem tantum ex præcepto. Et quamuis votum per alium fieri possit: at quoad internum consensum non nisi per se ipsum.

17. *Circunstantia, cui;* Soli Deo quis obligatur propriè loquendo: ratione tamen materiæ etiam ad aliam obligationem potest inducere.

18. *Circunstantia, per quem quonam modo ligat?* Si votum personale sit, non impletur per alium: si reale debet impleri de suo, vt eleemosyna de propriis, sed per alium, v. gr. seruum potest impleri: si mixtum cessante obligatione personali, cessat etiam realis, vt in peregrinatione sumptus itineris. Hæres certè non tenetur ad vota personalia defuncti.

19. *Dic de circunstantia, Quid.* Si neque ex verbis, neque intentione vouentis determinari possit, ad quid obliget votum, datur optio vouenti, vt ea eligat, de quibus æqua est incertitudo; vnde etiam mitiorem partem eligere poterit.

20. *De Qualitate, quidnam?* Circunstantia *Qualitas*, nisi determinata sit ex verbi, aut materia, arbitrio vouentis relinquitur, modò bona fide procedatur. Idem de circunstantia *Quantitas* dicendum est.

21. *Cadit ne finis voti sub votum?* Minimè, neque sub obligationem, nisi vouens illum formaliter intendat.

22. *Cadit ne modus?* Nequaquam, nisi vel ad actus substantiam pertineat, vel directè promissus sit.

23. *Quid de loco?* Arbitrio vouentis relinquitur, nisi exprimatur.

24. *Denique quid sentis de tempore?* Votum negatiuum statim obligat, & pro semper, nisi à vouente limitetur: affirmatiuum autem pro tempore, si fit, determinando ex verbis, vel intentione, vel vouentis prudenti arbitrio.

25. *Quantum durat Voti obligatio?* Cùm actio tanquam onus diei vouetur, die transacto votum eius non manet: secus si tanquam terminus dilationis, eo enim elapso vrget obligatio. Certè in votis realibus terminus ad dilationem, solet apponi, vt in voto eleemosynæ, ideoque statim post terminum, soluendum erit. *Qui præuidet se præfixo*

tempore ieiunia voto imposita non impleturum? Tenetur præuenire; terminus enim est tantùm ad differendam obligationem, secus quando tanquam onus diei præfixa essent. *Si tempore præfixo non impleatur, est ne compensatio facienda?* Haud necessariò facienda est, siue intercedat culpa, siue non.

26. *Quando autem Voti obligatio cessat?* Finali causa cessante votum cessat; secus si motiua tantùm fuisset. Mutatio in circunstantiis tanta si esset, vt ab initio si fuisset, impediuisset votum; etiam impedit factum. In ordine autem ad voluntatem, manente re ad obseruandum possibili, remanet etiam regulariter obligatio, nisi obseruationem mutatio reddat inhumanam, vel nimis duram: tunc enim vel tolleret, vel suspenderet.

27. *In casu necessitatis, articuli mortis, iactura in fama, honore, salute corporis, & similibus cessat ne obligatio?* Maximè, nisi cum speciali reflexione votum fiat circa tale periculum.

28. *Quid de conditionalis Voti obligatione?* Ante conditionem impletam conditionalis non obligat: & si quidem pœnale sit, impediri semper conditio potest; v.g. si lusero, dabo centum. Si ab alterius arbitrio pendeat, non debet eius consensum fraude, vel vi impedire, precibus tamen posset. Si à naturalibus causis pendeat, bona fide procedat vouens, & satis erit. Denique si conditio absque vouentis culpa non impleatur, nulla oritur obligatio; si eius culpa, adhuc inter Doctores dissidium est.

CAPVT IV.

Quisnam possit vouere?

29. *Potest ne omnis rationalis creatura votum emittere?* Potest Angelus, potest & homo. Ille potuit quidem dum viator fuit. Ex hominibus autem qui rationis vsu caret, capax voti non est, cæteri, si viatores, possunt vouere.

30. *Potest ne quis reddi inhabilis ab Ecclesia ad vouendum?* Potest, imò de facto redditus est qui metum grauem patitur, & annos pubertatis non excedit inhabilis ad solemne, imò & qui decimum sextum annum non compleuit, ad simplicia etiam reddi posset, sed de facto nullus est redditus. *Nam personæ specialiter subiectæ, vt Religiosi prohibiti sunt*

vouere

vouere? Minimè, ideo valent eorum vota quandiu per superiorem non tolluntur; nec de materia prohibita fuerint. Possunt quidem illi in materia præceptorum, vt recitandi Horas Canonicas, ieiunandi, &c. personalia vota emittere, eodémque modo de iis, quæ per regulam præcipiuntur. De actionibus nec præceptis, nec prohibitis, sed de consilio, idē dicendum. De prohibitis fieri sine licentia, vota validè fiunt; sed non obligant, ad executionem, nisi superior dederit facultatem. Secus de iis, quæ simpliter prohibita sunt fieri; illa enim inualida sunt. Actio supra regulam, vt transeundi ad arctiorem, capax est validi voti, & obligat independenter a Prælati consensu.

31. *Num vxoris valida vota?* Ita planè; quia vxor subditur viro in iis, quæ ad coniugij vsum pertinent, & familiæ gubernationem, non in iis, quæ ad animi salutem spectant. Quod si debitum coniugij obsequium impediant, valida non sunt, nisi de viri consensu. Idem assero de viro vicissim, quò ad vota ad coniugalem vsum spectantia.

32. *Quid de filiis familias?* Validè vouent de honestis actionibus, quæ tamen debitam parentibus subiectionem non impediant. Id quod de seruis asserendum circa actiones, quæ sui iuris sunt, vt orare, ieiunare: in aliis, in quibus pendent à dominis, ipsorum consensus exigitur. Profectò in præfatis personis realia vota valida non erunt absque dominio pecuniæ, & liberæ eius administrationis, Vnde Religiosi eiusmodi vota facere non valent, neque de communibus bonis vxores, aut dotalibus sine consensu viri; nec filij familias de bonis paternis, sine consensu patris; nec serui de bonis domini, eo non annuente.

CAPVT V.

De delictis Voto contrariis.

33. *QVonam modo in emittendis votis potest delinqui?* Primò, si temerè, quod ordinariè culpam venialem non excedit. Secundò, si fiat fictè, animo scilicet se non obligandi; id quod veniale peccatum tantum est. Tertiò, si factum sit animo illud non seruandi, & id ex genere suo est mortiferum. Quartò, si fiat ob malum finem grauiter, lethale est, leuiter verò, veniale. Quintò, si fiat de materia incapaci, peccatum est: de actu quidem moraliter malo, malum etiam

est tale, qualis est actus: de re indifferenti vel citra consilium veniale tantùm est.

34. *Quale crimen est voti fractio?* Intrinsecè mala est, & quædam infidelitas, siue commissionis peccatum sit, siue omissionis: vna specie transgressio est, etiam si materia diuersa specie sit. Si materia præcepta sit, vt castitatis, duplex erit in fractione malitia. Ex suo genere voti violatio grauis est leuis ex leui materia, siue hæc totalis sit, siue partialis. Ex partialibus omissionibus grauis materia potest integrari: secus si diebus singulis obligatio extinguitur. *Est ne peccatum de voto pœnitere?* Et quidem mortale si efficaciter pœniteat; si inefficaciter veniale tantùm.

CAPVT VI.

De Voti Irritatione, Dispensatione, & Commutatione.

§. 1. *Irritatio voti.*

35. *Quidnam & quotuplex Irritatio?* Est ablatio voti per actum liberum eius, à quo pendet. Duplex est, & ex parte materiæ, quæ sit in alterius potestate; & ex persona, quæ sit alteri subiecta, vt impubes patri, religiosus Prælato.

36. *Num ex parte materiæ vota possint irritari & ex parte personæ?* Verum ex parte materiæ omnia vota possunt irritari fidelium, excepto Papa: non ex parte personæ.

37. *Quisnam huiusmodi ex parte materiæ vota valet irritare?* Papa omnia vota fidelium, Episcopus suorum subditorum, domini realia seruorum vota, non personalia, nisi sint in ipsorum præiudicium. Pater vota puberis ex parte materiæ, impuberis autem omnia potest, etiamsi quando irritat, pubes sit, semel autem irritata non reuiuiscunt. Coniuges, directè non irritant, sed ex materia, ea, quæ coniugij vsui præiudicare queunt, vel gubernationi in vxoribus: quod etiam extenditur ad vota ante matrimonium emissa. Prælati tam indirectè quàm directè subditorum Regularium vota irritare possunt, excepto voto ad arctiorem Religionem transeundi. *Si superior confirmarit emissum à subdito votum?* Inferior Prælatus non irritat: à se tamen confirmatum idem irritare potest.

38. *Causa ad irritationem voti requiritur?* Non quidem ad valorem, sed ad iustitiam requiritur causa.

39. *Alius*

39. *Alius modus soluendi vota est dispensatio: quidnam hæc?* Relatio quædam iuris est ab habente legitimam potestatem. In Papa ordinaria potestas dispensandi est respectu omnium, Episcopi etiam eandem habent respectu subditorum, si reseruata excipias. Quilibet autem in particulari à suo superiori dispensatur, Papa verò vel à se ipso, vel à suo Confessario, cui hanc potestatem ille commiserit. Delegari etiam hæc facultas potest habilibus personis, quales Clerici sunt.

40. *Qui possunt in votis dispensare, si ea iurata sunt, dispensant?* Probabile, quod dispensare possunt: probabilius cùm Filliucio affirmo, quod non possunt in votis iuratis dispensare.

41. *Extenditur ne hæc potestas ad vota in incommodum tertij?* Ita quidem, modò acceptata non sint: tunc enim etiam tertij consensus requiretur.

42. *Causa ne ad dispensandum requiritur?* Maximè. Illas præcipuè causas assigno, indiscretum vouendi modum; materiam, quæ ruinæ sit spiritualis occasio; personæ conditionem, vt si maius spirituale bonum vouentis impediat; mutationem materiæ, quoad difficultatis, vel incommoditatis magnitudinem; necessitatem vel vtilitatem ad publicum pertinentem bonum; denique si consideratis omnibus, ita prudens arbitretur.

43. *Quænam sunt Papæ vota reseruata?* Quinque tantùm, Religionis, Castitatis, Ierosolymitanum, Romanum & Compostellanum votum. Hinc asserо neque Clericatus in sacris, nec Paupertatis, aut Obedientiæ extra Religionem, nec temporalis castitatis vota reseruata esse: nec ex intentione vouentis fieri reseruata. Quæ autem reseruata assignaui, haud commutari possunt. Conditionalia, ante conditionem impletam, reseruata non sunt: sunt autem post eam impletam. Pœnalia item ante commissam culpam, reseruata non habentur: ea admissa, censentur esse reseruata. Disiunctiua, re integra reseruata non sunt, nisi vtraque pars reseruata sit. *Potest ne Episcopus in reseruata vota?* Potest quidem vel ex delegatione, vel in dubio de valore reseruati, siue dubium sit iuris, siue facti. Dispensat etiam in graui periculo transgressionis, cum alioqui magna difficultas sit ad Papam recurrendi. *Requiritur ne intentio in dispensante?* Ita quidem, eaque sufficientibus signis expressa.

§. 3.

Commutatio voti.

44. *Vltimus modus tollendi vota est commutatio: quidnam illa?* Substitutio quædam est operis alterius loco promissi per votum, eodem vinculo manente. Triplex quidem, in melius,

melius, in æquale, & in minus. Est & commutatio quædam, quæ Redemptio appellatur; est illa substitutio pecuniæ, vel rei pecunia æstimabilis loco rei voto promissæ.

45. *Quidnam requiritur ad commutationem?* Si fiat in æquale, requiritur potestas, non si fiat in melius euidenter; in minus autem commutatio non fit, sed dispensatio.

46. *Num causa requiritur ad commutationem?* Tantùm cùm fit in æquale, nam in melius absque causa fieri potest.

47. *Quonámmodo vota commutantur?* Reale commutari potest in personale, cum præsertim ex paupertate causa oritur commutandi. Personale redimi potest, si facultas sit, sin minus, in alia opera commutari. Mixtum, vt peregrinatio, in alia similiter opera pietatis.

48. *Cùm commutatio facta est, fitne reditus ad prius votum?* Minimè, si in melius commutatio facta, secus si in æquale, aut in minus.

49. *Facta commutatione extinguitur ne votum?* Ita planè, si ritè facta sit, nec reuiuiscit commutati obligatio voti; etiam si per impotentiam melius opus, in quod commutatum est, fieri non possit. Probabilius quidem censeo, commutato reseruato, non manere reseruatum id, in quod commutatum est. In pœnalibus pœna incursa etiam commutari potest.

50. *Quæsnam commutans vota qualitatibus præditus esse debet?* Quæ requiruntur in rescripto, scilicet, vt sit Confessor, Doctor decretorum, aut Magister in Theologia, & approbatus. Plura inferiùs.

CAPVT VII.

Praxis circa tradita in materia de voto ex Societatis IESV *schola.*

§. 1. *De essentia voti.*

51. *Dixisti, votum esse voluntariam promissionem. Requiro, an vota ab infantibus emissa valida sint?* Minimè, quia carent discursu necessario ad voluntariam promissionem. Dubium est de deliberatione perfecta propter aliquam ex morbo animi perturbationem: obligat ne votum? docet Suar. *Suarius de Regul. tom. 2. lib. 4. cap. 6. num. 10.* obligare; quia rarò contingit in his casibus, deliberationem esse imperfectam.

52. *Dubito, an votum emiserim: teneor ne?* Asseruit *Vas-*

quez

quez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *d.* 65. *cap.* 3. si voti impletio non sit multum incommoda ; quia in dubiis tutior pars eligi debet. Vasq.

Probabiliter contrarium asseritur ; quia in dubiis possessio stat pro libertate. At si quis certus se vouisse, dubitat verò, an habuerit animum se obligandi : possessionem stare pro voto, reor ; quia possessio libertatis, præponderat maiori etiam probabilitati contrariæ partis. *Sanchez in summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36. & *Palaus tom.* 3. *d.* 3. *p.* 9. *n.* 2. Sanch. Palao.

Itaque etiam si dubium non sit æquale, sed magis propendeam in partem affirmatiuam, scilicet votum fuisse emissum : adhuc standum pro libertate.

53. *Voueo absolutè Religionem : teneor illam inire, & si in anno probationis omnia sint grata, profiteri. Rogo quænam sit causa legitima egrediendi ante professionem ?* Displicentia Religionis cum passione, anxietate, & tristitia animi siue ex naturali causa, siue ex dæmonis tentatione proueniat, quæ duret pro mense, & expelli non possit. *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* [illegible] *cap.* 16. *n.* 100. Sanch.

Addit si sit valde magna, etiam in primo ingressu excusaret.

54. *Quis bona fide ingressus sua postea culpa expellitur : remanet ne voto ligatus ?* Ita, quia votum includit conditionem, si detineatur ; vnde ille, cuius culpa conditio non impletur, tenetur voto, ac si impleta fuisset. *Toletus lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 12. Tolet.

Porrò *Azorius par.* 1. *lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 9. contrarium asseruit, cui hæresceremus in casu, quo quis mediocri adhibita diligentia ad corrigendum se, ex infirmitate tamen praua indole, aut habitibus in culpas est lapsus. Azor.

55. Determinatam voueo Religionem D. Francisci, aut Dominici, ingressum tento, repulsam habeo absolutam : cessat planè obligatio. Rogo tamen, si à superioribus postea inuitor, teneor ne ingredi. si Prælatus repulisset ob falsam informationem, cognita autem veritate, vellet admittere : teneris. Alias minimè ; quia votum emissum hac conditione ; *si facta petitione acceptaris.* Vnde si non admitteris, obligatio extinguitur. *Lessius lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 5. *n.* 44. Less.

56. *Non solùm voui Religionem, sed & profiteri.* Teneris ad professionis emissionem ; quia vtrumque promisisti, & ingredi, & profiteri. Sic *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 81. Sanch.

At *Reginaldus tom.* 2. *lib.* 19. *cap.* 25. *num.* 383. probabiliter docet, votum intelligendum secundum canones annum probationis concedentis. *Quid si dubitem, an promiserim profiteri ?* Non teneris in Religione perseuerare ; quia votum in dubio obligat ad id, quod minus est : dum possessio non stat pro Regin.

verbis voti, quorum vouens non recordatur. *Sanchez vbi sup. cap.13.num.17.*

57. *Voui Religionem in communi, non specificans hanc, vel illam: vel dubito quámnam specificauerim: ad quámnam teneor?* Satisfacis ingrediendo laxiorem. Sic *Sanch.cit.c.13.n.17.* contra *Azor.tom.1.l.11.c.14.qu.9.*

Sanch. Azor.

58. *Vouit quis castitatem, dubitat tamen an promiserit omnimodam, an tantum coniugalem: perpetuam, an ad tempus.* Ad temporaneam, & coniugalem solummodo tenetur. *Sanch.summ.tom.1.l.4.c.13.n.16.& 17.*

Sanch.

59. *Voui Rosarium recitare, dubito an promiserim totum, an partem.* Obligaris ad tertiam partem, quæ etiam Rosarium appellatur. *Suarez de Rel.tom.2.l.4.c.8.n.5.*

Suar.

60. *Promisi ieiunare die Sabbati, aut Veneris in eo legitimè impediti, non teneor. Rogo an teneor altera die ieiunare ad satisfactionem?* Si promissio alligata fuit diei illi ob speciale motiuum, non teneris; secus si promisisti principaliter ieiunium, & secundariò, in tali die. *Dubito de hoc.* Putat *Sanchez summ. tom.1.cap.14. num.31.* teneri te. Attamen probabiliter cum Cajetano alij existimant non teneri; quia possessio non stat ex parte voti, quod non constat emissum cum dependentia ad talem diem.

Sanch.

61. Voui, recitaturum me quotidie septies pœnitentiæ Psalmos; librum non habeo, vnum tantum memoriæ retineo: teneor ne vnum illud septies repetere? Minimè, præcipuè si est de maioribus. Vnde assero ad nihil teneri. *Sanchez summ.tom.1.lib.1.c.19.n.3.*

Sanch.

62. Dixisti voti materiam futuram bonam, non malam, non indifferentem: dubito an sit materia *bona, an mala: num teneari?* Asserit *Suarius de Rel. tom.2.lib.4.c.6.n.12.* non posse vouentem contra id votum operari sine legitima dispensatione, aut declaratione Pontificis. Sed *Sanchez sum.tom.1.lib.4.c.6.n.12.* existimat tale votum non obligare: & si circa hanc bonitatem, vel malitiam sint opiniones probabiles, minus probabili posse adhærere.

Suar. Sanch.

63. *Addidisti, futurum votum de meliori bono: an validum votum de non acceptando Episcopatu, cum sit status perfectionis?* Validum planè; & sanctissimè emittitur à nostræ Societatis viris; quia Episcopatus in tantum est perfectionis status, in quantum perfectionem in subiecto requirit; quam perfectionem etiam qui haberet, de se non præsumere, ad humilitatis heroicum gradum pertineret. Legendus *Suarius de Rel. tom.2.lib.2. de iuram. cap.13. num.13.* Hinc colligit

Suar.

Valan-

Palaus tom.3.tract. 16. *n.*2. votum Religionis non posse propria authoritate in Episcopatum commutari; quia Episcopatus ideo est perfectior Religione, quod maiorem perfectionem requirat, non quòd ad illam magis conducat. Palao.

§. 2. *De voto conditionali, & pœnali.*

64. *Dixisti votum absolutum statim obligare positis circunstantiis, pro quibus fit; conditionale autem non obligare, nisi conditio ponatur: Rogo, si talis conditio mea culpa non ponitur, obligat ne votum?* Non, quia vouens censetur, se voluisse obligare, nisi posita tali conditione; quocumque ergo ex capite non ponatur, votum non obligabit. Vouet, v. gr. quis (cum *Suario* loquor *de Rel. tom.*2. *l.*4. *c.*17. *n.*21.) Religionem, si per annum à fornicatione abstineat; non abstinens postea siue ex malitia, siue ex praua intentione, non tenebitur ad Religionem; quamuis fortasse contra votum delinquat. *Vouet quis Religionem, si sanitatem recuperet infra mensem, postea ex intemperantia non obtinet: tenetur nè votum implere?* Asserit *Sanchez summ. tom.*1. *l.*4. *c.*23. *n.*46. Sed ex Suarij citati doctrina non tenetur. Suar. Sanch.

65. *Constat votum pœnale tunc obligare ad pœnam, quando sciènter, & culpabiliter violatur. Rogo autem, si voui non ludere sub pœna centum argenteorum, postea autem voti immemor, vel memor voti, sed immemor pœnæ do operam ludo, teneor ne ad pœnam?* Non teneris? quia naturalis obliuio ignorantiæ inuincibili æquiparatur. *Sanchez, sum. tom.*1. *c.*22. *n.*18. & 19. Sanch.

66. *Vouens non ludere, toties violat votum, quoties ludit: rogo, an similiter vouens soluere viginti aureos, si ludat, teneatur soluere quoties ludit?* Asserit *Sanchez*; quia pœna est accessoria actui. *Dubius sum, an promiserim soluere pœnam, quoties votum soluerem.* Existimat *Layman. lib.*4. *tract.*4. *cap.*5. *num.*4. teneri soluere pro prima vice; quia in dubiis, benignior pars est amplectenda. *Sanchez* autem suam sententiam limitat, addens non habere locum in pœnis grauissimis, & quæ irritari non solent; vt si quis vouerit non ludere sub pœna peregrinationis Ieroso lymæ, Religionis, aut exorbitantis eleemosynæ. Sanch. Layn. Sanch.

§. 3. *Obligatio voti.*

67. *Obligat ne votum ad præstandum opus promissum cum intentione satisfaciendi voto?* Asseruit *Suarez de Rel. tom.* 2. *lib.*4. *cap.*26. *num.*8. si audias Missam cum intentione non satisfaciendi voto, ad quod teneris, sed audiendi postea aliam pro voto: tacitè te prorogare votum, vel nouum votum facere: vnde teneris aliam Missam audire. At *Sanchez lib.* 1. *cap.*13. *num.* 1. contrarium affirmauit; quia iam præstitisti, Suar. Sanch.

quod voueras. Porrò falsum puto, quod Suarius asseruit (tanti venia Doctoris) voluntatem satisfaciendi per aliam Missam, fuisse nouam Missæ promissionem.

68. *Memini, me apud Caietanum legisse peccatum mortale esse totam materiam voti violare, siue magna, siue parua sit: quidnam tenendum?* Asseruit Henriquez *lib. 5. cap. num. 4.* in materia voti paruitatem materiæ à peccato lethali excusare, siue totalis, siue partialis sit; quia si promissio rei leuis facta homini non obligat sub mortali, multo minus Deo facta, qui est mitior nostrarum promissionum actor. An non votum est quædam lex, quam sibi homo imponit? ergo non debet plusquam lex diuina, & Ecclesiastica obligare, in quibus materiæ paruitas reperitur.

Henriq.

69. *Possum ne me vouens, obligare sub mortali ad leuem materiam. v.g. ad Aue Maria recitationem?* Asserit Fagundez *p. 2. lib. 9. cap. 3. num. 15.* quia intentio legislatoris, & vouentis sufficit ad obligationem mortalem. At Sanchez *sum. tom. 1. lib. 1. c. 4.* negat; quia id non potest legislator in irrationabili materia, sed in rationabili, & proportionata. Sic intelligenda sententia illa *l. 1. ff. de const. Princ. Quod placuit Principi, legis habet vigorem.*

Fagund.

Sanch.

§. 4. De Voti Relaxatione per irritationem.

70. *Dixisti vota relaxari per irritationem, dispensationem, & commutationem, irritarique posse vota serui à Domino, vxoris à viro, filij impuberis à patre, pupilli à tutore, Religiosi à Prælato, & omnis inferioris à superiore absque causa necessaria: Rogo an Prælatus regularis possit irritari vota sui Religiosi, postquam ad Episcopatum, aut Cardinalatum assumptus fuerit?* Minimè, quia à potestate ipsius dominatiua iam est exemptus. *Palaus t. 3. tr. 15. d. 2. p. 3. §. 3. n. 3.*

Pal.

71. *Dubito, num vota emissa sint à subdito tempore subiectionis, aut libertatis: possunt ne irritari à superiore?* Negat *Salas 1. 2. q. 21. tr. 8. d. vni. sect. 25. n. 261. & 262.* quia votum emissum esse certum est, vnde eius obligatio debet præponderare dubiæ superioris potestati.

Salas.

72. *Dubium est, an impuber votum post puberta em confirmauerit: potest ne pater irritare.* Respondet *Sanch. sum. tom. 1. lib. 4. c. 32. num. 5.* posse siue dubium sit an confirmauerit: siue constet de hoc, & dubium sit, an confirmauerit ante, vel post pubertatem.

Sanch.

73. *Potest ne vir irritare votum vxoris de ineundo Monasterio post obitum eiusdem viri, vel secundis nuptiis non ineundis?* Asserit *Sanch. cit. c. 34.* & *Præpositus in 3. p. q. 6. dub. 20. n. 54.* quia cum irritat, adhuc sub viri potestate est.

Sanch. Præp.

74. *Quis*

74. *Quis vouet ante Religionis, aut nuptiarum statum potest ne superior, aut maritus irritare votum ante subiectionem emissum?* Respondet *Sanchez* votum vxoris ante matrimonium emissum irritari non posse à viro, posse tamen suspendi. Porrò Præpositus vbi suprà memorans hanc Sanchez sententiam, asserit parum conformiter expressam; quia si vir per matrimonium fit superior vxoris, vt propter muliebrem leuitatem possit eius voluntatem dirigere: illius vota non solum suspendere, sed etiam irritare potest. Addit posse Prælatum vota sui Religiosi irritare emissa ante professionem. Intellige, post professionem id posse; quia superior non habet potestatem dominatiuam in nouitios. Sanch.

75. *Potest ne vir irritare votum vxoris de non petendo debitum?* Potest etiam si emissum sit de viri licentia; quia hic dum concedit facultatem vouendi, non adimit sibi facultatem irritandi. *Quid si vterque coniux continentiam voueat, & iuri debitum petendi renunciet?* Porrò Sanchez primum casum approbans, abnegat secundum. Approbat *Præpositus* 3. *p. q.* 6. *dub.* 20. Si sensus sit, non posse licite; minimè verò, si sensus sit, non posse validè. Sanch. Præp.

76. *Dixisti dispensare, & commutare esse Episcopi respectu suorum subditorum, præter quinque vota, quæ sunt reseruata Pontifici Castitatis perpetuæ, Religionis, & tria peregrinationis Ierosolymam, Romam, Compostellam; quam auctoritatem habet quoad hoc simplex confessarius per Bullam Cruciatæ: Rogo, an communi graui necessitate, si non pateat ad Pontificem aditus, possit dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? aut dispensatione idem Regularis per priuilegia sua?* Minimè; quia illis concessa est iurisdictio in ea vota, quæ ordinariæ Episcoporum potestati subiiciuntur: non quæ sola iuris interpretatione, & per accidens; nam hæc non sunt verè Episcopalia. *Fagundez in dec. tom. 1. lib. 2. cap. 45. n. 15.* §. 5. *De Voti Pontificis relaxatione per quoad hoc simplex confessarius per Bullam Cruciatæ: Rogo, an communi graui necessitate, si non pateat ad Pontificem aditus, possit dispensare Episcopus in voto absoluto castitatis, aut Religionis? aut dispensatione idem Regularis per priuilegia sua?* Sanch. Fagund.

77. *Quamnam potestatem habent Prælati Regulares in subditos circa votorum relaxationem?* Possunt dispensare, ac commutare non solum professorum vota, sed & nouitiorum; quia licet in illos non habeant potestatem domitatiuam: habent Ecclesiasticam. *Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 13. n. 80.* At *Azorius p. 1. lib. 11. cap. 19. q. 2.* contrarium asseruit. Less.

78. *Potest ne confessarius simplex commutare votum in bonum æquale?* Negat *Suarius de Rel. tom. 2, lib. 6. cap. 19. num. 6.* quia commutatio voti pertinet ad forum externum, in quo ipse non est superior. At *Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 16. num. 105.* affirmat Suar. Less.

affirmat. Imò probabile asseruerim posse sibi ipsum pœnitentem commutare, si sit materia subrogata euidenter æqualis; quia in dubio, an sit minor, possidet votum.

79. *Egeóne iusta causa, vt votum meum mutem in melius,*
Laym. *vel in æquale bonum?* Asserit *Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 22.* At alij negant probabiliter.

80. *Potest ne vouens, vel iurans se daturum centum aureos Ecclesiæ vel pauperi determinatè, ante acceptationem votum illud, aut iuramentum propria authoritate in melius commutare?*
Azor. Negauit *Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæs. 12.* Alij autem probabiliter asseruere, subscribo, quia probabilius est, ius à paupere, aut ab Ecclesia non acquiri, donec votum acceptetur. Deus autem, cuius intuitu vota ac iuramenta pia emittuntur, gratius habet, quod melius existit.

81. *Insto, an post acceptationem Ecclesiæ, aut pauperis possim*
Sanch. *votum illud in melius mutare?* Negat *Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 41. num. 13.* quia per acceptationem votum transit in contractum, & acceptum ius acquirit, quo inuitus priuari
Fagund. non potest. Asserit autem *Fagundez Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 49. num. 11.* quia vota pia vltimate diriguntur in Deum, tanquam in finem cuius: ideo ipsius habenda ratio, cui maius bonum semper est gratius.

82. *Vt confessarius simplex vota mea possit commutare, requiritur nè iusta causa?* Cum commutat per Bullam, aut Iubilæum, non requiritur, sed sufficit eleemosynam pro bello
Suar. præstare, & opera in Iubilæo præscripta gerere. *Suarius de Rel. tom. 2. lib. 6. cap. 9. n. 3.* cùm verò auctoritate ordinaria com-
Sanch. mutat, iusta causa requiritur. Sine qua (ait *Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. cap. 51. num. 15.*) votum pœnitenti commutans peccaret solùm venialiter; quia potestate in iure leuissima abuteretur. *Quænam iusta causa?* Si res subrogata hilarius acceptetur implenda. *Lessius dub. 11. n. 96.* Si pœnitens petit, iustam
Less. esse causam existimat, *Sanch. cap. 50. n. 23.*
Sanch.

83. *Potestnè commutare vota, qui ex delegata potestate dispensat?* Potest; quia qui potest plus, potest minus. *Layman.*
Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 20.* At *Sanchez sum. tom. 2. lib. 8. d. 1. n. 15.*
Sanch. contrarium asseruit.

84. *Faciendáne commutatio, aut dispensatio votorum in confessione sacramentali?* Per Bullam aut Iubilæum fieri po-
Sanch. test extra confessionem. Idem docuit probabiliter *Sanchez de*
Regin. *Matr. lib. 8. d. 34. num. 22.* contra *Reginaldum tom. 2. lib. 31. cap. 28. num. 216.* de commutatione seu dispensatione facienda virtute litterarum Apostolicarum; quia Pontifex in illis

non

non dicebat, dispensationem expediendam esse in foro pœnitentiæ, sed in foro conscientiæ, quod solum requirit secretum animæ, non autem confessionem: sicut absolutio censurarum. Porrò hæc opinio hodie sustineri non potest; quia in literis Apostolicis apponitur clausula: *Audita confessione, non aliter, nec alio modo.* Sic *Filliucius p.2.c.10.n.355. Sufficit ne ad hoc confessio inualida?* Sufficit, dummodo deficiens quoad propositum, aut dolorem: sit integra circa ea, de quibus petitur dispensatio. *Suar. tom.4.d.31.sect.4.n.9. Sufficit ne quilibet confessarius?* Debet esse proprius illius pœnitentis, id est, qui sit approbatus pro illo *Sanchez de Matrim. t.1.l.3.d.34.n.16.* Quia cum debeat præmitti confessio, ille solus potest talis pœnitentis vota dispensare, qui potest eius confessionem audire.

Filliuc. Suar. Sanch.

85. *Votum meum in melius ritè est commutatum: possum ne ad prius votum redire?* Negat *Filliucius p.2.cap.10.n.288.* quia commutatio in melius habet vim voti, & votum propria authoritate non potest in minus bonum commutari. At *Sanch. de Matrim. tom.2.lib.8.d.9.n.21.* affirmat; quia commutatio fit in fauorem vouentis, vnde potest illi fauori renunciare; intelligitur enim facta sub conditione: si vouens nolit votum implere. Addit *Lessius l.2.c.40.dub.11.n.47.* si facta fuerit multiplex commutatio voti siue in eleemosynam, siue in ieiunium, siue in preces: posse vouentem eligere quam maluerit; & postquam elegit vnam, & renunciauit aliis, posse iterum ad eandem commutationem, vel votum redire. Limito tamen, nisi vouens acceptasset, aut consultò elegisset commutationem in melius bonum, ad maiorem Dei cultum: tunc enim commutatio facta esset in Dei fauorem.

Sanch. Lessius.

86. *Non adest vera dispensandi mei voti causa, sed ipse existimo adesse? rogo, an sit valida dispensatio?* Affirmatiuè respondet: *Less. cit. dub.17.n.110.* Quia sic exigit recta Ecclesiæ administratio. Scio *Palaum tom.3.tr.25.d.2.b.9.a.4.* contrarium docuisse, qui falsò fundamine nititur dispensatio.

Less. Pal.

97. *Quamnam putas sufficientem esse causam dispensationis?* Si votum non ex plena deliberatione, sed ex leuitate, aut vehementi passione fuerit emissum. Si fuerit metu extortum, etiam si non sit exequendo difficile. *Sanchez de Matrim. tom.2.lib.8.d.20.num.12.* contra *Valentiam tom.3.d.6. quæst.6. part.7.*

Sanch. Verent. §.6.

88. *Dubitat quis, an cùm vouit, vsum rationis habuerit propter ætatem; teneatúrne?* Suarez sentit, si vouit post septennium, præsumendum pro voto.

Varia de voto. Suar.

89. *Voui*

89. *Voui ieiunare Quadrageſima, ſed dubito, an abſtinentiam*
Salas. *à lacticinijs comprehenderim: quid tunc?* Ex Salas aſſero à lacticiniis abſtinere non obligari. *Voui certo die ieunare, & dubito, num votum ſimpliciter, nnm verò cum dependentia à tali die?* Si eo die impeditus fuiſti, non teneris alio ieiunare.
Laym. Sic *Layman.*

90. *Votum de patrando veniali peccato, quódnam crimen eſt?*
Leſſius. Cum *Leſſio* tantùm veniale aſſero; quia materiæ paruitas excuſat.

91. *Certus ſum me caſtitatem vouiſſe, ſed dubito, an habuerim animum me obligandi: quidnam præſtandum? Num recurrendum ad Pontificem?* Teneris quidem votum ſeruare, tamen illud, auctore *Sanchez*, non eſt Papæ reſeruatum.
Sanch.

92. *Diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſi, poſſunt ne ſingula, atque adeò omnia commutari?* Licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio ad perfectam caſtitatem, commutari poſſunt; quia (vti *Sanchez* aduertit) vota poſteriora ſe habent per accidens ad priora: niſi vouens intendas ea coniungere; tunc enim teneris obſtrictus voto perfectæ caſtitatis indiſpenſabili.
Sanch.

93. *Voui ſingulis menſibus confiteri, vel communicare, per*
Sanch. *duos vel tres dies vltra menſem diſtuli: num voto ſatis fecit?* Maximè, imò (loquor cum *Sanctio*) ſi infra octo dies à menſe elapſo ſolemnis aliquis dies inſtaret, vel Iubileum, poteris tandiu differre, ſi ægrè bis intra octo dies confitearis; idemque de anticipando ex ſimili cauſa aſſeruerim;

94. *Extinguuntur ne omnia vota tam in ſeculo, quàm in no-*
Sanch. *uitiatu emiſſa per ſolemne Religionis votum? Sanch.* affirmat; idem de iuramentis adiiciens.

95. *Confert prima votorum emiſſio omnium peccatorum re-*
Sanch. *miſſionem: num idem præſter ipſorum renouatio? Sanchez* ne-
Laym. gat, cum *Laymano* affirmo, quoties quis interno renouaris affectu.

EXA

EXAMEN V.

De Legibus in particulari circa materiam Mandati terij Decalogi de Festorum obseruatione.

CAPVT PRIMVM.

De Festiuitatib us obseruandis.

1. *IN tertio præcepto Decalogi: Sabbato sanctifices, determinatur tempus, quo Deo est externus cultus tribuendus. In Euangelica lege Sabbatum in diem est Dominicam mutatum. Igitur expendas, quænam solemnia obseruare teneamur?* Ad Deum pertinet Dominica dies, cuius obseruatio perantiqua, & multis de causis iure Canonico introducta. Ad Christum duodecim Festiuitates pertinent, Incarnatio, Natiuitas, Circuncisio, Epiphania, Præsentatio in templo, Transfigurario, Passio Domini, (quæ minimè in præcepto) Resurrectio, Ascensio, Rogationes de præcepto non sunt, Pentecostes, Corpus Christi, Inuentio Crucis, B. Virgini dedicantur Conceptio, Natiuitas, Præsentatio, Annunciatio, Visitatio, Purificatio, Assumptio, Dedicatio S. Mariæ ad niues, Expectatio, quorum solemnium Præsentatio, Dedicatio, & expectatio non vniuersaliter de præcepto custodiuntur. Ad Sanctos denique pertinet Dedicatio Angelorum, & Apparitio, ex quibus prima tantum in præcepto. Natiuitas Ioannis, Duodecim Apostolorum dies, SS. Stephani, Laurentij, Sebastiani ex consuetudine S. Syluestri Romæ, Martini alicubi, SS. Antonij, & Francisci ex deuotione, Annæ, Magdalenæ, Catharinę, & Luciæ alicubi, Festum omnium Sanctorum: atque adeo dies omnes festi in anno octoginta sunt & vnus. Durant omnes æqualiter à media nocte in mediam noctem.

2. *Quænam causæ, ac cuinam potestas dies festos instituendi?* In summo Pontifice amplissima potestas est. Episcopi in suis Diœcesibus instituere possunt, modò sit capax materia. Requiritur cleri, populique consensus, vt Episcopus præceptum imponat colendi festum; ex consuetudine tamen potest sine populo Episcopus. Laici præcipere festum diem non possunt, secus vacationem à seruilibus operibus, at non sub præcepto.

Consue

Consuetudo laicorum, & clericorum potest ne introducere dies festos? Potest, obligationem attamen non inducit, nisi fiat cum existimatione obligationis. *Possunt ne singuli de communitate se obligare?* Possunt se personaliter, non tamen ad posteros obligationem transmittere. *Potest ne festus dies ad meridiem vsque tantum institui?* Ita quidem, & de facto alicubi obseruatur. Porrò (vti integræ quæstioni satisfaciam) Festorum institutionis causæ multæ ad Dei, Sanctorúmque honorem, gratiarum actionis, &c. pertinentes.

CAPVT II.

Quidnam præceptum, quidnam in die festo prohibitum?

3. *Obsecro expendas, quidnam sit præceptum agere in die festo?* Missam audire, quod quidem præceptum aliquo modo diuinum est absolutè Ecclesiasticum. Obligat ad mortale, si voluntariè omittatur, eiúsque obligatio durat toto tempore ante meridiem. Impleri potest statim post mediam noctem. Infrà de Missæ exauditione.

4. *Quidnam autem prohibitum in die festo?* In die festo solum vacatio à seruilibus operibus præcipitur. *Quid seruile?* Illud, ad quod serui deputati sunt. Nec opus seruile fit, quia ob lucrum factum est de se ante seruile non erat. In commodum alterius fieri, vel non, ad seruile opus extrinsecum est.

5. *Si seruile opus necessarium sit ad hominis sustentationem, prohibitum ne est?* Minimè, sicut neque ad curandum proximum; quia necessitas caret lege.

6. *Quid si ad Dei cultum seruiatur?* Si diuino cultui opera extrinseca propinqua sint, v.gr. ornare altaria, vestes sacras extrahere, & similia, licent. Romotiora, vt mundare scopis, tepetibus vestire parietes, & huiusmodi, nisi aliqua intercedat excusatio, saltem venialia sunt.

7. *Num misericordiæ opera exercenda?* De se seruilia non licent, vt consuere vestem pauperi, deferre ligna eidem, &c.

8. *Quid de liberalibus?* Studere, etiam artibus mechanicis, vt mentis instructioni opera detur, liberale est. Item scribere, nec fit seruile ob lucrum: transcribere autem etsi probabile sit seruile esse, contrarium probabilius affirmo. Pingere seruile ex suo genere. Itineratio minimè, nisi fiat cum

onere

oneratis iumentis, vel deferantur humeris onera. Nec choreas agere. Venatio si fiat ex officio, seruile est, vt pictura, ob voluptatem & recreationem minimè. Militia opus est ex se seruile, sed ex causa toleratur. Igitur quæ seruilia sunt prohibentur, quæ non seruilia permittuntur.

9. *Sunt ne aliqua opera, quæ & si seruilia non sint, tamen prohibeantur?* Sunt equidem. *Primò*, Mercatus, quo nomine comprehenduntur nundinæ, quæ fieri assolent semel in hebdomada: & ipse actus mercandi, contractus videlicet emptionis, & venditionis, exceptis rebus necessariis. *Secundò*, Placitum, sententia videlicet ciuilis; & strepitus iudicialis; nisi necessitas vel pietas excuset. *Tertiò*, Iudicium ad mortem, vel ad pœnam corporis grauem, nisi grauis intercedat causa; vsus tamen spiritualis potestatis licitus est. *Quartò*. Iuramentum iudiciale, nisi pro pace & necessitate præstetur. In particulari autem prohibiti sunt forenses actus, vt citatio, causæ processus, examen, & sententia cum strepitu iudiciali; absolutio verò prohibita non est, nec actus extraiudiciales, nec appellatio; quàm tamen in die festo prosequi non licet, sicuti nec præstare iuramentum, per quod contractus obfirmetur.

CAPVT III.

De personis, quæ obligantur ad festos dies obseruandos, & de causis excusantibus ab obseruatione, déque transgressionis grauitate.

§. 1. *Personæ addictæ Festi obseruationi.*

10. *Quinam ad Festorum custodiam obligantur?* Omnes fideles ad festos dies, qui generaliter tota in Ecclesia coluntur: ad speciales autem alicuius loci, tantum fideles illius illigantur. *Mutantes domicilium?* Non obligati sunt ad festa patriæ. *Quid de vagis, & peregrinis?* Si idem festum in loco transitus sit & in patria, obligatur ad illud peregrinus: aliter non. Vagi autem obligantur ad festa loci, in quo morantur, sicuti etiam qui domicilium quærunt. Absens quidem legibus loci in quo moratur, se conformare debet.

11. *Num à loco festi, ad locum vbi non est, recedere consultò liceat?* Ita planè, & seruilibus inibi operibus vacare, ad Missam tamen audiendam tenetur, si commodè possit.

12. *Permanet peregrinus quodam in loco: num teneatur ad illius festa?* Si permanenter habitet, tenetur tam ex consuetudine, quàm ex iurisdictione; at si versetur tanquam in hospitio, probabile satis est non teneri. *Quidnam requiritur ad hoc, vt quis dicatur habitator?* Vel domicilij vera acquisitio per animum ibi perpetuò manendi coniunctum cum habitatione; vel acquisitio quasi domicilij, quæ animo ibi per maiorem anni partem habitandi habetur; ad hoc autem vt reddatur habitator in ordine ad obligationem legum localium, breuior mora satis est.

§. 2. *Causæ excusantes à custodia Festi.*

13. *Quænam causæ excusant ab obligatione festorum?* 1. Imminens necessitas, vt paupertatis, ob quam, nisi laborem in die festo, non habeo, quo viuam; damni in agricolis tempore messis laborantibus; vel in coquentibus lateres, aut calcem; vel in famulis qui præcepto domini laborare coguntur; in satoribus autumni tempore; militibus tempore belli, & similibus. 2. Necessitas Reipublicæ: vnde excusantur reficientes pontes, & vias, quæ sine incommodo differri non possunt; vel prouidentes de rebus necessariis; vel artifices pro publica causa, parantes bellica tormenta, & huiusmodi. 3. Necessitas proximi: sic laborantes ad extinguendum ignem accensum in domo proximi; vel opera tonsoris, pharmacopolæ, chirurgi facientes, excusantur. 4. Pietas in Deum & proximum. 5. Dispensatio siue à iure, v. g. occursus copiosæ capturæ piscium; forense iudicium, quando necessitas, vel pietas suadet: siue ab homine, ad quam requiritur potestas; causa, & voluntas externo signo expressa: siue à consuetudine, ex qua multi excusantur, vt piscatores: venatores, pictores, quoad aliquos frequentiores actus, barbitonsores, artifices aliqui præparantes materiam, muliones, & agasones, aliique officiales vendentes in die festo rusticis venientibus tunc commodè de villis.

§. 3. *Delictũ contra festi obseruationem.*

14. *Quanta est seruandi festa obligatio?* Grauis vtique. Ex leuitate tamen materiæ, & aliis causis peccatum veniale esse potest. *Quænam grauis materia?* Spatium duarum horarum grauis materia videtur esse Fillucio & aliis: ego grauem assigno quod spatium duarum horarum excedit. *An aliquod opus otiositatis fugiendæ gratia sine veniali geri possit?* Ita planè, vt delineare, filo globulos immittere, calamo pingere, & his similia.

CAP.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Festorum obseruatione ex Societatis IESV Doctoribus.

§. 16. Obseruatio Festi. Laym.

15. PRohibentur ne opera seruilia in Festis tantum Christianis, an omnibus communiter? Haud damnandus dominus qui huiusmodi opera mancipio imponeret infideli; quia mancipium infidele non peccat, si quidem Ecclesiasticis legibus non tenetur. Vnde putat *Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 5. num. 3.* licitum esse imponere opera seruilia perpetuò amentibus; quia non delinquunt, &c. Probabilius alij ab huiusmodi onere amentes liberant. *Fernandez p. 3. mand. 3. num. 16.* Fernan.

16. *Prohibita ne diebus festiuis iuramenta?* Ait *Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 8.* solummodo iudicialia prohiberi, quæ solemniter coram iudice præstantur; quia de his agit textus *cap. 1. de ferijs.* Alioqui omne iuramentum priuatum, ex eo solum, quod in festo fieret, esset speciale peccatum. Igitur si absit scandalum, non peccant Notarij in diebus festiuis contractus celebrantes. *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. num. 17.* permittit in paruis oppidis litigantium iudicia, quia aliis diebus rustici non adsunt agriculturæ intenti. Laym. Suar.

17. *Peccant ne Commissarij, Notarij, vel alij acta Curiæ, conciones, & alia transcribentes, etiam ex mercede?* Non, quia seruile opus cùm non sit, est per accidens, mercede geri. *Suar. de Rel. t. 1. l. 2. c. 25. n. 4.* Suar.

18. *Excusantur ne Typographi?* Characteres ordinantes excusantur; quia opus seruile non est: prælo incumbentes, minimè; quia opus seruile. Ex *Laymani* doctrina colligo, qui *l. 4. tr. 7. cap. 2. n. 3.* asserit pictores pingendo non violare festum, molendo autem colores violare. Laym.

19. *Quinam de gladiatoribus, vulgo, Esgrimidores?* Eos *Granado excusat 2. 2. cont. 3. tract. 12. disq. 4. sect. 7. num. 67.* quia non est opus seruile: sicut saltare, pulsare citharam, &c. *Suarez* autem *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 28. numer. 8.* seruile opus indicat illud armorum exercitamentum. Granad. Suar.

20. *An licitum bellum committere die festo?* Asserit *Suarez* citatus, licitum in necessitate. At *Granado vbi supra nu. 15.* Granad.

etiam extra necessitatem, si audiatur Missa. Ego crediderim,
Suar. etiam vigente *Suarij* sententia, semper esse licitum; quia semper adest necessitas bellum non differendi. Efficacius excusatos habe, qui vrbes, aut oppida vallo, aggeribus, aut fossa muniunt.

21. *Licet ne die festo piscationi, aucupationi, venationi operam dare?* Seruilia *Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 28.*
Suar. Granad. *num. 3.* reputauit. At venationem ratione consuetudinis admittit, non autem piscationem. Porrò *Granado 2. 2. cont. 3. tract. 12. d. 4. sect. 7. num. 65.* asserit venationem ferarum non esse seruilem, licet fiat ob lucrum: piscationem verò seruilem esse, si fiat ferendo retia, remigando, &c. Porrò *Fil-*
Filliuc. *liucius tom. 2. tractat. 27. cap. 9. numer. 172. & 173.* putat haud illicitam venationem, piscationem, &c. industriosam, & ob recreationem: esse verò illicitam si sit laboriosa, & ex officio.

22. *An seruilia opera, iter agere, saltare, choreas ducere?* Minimè, quia est actio naturalis in quadam corporis situa-
Suar. tione consistens. *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 2. An seruiliter agant die festo agasones, vel muliones inchoantes iter cum bestiis oneratis?* Rarò peccant mortaliter; quia licet leuare, & imponere onera est opus seruile, hoc plerumque paruo tempore præstatur. Scio *Suarium citat. num. 6.* eos solùm excusare in continuatione itineris alia die inchoati ratione publicæ vtilitatis, vel vitandi proprij nocumenti. At nunquam non nocumentum mulioni bestias medio in itinere feriari.

23. *Excusantur sartores ratione necessitatis: rogo tamen quænam sit necessitas eos liberans à peccato?* Reputatur necessaria confectio vestium pro funere, pro nuptiis instantibus, nec sine incommodo differendis. Interdum excusantur, si
Laym. post medium noctis præcedentis festum laborare coguntur, vt vestes promissas perficere valeant. *Layman. lib. 4. tract. 7. c. 7. num. 2.*

24. *Concessit Pontifex* in cap. licet de feriis *piscationem halecum, quæ vno anni tempore transire solent, ratione lucri transitorij; scio extendi ad piscationem thunnorum, & piscium similium: rogo autem, an possit id indultum extendi*
Fernan. *ad omne lucrum transitorium?* Asseruit *Fernandez part. 1. cap. 7. §. 1.* omne lucrum transitorium repentinè, occurrens ex illo cap. excusare. Vnde excusat tonsores in diebus festis operam dantes muneri suo, propterea quod in aliis diebus
Suar. tondendi non accedunt, propter occupationes. At *Suarius*

de

de Relig. tom. 1. *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 9. contrarium affirmat; quia in eo cap. Pontifex ad publicam aspexit vtilitatem, & ideo non fieri debere extensionem ad priuatam singulorum. Profectò tonsores radentes barbam vnius, aut alterius, ex paruitate materiæ excuso: si autem omnium tonsioni incumbant, si fert consuetudo, non peccant; si non est tolerata consuetudo, delinquunt.

25. *Excusandi ne aliqui ratione pietatis?* Certè *Saa v. Festum, num.* 6. excusat puellas suentes, vel aliud opus facientes ad vitandum otium, ne ad fenestram conspiciendas se exhibeant. Alij liberant à reatu exercentes die festo opera seruilia ad templa ædificanda, vel reficienda gratis, ad eleemosynam gerendam, ad ornanda delubra, &c. Ast ego cum illis sentio, qui laborantes, vel hoc prætextu sine necessitate, non excusant; quia opus Religionis extra necessitatem non debet prætermitti. Saa.

26. *Dixisti paruitatem materiæ à graui excusare piaculo: materiæ paruitatem quoad quantitem, & qualitatem assigna?* Existimat *Reginaldus tom.* 2. *lib.* 16. *cap.* 3. *numer.* 53. id, quod minus integra hora est, paruitatem esse materiæ. Ast *Filliucius tom.* 2. *tractat.* 27. *cap.* 11. *numer.* 250. paruam materiam hac in re duas horas esse putat. Consentit *Henriquez com. cas. consc. cap.* 7. *num.* 4. Porrò in oneribus forensibus, & iudicialibus paruitas materiæ non debet sumi ex temporis insumpti quantitate, sed qualitate operis v. gr. venditio rei magni momenti cum magna solemnitate celebrata etiam per tempus breuissimum esset lethale piaculum. Quod à fortiori in actibus iudicij procedit, secus si res vendita esset parui momenti, vt calceorum, aut frugum venditio, &c. *Palaus tom* 1. *tract.* 9. *d.* 2. *p.* 3. *n.* 4. Regin. Filliuc. Henriq. Pal.

27. *Scio dies festos ex iure constitui debere, Episcoposque non posse sine consensu populi eos instituere: Quid si ille solus instituit?* Non tenetur populus obseruare, si iuri standum, iuxta *cap. conquestus, de feriis.* At ex consuetudine Episcopus assolet festos dies statuere adhibito Clericorum consilio, non suffragio. Populi quidem consensus requiritur, sed sufficienter præsmitur de consensu, quoties non reclamat, & contradicit. *Fagundez pr.* 2. *lib.* 1. *c.* 3. *num.* 11. §. 2. *De festis statuendis.* Fagund.

28. *An liceat Episcopo diem festum alicuius Beati nondum canonizati instituere?* Licere asserit *Suarius de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. & 5. quia beatificatio est velut canoni- Suar.

zatio apparatu minori celebrata. Alij autem contrarium asseruere.

§. 3. *Varia de festis.* Filliuc.

29. *Habitat quis in duplici Parochia diuersa festa celebrante: ad quámnam tenetur celebrandam?* Ex *Filliucio* respondeo teneri ad eius festa seruanda, in qua præsens est.

30. *Dixisti agasones, & muliones non esse mortalis criminis reos, quia licet opus seruile, in oneribus leuandis vel imponendis, non multum temporis consumunt: an possimus idem affirmare de ducentibus iumenta ligna è silua?* Ex *Filliucij* citati doctrina idem asseruero, si opus seruile cedendi, imponendi, & deponendi duarum horarum spatium non multum excedat; quia reliquus labor iumenti humeros aggrauat.

Tolet.

31. *An famuli quando coguntur à dominis diebus festis laborare seruiliter, parere possint?* Ex *Toleto* respondeo, posse sine peccato, modò non cogantur in Ecclesiæ, aut festi contemptum: tunc enim deberent mori potius, quàm laborare. Adiicit tamen huiusmodi famulos, qui sæpe ad laborem die festo coguntur, transacto tempore suæ obligationis, debere alium quærere dominum, sub quo possit festa obseruare; nisi desint quibus commodè suam operam locare possint: aut si magnum mutatione illa incommodum paterentur.

EXAMEN VI.

De legibus in particulari circa materiam quarti Mandati Decalogi de parentum cultu.

CAPVT PRIMVM.

De mutua Parentum, & Filiorum obligatione.

§. 1. *Obligatio filij erga parentes.*

1. *Vótnam obsecro circa parentum honorem obseruanda?* Curanda sex, internus amor, externus, subuentio in necessitate spirituali, in corporali, adimpletio testamentorum, & dilectio in ordine ad supernaturalem beatitudinem: hinc consequentet totidem modis possunt filij delinquere.

2. *Quid circa alimenta?* Iure gentium alimenta parentibus debentur, iisque subueniendum in graui necessitate, *Num si*

si professus sit in Religione filius egredi teneatur? Minimè, nisi parentes extremam necessitatem paterentur; tunc autem deferendus etiam habitus esset.

3. *Licet ne alimenta parentibus aliquibus in casibus denegare?* Licet in his, in quibus ab eisdem exhæredari possunt.

4. *Quidnam præterea filius debet parentibus?* Eorum curare sepulturam, soluere debita, quæ facultatem hæreditatis non excedunt. Nunquam licet filio patrem occidere, nisi patriæ hostis esset. Denique grauiter delinquere potest filius non obediendo in iis, quæ ad domus gubernationem pertinent, ad bonos mores, & ad statum matrimonij in quibusdam casibus.

§. 2. *Obligatio parẽtum erga filium.*

5. *Quidnam vicissim parentes filijs debent?* Necessaria ad vitam subministrare, bonis moribus instruere, non vendere absque iusta causa, liberare à seruitute, prouidere illis volentibus studio operam dare.

6. *Potest ne parens alimenta filio denegare?* In his casibus potest. Si patrem accuset, si ipsemet illis indigeat, si fuerit ingratus, si habeat, vnde sustentari queat, si quid agat, ob quod hæreditate spoliari possit. Aliàs quidem iure naturali filiis patres alimenta debent.

7. *Quidnam patris proprium?* Filiis prouidere in futurum, non priuare hæreditate nisi iusta causa, dotare filias.

8. *Præscripto debentur ne alimenta?* Debet pater ei simpliciter necessaria. *Quid de spurijs?* Spurio etiam de iure Canonico necessarium alimentum debetur. Clerici spuriis relinquere possunt alimenta necessaria. *Num excommunicato filio, aut Religioso è cœnobio ejecto debeantur alimenta?* Ita planè, si ejectus egeat, etiam hæretico, si aliunde non habeat.

9. *Valet ne renunciatio alimentorum?* Minimè, absque iudicis auctoritate, nisi iuretur. Neque alimenta præterita tenetur pater resarcire in conscientia, secus in exteriori foro. Profectò inter alimenta impensæ pro filio ad studia comprehenduntur. *Dos ne spuriis tradenda?* Ita planè.

10. *Quænam propria matris?* Duo, vnum, alere filios vsque ad tertium annum, & lactare eos per se, vel per bonam nutricem.

Caput II.

De mutua coniugum obligatione.

§. 1. Obligatio mariti erga vxorem.

11. *Quænam viri erga vxorem obligatio?* Eam in diuinis præceptis non potest impedire, in humanis iusta de causa potest. Grauiter percutere minimè, secus reprehendere, & moderatè corrigere. Domus administratio ad virum spectat, & cum vxore tenetur habitare, nec abesse, nisi ex iusta causa.

§. 2. Obligatio vxoris erga maritum.

12. *Quænam autem vxoris erga virum?* Obedire debet marito in domus administratione. In rixis cum viro grauiter aut leuiter peccare potest iuxta materiæ, aut affectus grauitatem. Tenetur sequi virum, queisdam casibus exceptis. Aliquando posset se se administrationi domus ingerere. Inuicem equidem debent sibi amorem, reuerentiam, tolerantiam, & debiti redditionem.

Caput III.

De mutua dominorum & seruorum obligatione.

§. 3. Obligatio seruorũ erga dominos.

13. *Exhibe seruorum erga dominos obligationem.* Tenentur debitum honorem dominis deferre, obedientiam præstare, conseruare domini res, in ægritudine iis Sacramenta procurare, & malis tutari imminentibus.

14. *Quandónam serui tenentur non fugere, quandónam autem fugam possunt arripere?* Iniusto bello capti fugere possunt, non autem qui sese vendiderunt in seruos. At iusto bello capti, etiam fugere ad suos valent, absque vi tamen, aut deceptione fidei datæ. Capti apud infideles etiam fugere possunt, & iis dari valet consilium ad fugam: accipere autem ad fugam necessaria à Turcis vel aliis hostibus Christiani nominis possunt.

15. *Quid de peculio seruorum?* Habere possunt peculium suum permissu domini, mobilibus, vel immobilibus constans. Absque domini autem consensu inutilis est donatio.

16. *Si vxorem duxerint, cuinam potiùs seruire debent, domino, an vxori?* Magis domino, quàm vxori, si domino inscio eam duxerint: secus si sciente.

17. *Num*

17. *Num in omnibus obedire domino teneantur?* In iis plenè, quæ contra naturale ius sunt, vel contra diuina præcepta parere non debent. Tria autem præstare tenentur famuli heris suis: honorem, reuerentiam, & obsequium.

18. *Quidnam dominus debeat seruo?* Honestam sustentationem, institutionem in rebus fidei, & correctionem fraternam. Haud domino potestas necandi seruos; si tamen occideret, nihil vlli deberet, nec si mutilaret. Alimenta in totum subtrahere non potest. Ex delicto eius iussu commisso tenetur. §. 2. *Obligatio dominorum erga seruos.*

19. *Quid de famulis alendis & gubernandis?* Alimenta, quæ dominus famulo debet, famulatui congruentia debent esse. Ad hospitale licet quandoque mittere; & iustè merces subtrahitur, cum ægrotat. Ex contractu aut delicto famuli herus non obligatur, nisi iussu, aut auctoritate domini facta sint. Debet expellere herus famulos moribus corruptos, nisi ad meliorem redituros frugem speret.

CAPVT IV.

De mutua Prælatorum & Clericorum obligatione.

20. *AD quidnam Clerici erga Prælatos tenentur?* In actibus quidem internis obedire non tenentur, neque in malis etiam venialiter. In dubio de peccato, præcipienti Prælato obedire tenentur: debet autem eius voluntas illis esse denuntiata. Tenentur profectò obedire in pertinentibus ad Clericos. Beneficiarij ad subsidium charitatiuum, contributione videlicet quadam in pecunia, vel æquiualenti re à beneficiariis facta in quibusdam casibus erga Episcopos. Curati etiam, & Religiosi erga suos Prælatos peculiaribus tenentur obligationibus. §. 1. *Obligatio Clerici erga Prælatum.*

21. *Prælatorum erga Clericos recense obligationes.* Debent residere, ad quam probabilius reputo iure diuino teneri. Ad breue tempus cum causa abesse possunt. *Quanam iusta causa discessus?* Quinque exhibeo, Christianam charitatem, vtilitatem Ecclesiæ, & Reipublicæ, vrgens necessitas, debitā obedientiā. §. 2. *Obligatio Prælati erga Clericum.*

22. *Quæ ad leges morum ad quidnam tenetur?* 1. Quotannis Synodum facere. 2. Visitare singulis annis diœcesim per se, vel impeditus per alium. 3. Instituere idoneos ministros. 4.

Inquirere in populi sui peccata. 5. Corrigere subditos. 6. Superflua pauperibus elargiri. 7. Iudicare causas Ecclesiasticas. 8. Approbare Confessarios, Concionatores.

23. *Quænam eius potestas?* Potest conferre indulgentiam quadraginta dierum, imponere censuras, in quibusdam irregularitatibus, & impedimentis matrimonij non dirimentibus dispensare, & alia plura gerere valet.

24. *Quidnam ei circa ordines, beneficia, & confirmationem conferendam præstandum?* Eos per se conferat, vel aliò mittat. Singulis annis chrisma conficiat, suis temporibus Sacramentum Confirmationis conferat, dignos ordinet cum sufficienti titulo. Porrò beneficia solummodo dignis conferat, ad testamentorum denique executionem maximè in piis causis attendat.

CAPVT V.

De mutua Principis laici, & subditorum obligatione.

§. 1. *Obligatio Vasalli erga Principem.*

25. *AD quidnam tenetur vasallus erga Principem?* Debet vectigalia soluere: in necessariis tamen familiæ defraudantes minime obligantur nisi in quibusdam casibus. Nouæ gabellæ debentur, si iustæ sint; si non petantur, secluſa fraude, non est obligatio soluendi. Soluentes pœnam non tenentur ad gabellam: tenentur tamen, quando in conscientia eorum id relinqueretur. Potest quis non soluere, quando certò scitur, non impendi gabellam in rem ob quam imposita est. *In dubio de iustitia?* Præsumendum pro Principe, & etiam infideli soluenda.

§. 2. *Obligatio Principis erga Vasallum.*

26. *In quibus autem Superiores laici erga subditos tenentur?* Cum virtutes laici Principis debeant esse Religio in Deum, Clementia, Liberalitas, Iustitia, Fortitudo, Prudentia, Magnificentia, Magnanimitas: vitia autem: Cupido immodica regnandi, indictio belli iniusti, socordia in muniendis Regni arcibus, negligentia inviis publicis reparandis, non subuenire miserabilibus, non tollere consuetudines prauas, Exactionibus iniquis subditorum copias exhaurire, iniustas leges condere, subditum ad certum matrimonium cogere, vel in contracto impedire, suisque priuatis commodis studere: obligatur quidem, & proprietates Principis exercere, & vitia fugere, sub mortali quidem, aut veniali iuxta materiæ grauitatem.

27. *Peccant*

27. *Peccant ne Principes assumentes ineptos ad gubernationem?* Si omnino inepti sint, peccant grauiter, & ad restitutionem tenentur; si autem sint minùs idonei, peccant quidem, sed minimè tenentur ad restitutionem.

28. *Spectat ne ad Principes cura Sacrorum?* Profectò ad ipsos patrocinium spectat, cura ad Episcopos. *At residentia Episcoporum?* Non pertinet ad Principes, curare tamen possunt, vt ea seruetur.

29. *Quid de officiorum venditione, aut naufragantium, bonis?* Officia lucrosa vendere non semper licet: nec bona naufragantium applicare sibi licet, nisi derelicta sint.

CAPVT VI.

De mutua Magistri & discipuli obligatione.

§. 1. *Obligatio Discipuli erga Magistrum.*

30. *Quidnam debent Magistro discipuli?* Honorem, reuerentiam, obedientiam in pertinentibus ad bonos mores. Debent item vacare studiis; & pecuniam à parentibus traditam expendere iuxta magistrorum voluntatem, vel iuxta debitam dispensationem.

§. 2. *Obligatio Magistri erga Discipulum.*

31. *Quid Magistri?* Eorum peccata dissimulare non debent, eos in literis promoueant, & eorum curam in pertinentibus ad mores gerant. Plura sigillo sequenti, Interim Doctores tenentur ad multa. 1. Nihil docere contra fidem, aut bonos mores. 2. Discipulos ab aliis Doctoribus non auertere. 3. Diligenter studere, vt officio suo satisfaciant. 4. Stipendia æquo maiora non exigere. 5. Captui auditorum sese accommodare. Porrò caueant ne Doctoratus insignia negent dignis, aut indignis conferant, aut malè moratos admittant scholasticos, aut eos permittant, cum possint reprimere, suffragia indigno impendere, aut pro suffragio iusto, aut iniusto pretium accipere.

CAPVT VII.

Praxis, circa materiam de parentum cultu ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De parentum & filiorum obligatione.*

32. POtest ne pater filiam cogere impuberem Monasterium intrare causâ educationis; Potest, sicut cogere puerum

puerum, vt scholam ineat, vel artificium. Pueri autem tenentur obedire; quia illa in ætate non tam sua, quàm parentis voluntate regendi. *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 2. num. 15.* Suar.

33. *Quid post filiarum pubertatem?* Non potest parens sine lethali cogere ad manendum in monasterio cum seculari habitu vsque ad nubendi occasionem: quia fœminæ maioris ætatis in iis, quæ ad statum suæ animæ pertinent, sui iuris sunt ideoque non possunt ad tam arctam compelli custodiam. Nisi ad aliquod breue tempus moraliter necessarium ad illarum custodiam censeretur. Sic *Suarius de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 9. dub. 4.* Suar.

34. *Scio Tridentinum sess. 25. cap. 18. sub excommunicationis pœna prohibere, ne vllus fœminam cogat Monasterium inire, habitum suscipere, aut profiteri: quæsierim, an pater cogens filiam puberem ingredi Monasterium non animo adscribendi eam Religioso statui, excommunicatione feriatur?* Respondet *Suarius citat.* non incurrere; quia Concilium loquitur de illo tantum ingressu, qui à parentibus per se ad habitus susceptionem ordinatur. Quid si ordinetur animo eo, vt filia Monialium exemplo ad habitum suscipiendum illiciatur? Licet planè, tunc enim fœmina alliceretur quidem, non cogeretur. Suar.

35. *Tenetur ne parens dare filiis alimenta, & dotem?* Adeò tenetur (ait *Fagundez Dec. tom. 1. lib. 4. cap. 5.*) vt filius Magnatis, cui pater noluerit iuxta statum alimenta exhibere, possit sine lethali vxorem ducere diuitem, & nobilem, licet genere aliquanto inferiorem, inuito parente. Tenetur & præstare etiam filiis spuriis alimenta, & dotem. *Quid si pater sit Clericus?* Ad alimenta tenetur, ad dotem autem, in cuius solutione maius patri incommodum, & proximo scandalum emergit, asserit *Molina de iust. tom. 1. d. 124. num. 22.* non teneri; præsertim vt dos inseruiat ad alendam familiam filij, ad quod pater non tenetur. Fagund. Molin.

36. *Tenetúrque pater filios ad ieiunandum cogere, præcepti diebus?* Non debet è domo eiicere ieiunare renuentes, sed lege charitatis corripere. Ex *Petro Hurtado* accepi. Qui addit non teneri dominum famulum nolentem ieiunare, è domo exturbare, aut victum tollere: vel eius famulatu spriuare, quod incontinens sit, si amasiam extra parietes habeat: secus si eadem domo cohabitarent. Hurt.

37. *In extrema necessitate* (circa parentes primum requiro) *subuenire debeo filio meo, an parenti? Toletus* respondet Tolet.

pro

probabilius subueniendum patri. Et quidem in vitæ periculo patri potius subueniendum, & præferendus ille etiam ei, cui fuisset iuratum; quia intelligitur pater exceptus.

38. *Quinam communiter ad alia multa nomine patris veniunt intelligendi?* Superiores, vt sunt Episcopi, Curati, Imperatores, Reges, Principes, Tutores, Curatores, & Magistri, quorum prudentia erudimur, & doctrina: his certè omnibus honorem & reuerentiam exhibendam & hoc præceptum, & naturæ dictamen nos edocet; vnde coniicientes contumelias in hosce, ad grauemque iram iustam prouocantes grauiter delinquunt Ex *Saa* & aliis. Saa.

39. *Num teneatur pater non solùm filio etiam proscripto & emancipato alimenta præbere, sed & filij vxori, dum filius præbere non potest* Ex *Azorio* tenetur; vxor enim & maritus idem reputantur. Azor.

40. *Num mater filio alimenta præbere teneatur?* Præter lac minimè, & ipsam lactationem debet ex defectu patris; vnde existimo quod si ipsa iustè excusatur ab immediata nutritione, ad patrem solum pertinere sumptus filio nutriendo licet ad matrem pertineat bonam filio nutricem adhiberi curare.

41. *Possunt ne parentes filium agrotantem ad hospitale remittere?* Mortaliter peccant, nisi adsit iusta, v.gr. necessitatis causa. *Azorius.* Azor.

42. *Obligatio ne filios alendi transit ad hæredes parentis, qui filios alere tenebatur.* Maximè ex *Azorio*; sed non transit directè ad donatarium; neque ad eos, qui bona parentum titulo emptionis, vel similis contractus acquisierunt; transmittitur tamen ad fiscum, cui bona parentis addita fuere, ob ipsius parentis delictum. Azor.

43. *Pater qui filio alimenta non præstitit, tenetur ne ad restitutionem?* Maximè ex *Lessio*, nisi fortè ob id filius debita contraxisset. Lessius.

44. *Tenetur ne pater filiæ nubenti dotem competentem constituere?* Tenetur planè etiam spuriæ, quamuis filia diues sit, aut monasterium ingredi velit, aut nubat, inuito parente, aut etiam indigno; secus si filia nubens cum dedecore indigno maior sit viginti quinque annis; & diues, patríque alimentis non indigeat. Neque pater eximitur ab onere dotis, alio tradente. Sic *Fagundez.* Fagund.

45. *Possunt ne filij priuari hæreditate, & alimentis?* Multis de causis posse ex meis Doctoribus collegi. 1. Ob percussionē parentum iniustā cum lethali culpa. 2. Ob graue & inhonestam iniuriam.

iniuriam. 3. Ob accusationem in iudicio, excepto crimine hæresis, & læsæ Maiestatis. 4. Ob attentationem in vitam patris. 5. Si cum maleficis versetur. 6. Si copulam habeat cum nouerca, seu patris vxore. 7. Si non succurrat patri. 8. Si impediat ne pater testamentum conficiat. In his certè casibus pater filium hæreditate priuare potest, non verò alimentis, si aliunde filius non haberet.

46. *Quid de filia aut inuitis parentibus nubente, aut luxuriosè transigente vitam?* Nubens parentibus inuitis, seruata Tridentini forma, attento iure Canonico non potest hæreditate priuari, imò neque Cæsareo, nisi filia sit minor viginti quinque annis, & parentibus volentibus ipsam in matrimonium coniungere renuerit, & luxuriosam degere vitam voluerit, Tamen filia, quæ bis tantum copulam commisit, non potest ob id hæreditate priuari. Idem affirmo si post vigintiquinque annos luxuriosam vitam degerit: imò etiam si ante vigintiquinque annos, si mater illius luxuriosam vitam degat, & nondum correcta sit exhæredationis tempore; secus dicendum, si solus pater luxuriosè viuat. Porrò à fortiori filius inuito patre contrahens etiam cum indigna, non potest hæreditate ideo priuari; quia leges solummodo de filialibus loquuntur. Certè exhæredatio non tollitur per reconciliationem superuenientem, aut pœnitentiam: tollitur verò Religionis professione.

§. 2. *De obligatione cõiugum* Fagund.

47. *Quod attinet ad coniuges, quæram, num teneatur vir vxorem alere, si ob viri sæuitiam recedens renuat oblata securitate ad virum redire?* Non teneri affirmo ex Fagundez; si verò vxor vtriusque coniugis culpa recessit, deinde ad maritum redire contendat, maritus autem id non patiatur, alenda est à marito; quia vltima culpa ipsi marito est imputanda. Alenda item, quoties dos casu fortuito periit.

48. *Num vxor aut filij ad soluenda debita teneantur, quæ vir seu pater contraxit pro vxore aut filiis alendis?* Minimè, nisi pater illa acceperit nomine ipsorum, vel protestatus sit, nolle gratis illa præstare, aut nisi acceperit in fraudem, id est, sine iusta causa, scientibus filiis, & vxore.

§. 3. *De dominis, ac famulis.*

49. *Seruorum ac dominorum percurro obligationem. Tenetur ne dominus de damnis, quæ cum posset non impedierit circa famulos, aut vasallos?* Tenetur planè. Potest in domibus seruorum dare hospitalium externis per aliquot dies, modò id suis præstet expensis. Potest & solus hospitium, & furnum publicum, si velit, habere. *Valentiam* consule. *Potestne dominus famulum ob peccatum domo eiicere?* Non nisi fortè id necessa-

rium

rium sit ad peccatum illud vitandum, aut nisi futura mansio familiæ graui nocumento. Sic *Azor.* Azor.

50. *Si famulus ad annum conductus ante tempus discedat, debetur ne ei merces?* Cum Rebello affirmo deberi mercedem temporis, quo seruiuit, nisi domini multum interesset eum diutiùs morari.

51. *Tenetur ne herus soluere salarium famulo infirmo, quandiu ægrotans est?* Molina negatiuè respondet, nisi sit in extrema, aut graui necessitate? tunc enim ex charitate teneretur. Imò potest ab eo exigere sumptus in curatione factos.

52. *Potest ne seruus bello captus fugere?* Molina affirmat iusto bello captum peccare mortaliter fugiendo, teneríque se domino restituere. Ego autem sequor *Valentiam* asserentem posse fugere etiam ab eo, qui se emit à captiuitate, nisi non fugere promisisset. Valent.

53. *Num bona ludo, aut dono, aut hæreditate à seruo acquisita domini sint?* Cum *Valentia* negatiuè affirmo de captis in bello, sed & ad emptitios alij extendunt. Valent.

EXAMEN VII.

De Legibus in particulari circa materiam quinti Mandati Decalogi de Occisione.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam in Præcepto quinto prohibeatur?

IN hoc *Præcepto*: Non occides, *quid prohibitum est?* Omnis occisio, quæ contra naturam fit, non animalium, vnde venatio sua natura licita est. Vna cum occisione hominis prohibita est mutilatio, contumeliæ, voluntas occidendi, mutilandi, percutiendi, & omnis ad id cooperatio.

Quinam debet habere homicidium, vt prohibitum non sit? Tria præcipuè, iustam causam, publicam auctoritatem, & vt fiat secundum ordinem iuris. Porrò malefactores non prohibentur occidi. Innocentis occisio absolutè est prohibita; nisi in aliquo casu necessaria esset ad bonum Reipublicæ. Tyrannum gubernatione non licet occidere ex iniusta inuasione;

sione, in ipso inuasionis actu licet, vt patriæ hostem; at si possessionem Regni adeptus iam sit, publicum iudicium postulat. *Quid de viro in flagranti vxorem occidente?* Peccat planè, sed legibus non punitur: vt minister tamen publicæ potestatis, post latam à iudice sententiam occidere absque peccato posset.

CAPVT II.

De variis Homicidij speciebus.

§. 1. *Homicidium Punitiuum.*

1. *Quotnam Homicidij species?* Nouem præcipuas adnumero. Punitiuum, defensiuum, voluntarium sui ipsius, voluntarium aliorum, per Abortum ex ludo, Casuale, ex Duello, ex Bello.

2. *De iustitia Homicidij punitiui disserere.* Malefactores possunt occidi, nocturni diurni fures, & alij quicunque malefactores, etiam certò damnandi.

3. *Quid de proscriptis publicè?* A quolibet etiam priuato possunt occidi, intra territorium tamen proscribentis, extra minimè. *Licet ne bannitum occidenti præmium proponere?* Licet. *Filij ne ex legitima facultate interfectorum patris aut fratris occidere?* Possunt planè. Porrò ante sententiam non datur facultas quemquam occidendi.

4. *An iudex addicere morti potest, quem secretò tantùm deliquisse cognouit?* Minimè, nisi eam Respublica facultatem daret. *Dignum morte ex actis, & probatis, potest ne iudex à morte eximere?* Non; Princeps verò in aliquo casu posset.

5. *Quid, si innocens ex actis & probatis nocens apparet dignus morte?* Non potest eum condemnare iudex, Princeps autem deberet ei carcerem aperire.

§. 2. *Homicidium defensiuum.*

De Homicidio defensiuo quid? Aggressor potest ab aggresso occidi, ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ; quoad locum habet etiam si aggressus daret operam rei illicitæ, etiam cum periculo innocentis; eiusque aggressoris mors expeti potest, vt medium suæ necessariæ defensionis.

6. *Præueniri ne aggressor potest aliquando?* Potest, vt etiam insidiator. *Tenetur ne aggressus cum dedecore fugere?* Minimè. *Potest ne prætermittere defensionem?* In aliquibus casibus potest, at ferè nunquam tenetur. *Licet ne aggressorem occidere*

pro

pro defensione rerum mearum? Licet, modo sint res necessariæ, vel grauis momenti.

7. *Licet ne pro defensione honoris verbis tantùm impugnati aggressorem occidere?* Minimè; licèt tamen si factis impugnetur. *Fugit aggressor.* Occidere non licebit.

8. *Pro defensione castitatis potest ne fœmina violatorem necare?* Potest. *Pro defensione proximi bonorum, & honoris?* Idem affirmo. *Num obligatio proximum defendendi cum meo probabili periculo?* Non, si defendens priuata sis persona; at obligatus ex iustitia, teneris. *Num iustè damnatum teneat pecunia redimere?* Minimè teneris.

§. 3. *Homicidiũ voluntarium.*

Homicidij voluntarij sui ipsius explica obligationem. Homicidium proprium nunquam licet, nec sui occasionis iusta causa dari vnquam potest; nec etiam pro castitate seruanda. Mutilatio pariter sui ipsius prohita est; ad vitandum peccatum ea licet.

9. *Potest ne quis permittere, imò instare amputari membrum ad seruandam vitam?* Potest. *Ad occisionem sui velle concurrere?* Directè non licet; at permittere licet multis in casibus.

10. *Fas ne omittere aliquid, vnde mors sequatur?* Maximè, & etiam facere, vnde mors indirectè secura sit, non autem si directè. *Licet ne mihi ministratum haurire venenum?* Non; aperire autem os, vt infundatur, licet.

11. *Quidnam potest alius gerere ad vitam seruandam?* Iustè damnatus potest non fugere è carcere. Ad vitam seruandam peccare non licet. Nec tenetur perferre quoslibet cruciatus quisllibet. Membrum abscindi potest, ad seruandam vitam. Etiam licitum, non comedere carnes ex constitutione Religionis, nisi esset extrema necessitas; tunc enim, si fame aliàs esset pereundum, teneretur. Pestis tempore fugere potest, qui ex officio obligatus non est, vt Parochus, Magistratus.

12. *Iam Homicidij voluntarij aliorum percurrenda materies. Homicidium ne respectu mandantis est voluntarium?* Maximè; at si ante executionem mandatum reuocauit, vel fiat contra mandati formam, non ei imputabitur. Porrò ratum habens non efficit actum præteritum voluntarium. *Qui de consentiente?* Voluntariè concurrit. *De adiuuante?* Etiam si intendit homicidium, dicetur ei voluntarium. *De non impediente?* Tunc dicetur voluntariè concurrere, cum haberet illius intentionem.

13. *Mors obueniens alteri ex meo maleficio tribuitur ne meæ voluntati?* Non, nisi ea intentione actum sit, vt ea obueniret: etiam si alioqui aduertatur secutura. Nec satis est dam-

num sola voluntate intendi; sed necesse etiam, vt hæc actio exterior soleat esse causa talis damni.

14. *Mors secuta est ex tuo animanti: imputabitur tibi?* Si graui mea negligentia secuta est, mihi iure imputabitur: secus si non fuit in diligentia defectus; & quoties culpa abest, in conscientia minimè tenemur.

§. 4. *Abortus*

15. *Per Abortum Homicidium explana?* Porro Abortus homicidium est imperfectum; eiusque procuratio mortale peccatum semper est; si fœtus autem animatus sit, excommunicatio, & irregularitas incurritur.

16. *Num liceat aliquando abortum procurare?* Directè nunquam, siue animatus siue inanimatus sit fœtus; indirectè si non animatus aliquando licet, scilicet ad vitam, tuendam, non tamen ad vitandam infamiam, vel periculum vitæ ex criminis manifestatione.

§. 5. *Homicidium per ludum.*

17. *De Homicidio per ludum disquiramus: efficit ne ludus homicidium voluntarium?* Ludus, ex quo frequenter mors sequi solet, voluntariè assumptus efficit etiam homicidium voluntarium, si prohibita alicubi agitatio taurorum. Qui probabiliter iudicat fore, vt superetur à fera, non potest se tali periculo exponere, secus qui iam experimento didicit magna se peritia pollere. Funambulorum exercitamenta ideo non prohibita, nec iniqua sunt, quia licet artifices huiusmodi luctantes præcipitari assolent, sed magna dexteritate pollentes remotum maximè periculum vt instans aspiciunt.

§. 6. *Homicidium casuale.*

18. *De casuali homicidio agendum: quidnam tale homicidium?* Quod præter intentionem agentis accidit: duplex planè, vnum omnimodo casuale in se ipso, & in sua causa: alterum in se ipso tantùm, at in sua causa voluntarium aliquo modo est. Quod omninò casuale est, peccatum non est, quia nullo modo voluntarium; cum autem in sua causa voluntarium est, seu ob culpabilem negligentiam, seu quia in opere periculoso sufficiens cautio adhibita non fuit, tunc delinqui poterit grauius aut leuius iuxta voluntarij actus grauitatem.

19. *Num ad restitutionem teneatur, qui casualis homicidij author est?* Minimè, quando omnino casuale est; secus si non sit casuale omnino; tenetur enim restituere iuxta culpæ proportionem.

20. *Quonam modo dignoscemus culpæ grauitatem.* Regulas ad tam necessariam materiam exhibeo. Prima est, Dans operam rei licitæ, si mors præter intentionem sequatur, peccat magis, vel minùs iuxta negligentiam maiorem, vel mino-

rem.

rem, quam adhibuit, ne mors sequeretur. Secunda, Dans operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem secutum est homicidium, plus, aut minus peccat, provt maior, aut minor fuit negligentia, vel maius, aut minus periculum occisionis in illo actu. Tertia, Qui omittit aliquid, ad quod ex iustitia tenebatur, si ex hac omissione sequatur mors alterius, peccat tantùm pro malitia omissionis. Quarta, si omissio est rei, ad quam ex charitate obligatur, si ex hoc sequatur alterius mors, peccat iuxta omissionis qualitatem.

21. *Quænam in Confessione homicidij culpabilis explicandum?* Personæ equidem & ratione status Clericalis; & ratione carnalis coniunctionis; & ratione dignitatis Episcopi, aut Cardinalis, ob excommunicationem in Bulla Cænæ reseruatam; & ratione protectionis particularis, venientium ad Curiam, ob eandem causam; ratione damni secuti, vt ex occisione alieni serui. Porrò circunstantiæ exprimendæ tres, loci, sociorum, & temporis ob numerum.

22. *De Homicidio ex Duello quidnam?* Duellum quidem est bellum duorum, pugna scilicet duorum ex condicto. *Quámam fit ob causam?* Ob sex præcipuè. 1. Ad purgationem. 2. Ad ostentationem virium. 3. Ad terminationem litis. 4. Ad euitandam ignominiam. 5. Ad defensionem propriæ vitæ. 6. Ad maius malum euitandum. §. 7. *Homicidium ex duello.*

23. *Quandónam licitum duellum huiusmodi?* Ad debilitandum hostem: & ad terminandam litem solùm, cum aliàs per fraudem innocens opprimendus esset; & ad vitam defendendam in aggressione licet, non alia ratione. Profectò ad purgationem, & ostensionem virium, ad litis terminationem, ad honoris defensionem, & ad euitandum maius malum siue sit vindicatiuum, siue defensiuum, illicitum omnino esse affirmo: fateor tamen licere, cum bellum in duellum resolueretur.

24. *Indica duelli pœnas?* Pro Clericis vltra excommunicationem, est etiam imposita suspensio; pro laicis, & omnibus excommunicatio, aliæque pœnæ temporales. Omne duellum ex condicto, subiectum est pœnis. Vi Tridentini haud est reseruata excommunicatio, vi autem aliorum est. Prouocantes ad duellum, effectu non secuto, incidunt in excommunicationem, vt etiam acceptantes, spectantes. Spectatores casu non incurrunt, sed qui ex composito.

25. *De bello denique, homicidióque in eo contingenti differendum*

§. 8. Ex bello.

rendum est. Num bellum est licitum? Sua natura licitum planè. Quidnam ad eius iustitiam requiritur? Indicendi auctoritas, iusta causa bellandi, & intentio recta. Iustum quidem est bellum si tale sit probabiliter, quia ex vtraque parte iustum ex se esse non potest; potest autem ex ignorantia.

26. *Iustè gerens bellum potest ne accipere bona?* Potest, etiam innocentium: & mobilia fiunt occupantium, iure gentium.

27. *Num homicidia licent?* Omnia quidem licent, quæ ad obtinendam iustam compensationem necessaria sunt, vel ad vindicandam iustè iniuriam, vel ad pacem stabiliendam. Stratagemata etiam licent in defensiuo. Si iustum sit, etiam obsides occidi possunt, si fidem hostes fregerint.

28. *Num liceat priuatis militibus prædari, aut agros incendere, vel domos?* Minimè sine licentia Ducis. *Licet ne in bello iniusto occidere?* Si aggressiuum sit, non licet; si defensiuum licitum est.

29. *Quid in dubio iustitiæ belli?* Militare non licet, si aggressiuum sit: subditis tamen in dubio licet, si à suo Principe vocentur. Omnes militantes occidere possunt, ciuitas etiam studi diripienda, si victoria aliter obtineri non potest.

30. *An capti in bello serui fiant?* Ita planè, modò Christiani inter Christianos exceptentur.

Caput III.

Praxis circa materiam de Homicidio ex Doctoribus Societatis.

§. 1. De Bannitis ac Banniti occisione.

31. *Licet ne occidere Bannitum?* Licet quando Respublica dat cuilibet facultatem. Porrò bannitus non potest ex *Filliucij tom. 2. tract. 28. cap. 2. num. 24.* sententia extra territorium Principis proscribentis occidi; nisi consensus saltem tacitus, vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in cuius territorio inuenitur, interueniret.

32. *Potest ne proditoriè, & per insidias bannitus occidi?* Affirmat *Molina de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 7. num. 1.* nec obstare periculum damnationis illius; quia maior ratio habenda boni publici, quam particularis, qui prospicere potest saluti; à culpis abstinenda. *Num bannitus liceat se inuicem occidere?* Licet ad libertatem, aut præmium acquirendum; quia cómmuni bono expedit.

33. *Num*

33. *Num possim interficere grassatorem, vias publicas tenentem?* Potes in propriam defensionem,& aliorum, quibus ille mortem,& alia damna parat. Sic *Molina vbi sup.* §. 2. *De inuasore, & grassatore.*

34. *Inuasorem quis potest licitè occidere?* Respondet *Molina de Iust. tom.4. tract.3. d.11. num.4.* posse aggressum per se intendere mortem aggressoris, quando videt id necessarium esse,ad illius impetum euadendum. Molin. Molin.

35. *Quandónam, precor, quis dicitur, aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere?* Quando aggressorem occidit,non aspiciens illo in conflictu aliam viam,quia iniustum, & graue damnum possit euadere. *Damnum graue quódnam?* Mors; inuadenti te,vt occidat, licitè occidis si non est aliud tuæ incolumitati remedium. *Teneor ne fugere?* Non si nobilis,si miles es. At si plebeius, aut talis, cui nulla ex fuga contumelia exsurgat: teneris ex charitate fugere. *Clericus sum, aut Religiosus.* Teneris etiam ex iustitia; quia fugiens non amittis honorem, sed acquiris. Scio *Lessium lib.2. c.9. dub.12. n.86.* docuisse, in hoc Clericos pares esse laicis, & tantum teneri ex charitate fugere. *Inuasor est pater, auus, frater.* Tenetur fugere filius,nepos,frater minor; quia horum fuga pietati,non formidini ascribenda. Sic *Petrus Hurtado 2.2. d.170. sect.6.§.136.* Addo ignominiosam non esse fugam ebrio,aut amente inuasore: vnde fugere tenemur. Lessius. Hurtad.

36. *Licet ne occidere eum, qui non inuadit actu, sed decreuit inuadere?* Docet *Molina de Iust. tom.4. tract.3. d.12. n.2.* posse præueniri, quando ex aggressionis decreto vita tua periculo maximo capitali est obnoxia; quia non ob id præcisè licitum est iniustum aggressorem occidere, quòd aggreditur: sed quod sua aggressione alterius vitam discrimini addixit, ita vt non valeat aliter se defendere nisi occidendo. Vnde si iniusto decreto inuadendi, vitam alterius ad huiusmodi discrimen adducat,potest etiam occidi. Molin.

37. *Accedit quis ad me pugionem extracturus ad me occidendum, nec possum aliter mortem euadere.* Potes præueniendo occidere. *Reginaldus tom.2. lib.21. cap.5. num.57. Maritus condidit sub cervicali pugionem, vt vxorem interficiat.* Vxor id certo sciens, & aliud non aspiciens remedium, potest præuenire, & maritum occidere. *Lessius lib.2. cap.9. dub.8. n.45.* Quis *alteri venenum præparauit.* Potest eodem veneno industriosè occidi, *Lessio* authore, si aliud non adest euadendi remedium. Regin. Less.

38. *Scio falsum testem, vel iniquum accusatorem contra iustitiam legalem expandere intendere crimen verum, sed occultum:*

licet ne occidere, si ex hoc timeam capitalem sententiam, aut notabilis rerum temporalium amissionis? Bañes asseruit, dummodo prius admonitus nolit desistere,& non sit spes euadendi; quia etiam in crimine vero, quando est occultum deest ius accusandi. At Conin. *de Act. supern. d. 32. dub. 2. num. 12.* docuit, licet opinio Bañes, spectato solo iure naturæ sit probabilis; ius tamen positiuum potuisse id prohibere, & de facto prohibuisse,nec impunis abit,qui accusatorem & testem prætextu falsitatis, aut iniustæ veri criminis reuelationis necat. Ratio est, quia si talis excusatio admitteretur, omnibus litigantibus homicidiis ianua resereretur. Quis enim pro se iustitiam stare non existimet.

39. *Scit miles se iniustè pugnare: licet ne tamen ei militem contrarij exercitus irruentem occidere?* Dubius hæret Molina *de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 15. n. 5.* quia cum alter miles iustè irruat, non potest miles alter iniustè dimicans se defendendo illum occidere: sicut non possunt delinquentes iustitiæ ministros interimere. Ex aliorum tamen sententia licere est probabile, dummodo miles aggressorem moneat, vt ab irruptione abstineat; quia licet Princeps iniustè militat, miles (coactus plerumque ad bellum) iustè se defendit.

40. *Licet ne occidere vitæ proximi iniustum inuasorem?* Respondet affirmatiuè *Filliucius tom. 2. tract. 29. c. 4. n. 54.* quia ex lege charitatis licitè pro alio gero,quod pro me ipso possum. *Cedit inuasus iuri suo.* Inuasor potest occidi;quia inuasus non est dominus vitæ suæ, vnde non potest suo iuri cedere. Sic *Tannerus tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 80.*

41. *Dixisti licere ad vitæ defensionem inuasorem tui, aut proximi occidere: rogo,an teneamur?* Ita planè, si inuasus sit persona necessaria Reipublicæ, vel Princeps, vel proprius pater, mater,frater,filius,vxor, vel persona ad cuius custodiam quis ex officio, aut promisso,aut contractu obligatur. Lege *Molinam de Iust. tom. 4. tract. 3. d. 18. n. 3. & 4.*

42. *Potest ne quis bonorum inuasorem interimere?* Bonorum notabilis amissio graue damnum est, ad quod repellendum licet occidere inuasorem,quia bona externa media,sunt ad vitæ,honoris, & status sustentationem:ideo bona externa vita & sanguis hominum appellantur. *Glossa in l. Aduocati, C. de aduocat. diuers. iud.* Vnde defendi possunt sicut & vita cum dispendio vitæ alterius. *Molina sic tom. 4. de Iust. tract. 3. d. 16. n. 1.* extendens doctrinam ad Clericos. *An possit extendi ad Religiosos, cum proprium hi non habeant?* Potest, quia vnusquisque habet ius defendendi non solum propria,sed ea, quæ

possi

possidet in communi. *Tannerus tom.3.disq.4.quæst.8.dub.4.* Tann. *num.77.*

43. *Quæsierim, quanti valoris debeat esse res, pro cuius conseruatione possum furem occidere?* Non debet esse res parua, nisi vt defendat fur rem paruam, velit repetentem inuadere, vel res parui momenti in se, magna sit in virtute, v.gr. lapis medicus: vel tolleretur cum iniuria. *Lessius lib.2.c.9.dub.11.* Less. *num.* 68. Regulariter autem *Molina tom.4. de Iust. tract.3.* Molin. *d.16.n.7.* vnum aureum assignat. Imò non solum asserit, ob vnum aureum, sed ob rei minoris valoris defensionem posse te irruentent m latronem occidere. Ratio est, quia cum irruit latro, non solum rem, quam arripere curat, sed & vitam, cui præsumis iustè insidias parari, defendis. Nisi autem latro iniuriosus irruat ob rei parui momenti defensionem eum non licebit interimere.

44. *Licet ne inuadentem res proximi necare?* Respondet affirmatiuè *Molina vbi supr.d.18. num.1.* sicut de vitam pto- Molin. ximi inuadente affirmarat. *An teneatur?* Idem Doctor in priuato homine, & qui ad hoc non est deputatus ex officio abnegat, tantam charitatis adesse obligationem, vt ad defendenda bona proximi longè inferioris ordinis, quàm vita, teneatur inuasori vitam temporalem, & plerumque æternam auferre.

45. *Licitum ne Religioso, occidere calumniatorem grauia crimina de sua Religione spargentem: sicut licitum est cuilibet pro tuendo honore cum moderamine interimere?* P. *Amicus,* Amic. (cuius octo de cursu Theologico volumina, nuper ad meas venere manus) *tom.5.de iust. d.36. sect.7.num.118.* non audet affirmatiuæ sententiæ hæresceré, ne communi aduersari videatur. Attamen sic arguendo gratia roborauit. Si laico (ait) propter honorem & famam hoc licitum est, multo magis videtur licere Clerico, & Religioso: siquidem professio, sapientia, & virtus, ex quibus hic Clerici, & Religiosi honor progignitur, sunt maiora, quam dexteritas armorum, ex qua honor secularibus nascitur. Tum licitum est Clericis, & Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, si alius modus non suppetat: ergo & in tutelam honoris.

46. *Aggreditur quis virum nobilem, seu alapa, seu baculo percutere: licebit ne ei occidere prius aggressorem?* Affirmat *Lessius lib.2.cap.9.dub.12.num.77.* quia maximum in Less. aliquibus Religionibus dedecus est, alapas vel baculi verbera absque vindicta relinquere. Limito tamen sententiam

ad viros nobiles; plebeis enim alapæ & verbera parum sunt dedecori.

§. 3. *De occisione contumelioſi.* Leſſ. 47. *An liceat poſt impactam alapam percutientem inſequi, & interimere?* Aliqui negant; quia id eſſet iniuriam vindicare, non defendere. At *Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 80.* licere exiſtimat ſpeculatiuè, ſed in praxi non conſulendum ob periculum odij, vindictæ, & exceſſuum, pugnarum, & cædium in Reipublicæ pernitiem. Alij ſecluſis his periculis in praxi probabilem, & tutam iudicarunt. Henriq. *Henriquez lib. 14. cap. 10. num. 3.* Ratio eſt, quia quandiu damnum illatum manet in ſuſpenſo, ſemper eſt locus defenſioni, vt patet in eo, qui furem inſequitur fugientem, ad recuperandum ablatum. Nam quamuis honor non ſit apud percuſſorem ſicut ablata res apud furem: poteſt tamen non ſecus ac res furtiua recuperari, oſtendendo ſigna excellentiæ, & æſtimationem apud homines captando. An non alapa percuſſus cenſetur tandiu honore priuatus, quandiu aduerſarium non interimit?

Azor. Baldel. 48. *Num liceat contumelioſum, ſeu profantem:* Mentiris *honorato viro internecare?* Negat *Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 1. q. 17.* quia verbales iniuriæ verbis poſſunt repelli. At *Baldell. lib. 3. d. 24. 24.* putat licitum eſſe occidere contumelioſum; ſed in caſu, quo aliter arceri non poteſt; ne detur licentia improbitati, optimos viros contumeliis afficiendi, quam facta acerbioribus.

Hurt. 49. *Licet ne aliquando,* Mentiris *iactitare?* Aſſerit *Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 70. ſect. 14. §. 117.* falſum, ſeu verum occultum crimen obiicienti poſſe reſponderi: Mentiris. At ſi hoc non ſufficit, vt adſtantes credant, illum eſſe mentitum: obiici ei poſſe alia vera crimina.

Tanner. 50. *An liceat pudicitiæ inuaſorem de meo tollere?* Affirmat *Tannerus tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 68.* quia pudicitia eſt maximum bonum, & in eius violatione maximum conſenſus periculum in patiente ineſt.

§. 4. *De innocentis occiſione.* Tann. 51. *Quandónam licet occidere Innocentem?* Innocens poſtulatus ab inimico minante vrbis excidium, tenetur ſe ipſum inimico tradere, & pro communi bono Reipublicæ mortem ſubire. Idque ei poteſt Reſpublica præcipere, & renuentem inimico tradere: Imò contumaciter renitentem occidere; quia tunc non innocens, ſed maximè eſt nocens. *Tannerius tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 54. Fugit quis equeſter inimicum inſequentem, videtque in via puerum, aut mendicum iacentem: neceſſe me, aut eos conculcare, aut ab hoſte vulnere lethali affici: quidnam*

quidnam præstare debet? Tenetur possibilem circunspectionem adhibere, ne noceat; non tamen gradum sistere, & subire inimici manus; quia ius habet ad fugam via publica ineundam, quo non potest ratione iacentis inibi accidentaliter, priuari. *Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 59. num. 3.* Aliquis limitat appositè, nisi occidendus foret infans non baptizatus; tunc enim fugiens lege charitatis teneretur mori potius, quàm illum occidere. Less.

52. *Licet ne occibere innocentes obsides, si hostes fidem fregerint?* Licere *Azor. tom. 3. lib. 2. c. 7. q. 16.* asserit; quia ea conditione dantur, vt hostes fidem seruent. Alioqui ex bello nec pax, nec securitas haberi posset. Azor.

53. *Scio nullo in casu licere directè se ipsum occidere; quia malum intrinsecè: rogo tamen, an liceat damnato ad mortem, à ministro iustitiæ venenum sibi paratum haurire? Comitolus lib. 4. quæst. 10. num. 6.* asserit non licere, quia perinde esset, ac si pugione quis sibi ictum inferret. Nec iudex ad id posset damnare, sed vt mortem patiatur. *Potest ne os aperire?* Negant graues Doctores, & venenum in os immissum asserunt teneri in stomachum non traiicere, dum potest. §. 5. *Liceat ne se ipsum occidere.* Comit.

54. *Potest ne infirmus medicamina respuere, quando spes salutis adest?* In mortis discrimine non potest. At in doloribus grauibus citra mortis periculum potest mortificationis ergo, imò est meritorium. Sumere autem cibum nociuum inaduertenter, aut leuis nocumenti intentione, aut opinione, leue piaculum. *Sanch. opusc. tom. 1. lib. 5. c. 1. dub. 34. n. 7.* Sanch.

55. *Tenetur ne virgo, aut fœmina honesta patiens morbum, cui non possit medicina sine rubore adhiberi, manus chirurgi subire?* Tenetur curam fœminarum admittere, non tamen medicorum, quam plusquam mortem odio habet. *Turrianus sum. p. 1. c. 263. dub. 5. concl. 11.* Turr.

56. *Scio prægnanti ægrotæ periculosè, posse adhiberi medicamina directè tendentia in curationem illius, licet per accidens sequatur abortus: rogo vlterius, an, si de vita matris, ac fœtus desperatum sit, liceat medico, imò & debeat matri applicare medicamina, eauè primo directa ad ipsius salutem, ac ad fœtus abortum?* Affirmat *Sanchez de Matrimon. tom. 3. lib. 9. d. 20. n. 19.* addens, id etiam procedere in dubio, an medicamenta vitam, an verò mortem sint ægrotanti fœminæ allatura; quia melius est dubium experiri auxilium, quàm sinere sine remedio deperire. §. 6. *De abortu.* Sanch.

57. Dubium est, an medicamentum profuturum sit matri,

& nociturum præsumitur fœtui: quod quidem certò, aut valde probabiliter sine tali medicamento viuum extrahendum è matre mortua præsumitur: licebit ne dubio illo medicamine vti? Minimè, ait *Lessius lib.2.cap.9.dub.10.num.63.* At *Sanchez citat.num.17.* putat hunc casum rarò contingere ob matris in filium humorum communicationem. Profectò experti chirurgi opera vidi sæpe è demortuæ matris vtero prolem viuam extractam.

Less.

58. *Quid si fœtus animatus non sit? licebit ne abortum procurare ad tuendam vitam, vel honorem alicuius puellæ prægnantis? Sanchez de Matr.tom.3.lib.9.d.20.n.11.* asserit in periculo mortis licere, in honoris periculo non licere. Scio doctum asseruisse, hæc duo minimè cohærere; nam si licitum est in secundo casu, cur non erit in primo? Sanctio hæresimus; quia non sunt gerenda mala, vt bona eueniant.

Sanch.

59. *An licitum, coniugem sterilitatem procurare?* Malum quidem intrinsecè. *Turrianus tom.2.d.26.dub.2.n.45.* Obiicio *Thomam Sanctium tom.2. de Matr.lib.9.d.20.n.2.8.& 10. asserentem licitum esse fœtus non animati abortum procurare, ad matrem ægrotantem è vitæ discrimine eripere.* Non valet paritas nam in hoc casu fœtus aggreditur matrem, & periculum præsentaneum est; quando verò poculum sterilitatis exhibetur, fœtus nondum est conceptus, & fœminæ, quę assolet cum periculo vitæ parere, discrimen est remotum. Vnde *Torreblancæ*, existimantis licere fœminæ cum vitæ discrimine parienti sterilitatem procurare; ratio infirmatur.

Turr. Sanch.

60. *Valde probabile est morituram matrem, & simul fœtum, si quoddam remedium non adhibeatur: eo verò adhibito, matrem saltem posse conseruari: potest ne mater illo vti medicamine?* Potest planè ex multorum sententia. Attamen *Cardinal. de Lugo de iust.tom.1.d.10.sect.5.n.133.* addit matrem debere remedio non vti vel vitæ dispendio, si certum est tali medicamine fœtum periturum, quem mortua matre sine illius remedij vsu, probabile est viuum ab vtero abstrahendum, litando scilicet illam vitæ spem spirituali fœtus saluti. *Quid si mater sit in peccato mortali?* Non excusatur (ait ille) à procuranda salute spirituali filij, sed potius ad eum finem obligatur, ad procurandum statum gratiæ per contritionem, & sacramenta. Alioquí nec Parochus, nec vllus ex officio teneretur proximo in extrema necessitate spirituali existenti subuenire cum periculo vitæ, si probabiliter timet lethali crimine esse illigatum; quod est absurdum.

Lugo.

61. *Scio abortum facientem, & mandantem, aut consu-*

lentem

lentem post fœtus animationem, fieri irregularem: rogo, an si dubium sit de fœtus animatione, irregularitas incurratur? Respondet *Præpositus in 3.p.q.5. dub 8. n.58.* negatiuè; quia irregularitas punit homicidium, hic autem dubium est, an commissum fuerit. Præp.

62. *Consulit quis abortum, quem consilij postmodum pœnitens conatus est retractare: incurrit ne irregularitatem?* Si consilium huiusmodi remouere non potuit, quin sequeretur, irregularis remanet; quia verè in homicidium influxit. Sic *Lugo.* Lugo.

63. *Est fœmina parata sibi necem inferre, ad vitandam prægnationis infamiam: licitum ne ei abortum suadere? Cardinalis de Lugo de iust. tom.1. d.9. sect.2. § 2. n.43.* affirmatiuè respondet, si alio modo non posset ab hac voluntate auerti; quia hoc non esset ad malum inducere, sed ad minoris mali electionem. Lugo.

64. *Dedi abortus consilium, postmodum autem (circa irregularitatis reatum) dubito, an meo consilio fœmina sit mota ad abortum: quidnam præstandum, vt me à dubitatione expediam?* Putat *Fagundez. Decal. tom.1. lib.2. cap.10. num.16.* te posse stare dicto fœminæ fide dignæ, cui datum consilium, si asserat non fuisse ab eo motam. Fagund.

65. *Scio, procurantes abortum secuto effectu incurrere priuationem omnis priuilegij Clericalis, & omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, &c. Rogo an huiusmodi pœna reum obligent in conscientia ante iudicis declarationem?* Communiter negatiuè respondent Doctores; quia nullus tenetur esse reus, ac proinde sententia reatus declaratoria requiritur. *Lessius lib.2. cap.35. dub.26* asserit pœnam inhabilitatis ante sententiam iudicis non obligare, cum hac limitatione, quod si inhabilitatis pœna lata sit solum quoad illud solum numero beneficium, ante sententiam obligat. Less.

66. *Quidnam intelligitur nomine priuationis officij?* Munus administrationis rerum, vel personarum Ecclesiasticarum cum superioritate. *Sanchez in Decal. lib.6. c.15. n.66.* Sanch.

67. *Num dari possit bellum vtrimque iustum?* Materialiter loquendo iustitia vtrique parti fauere non potest, quia indiuisibilis; potest verò formaliter ratione ignorantiæ inuincibilis: ita vt apud vnam partem iustitia reuera sit, apud aliam præsumatur. Hoc ex *Filliucio* innui suprà. §.7. *De Bello.* Filliuc.

68. *Dixisti Principes debere in bello indicendo rectam adhibere intentionem: rogo, an hæc intentio pertineat ad iustitiam,*

an

an ad belli honestatem? Non pertinet ad iustitiam; quia si iudex secundum leges. v.gr. reum punit animo vindictæ, non peccat contra iustitiam, sed solum contra charitatem; vnde
Palao. non tenetur ad restitutionem. *Palaus tom.1.tr.6.d.5.p.1.n.4.*

69. *Potest ne ex bello iusto Princeps ad restitutionem teneri aliquando?*
Molin. Tenetur planè ex *Molinæ* doctrina, suis subditis, quoties cum maximo ipsorum incommodo & detrimento bellum aliàs iustum suscipit; quia hoc bellum non vndique iustum est. Princeps enim ex iustitia tenetur non solum habere iustam causam bellandi respectu hostium;
Conin. sed etiam subditorum respectu. Vnde *Coninch dub.4. num.37.* asserit illicitè moueri bellum, si minima spes victoriæ subsit. Caietanus requirit moralem victoriæ certitudinem. At
Pal. *Palaus part. 3. num.17.* putat sufficere certitudinem probabilem. Et *Suarius d.31.de charit.sect.4.* spem damnis, quæ timentur, maiorem.

70. *Debet ne Princeps dispendia belli, & oppressiones populi ex eo profluentes ex æquo in subditos distribuere?* Ita planè; quia cum bellum susceptum sit in bonum commune, communibus quoque incommodis est gerendum. Si ergo vna Regni, aut Prouinciæ pars milites hospitando, &c. præ aliis grauata fuerit, tenetur Princeps ea grauamina compensare.
Conin. *Coninch d.31. dub.7.n.68.* Limitat *Laymann. lib.2.tract.3.c.12.*
Laym. *n.18.* nisi consuetudo loci obtineat, vt hospites militibus seruitia, nempe habitationem, paleas, &c. gratis exhibeant; nam hic grauaminis excessus per accidens esset.

71. *Differt Princeps stipendia soluere, quo milites expilare innocentes cogantur, &c. ad quidnam Princeps teneatur?* Si culpatè id fiat, omnia debet damna, titulo iniustæ retentionis restituere & militi, & innocentibus expilatis. *Pa-*
Pal. *laus tom.1. tractat.6. disq.5. part.5. num.2.* Verum (vt *Laymann.* adnotat:) in bello offensiuo absque Principis culpa contingere non possunt; quia Princeps prius cogitare debet, an ad voluntarium bellum inferendum sumptibus sustinendis, & militibus in officio sua authoritate detinendis, futurus sit sufficiens.

72. *Post bellum inceptum ex causa iusta, offertur satisfactio, antequam vltima pugna ineatur: tenetur ne Princeps eam satisfactionem acceptare?* Tenetur ex *Palao vbi supr. num.14.* citante *Suarium, Molinam, Valentiam, & Coninch.* quia bellum ex necessitate suscipiendum est, quæ, oblata satisfactione, iam cessat. *Quidnam iustæ satisfactioni nomine intelligendum?* Potest Princeps exigere non solum ius iustè prætensum

sed

sed etiam expensas,& molestias belli, & quidquid in posterum necessarium fuerit ad secure, pacificéque viuendum, quia hic præcipuus belli scopus.

73. *Licita ne belli stragemata, & insidiæ?* Affirmat *Coninch d.31. de bello, dub.7. num.* 109. quia per se mala non sunt,& ad victoriam sæpe necessaria. Excipio tamen casum, quo fides de non adhibendis insidiis data esset. Addit *Palaus tom.1. tract.6. d.5. part.4. num.* 4. nisi hostis fidem suam ex toto, vel ex parte fregisset. Item nisi circunstantiæ, & rei conditio ita mutetur,vt si fuisset præuisa,promissio secundum prudentis arbitrium facta non esset. *Laym. lib.2.tract.3.c.12. num.*10. Conin. Pal. Laym.

74. *Licet ne in bello iusto innocentes occidere, infantes scilicet, mulieres, Monachos, Presbyteros, rusticos, colonos, legatos,peregrinos,exteros, mercatores?* Per se non licet; quia nulla pœna iustè addicitur innocenti. Licet verò per accidens,si præter intentionem directam,id necessarium sit ad consecutionem victoriæ. v.gr. licitum planè oppugnare vrbem immittendo iacula,reuellendo, subiecto igne sulphureo turres, &c. licet verosimile sit,innocentes simul perituros. *Palaus* sic *tom.1.tr.6.d.5.p.4.n.9.* monens hæc stare, dummodo semper finis belli habeat necessitatem,vel vtilitatem malo huic præponderantem,quia non licet,quærere proprium commodum cum grauissimo aliorum detrimento. Pal. Pal.

75. *Licet ne in bello iusto innocentum bona deripere?* Directè minimè, sicut indirectè, & per accidens: præsertim si timeatur, per illa bona iuuandum inimicum ad iniustè oppugnandum. Quo in casu etiam rebus Ecclesiasticis licitum est non parcere,ex sententia *Reginaldi tom.2. lib.21.c.8. num.*115. Regin.

76. *Quid de bonis Ecclesiasticorum, qui non miscent se belli ciuilibus, nec hostis vtitur huiusmodi bonis ad iniustum bellum fouendum?* Haud possunt diripi, seu dissipari, sine irreligionis,& irreuerentiæ in Deum reatu. Imò bona aliorum in Ecclesiam reposita,vt custodiantur, hoc immunitatis priuilegio potiri debere, *Palaus tom.1. tract.6. d.5.p.4. num.*18. asseruit. Addit *Sotanus* 2.2. *cap.*25. *q.*12.*num.*7. inter pacta cum hostibus de damnis restituendis, paciscendum esse, vt restituatur innocentibus (præsertim Ecclesiasticis) quod eorum causa iniustè ab iis fuerit ablatum. Pal. Becan.

77. *Licet ne innocentes (bello iusto) redire in seruitutem?* Affirmat *Palaus citat. num.*13. quia sunt partes Reipublicæ nocentis, quæ eorum libertatis dominium habet, potéstque Pal.

de

de ea disponere, vt ipsimet possent, & eorum patres in necessitate. Porrò *Petrus Hurtado 2.2. tom. 2. d. 164. sect. 11. §. 107.* Turcarum innocentum seruitutem in praxi licitam esse asserit propter DD. authoritatem, ex qua opinio probabilis redditur; speculatiuè tamen loquendo huiusmodi seruitutem putat illicitam; quia partes totius metaphorici, quibus est distincta voluntas, non possunt puniri ob delictũ compartium.

Hurt.

78. *Num liceat iusto in bello in pœnam violatæ fidei obsides innocentes occidere?* Affirmatiuè respondimus supra cum *Azorio*, id quod ex *Filliucio tom. 2. tract. 29. cap. 9. num. 19.* roboramus; quia ea conditione dantur, vt hostes in promissæ fidei proposito contineantur.

Azor. Filliuc.

79. Indica belli causas legitimas. A *Ferdinando de Castro Palao tom. 1. tract. 6. d. 5. part. 3. num. 3.* multæ numerantur. Prima est, vt subditi rebelles ad obedientiam redigantur. 2. Vt recuperetur Prouincia, aut Ciuitas Principi iure debita, & ad bonum commune multum conducens. 3. Ad vindicandam grauem Principi, aut Reipublicæ illatam contumeliam. 4. In vltionem auxilij inimico iniustè bellanti, suppeditati. 5. Vt repellantur iniustè prohibentes, ne nocentes in bonum Reipublicæ puniantur. 6. In pœnam violati fœderis non sine damno, iniuria, aut dedecore patientis. 7. Ob denegata ea, quæ iure gentium debentur: v.g. transitus per alienam Regionem sine mora, & nocumento. 8. Vt auxilium iustum sociis afferatur. 9. Si populi idololatræ sunt, vel in hæresim, aut infidelitatem lapsi, alios secum trahant, & dissensionem, excitent in Prouincia. 10. Barbaries ob beneficium politiæ, & disciplinæ spiritualis: ita tamen, vt non redigantur in seruitutem despoticam, sed politicam, vt *Petrus Hurtado tom. 2. in 2.2. d. 169. sect. 5. n. 40.* adnotauit.

Palaus.

Hurtad.

80. *Requiro, an iustum sit bellum in Rempublicam, qui ciuem Principi contumelioſum tradere non vult, ab ipso Principe affecto iniuria, puniendum?* Afferit *Palaus citat. num. 15.* Principem læsum lædentis iudicem esse directum, ac proinde habere absolutum ius morte eum puniendi, nullámque aliam satisfactionem acceptandi; vnde si Princeps alius nolit tradere delinquentem, posse bello cogi. At *Molina tom. 1. de Iust. tract. 2. d. 103.* addit Principem læsum peccaturum contra charitatem, si recta ratione exigente, & vtriusque Reipublicæ bono, competentem in aliis rebus satisfactionem respueret. Scio *Coninch dub. 2. num. 29.* illud negare principium: Princes læsus est per se Iudex personæ lædentis; vnde sententiæ contrariæ adhæsit.

Pal.

Molin.

Conin.

81. *Tenet*

81. *Tenentur ne transeuntes per alienam Regionem omnem securitatem facere non nocendi?* Tenentur plane. Vnde quia ab armatis semper timeri potest, sæpe eis transitus iure denegatur. *Coninch num.* 51. Conin.

82. *Quid si Princeps exteris negotiationem, mercaturam, hospitium, vsum fluminum, piscationem corallium, & margaritarum, quæ iure gentium omnibus sunt communia?* Contra Victoriam negat *Palaus num.* 4. quia nullo iure probari potest, deberi exteris commercium: & hæc omnia in tantum sunt communia, in quantum non prohibentur. Palao.

83. *Dixisti, debellari posse populum idololatram. Quónam modo id, cum nemo possit punire non subditos ob delicta in Deum commissa?* Opinantur doctissimi viri bellum ob solam idololatriam bellum posse inferri, præsertim si Præsulis summi accedat authoritas. *Fagundez Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 33. *à num.* 28. ait, infideles, si præter idololatriam, effrenata tyrannide, humana carnis ingluuie, execrandis innocentum sacrificiis cõmulantur (de quo *Petrus Hurtado tom.* 1. 2. 2. *d.* 75. *sect.* 1. §. 22.) posse debellari. *Reginaldus tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 8. *num.* 94. Septem casus assignat, in quibus contra infideles liceat decertare. 1. Si possident terras Christianorum, vt Turcæ. 2. Si Christianos afficiunt iniuria, vt iidem. 3. Si Christianos à vera Religione abducunt. 4. Si Euangelij prædicationem impediunt. 5. Si à Christiano Principe eorum domino leges naturæ consentaneas recipere, & obseruare renuunt. Si crimina non solum contra Deum, sed contra proximum perpetrant. 7. Si subditi Principis Catholici in hæresim incidant. *Becanus* 2. 2. *cap.* 25. *quæst.* 5. tunc hæreticos puniri bello posse asserit, quando à fide deficientes, alios in eundem traherent errorem, exemplo Mosis, qui partem populi vitulum adorantis bello adorsus, triginta eorum millia trucidauit. Hurt. Regin. Becan.

§. 9.

84. *De Ducum ac officialium belli peccatis tract.* 2. *differemus. Plura scio innuisse Molinam d.* 116. *& Laymanum lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. *Præterea quæsierim, an liceat Duci permittere militibus ciuitatis expilationem, vulgo* saco? Licet sane, quando ciuitas obstinate resistendo id meruit: aut iudicatur necessarium, vt milites spe prædæ ad expugnationem excitentur: & aliæ ciuitates, hoc exemplo ediscant non obstinatè resistere. Curent Duces milites continere, ne è licita præda diuitiarum, ad illicitam voluptatum, aliorúmque criminum deferantur. *Layman. citat. num.* 13. *Duces & officiales belli.* Molin. Laym. Laym.

85. *Quorúmnam criminum assolent belli alij officiales rei ostentari?*

Beccan. *ostentari?* Respondeo ex *Beccano 2.2.cap.25.quæst.15.num.4.* si comportantes ad exercitum victualia, per auaritiam, aut negligentiam corruptum & noxium cibum offerant. Si pulueri tormentario extraneum admisceant, ex quo ad ministerium suum inhabilis reddatur. Si plus à militibus, quam scriptum sit, exigant pro cibo, potu, armis, &c. Si in designandis hospitibus alicui, ad plures domos schedulas præbeant, vt in vna se recipiat, ab aliis pretium exigat.

86. *Licet ne ducibus, ac militibus super naues militantibus contra infideles vel hæreticos: quando aliter manus hostium fugere non possunt, ignem pulueri tormentario adhibere; ne & ipsi*
Fagund. *& naues in hostium deueniant potestatem?* Affirmat *Fagund. Decal. tom.1.lib.5.cap.11. num.14.* quia eo casu dux non intendit per se propriam necem, sed hostis debilitatem, ne præda capta, in eius Regem fiat insolentior, & robustior.

87. *Licet ne Episcopis munere Ducum exercitus fungere?* Minimè, quia Clericis bellare interdictum in iure. At quando graues causæ occurrunt, & Clerici bellare possunt, non delinquunt Episcopi exercitum ducentes, præsertim si Pontificis accedat dispensatio.

§. 9. *De militibus.*

88. *Scio milites in bello iniusto pugnare non posse: Rogo, an teneantur belli iustitiam examinare?* Minimè verò, quia impossibile esset, singulis militibus Principem tribunal erigere, & singulos sententiam expectare communitatis, seu reseratis consiliis, quæ plerúmque oportet taceri. Bellare itaque possunt, si manifesta eis non sit belli iniustitia, & in dubio pro Principe præsumendum. *Quid si postea bellum iniustum fuisse comperiant?* Subditi tenentur à bello desistere, & restituere hostium spolia, si quæ habent: aut ex eis facti sunt ditiores.
Regin. Non subditi verò (ait *Reginaldus tom.2.lib.21.cap.8.n.104.*) restituere tenentur non solum si iniustitia belli sit euidens; sed etiam si dubia; dum Princeps non restituit.

89. *Si bellum sit iniustum, scio secundum quosdam, milites singulos debere in integrum restituere secundùm alios pro rata; Rogo autem, si bellum sit iustum, possunt ne retinere milites omnia mobilia, quæ rapuere ducibus permittentibus?* Possunt, quia sunt inimicorum, fortitudinis verò præmium. Adnoto autem, quando dux militi interdicit spolia in bello iusto, pensandam, esse prohibitionis causam. *Prohibet ob commiserationem victorum.* Tenentur milites hosti spolia restituere; quia iniustè arripuere, non accedente licentia Ducis velut iudicis sententia. *Prohibet, ne miles spoliis onustus minus sit aptus ad victoriam perficiendam.* Contra venientes, contra obedientiam

tiam solummodo delinquunt, nec ad restitutionem tenentur. Ex *Pet. Hurtado* 2. 2. *tom.* 2. *d.* 169. *sect.* 13. §. 130. Hurt. didici.

90. *Quid si præda apud hostes inuenta, sit furtiua?* Furtiua stabilia ab hostibus possessa veris dominis sunt à militibus vrbem expilantibus restituenda. Mobilia autem, *Valentia tom.* 3. *d.* 4. *quæst.* 18. *part.* 3. auctore, possunt retineri. *Quonam de iure?* Cæsareo, non naturæ, inquit *Molina disq.* 18. At in omni ratione introductum est, approbante consuetudine: ac proinde iure gentium iustificatur, *Saa. v. Bellum, num.* 10. Addit *Petrus Hurtado* 2. 2. *tom.* 2. *disq.* 169. *sect.* 12. §. 119. duo debere in rapina illa concurrere, vt iste à militibus postea expilantibus possit retineri; vnum, vt hostis prædam ad castra deuexerit, & in tuto posuerit: alterum, vt inter apprehensionem, & expugnationem nox intercedat. Valent. Moll. Hurtad.

91. *Quidnam, & quandonam possint milites ab hospitibus extorquere?* Tenentur restituere hospitibus, apud quos commorati sunt, aut per quos transitum habuerunt, ex iustitia restituere, quidquid ab iis surripuere: aut præter lectum, lumen, ignem, paleas, & alia, quæ eis debentur ex Principis præscriptione, receperunt: etiam si sponte dedisse videantur; quia re vera ob maioris incommodi timorem tradunt. At si milites ob solutionis defectum, ad extremam, aut grauem necessitatem deuenere adeò, vt aut perire eos, aut cum magno communitatis damno militiam deserere cogantur: tunc ab hospitibus extorquere possunt merè necessaria: compensanda quidem eis suo tempore à principe. Porrò ex dilata solutione, secluſa præfata necessitate non possunt. Nec iuuat illos authoritas, vel facultas Ducis, nisi id fiat in iustam nocentium, aut membrorum nocentis Reipublicæ pœnam. *Conincb. citat. dub.* 7. *n.* 98. *Layman. lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 12. *num.* 18. Conin. Laym.

92. *Prohibitum ne Ecclesiastici, aut Religiosi bello interesse?* Possunt quidem adesse bello pro ministerio spirituali militum ad consolandum eos, & excitandum ad pugnam: modò non specialiter ad occisionem hortentur, aut hostium mutilationem; quia hæc non repugnant statui Sacerdotali. An Prælatorum debeant habere facultatem? Cum Ægidio *Conincb. d.* 31. *dub.* 6. *num.* 90. respondeo licentiam huiusmodi quoad Clericos seculares non requiri, & iura in contrarium allata ex *cap. reprehensibile, de c. quo casu*, non obstare; quia primò reprehendentur Episcopi non solùm assistentes, §. 11. *De Ecclesiasticis, aut Religiosis, qui possunt bello interesse.* Conin.

sed vti cæteri milites, decertantes. Secundò autem taxantur accedentes ad Imperatoris aulam, aut ad comitatum absque Pontificis facultate.

93. *Quonam modo exhortantes iusto in bello ad pugnam, in qua homicidia, & mutilationes geruntur, non fiunt Clerici ex defectu lenitatis irregulares?* Porrò quia suasio illa versatur circa percussionem, & occisionem hostium in generali, dum hortantur ad exitialem pugnam: non autem in particulari. *Suar. de cens. d. 46. sect. 6. n. 8.* Suar.

94. *Suppono Clericos, in casibus, quibus iusto in bello rite pugnant, lethaliter percutiendo peccare: num irregulares?* Minimè; quia cùm bello iusto Ecclesia, & Respublica defenditur, voluit Pontifex eis faueros, ac proinde irregularitate non irretire omnes in eo ad homicidium concurrentes, ne exercitus retardaretur. *Molina t. 2. tr. 2. d. 110. concl. 2.* Molin. §. 12. De Duello.

95. *Potest ne quis vir nobilis acceptare duellum in nobilitatis defensionem?* Potest, si ex illius recusatione honorem, aut munia publica esset amissurus, v. g. obiicit quis viro nobili innocenti crimen dignum amissione nobilitatis, & munerum, quod nisi ille duellum acceptet, probatum censebitur. Ratio est, quia in tali casu acceptatio duelli, ad tuendam nobilitatem, & munia, medium est vnicum. *Petrus Hurtado 2. 2. d. 170. sect. 8. §. 76.* Hurtad.

96. *Accusator iniustus me calumniis efficit morti addici: licitum ne eum ad certamen prouocare?* Ita quidem, si non est alia via iniustæ mortis euadendæ; quia huiusmodi prouocatio locum habet inculpatæ tutelæ. Nihil enim refert, quod accusator non per se, sed per iudicem aggrediatur. Ita *Hurtado sect. 9. §. 82.* Addit *Sanchez sum. t. 1. l. 2. q. 39. n. 7.* tali in casu licere accusatorem occulte occidere. Hurt.

97. *An duellum possit acceptari in temporalium bonorum defensionem?* Potest, si non adest alia via tuendi, siue duellum purgatiuum sit, siue non purgatiuum; quia vnusquisque habet ius sua bona tuendi, etiam cum inimici internecione. Adhuc *Hurtado de Mendoza sect. 8. §. 77.* Hurtad.

98. *Num prouocans ad duellum, & in locum conscendens, si pugna non sequatur, excommunicationem incurrat?* Asserit *Filliucius tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 170.* At *Pet. Hurtad. 2. 2. d. 170. sect. 21. §. 190.* negat; quia Bulla Gregorij XIII. non comprehendit duellatores, nisi pugna secuta. Nec Bulla Clementis VIII. qui de hac re nihil innouauit, & semper vtitur illo termino, duellum ex composito incuntes. Porrò generale est Filliuc. Hurtad.

delicto non consummato, nisi à legislatore exprimatur, quod hic non contingit.

99. *Incurrit ne ministrans arma, sine quibus pugna non sequeretur?* si duellans absque illis armis à duello desisteret, incurrit Gregorij excommunicationem armorum ministrator. Incurreret etiam si contra pactum duelli quis duellatori arma ministraret, v.g. pistoletum, quando ex pacto solis ensibus esset decertandum; quia hæc est iniqua armorum submini-stratio in Bulla Gregorij comprehensa. *Quid si non habenti arma amicus commodet: aut habenti inferiora, commodet æqualia; vel intra eandem speciem meliora?* Non incurrit; quia hæc non est iniusta armorum submini-stratio, nec causa duelli, sed amici auxilium, vt cum minori periculo pugnet. Omnia ex mente *Hurtado sect.* 3 §. 185. Hurt.

100. *Potest ne Princeps in aliquo extraordinario casu permittere duellum?* Potest, ad maiora incommoda vitanda. *Reginaldus tom.* 2. *l.* 21. *c.* 7. *n.* 13. Regin.

101. *Incurrunt ne excommunicationem duelli spectatores?* Ita quidem, nisi quis ex iusta causa interueniret, v. g. officiales assistentes duello permisso, ne concitentur tumultus, aut aliqua iniustitia timeatur. Sacerdos, vt moribundi confessionem audiat. Famulus ferens arma & equum, & chirurgum accersiturus, aut confessarium. Nec qui aspiceret ex occulto, aut eminus; aut qui casu præsens inueniretur. Vel etiam qui duelli conscius, in illud meræ curiositatis causa pergit. Quia Bulla damnat spectatores, qui se sponte offerunt pugnæ spectatores & testes, cum inter duellantes nascitur iurgium, sic *Mendoza cit. sect.* 21. §. 179. Mend.

102. *Quidnam de homicidij aut grauis mali illati consortibus?* Delinquunt planè qui iubent, qui consilium adhibet, qui factum ratificat, vel probat vt fiat, qui laudat vt excitet ad effectum, qui defendit, aut defensionem promittit, qui iuuat ad factum, qui non remouet occidendum, vel percutiendum, cum potest, & debet, quique veritatem innocentis cum etiam potest, & debet, non ostendit.

103. *Num Episcopi qui etiam seculari Principatu fulgent, possint aliquem pœnæ capitali quatenus sunt seculares, addicere?* Non posse, (ait *Fagundez*) licet possit suis ministris præstandum committere; quia potestas secularis in Episcopo debet cedere spirituali. Potest quidem ex Pontificis dispensatione. Fagund.

104. *Suppono iudicem reum non posse à morte liberare, læsa parte minimè parcente: num possit, si pars læsa parcat?* Respon-

deo ex eadem supremum iudicem posse; quia non solum est custos legum, sed etiam dispensator: inferiorem autem non posse. Adiicio supremum posse etiam parte non parcente, rarissimè quidem, vt si reus persona valde Reipublicæ vtilis existeret.

105. *Prouocatus quis, & de conflicto ad pugnam descendit: tenetur ne ad restitutionem damni ob vulnus aut mortem illatam?*

Less. Cum *Lessio* respondeo non teneri; quia prouocans quantum in se erat, in id consensit.

106. *Vulneraui opificem: ad quidnam teneor?* Ad impensas in chirurgum faciendas; & ad æstimationem operarum, quibus caruit quandiu ex illo vulnere fuit inutilis ad opificium exercendum. Potest tamen æstimatio molestiæ quam in opi-

Molin. ficio habiturus erat, deduci. Sic *Molina. Num pro vulneris, seu cicatricis deformitate, imò ipsius vitæ iactura vlla pecuniæ*

Vasq. *compensatio facienda? Vasquez* respondet. Minimè ante iudicis sententiam.

107 *An homicida teneatur ad damnum illatum ex morte occisi creditoribus:* Negat *Lessius.* Imò asserit *Molina* maritum qui

Lessius. alterum in adulterio deprehensum occidit, non teneri in conscientia restituere damna ex morte occisi secuta, ante iudicis sententiam.

108. *Circa duellum requiro, an qui moritur ex vulnere in duello inflicto, sit Ecclesiastica sepultura priuandus?* Si viuus discessit à loco conflictus, minimè; quia verba Tridentini cum sint legis pœnalis, vltra rigorem literæ non sunt extendenda.

Sanch. *Sanctius* sic.

109. *Quid si offensus quis ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen non secuturum eo quod sit ab amicis impediendum: sed hoc agat ad honorem læsum reparandum?* Profectò ex eiusdem

Filliuc. *Filliucij* sententia etiam si vterque veniat ad designatum locum, gladios stringant, neuter excommunicationem incurreret.

110. *Quis in duello lethaliter percussus cadit in terram, & signa contritionis edit, neque tamen confiteri potest, ob defectum Sacerdotis: priuandus ne Ecclesiastica sepultura?* Priuandum affirmat

Sanch. *Sanchez*, ex decreto Tridentini.

111. *Quinam præterea ab excommunicatione excusantur?* Qui alium prouocat ad pugnam nullo statuto tempore, aut loco. Qui aliquid narrat, quod videt esse posse causam duelli, nisi narret, vt ad duellum incitet. Qui legunt scriptum, quo se aliqui ad duellum prouocant. Qui ratam habet prouocationem,

tionem, vel pugnam suo nomine factam. Qui orta repente rixa se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem se statim conferunt, & ibi dimicant; quia non adest assignatio temporis. Cuncta hæc ex *Sanchez, Comitolo, Fagundez, Saa,* & aliis accepi.

112. *Possunt ne famuli scribere epistolam ad duellum prouocantem, si alioquin illis mortis periculum immineret, aut alterius grauis incommodi?* Possunt. *Et licet epistolam deferre:* Minimè, quia id malum intrinsecè. Scio *Merollam* externum haud improbabilem contrariam reputare sententiam. Sanch. Comit. Fagund. Saa.

113. *Quod attinet ad bellum: potest ne Rex bellum contra alium Regem qui est in possessione, instituere, quando sunt vtrinque probabiles rationes?* Sanctius affirmat, cum *Vasquez* probabilio nego. Rursum quæro. Vasq.

114. *An repressalia sint licita?* Sunt planè sex adhibitis conditionibus. 1. Vt non concedantur in Ecclesiasticas personas. 2. Vt manifestè constet ciues alterius Reipublicæ iniuriam fecisse. 3. Vt illorum superiores rogati iustitiam agere recusent. 4. Vt constet eos culpabiliter id recusare. 5. Vt supremus Princeps Reipublicæ læsæ causa cognita concedat facultatem repressalia capiendi. 6. Vt non inferatur plus damni, quàm ad iustam satisfactionem sit necesse.

115. *Circa medicinam denique quæsierim, an medicus teneatur applicare medicamentum certum si habet, aut si non habet certum, saltem opinionem probabilem sequi possit?* Tenetur ex *Salas* sententia ad certum, si habet, ex charitate, & iustitia: si non habet certum, potest opinionem probabilem sequi; quia id applicat quod probabiliter æstimat profuturum: vnde mors secuta minimè est ei imputanda. Salas.

116. *Æger in probabili mortis discrimine versatur, & monitus non curat confiteri, est ne tertia die propterea deserendus à medico?* Sentio cum *Sanchez* deserendum non esse: imò affirmarim medicum non teneri commonefacere ægrotum obstinatum, quando certò credit monitionem non profuturam; nec propterea ægrotum deserendum; quia hoc in casu non obligat constitutio Pij V. Ex materia de Charitate subtraxi Belli tractationem, vt plenam de Homicidio simul redderem doctrinam. Sanch.

EXAMEN VIII.

De Legibus in particulari circa materiam sexti Mandati Decalogi de luxuria specialiter.

CAPVT PRIMVM.

De peccatis cordis, oris, auditus, visus & tactus contra sextum præceptum.

§. 1. *Cordis luxuries.*

1. *DE sensuum delictis faciendum periculum: quonam modo corde hoc sextum præceptum: Non mœchaberis, frangitur?* Aut desiderando rem illicitam; quod quidem desiderium ab obiecto speciem desumit, vt si cupis simplicem fornicationem, aut adulterium perpetrare. Delinquitur vlterius per morosam delectationem de re mala: si quidem sit de cogitatione tantum sine voluntatis consensu, peccatum non est; debet enim ad hoc, vt sit peccatum mortale, esse perfectè voluntaria: vt autem veniale sit sufficit quælibet negligentia. Porrò huiusmodi delectatio eiusdem est speciei cum opere præsente cogitatio; quidquid alij postea citandi senserint.

§. 2. *Oris libido.*

2. *Quandò nemo re graviter aut leviter delinquimus?* Locutio rerum turpium ex se res indifferens est: ob curiositatem tantum, vel leuitatem, sublato periculo, aut alio malo fine, veniale peccatum est; ob delectationem autem est peccatum quale res, de quibus est sermo: si res sint mortales, etiam locutio mortalis erit: si venialis, venialis. Ob delectationem verò ex narratione non excedit venialem culpam; cauenda tamen huiusmodi locutio propter periculum frequenter imminens.

§. 3. *Auditus & visus malitia.*

3. *Quidnam de auditu, aut visu comœdiarum?* Repræsentantes comœdias res turpes continentes, vel eo modo vt ad venerem vtplurimum excitent, mortaliter peccant. Porrò audientes ob scientiam, ob aliquem bonum finem, non peccant, ob curiositatem, aut leuitatem, venialiter delinquunt; ob delectationem veneream ex ipsis consurgentem, vel cum probabili periculo illius, lethaliter excedunt. Id quod de scriben

scribentibus aut pingentibus res turpes, idem de legentibus turpes libros affirmo.

4. *Turpis aspectus malitiam distingue.* In aspectu equidem duplex delectatio, vna rei visæ ob qualitates naturales: & hæc si sit rerum turpium ob delectationem tantum naturalem, omni periculo sublato transeundi ad veneream delectationem, venialis culpa tantùm est: partium tamen generationi deseruientium, practicè loquendo, peri culosus aspectus est sub mortali: quia nimia commotio spirituum: nisi leuissimus seu per transennam talis esset aspectus. Altera delectatio est rei visæ ob delectationem veneream, vel cum probabili periculo illius, & hæc est mortale peccatum. Aspectus ob curiositatem culpam venialem non excedit, modò periculum omne secluſum sit transeundi ad delectationem carnalem; enim verò si esset aspectus partium, quas pudor velat, vel ipsius concubitus; speculatiuè quidem non damnarim practicè autem sub mortali damnandum existimo ob periculum faciliter transeundi ad illicita: consulatur cuiusuis complexio, & ætas.

5. *Quid de ornatu corporis aspiciendo à fœminis, seu viris dato sentendum?* Si fit animo, vt quis aut quæ carnaliter adametur, mortale crimen est: si alio bono fine vt maritus, v.g. aut vxor alliciatur, non est peccatum; si fiat non malo fine, sed ob naturalem fastus inclinationem, venia le tantum erit, aut aliquando nullum.

6. *Munera ne reprobanda sub mortali?* Munerum missio ex prauo affectu mortale est; si affectus prauus mortaliter sit: si venialis tantum, solummodo veniale crimen erit. §. 4. *Tactus turpitudo.*

7. *Venio ad tactuum malitiam, quæ quidem impudicitia vocitatur. Distingue tactuum qualitatem.* Triplices sunt tactus. Primò, in signum amoris, & more patriæ. Secundò, causa delectationis concubitus. Tertiò, causa delectationis ipsius tactus secundum se considerati, vt est delectabilis secundùm qualitates naturales. Igitur oscula, amplexus & tactus quicunque ex se, & ex solo obiecto res quædam indifferens sunt. Si fiant primo modo causa amicitiæ, licita sunt, & delectatio inde consequens etiam licita est. Si fiant secundo modo causa venereæ delectationis, mortalia peccata sunt inter solutos (seu non coniuges) siue exerceantur tanquam dispositiones quædam ad concubitum siue tanquam signa, quibus imaginationi repræsenterur idem concubitus, quasi ea ratione fruantur concubitus delectatione. Si autem tertio modo fiant ob solam delectationem sensibilem, non sunt le-

thalia peccata; sed venialia, nisi admisceatur delectatio venerea; practicè tamen vitandi sunt sub mortali, ob periculum adducendi delectationem concubitus, vel veneream. Et quidem antiqui Doctores tactus ob solam delectationem sensibilem non vocant libidinosos: hi enim sunt qui fiunt propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ: vnde huiusmodi tactus potiùs delectabiles secundùm sensum tactus, quàm libidinosos appellarim. Hinc colligo omnem tactum libidinosum inter solutos mortale peccatum esse.

8. *Quid de tactibus in pudendis?* Ob solam delectationem sensibilem practicè sunt mortalia, pro ratione periculi; & ideo vitandi prorsus. Quid enim conferat speculatiuè esse licitos, si illiciti prænhenduntur in praxi?

9. *Possunt ne aliqui tactus à fœmina, seu viro permitti?* Cùm quis aut quæ credit honesto amore alterum moueri, permitti possunt; in dubio autem attendendum cuius generis sint, an ex iis, qui palam fiunt, & pudici reputantur, an ex aliis qui tenebras quærunt, & impudici.

10. *Quid de tactibus ob solam curiositatem?* Si sint in partibus honestis, venialem culpam non excedunt; in impudicis propriis, probabile, non esse mortalia; in alienis autem præcipuè si alter sit sexus, speculatiuè loquendo venialia possunt esse: practicè tamen sub mortali vitandi ob periculum.

CAPVT II.

De septem Luxuriæ speciebus.

§. 1. *Simplex fornicatio.*

11. *Vtnam Luxuriæ species?* Septem, Fornicatio simplex, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium & Vitium contra naturam, species quidem morales dixerim, non physicas.

12. *Quidnam est simplex fornicatio?* Concubitus naturalis soluti cum soluta. *In quonam huius deformitas posita est?* In eo, quod ex ea non possit sequi commoda institutio, & promotio prolis ad perfectum statum.

13. *Num mortale semper?* Ita planè, nullo enim in casu est licita ex iure naturali.

14. *An concubitus cum infideli sacrilegium sit?* Minimè, sed fornicatio grauior in eadem specie.

15. *Quid*

15. *Quid de concubitu cum alterius sponsa de futuro?* Non excedit simplicem fornicationem; quia fœmina nondum illius viri est.

16. *Coitus verò presbyteri, clerici in sacris constituti, aut Religiosi cum soluta sacrilegium ne est?* Ita planè; ex vno etenim complice actus specificatur.

17. *Quidnam simplici fornicationi addit concubinatus?* Nihil nisi aut consuetudinem fornicationis cum illa, vel retentionem eius in domo tanquam vxoris.

§. 2. *Stuprum*

18. *Quidnam stuprum?* Concubitus viri cum fœmina virgine, quo eius corrumpitur integritas, maximè si per vim fiat. *Num soluta sit speciale peccatum à simplici fornicatione?* Si ipsa sponte consentiat, non est peccatum speciale speculatiuè loquendo; at quoad moralem æstimationem est, vnde etiam est stuprum, quando consentit existens sub cura parentum.

19. *An vir virginitatem amittens speciale peccatum committat?* Negatiuè respondeo: aureola tamen amittitur per quamcunque voluntariam pollutionem. *Num in virgine virginitatis circumstantia sit explicanda?* Quando violatur virginalis integritas, exponenda: secus si tantùm per voluntariam pollutionem etiam procuratam aureola amittatur.

20. *An ad stuprum requiratur fœminam sub cura parentum adesse?* Minimè; quia moraliter loquendo, [illegible] habet fœmina sui corporis dominium.

§. 3. *Adulterium.*

21. *Quidnam adulterium?* Luxuriæ peccatum est, quo fides coniugalis violatur, & fit ad thorum alienum accessus; vnde dupliciter est contra castitatem, & quia fit accessus ad non suam, & quia ad coniunctam alteri per matrimonium.

22. *Num peccatum hoc habeat malitiam adulterij, etiamsi vir consentiat in sua vxoris concubitum?* Ita planè; quia ipsum offenditur Sacramentum.

23. *Sufficit ne matrimonium esse ratum?* Sufficit; quia licet non fuerit consummatum, iam illa fœmina illius viri est.

24. *Num exprimendum delictum coniugati cum coniugata?* Exprimi debet; quia duplicem malitiam illi committunt.

25. *Potest ne adulter petere debitum ab vxore?* Potest amicè, citra actionem.

26. *Exprimendus ne est coniugij status etiam in peccatis contra naturam?* Exprimendus quidem ob iniuriam thori.

§. 4. *Incestus.*

27. *Quid incestus?* Luxuriæ peccatum cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, grauius peccatum adulterio.

28. *Gradus consanguinitatis differunt ne specie à gradibus affinitatis?* Si comparentur gradus cuiusque inter se, probabilius est distingui, saltem quoad prohibitos iure naturæ: qui verò humano iure tantùm prohibentur, non videntur specie differre. Inter affines autem primus gradus specie differt, non in reliquis.

29. *Intra quem gradum est copula cum consanguinea sponsæ?* Incestus est intra primum gradum: vt etiam cum consanguinea vxoris, vsque ad quartum, etiamsi matrimonium tantùm ratum sit.

30. *Num inter tutorem & pupillam incestus, vel inter Confessarium & pœnitentem?* Minimè, nisi metaphoricè. *An in peccatis contra naturam incestus malitia?* Ita planè.

§. 5. *Raptus.*

31. *Quid est raptus?* Peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum.

32. *Num sponsæ de futuro raptus sit?* Non est raptus si abducatur illa ad consummandum cum ea matrimonium prius ratum: at si ad turpem tactum exercendum, raptus erit.

33. *Quotuplex raptoris pœna?* Duæ præcipuè: Vna, vt raptor alienæ sponsæ publica pœnitentia multetur: altera, vt sine spe coniugij maneat.

§. 6. *Sacrilegium.*

34. *Sacrilegium sexta species luxuriæ quidnam?* Peccatum luxuriæ, quo persona Deo sacra, vel locus per actum venereum fœdatur. *Quot modis potest sacrilegium huiusmodi contingere?* Quatuor. Primò, si persona sacra consentiat, vel delectetur deliberatè de venereo. Secundò si persona non sacra in actum venereum cum persona sacra consentiat. Tertiò, si vtraque sacra sit. Quartò, si venereus actus fiat in loco sacro illicitè, vel licitè in coniugatis absque necessitate.

actu

35. *Habens votum solemne, & simplex, satisfacit ne, si vnum in confessione exprimat?* Ita planè, sicut & Religiosus in sacris; quia vnum specie sacrilegium committunt.

36. *Persona sacra cum sacra quotuplex sacrilegium?* Duplex planè. *Committitur ne sacrilegium per desiderium libidinosum, vel turpem tactum in loco sacro?* Minimè.

27. *Quidnam*

37. *Quidnam autem loci sacri nomine intelligitur?* Locus quicunque publicus Episcopi auctoritate consecratus. Dormitoria non sacer locus, nec sacristia, nisi celebretur in ea.

38. *Possunt ne cum sacrilegio alia luxuriei species copulari?* Ita planè, nempè Incestus, Stuprum, Adulterium, &c.

39. *Quidnam est peccatum contra naturam, quod speciei septimæ locum obtinet?* Actus omnis, ex quo humana generatio sequi non potest; grauissimum quidem inter peccata luxuriei delictum. §. 7. *Contra naturam.*

40. *Quotnam species huius criminis?* Quatuor. Mollities, Innaturalis concumbendi modus, Sodomia, Bestialitas. Scio probabile esse omnes esse vnius speciei, sed in has distingui probabilius assero.

41. *Quid est mollities?* Qua quæritur voluntaria pollutio extra concubitum, causa venereæ delectationis.

42. *Ea quæ in somnis accidit, est ne peccatum?* Secundùm se minimè, ex causa antecedenti esse potest, si sit ex tali decubitu apposita ex intentione ad hunc finem, vel deliberatè quis in eam consentiat, de eáque delectetur, ob delectationem veneream inde secutam.

43. *Quid de ea, quæ in vigilia contingit?* Si ex causis naturalibus exoriatur, vt complexione, visione, ex contactu necessario rerum venerearum, equitatione, & similibus, & sit præter intentionem, nullum est peccatum, modò non sit probabile periculum deliberati consensus in illam; quare operam dare causæ, ex qua præuideatur secutura pollutio, si quis possit, & teneatur eam auferre, peccatum erit: si habeat autem ius ad causam, vt ad hauriendum merum, &c. non tenetur auferre. Porrò possunt cum mollitie alia peccata interuenire cogitando in alias luxuriei species.

44. *Quidnam est innaturalis concumbendi modus?* Per quem vir, seruato sexu, & debito vase concumbit cum fœmina modo indebito, ita vt impediri possit generatio per effusionem seminis extra vas. Multis modis id præstari potest, omnes tamen valent exerceri absque peccato mortali, si absit periculum impediendi generationem: imò à peccato veniali modus hic potest liberari, si propter ægritudinem, aut aliam rationem vir aliter non possit accedere.

45. *De Sodomia quid dicendum?* Duplex est, quædam imperfectior, qua seruato debito sexu, non seruatur debitum vas; graue peccatum, sed ob quod pœnæ non incurruntur, Ciuili, vel Canonico iure constitutæ. Altera perfecta, qua ex affectu

affectu ad indebitum sexum vir decumbit cum viro; quare propriè Sodomia constituitur ex affectu ad personam indebiti sexus: ad incurrendas autem pœnas exigitur consummatio venerei actus in vase indebito. Hinc colligo coniunctionem fœminæ cum fœmina esse quidem Sodomiam perfectam ex affectu ad personam indebiti sexus; propter eam minimè pœnas incurri debere; quia non adest, nec adesse potest consummatio venerei actus in indebito vase. Verùm non vltra progredi huius affectus malitiam reor, ac si vir accederet ad puerum facie ad faciem tanquam ad fœminam, &c.

46. *Quid bestialitas?* Qua cum re animata sentiente concumbitur non eiusdem speciei cum homine.

47. *Quid de commixtione cum dæmone?* Etiam est irreligiositas quædam & superstitio: & licet semper sit eiusdem speciei, ex affectu tamen ad virum, vel ad fœminam, in cuius forma Dæmon apparet, esse potest etiam fornicatio, vel Sodomia.

48. *Ordinem horum delictorum grauitatis expende.* Minimè grauis est mollities; tum innaturalis concumbendi modus intra vas, ita vt generatio possit impediri, tertiò concubitus cum fœmina extra debitum vas; quartò Sodomia, quintò bestialitas. Hinc nonum præceptum etiam expositum habes.

Caput III.

Praxis circa sextum mandatum ex Societatis Iesv Doctoribus.

§. 1. *De simplici fornicatione.*

49. *Rogo, an concubitus hic hominis soluti cum muliere soluta possit fieri sine peccato mortali?* Peccatum quidem est, sed dari posse de eo inuincibilem ignorantiam *Tannerus* 1.2. *d.* 2. *quæst.* 9. *dub.* 1. affirmat; quia naturalis commixtio est.

Tann.

50. *Num fœminam pati vim, si repugnet conatu, clamoribus, mortaliter delinquat?* Asserit *Tanner. q.* 1. *dub.* 3. *n.* 56. non esse peccatum. Addo meritorium actum huiusmodi animi contra voluptatem, & brachiorum contra vim renitentiam.

51. *Potest ne fœmina ob timorem mortis vim pati in iudicitiam, suspendendo consensum?* Aliquis ex externis asseruit; quia merè passiuè se habens, & nolens consentire, non tenetur mori, aut infamiam pati. At tamen cum

Salas.

Salas 1.2. *tom.* 1. *tract.* 3.

tract.3.disp.3.sect.1.n.31. minimè licere, quia exponere se periculo consentiendi est intrinsecè malum, præcepto negatiuo prohibitum, quod obligat in omni euentu, & cum quouis incommodo.

§.2. De stup.

52. *Stuprum, seu virginis fœminæ repugnantis defloration em consequi scio obligationem, stupratam in uxorem accipiendi, vel dotem decenter pro suo statu dotandi. Rogo, an si non vi, aut dolo, sed pro importunis precibus, ac vehementibus blanditiis paruit fœmina, dicendum sit vi corruptam ducendi, aut dotandi obligatione teneri?* Communiter affirmant Doctores. Attamen probabile reputat *Turrianus 2.2.d.30.dub.1.nu.15.* hominem de sola vi, in dolo Turria. teneri, quia preces, & blanditiæ non minuunt, sed augent potius voluntarium: nisi procedant à persona cui puella reuerentiam debeat exhibere.

53. *Interuenient matrimonij promissiones, certum est teneri virum eam ducere: Rogo autem, si promissio fuerit facta, an teneatur?* Ita planè, si virgo fictionem ex viri nimia exaggeratione callere non potuit. Aliqui enim ita promittunt, vt nisi nimium stulta sit fœmina, fictionem facilè possit agnoscere. Liberatur quidem ab huiusmodi obligatione vir longè nobilior, & opulantior, si puella sciuit; & secundum aliquos etiam si ignorauerit. *Sanchez de Matr. tom.1.l.1.d.10.* Profectò *Præpositus* fictum promissorem à nuptiis excusat *3.p.q.9.dub.4.n.46.* quia promissio ficta non parit obligationem, dum damnum illatum potest pecunia reparari. At non auderem à communi prima sententia recedere. Sanch. Præp.

54. *Potest ne obligatio ducendi, aut dotandi aliquibus ex causis cessare?* Quibus de causis dissoluuntur sponsalia, dissoluitur etiam huiusmodi obligatio promissionis, manente solummodo obligatione compensationis pecuniariæ. Quæ quidem etiam cessaret, si vir non virginem deprehendisset. *Sanchez citat.* At quocumque ex capite obligatio contracta sit, cessat, si puella postea nuptiis æquè commodis diligetur, ita vt nihil detrimenti sustineat. *Lessius l.2.c.10.dub.2.n.11.* *Quid si quis fictè promisit, sciens esse corruptam?* Probabile est, non teneri ducere, sed solummodo pecuniam soluere. *Lessius* consulatur. Sanch. Less.

55. *Franciscus voto Religionis adstrictus sub vera promissione coniugij virginem violauit: quidnam præstandum? tenetur ne voto, an promissioni satisfacere?* Respondet *Lessius lib.2. cap.10. dub.4. num.32.* teneri ad matrimonium; quia obligatio promissionis coniugij cum defloratione, cum sit iustitiæ, soluit obligationem voti, quæ est Religionis. At Less.

Layman.

Laym. *Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 5.* putat ad votum teneri; quia promissio facta puellæ post votum non tenet; Deus enim in corpus illud dominium iam per emissum votum acquisierat. *Tenetur saltem puellam ducere, ratione damni illati, sicut qui defloraſſet absque voto, ſub ficta coniugij promiſſione?* Non, quia qui fictè promittit, tenetur promittere ex animo: qui verò promittit post votum, promittere non potest.

§. 3. De adulterio.

56. *An maritus possit tuta conscientia vxorem comprehensam in adulterio interficere?* Aliqui ex externis asseruere, quorum sententiam *Lessius l. 2. c. 9. dub. 5. n. 16.* probabilem iudicauit; Less. quia in *l. merito ff. de adulterio*, & in *l. Gracchus, eodem titulo*, maritus instituitur iustitiæ minister, eique datur facultas eam occidendi, non secus ac post causæ cognitionem, & sententiam latam, datur carnifici. At tanti viri venia, falsam reputarim illam opinionem; quia *c. inter hæc* Nicolaus Pontifex asserit non licere secundum leges Ecclesiasticas vxorem adulteram interficere.

57. *Potest ne saltem maritus dimittere vxorem propter occultum adulterium, quod probare non potest;* Ita planè, scandalo excluso; quia licet in *c. significasti. & c. porrò, de diuortijs*, prohibetur diuortium ante Ecclesiæ iudicium etiam in casu adulterij; tamen hæc lex in fraudis præsumptione fundatur; qua cessante, etiam in particulari cessat. Et cum probationis defectus non sit ex culpa sua, sibi potest ius dicere, & Rebell. fugax vxorem derelinquere. *Rebellus part. 2. lib. 2. quæst. 17. num. 2.*

58. Quis separatur ritè ab adultera, aut quæ ab adultero viro separatur: postmodum emendata coniux, aut maritus emendatus sæpe & instanter petit rursum thoro admitti; negante vxore, aut marito: potest ne illa ingredi Monasterium? Potest ne ille Ordines suscipere? Ita planè, quia non potest alter alterum cogere coniugem, vt de suo statu incer- Conin. tus perpetuò maneat. *Coninch. de sacram. d. 35. dub. 5. concl. 4. num. 26.*

59. *Accipit vxor lucrum ex adulterio, tenetur ne marito restituere?* Affirmat *Molina de iust. t. 1. tract. 2. d. 94* quia ipse est Molin. dominus actuum coniugalium vxoris. Nisi accepisset ab eo, qui alienare non potest, vt Religioso, aut filiofamilias. Id autem vxor secretò gerere tenetur, ne suæ famæ deroget. At Less. *Lessius l. 2. cap. 10. dub. 6. n. 46.* contrarium probabilius docuit; quia iniuria adulterij non est pecunia compensabilis, & mulier quamuis ex fornicatione illicitè acquirat, licitè retinet acquisita.

60. Supp.

60. *Supponit quis filium ex adulterio inter legitimos vxoris adulteræ alendos, addicendos hæreditati: ad quidnam tenetur?* Non solum debet alimenta, sed & damnum hæreditatis restituere, quæ legitimis filiis adimitur: seu, si fœmina sit, damnum dotis, quam tradidit vir existimans propriam filiam esse. Sic *Lessius lib.2.c.10.dub.6.n.46.* addens fœminam adulteram etiam teneri simul cum adultero. Scio tamen alios probabiliter asseruisse solam adulteram teneri, quæ prolem suppossuit; quia adulter non est causa proxima horum damnorum, sed remota. Less.

61. *Quis in adulterio deprehenditur, à marito adulteræ inuaditur, illum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit: tenetur ne damna ex nece illa obuenientia resarcire?* Affirmat *Rebellus 1.2.lib.3.q.12.n.6.* quia ipse illum per adulterij iniuriam prouocauit. At *Lessius l.b.2. cap.9.n.17.* negat; quia habuit ius illum occidendi, vt se defenderet: & ille non habuit ius eum inuadendi. Rebell. Less.

62. *Quonam in gradu incestus cum consanguineæ vxoris priuat virum à iure debitum petendi? Comitolus lib.1.q.138. n.2.* vltra secundum gradum extendit. At alij ex nostris in primo & secundo gradu impedire asseruere, in aliis minimè; quia de iis Canonicum non disposuit. §.4. *De incestu.* Comit.

63. *A quonam vir ille incestu reus potest dispensari ad petendum debitum?* Ab Episcopo, vel à confessario regulari deputato à superiori Monasterij specialiter (quæ deputatio durat ad libitum superioris, & per eius mortem expirat) in sacramento confessionis, & in Religionis domibus & Ecclesiis tantum. Idque ex quodam priuilegio concesso Monachis Monasterij S. Benedicti Vallisoletani. Nostræ Societatis confessarij dispensant ex priuilegio specialiter à P. Prouinciali communicando. De illo autem Benedictionis Monachis priuilegio agit *Lezana tom.1.v.affinitas n.4.& 5.*

64. *Scio omne peccatum contra votum esse sacrilegium: Requiram, an si quis ad frænandam libidinem simplici se supra solum voto illiget, duplici piaculo inficiatur?* Vnico actu ea vota violare vnicum crimen est; quia eandem Religionis virtutem violauit. §.5. *De sacrilegio.*

65. *Scio, attactus manuum in choreis secundum consuetudinem non esse illicitos, sicut nec oscula vrbanitatis gratia, vbi huiusmodi consuetudo viget: rogo num fœmina agnoscens vnum aut alterum non sine honesto geri, teneatur aut osculum, aut manuum contrectationem abnegare?* Minimè, dum proprij cõsensus periculum abest; quia actio illa indifferens, accidentaliter §.6. *De tactibus.*

Filliuc. taliter deturpatur à complice. *Filliucius tom. 2. lib. 30. cap. 10. num. 198.*

66. *An inter coniuges quilibet tactus sint liciti, quæcumque oscula? Fagundez tom. 2. in Decal. tract. 30. cap. 10. n. 195.* affirmat licere, quoties non adest pollutionis periculum. Ego à piaculo veniali non excuso propter mollitudinem nimiam speciatim in obscœnis indicatam.

Fagund.

67. *An mortiferum, virile membrum in os vxoris immittere?* Negat *Sanchez tom. 3. de Matr. tom. 2. lib. 9. d. 17. num. 15.* At cum aliis audirem obiicere tanto Doctori id non esse simpliciter osculum pudendorum, sed quendam ad peccatum diuersæ speciei, id est, præposteram venerem ausum. Vnde *Fagundez* asserit *tom. 2. in Decal. lib. 6. cap. 3. num. 59.* lethale piaculum.

Sanch.

Fagund.

68. *Pono coniuges tactibus libidinosis, aut osculis dare operam, vel ad excitandum & conseruandum coniugalem amorem vel ad copulam excitandam: rogo, an sit licitum, si cum periculo pollutionis, aut cum pollutione fiat?* Certè *Sanchez d. 45. num. 35.* asserit licere, dum periculum pollutionis accidit ei, qui nec oscula petiit, nec tactus: sed passus est. Item dum qui petiit, præter intentionem polluitur; quia vterque dat rei licitæ operam, à qua ob pollutionis periculum non tenetur abstinere. At *Præpositus in 3. part. quæst. 6. dub. 25. num. 186.* affirmat non licere; quia periculum hisce in casibus potest per legitimam copulam præueniri, vel non potest. Si potest, ille, qui motum sentit, tenetur eam petere sub mortali. Si non potest, tenentur ab illis tactibus abstinere etiam sub mortali; quia fini matrimonij repugnant. Subscribo, quia hisce in materiis cautè agendum.

Sanch.

Præp.

69. *Fœmina non seminat in copula: potest ne postea semanibus, aut motu corporis prouocare?* Affirmatiuè respondet *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 9. d. 17. num. 12.* quia quamuis semen mulieris ad generationem non sit necessarium, multum tamen conferre medici asseruere. Vnde prouocatio illa dici potest maritalis copulæ complementum.

Præp.

70. *Vir copulam inceptam ex morbo, aut alia causa interrumpit: est ne mortalis pollutio extra vas inde sequuta?* Si non intenditur, & si fit sine consensus periculo, minimè; quia ex opere licito sequeretur. *Præpositus q. 74. art. 10. dub. 1.*

Less.

71. *Potest ne fornicarius ab actu retrocedere etiam post semen emissum à fœmina, & cum periculo extra vas seminandi?* Potest, si ex pœnitudinis gerat affectu, aut infirmitate. *Lessius lib. 4. c. 3. dub. 7. n. 55.*

72. *Licet*

72. *Licet ne medicamentum sumere, ad conuertendum semen in alium humorem, vt licitè possit profundi?* Asseruit *Sanchez* Sanch. *d.17. num.15.* Sed alij abnegant; quia huiusmodi emissio repugnat eius institutioni.

73. *Licet ne in coniugij absentia verenda propria libidinosè attrectare?* Existimat *Præpositus quæst.9. dub.26. num.188.* Præp. non esse mortale, si huiusmodi tactus ad illicitum actum non referantur, etiamsi adsit pollutionis periculum; quia licet non referantur actu, tamen ordinantur sua ex natura ad coniugalem actum. Approbat *Gaspar Hurtado de Matr.d.10.* Hurt. *dif.10. num.49.* Porrò Vasquez contrarium asseruit, quia malum intrinsecè, quem secum propriam libidinem explere, aut saltem explendi subiacere periculo.

74. *Licita ne oscula, & tactus inter sponsos de futuro? Hurtado citat. num.48.* Hurt. illicita asseruit; quia inchoatio contractus non transfert dominium rei, & qui non habet dominium non potest co vti, ne inchoatè quidem. Attamen *Sanchez* Sanch. *d.46. num.50.* & alij multi affirmant licere, si absit pollutionis & consensus in rem illicitam periculum; quia sponsalia tanquam inchoatio matrimonij iustificant tactus & oscula, quæ sunt quædam coniugalis copulæ inchoatio. Tactus inquam, qui non sint nimium impudici, hi enim semper interdicuntur ob nimiam commotionem. *Salas* Salas. *t.2. tom.2. quæst.74. tractat.13. d.6. sect.26. num.117.* pudendorum permittit aspectus, quia non tantam habent connexionem cum copula, quàm tactus. Aſt ego semper hanc sententiam, ob commotionis immoderantiam, improbabilem iudicaui. *Sanchez citatus* ait licere oscula & tactus ex- Sanch. ternos, etiam si secutura pollutio præuideatur, dummodo adsit iusta causa sponso, scilicet ad vitandam inurbanitatis, seu austeritatis notam. Porrò alia adsunt ablegandæ notæ huiusmodi documenta, & ideo illicitam esse dixerim tam obnoxiam periculo demonstrationem.

75. *Mortalia ne oscula & amplexus, aut manuum contrectatio inter soluto?* Aliquis doctus distinxit. Aut delectatio, quæ in osculis, & amplexibus sentitur est merè sensualis consistens in proportione obiecti ad sensum tactus: & non est aliud quàm delectatio de re blanda, tepida, leni, tenera, &c. absque alia delectatione turpi: aut est delectatio coniuncta cum commotione carnis, & spirituum generationi inseruientium. Tactus (ait ille) & oscula cum priori delectatione non esse libidinosa & mortalia; cum posteriori

autem & libidinosa, & mortalia proculdubio esse. Equidem
Sanch. cum *Sanctio summ. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 12. Baldello tom. 1.*
Baldel. *lib. 3. d. 14. n. 4.* & totius iam Societatis schola asseruerim totum id, quod in re venerea paruitas materiæ olim poterat vocitari, esse sub mortali illicitum. Res venerea est? nunquam est parua.

§. 7. *De pollutione.* 76. *Dixisti, pollutionem & voluntariam, & inuoluntariam esse; hanc accidere in somnis, aut in vigilia præter voluntatem illam fieri homine consentiente, & vocari mollitem: quæsierim, an procurari possit, ad vitandum aliquod graue salutis detrimentum?* Aliquando *Sanchez. de Matrim. tom. 3. lib. 9. d. 17.*
Sanch. *num. 17.* docuit licere medicamentis, imò fricationibus, ad vitanda venenosa accidentia, & detrimentum salutis, quod ex semine corrupto timetur; dummodo constet saltem probabiliter, semen esse corruptum, & absit in delectationem consensus: quia semen corruptum verum semen non reputatur. At re attentius considerata, doctissimus, ac castissimus Pater ab illa se opinione retraxit in *sum. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 22.*

77. *Peccat ne, qui dans operam rei licitæ patitur pollutionem?* Minimè; quia actio illa per accidens in pollutionem influit. Hinc colligo non teneri quem abstinere à calidis cibis, ab equitatione, à tali accumbendi ratione, quibus expertus pollui, non tamen consentire: licitum esse chirurgo verenda infirmi contrectare, si dum adest pollutio, abest periculum consentiendi: Confessarium non teneri à fœminarum confessionibus abstrahi, nisi polluendus periculo con-
Vasq. sentiendi subiaceat. Ex doctrina *Vasquez 1. 2. tom. 1. d. 115. num. 9. An pollutio prouisa ex tactibus licitis iuxta patriæ consuetudinem, sed non intenta, est ne peccatum?* Non, si absque consensus periculo fiat; ad inurbanitatis vitandam suspi-
Sanch. tionem. *San hez de Matrim. tom. 7. lib. 9. d. 45. num. 8.* Pono opus esse illicitum, sed non in genere luxuriæ: & rogo, an inde sequens præuisa pollutio sit lethale peccatum? v. g. peccat quis mortaliter in nimio cibo, aut potu, tenetur ne se reum pollutionis sequentis habere? Minimè, si præter in-
Vasq. tentionem accidit. *Vasquez citat. num. 9.*

78. *Quid si opus illicitum sit in genere luxuriæ, sed leue: v. g. huius tactus manus, visio, verba, lectio aliquantulum immodesta?* Pollutio inde præuisa, sed non intenta, veniale solum peccatum est; quia ex veniali causa accidentaliter procedit.
Tann. *Tann us 1. 2. d. 4. quæst. 8. sub. 6. num. 123.* Colligo fœminam, quæ dum confabulatur cum viro sibi in matrimonium iungendo

gendo verba amatoria profert solummodo peccati venialis rea venialiter etiam peccare, si pollutionem patitur absque scandalo, & consensus periculo. *Sanch. de Matr. tom. 3. lib. 9. d. 46. num. 37.* Sanch.

79. *Iam suppono, opus esse mortale in genere luxuriæ: quódnam peccatum erit pollutio sequens?* Mortale quidem non solùm in specie luxuriæ, sed in molliciei specie; quia opus illud per se grauiter concurrit in pollutionem. Igitur pollutio ex aspectibus, tactibus, & cogitationibus mortalibus lethalis proculdubio est. *Sanchez citat. d. 45. n. 30.* Sanch.

80. *Incipit in somno pollutio: an in vigilia sub mortali piaculo reprimenda?* Asserit *Toletus lib. 5. cap. 13. num. 1.* quia homo vigilans perfecta deliberatione, ac libertate potitur. At *Saa 5. Luxuria, num. 10.* contrarium docuit; quia pollutio inuoluntariè & sine piaculo cœpit: effusio verò in vigilia illius inculpabilis causæ est naturalis effectus. Admonet autem aptè *Fagundez prec. 3. lib. 3. cap. 6. num. 11.* veram esse Saa opinionem, quando euigilans certus esset, quod consensum non esset adhibiturus. Tolet. Saa. Fagund.

§. 8. De Sodomia.

81 *De infando crimine pauca profabimur. Solummodo quæsierim, an circunstantia agentis vel patientis sit aperienda in confessione?* Asserit *Card. Lugo de pœn. d. 16. sect. 5. §. 1. n. 243.* explicandam; quia diuersa specie malitia est in agente, qui eo tactu impudico se polluit; ac in patiente, qui eodem tactu passiuo solummodo cooperatur pollutioni alterius. Lugo.

§. 9. De delectatione morosa.

82. *Constat, delectationem morosam esse consensum voluntatis in appetitus illicitos: hunc autem consensum duplicem esse posse, expressum, & tacitum; expressum, quando voluntas delectationes huiusmodi positiuè acceptat: tacitum, quum post perfectam aduertentiam, & deliberationem, adhuc homo motus illos permittit, & quantum moraliter potest ad repellendum eos, non exercet: Rogo, an sit peccatum mortale non solùm quando voluntas positiuè consentit, sed & quando permissiuè se habet, non impediendo huiusmodi motus?* Affirmat *Vasquez 1. 2. tom. 1. d. 108. num. 2.* quia consensus interpretatiuus æquiualet formali. Vasq.

83. *Num morosa delectatio possit specie distingui? vel omnis delectatio morosa contra castitatem sit eiusdem speciei?* Delectatio morosa consistens in actu voluntatis efficaci in ordine ad executionem actus, qui est delectationis obiectum, est eiusdem speciei cum ipso actu. v.g. delectatio morosa, seu desiderium adulterij est eiusdem speciei cum adulterio. At si

delectatio non sit cum efficaci ad opus, sed consistit in simplici complacentia, ad speciem diuersam referenda non est: quia simplex complacentia de coniugata, non versatur circa adulterium, vt iniuriosum alteri, & sic non contrahit adulterij malitiam. Porro simplex complacentia ad actum externum non progreditur, sed quamcunque mulierem respici
Vasq. vt pulchram, & delectabilem, &c. *Vasquez 1.2.tom.2.d.113. cap.2.*

84. *Quid dicendum de circunstantijs personæ quæ mente delectatur? an delectatio sacerdotis, v.gr. & delectatio coniugati specie distinguantur?* Ita planè, quia prima est delectatio
Regin. contra Religionem, secunda contra iustitiam. *Reginaldus tom.2.lib.12.c.2.sect.3.n.13.*

85. *An omnis delectatio morosa sit mortalis adeo, vt parvitas materiæ graui non excusetur à crimine?* Si est de actu intrinsecè malo, vt futuro, adulterio, &c. mortalis est, nec paruitas materiæ excusat: quia omnis cogitatio venerea, (v.gr.) est
Lessius. inchoata pollutio. *Lessius lib.4. cap.3. dub.13. num.109. Si verò actus sit malus solum quia prohibitus aliqua lege positiua?* Delectatio illius mortalis non est, quia lex positiua actus internos non prohibet. Vnde delectari esu carnium in die Veneris, non est mortale, nisi versetur circa illum actum
Tann. vt prohibitum, quod raro continget. *Tannerus 1.2. d.4. q.3. dub.7.n.137.*

86. *Est ne peccatum mortale delectatio morosa coniugis in coniugis absentia, absque pollutionis periculo?* Non; quia de actu licito, & in ordine ad actum licitum, qui est copula coniugalis, delectatur. Absentia autem per accidens impedit ne talis copula geratur. *Quid si copula cogitetur vt præsens, quando ipsa copula est ipsis illicita ob valetudinis periculum, aut abortum, aut ob quamcunque circunstantiam extrinsecam?*
Sanch. Asserit *Sanchez tom.3.de Matr.lib.9.d.44.num.21.* non esse inter coniuges illicitam huiusmodi delectationem, quia in hisce omnibus casibus copula est licita, & solum illicita per accidens.

87. *Licet ne viduis de prælapsa licita copula delectari: aut sponsis de futuro de futura?* Minimè; quia actus externus, de quo delectantur, nec viduis nec sponsis de futuro licitus est. Est autem dispar ratio de his ac de coniugibus circa copulam præteritam, aut futuram; quia copula huiusmodi coniugibus hic & nunc non est impossibilis, quemadmodum illis. Scio *Valentiam tom.4.d.6. quæst.4. part.4.* contrarium
Valent. probabiliter asseruisse.

88 *Circa*

88. *Circa cogitationes requiro, num sit peccatum, si in cogitationibus veneris voluntas nec consentiat, nec dissentiat positiuè, sed tantùm permissiuè se habeat, non impediendo, nec reprimendo motus luxuriei, quos posset reprimere ab his animum vanauocando?* Probabiliter affirmat *Sanchez* peccatum mortale non esse. Periculosè planè huiusmodi cogitationibus laxabis habenas. §. 10. De sexto præcepto varia.

89. *Circa verba quæsierim, an peccaret mortaliter qui fœminam solicitaret siue intentione executionis, ob solam ostentationem amoris; si sciat certò illam minimè ad assensum alliciendam?* Peccat planè; quia ad scandalum illam affert. *Quid si tam effrenatæ libidinis sit qui solicitat, tantáque iam infamia circa libidinem laboret, vt nullatenus fœmina ad scandalum afferenda sit?* Non delinquet mortaliter.

90. *Circa opera denique requiro, quandónam fœmina vi compressa à viro non peccabit lethaliter?* Si habeat firmam voluntatem non consentiendi, & impediat, quantum in se est, ne sibi vis inferatur, clamore, & nisu corporis: alioquin censebitur consentire. Ita *Valentia. Quid si obniti non possit, nec clamare ad vitandam mortem, vel graue incommodum infamiæ?* Valent. Asserit *Salas*, posse pati externam corruptionem non consentiendo, sed merè passiuè se habendo. Salas. Imò cum periculo consentiendi. Attamen quod ad vltimum id spectat, mei Magistri doctissimi venia, ab eius opinione recedo; quod enim malum intrinsecè est, nullo est licitum prætextu.

91. *Dixisti tactus impudicos in Ecclesia factos sine periculo pollutionis non habere ratione loci sacri specialem malitiam sacrilegij in confessione aperiendam; quia, vt Sanchez adnotat, Ecclesia tantum, aut emissione sanguinis, aut seminis violatur: rogo num pollutio, aut fornicatio occultè facta contineat specialem malitiam sacrilegij?* Sanch. Non continere probabiliter *Vasquez* affirmat; ego cum *Suario* probabilius contrarium teneo, quia licet nullum sit scandalum, tamen loci sanctitas violatur. Vasq. Suar.

92. *Coniugatus sui ipsius tactui operam impēdit causa voluptatis, extra coniugij actum: num peccat mortaliter?* Etiam si periculum pollutionis absit *Vasquez* asserit lethaliter delinquere; quia non habet dominium sui corporis in ordine ad venerem secum explendam, sed cum coniuge. Vasq.

93. *Dixisti Confessarium posse confessiones audire cum pollutionis periculo, modo consensus periculum absit, non aliter. Rogo, an pollutio proueniens equitanti necessariò, cum consensus periculo, sit mortale?* Non sequor Ferdinandum à Castro asserentem; quia qui ex causa (ait) necessaria vel vrgente se

exponit periculo peccandi, non peccat, si determinatam habeat voluntatem non delinquendi; est enim tunc periculum illud inuoluntarium. Nec tamen non sequendo, improbabilem ideo tanti viri mei amantissimi sententiam affirmo.

94. *Licitum ne sumere medicinam effusionis seminis prouocatiuam? Ex Turriano* respondeo licitum esse, si pollutio non intendatur, sed alius effectus vtilis ægrotanti. Turriã.

95. *Inchoatam dixisti in somno pollutionem, non tenetur quis euigilans reprimere? Quid si gaudeat de illa pollutione: vel optet euenire?* Si gaudeat, vel optet non ob delectationem, sed propter sanitatem, vel ad sedandas tentationes, nec peccatum quidem veniale est.

96. *Datur ne in rebus venereis paruitas materiæ?* Minimè; cum enim nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale, & delectatio sequatur naturam actus: omnis delectatio morosa in hac materia erit peccatum mortale. *Baldellus tom. 1. lib. 3. d. 14. n. 4.* Bald.

97. *Alterius nomine scribit quis litteras, aut defert ad mulierem, quibus ad peccandum inuitatur: delinquit ne mortaliter?* Non delinquere affirmat *Saa.* Cum *Sanchez* autem grauiter peccare asseruerim; quia malum intrinsecè patrationi delicti dare operam. Sanch.

98. *Licet ne ex iusta causa locare domum meretrici, vel alicui petenti ad fornicandum? Valentia* docet licere; quia locare domum, est res per se indifferens, quæ ex sola praua abutentis intentione ad malum ordinatur. Tamen si expressè dari sibi domum amicus petierit, vt illicitis fruatur optatis, sub mortali negare teneris; quia res iam minimè indifferens. Valent.

99. *Licet ne medico ad pollutionem ciendam medicamina ordinare?* Minimè; (vt ait *Toletus*) quia sicut intrinsecè malum est ipsum ægrotum procurare, licèt sit propterea ab ægritudine eruendus, ita nec medico operam dare licebit huiusmodi in ægrotante effectui. Tolet.

100. *Coniugatus de copula imaginaria cum aliena vxore delectatur, peccat quidem contra castitatem; rogo an etiam contra iustitiam delinquat?* Affirmo etiam contra iustitiam delinquere; quia coniux per matrimonium non tantùm corpus, sed etiam coniugi obligauit affectus. Ita *Sanchez.* Sanch.

101. *Licet ne rogo rursum Ecclesiasticis legibus vxorem in adulterio deprehensam occidere?* Minimè, ob periculum manifestum damnationis occisæ: accusanda potiùs, & iudicis sententia punienda.

102. *Num Bulla Pij V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conscientiæ?* Henriquez sentit vsu non esse receptam probabiliter, nec in conscientiæ foro obligare. Quod si vsu recepta sit, Clericus fœminam in indebito subigens vasi, non committit propriè Sodomiam; quia licet non seruet debitum vas, seruat tamen sexum. Nec incurrit ex *Suario* pœnas Bullæ intra vas masculi semen non immittens; quia delictum non est consummatum. Nec ex *eodem* qui non nisi bis, aut ter in Sodomiam sunt lapsi; quia Pontifex has pœnas Clericis exercentibus Sodomiam infligit. Nec (adhuc ex *Suario*) ante sententiam iudicis declaratoriam pœnas Bullæ in foro conscientiæ incurrunt; quia nulla lex pœnalis obligat homines, ad se prodendum. Colligo Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omnino esse absoluendum.

EXAMEN IX.

De legibus in particulari circa materiam septimi Mandati Decalogi de Furto.

CAPVT PRIMVM.

De graui Furti materia.

1. *Quid est Furtum?* Occulta ablatio rei alienæ domino rationabiliter inuito. *Rapina quid?* Est ablatio rei alienæ per violentiam.

2. *Quódnam peccatum Furtum, aut Rapina?* Mortale ex genere suo; fieri tamen veniale possunt ex paruitate materiæ, vel ratione indeliberationis, & quando dominus quoad substantiam rei acceptæ non est inuitus, sed solùm quoad modum; v.g. quando pater ægrè fert rem, quæ aufertur à filio, non peti.

3. *Quænam quantitas est sufficiens materia ad peccatum mortale furti?* Variè respondent Doctores. Alij enim quatuor iuliorum vel regalium summam grauem esse respectu omnium asserunt: alij aureum quid esse notabile affirmant respectu diuitum, respectu mediocrium medium aureum, respectu autem pauperum duorum regalium, imò minorem quantitatem respectu alicuius particularis sufficere per acci-

dens ad grauem materiam. Profectò missis, his, aliisque assignatis vltrò quantitatibus, non approbo determinatam huiusmodi assignationem; quia pro Regnorum varietate varia est nummorum æstimatio; vnde ex nummorum assignatione non potest generalis certa regula præscribi. Vnde opinor illam quantitatem esse sufficientem ad materiam grauem furti, quæ omnibus consideratis, infert Domino graue damnum, aut notabili priuat vtilitate: habita quidem ratione personarum, in ordine ad quas metienda est grauitas, aut leuitas furti iuxta Regnorum consuetudinem, ex qua crescit aut minuitur nummorum æstimatio. Addo illam quantitatem graue damnum inferre, aut notabili priuare vtilitate, quæ sufficit ad congruam sustentationem eius cui damnum infertur iuxta status sui qualitatem. v. gr. Dives aureo indiget ad honestum victum; Aureus est respectu illius grauis materia. Eget mediocris medio aureo; Medius aureus est materia notabilis. Quod si duobus, vel tribus, vel quatuor, vel vno regali indigeret, hæc esset adæquata ad mortale materia. Si verò per accidens quis tam pauper dimidio regali solummodo ad congruum victum indigeat: hæc minima quantitas erit sufficiens materia ad grauitatem furti. Hinc colligo circa Principes etiam seruandam proportionem non considerato quantitatis excessu, sed decentiæ mediocritate: sufficientibus quidem tribus aureis ad Principis mensam; quia solius regiæ personæ habenda ratio, non familiæ, cuius sustentationi copia ingens impenditur.

Caput II.

De Furtis minutis.

4. *Minutis Furtis quis notabilem quantitatem surripuit: quonam se crimine illigauit?* Si ex intentione procedendi surripuit, in statu mortali est: si ex occasione sine intentione alterius materiæ casualiter parua furta committit, non peccat mortaliter, si per magna interualla id accidat, vnde non recordetur facilè furtorum prælapsorum. In praxi quidem securiùs, cùm ad notabilem quantitatem peruenit, si aduertat ita rem se habere, peccare mortaliter. Quod si non aduertit quando modica quæque surripuit, solùm venialiter deliquit, licet ad magnam quantitatem furta

furta minuta accrescerent : at ad huiusmodi quantitatem perueniens, tenetur aduertens totum restituere, aut illud sanè, quo ex quantitate illa excluso leuem relinquit quantitatem.

5. *Furatur quis minimum animo furandi maius, sed non furatus est : deliquit lethaliter* ; Ita planè ; quia eiusdem malitiæ est, velle surripere, quàm actu exequi.

6. *Quid quando à pluribus aliquid aufero* ? Maior quantitas requiritur ad graue furtum, quàm cum ab eodem. Imò quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm cum simul; & quando tempore longo, quàm cum eodem, vel breui ; quia minus quidem infert nocumentum sic auferens : cum ratio maioris aut minoris damni sit spectanda, ad grauem, aut leuem iniuriam.

7. *Multi simul furantur grauem quantitatem, at singuli modicum quid surripuere : delinquunt ne grauiter ?* Si communi consilio furati sunt, grauiter peccant; quia per modum vnius aggressi sunt : at si quisque de aliis nesciat, non peccant mortaliter, nec tenentur ad restitutionem sub mortali, sed sub veniali.

8. *Non quidem illi communi consilio surripuere, sed tamen scit vnusquisque de alijs damnum inferentibus : delinquunt ne grauiter modica surripiendo ?* Mortaliter peccant, & tenentur suam partem tantùm restituere ; quia non cooperati sunt illorum acceptioni. At qui fuerunt cooperati surripientes communi consensu, in integrum debent restituere, si alij non restituunt portionem suam.

Caput III.

De filio, & vxore, & alijs furantibus.

9. *Surripere ne possum rem meam, quæ iniusto titulo apud alium est* ? Delinquis quidem si aliter recuperare possis ; sed tamen ad restitutionem non teneris; quia tua est.

10. *Licet ne in graui necessitate aliquid surripere* ? Minimè; quia in huiusmodi necessitate res est aliena, cùm sola extrema rem faciat communem.

11. *Principis sum creditor, qui ab eo solutionem non possum obtinere : possum ne vectigalia in compensationem defraudare* ? Potes : valétque huiusmodi doctrina etiam in censibus, decimis, & aliis iuribus alteri elocatis.

12. *Filius grauem summam accepit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel vsumfructum: deliquit ne grauiter?* Maximè, si pater non solùm quoad modum, vt dixi, sed etiam quoad substantiam videtur inuitus. De restitutione alibi.

13. *Quid si vxor grauem quantitatem accipiat ex bonis mariti, vel ex bonis quorum maritus habet administrationem, & vsumfructum?* Peccat mortaliter, cum onere restitutionis, si id præstet sine expresso, aut præsumpto mariti consensu, aut conditione. Potest tamen inuito viro capere, aut donare, bona paraphernalia, illáque pro libito dispendere; quia sunt illius propria quoad dominium. Potest etiam ludere, & pecuniam accipere ad ludum, dandúmque pauperibus intra limitem, & decentiam status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facilè concederet. Potest item, etiam inuito viro, pro necessariis sibi, & familiæ accipere, scilicet pro veste, cibo, medicamentis, & vt subueniat patri, matri, vel filiis ex priori matrimonio susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habeat vnde illis queat subuenire.

14. *Seruus ne peccat mortaliter, quando in quantitate notabili à suo domino aufert?* Peccat, nisi fortè dominus sit irrationabiliter inuitus: verbi gratia, si necessaria non suppediteet: tunc enim seruus habet ius sibi succurrendi, ita iure naturæ dictante.

15. *Rem grauis quantitatis inueni: num possum licitè retinere?* Si post factam inquisitionem, verus dominus non reperitur, licet perfectum esset pio operi consecrare, tamen potes tua fortuna frui, etiamsi diuitiis affluas, nisi aliqua speciali prohibitione impeditus esses.

16. *Est ne peccatum concupiscere rem proximi?* Si concupiscis proximi diuitias, vt auferas, grauiter, aut leuiter delinquis iuxta materiæ quantitatem; at si solummodo desideras similes diuitias possidere ad bonum finem, nec leui delicto macularis. Decimum iam mandatum aperui.

CAP.

Caput IV.

Praxis circa materiam de Furto ex Societatis Iesv *Doctoribus.*

17. *Cvm Furtum sit, vt vidimus, iniusta ablatio rei alienæ, domino inuito: quæsierim, an Captiuis sit hoc præcepto interdictum, surripere ab infidelibus dominis pro iniuria captiuitatis compensationem?* Possunt captiui Christicolæ ab infidelibus iniustè retenti à dominis particularibus absque iniustitia detrahere congruam compensationem pro captiuitatis iniuria, pro mercede seruitutis, pro lucro cessante, & damno emergente in suis negotiationibus, & bonis ob absentiam à patria, & pro sufficientia redemptionis. *An possunt alijs quacumque voluerint surripere?* Non solum à dominis, sed & à cunctis possunt Turcarum mancipia surripere quicumque voluerint, ex tacito suorum Principum Christianorum consensu. *Molina de iust tom.1. tract.2. d.37. num.1.* non solum id de mancipiis, sed & de omnibus Christianis asseruit. Addit *Sanchez opusc. tom.1. lib.2. cap.4. dub.5. n.38.* posse Christianos vectigalia à Turcis imposita fraudare. Horum ratio est, quia Turcæ sunt hostes publici, & bona Christianorum tyrannicè possident. Vnde Principes Christiani ius habent bellum eis indicendi, eosque iure belli bonis eos spoliandi. Præsumitur autem Principis consensus, vt surreptione bonorum, viris inimicorum imminuantur. *Quid si scandalum sequeretur, aut aliorum Christianorum damnum, vt deberet interuenire mendacium, conscientia erronea, aut fidelitatis fractio?* Christiani furantes Turcarum bona peccarent. At si haberent fœdus, vel aliquod saluum conductum, ad restitutionem tenerentur; quia nullo pacto præsumi potest Principis consensus. Porrò in aliis casibus *Petrus Hurtado*, & alij eos à restitutionis obligatione excusant; quia restituendo vires hostium Ecclesiæ augerent; & quia consensus Principis Christiani præsumitur quoad substantiam, si non quoad modum.

§. 2. *De furtis captiuorum Christicolarum.* Molin. Sanch. Hurt.

18. *Constat paruitatem materiæ excusare à lethali piaculo: excusat ne in furto reliquiarum?* Si quantitas reliquiæ magna sit, & non Diui egregij, si parua, aut non magnæ apud dominum æstimationis, materiæ paruitas excusat. Nam, *Pal. tom.1. tract.8. d.1. p.6. n.19.* auctore, reliquiæ non tam ex quantitate, quàm ex dignitate, & æstimatione pensandæ sunt.

§. 2. *De reliquiarum furto.* Pal.

19. *Accipit*

19. *Accipit quis ab Ecclesia de licentia Episcopi reliquias excusatur ne à furto sacrilego ?* Minimè ; quia Episcopus, aut Sanch. Præpositus non habent reliquiarum dominium. *Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 23.*

§. 3. *De graui quãtitate furti.*

20. *Circa quantitatem sufficientem ad graue furtum placita Doctorum exprime.* Nauarrus asseruerat dimidium regalem, Salonius vnum argenteum, Medina duos, Vega quatuor, aut quinque. Marchantius victum vnius diei eius personæ, à qua quis furatur, Rodriguez duos aureos, Bañes maiorem quantitatem. Bonacina distinguit quatuor genera personarum. Primum illustrium & splendide viuentium: secundum communium, & viuentium ex redditibus : tertium mechanicorum & labore degentium : quartum mendicantium. Respectu primi generis personarum ait quantitatem grauem esse nummum aureum. Respectu generis secundi quatuor regales plus minúsve. Respectu tertij duos. Valent. Respectu quarti vnum. At ex nostris *Valentia tom. 3. d. 5. q. 10.* Molin. *part. 16.* tres dragmas grauem materiam asseruit. *Molina de iust. tom. 3. d. 685.* quantum satis est ad conducendam operam fossoris terræ vnius diei, circa ordinarios. Alij aliter. Nos autem vt à difficultatibus opinionum, aut nimium rigidarum, aut nimium laxarum expediremur, aliam viam faciliorem inire curauimus, quam *num. 3.* expressimus.

21. *Sufficit ne quantitas assignata ad graue furtum filiorum familius, aut Religiosorum ?* Plus in his requiritur ad furtum mortale. Sotus in Religiosis requirit duorum aureorum quantitatem. Ledesma asserit non sufficere octo re- Sanch. gales. *Sanchez summ. tom. 2. lib. 7. cap. 20. num. 3. & 6.* quatuor saltem argenteos requiri docet, amplius autem in comestibilibus.

§. 4. *De furtis minimis.*

22. *An multa furta parua ad vnum mortale coalescant ?* Ita planè. v. gr. quis paulatim modica furripit ; & in vltimo furto complente materiam peccati mortalis, recordatur præteritorum : peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur ? quia incipit esse alienæ rei in notabili quantitate inuito domino retentor. *Quid si furans vltimum obolum, haberet animum statim illum restituendi ?* Non delinqueret mortaliter ; quia illa Granad. modica retentio non esset notabilis iniuria. *Granadus 1. 2. cent. 6. tract. 2. d. 2. sect. 3. n. 51.*

23. *An qui vltimum obulum abripuit, & fit ideo grauis furti reus : teneatur totam quantitatem, quæ ex minutis illis furtis coaluit, restituere ?* Non ad totam quantitatem tenetur sub mortali, sed ad illam qua ablata, furtum graue non remaneret.

24. Ex

24. *Ex aliquo ne capite probabile est, minuta furta nunquam ad constituendum mortale piaculum coalescere?* Porrò *Emanuel Saa v. Furtum, num.8.* asserit, & ab onere restitu- Saa.
tionis liberat, si non procedant ab eadem voluntate continuata; sic enim multa venialia furta vnum mortale non constituent. Veriorem autem reputo sententiam oppositam hac cum limitatione, tunc scilicet modica furta coalescere in vnum, quando fiunt in eodem genere negotij, & animo diteſcendi, vt contingit in vendentibus oleum, vinum, & similia: & quando non sit magnum à furto in furtum interuallum. *Quantum interuallum debet esse, vt furta hæc non* Sanch.
coalescant? Respondet *Sanchez sum.tom.2.lib.7.cap.21.n.10.* Filliuc.
Vnius anni. At *Filliucius* verosimilius, Vnius mensis vel Sanch.
dimidij Addit *Sanchez num.17.* maiorem quantitatem requiri ad mortale in furtis minimis, quàm in aliis: & eo maiorem, quo plures sint domini, quia tunc minus inuiti.

25. *Coalescunt ne furta minuta famulorum de rebus comestibilibus, quæ claudi non solent?* Minimè, si non illa vendenda, sed comedenda abripiant. *Lessius lib 2. cap. 12.* Less.
dub. 8.n.48.

26. *An qui peccauit mortaliter in multis modicis, semper peccet mortaliter, noua modica subripiendo?* Asserit *San-* Sanch.
chez num.7. quia renouat implicitè retinendi rem alienam notabili in materia voluntatem. Abnegat *Filliucius nu-* Filliuc.
mer. 246. quia huiusmodi furta notabilem quantitatem non consummant, sed consummatum augent; donec alia summa notabilis accrescat, in qua nouum erit mortale piaculum.

27. *Ad furanda multa modica, quæ grauem constituere quantitatem plures conuenere: an vnusquisque graviter deliquit?* Ita; quia cum non sit maior ratio in vno, quàm in alio, totum damnum singulis imputatur. *Quid, si vnusquisque seorsim modicum acciperet ab eodem sciat alios idem gerentes, non tamen illos iuuat, adhortatur? Vasquez 1.2.tom.2.d.146.* Vasq.
cap.2. num.5. docet mortaliter delinquere. *Sanchez* autem *num.22.* non delinquere affirmat; quia non est reus mor- Sanch.
talis ratione sui furti modici, nec ratione alieni, ad quod non concurrit, & præter intentionem ipsius est, quod suum cum aliis iugatur.

28. *Modicum quis furatur ab Antonio, à quo alij notabilem quantitatem surripuerant: peccat ne grauiter?* Minimè; quia non est causa notabilis damni iam illati, ob furtum illud paruum. Sic *Vasquez n.6.* Vasq.

29. *Dixisti*

§. 5. *De furto var.* 29. *Dixisti in graui necessitate non licere aliena occultè fu-*
Num probabilis contraria sententia ? Ex doctrina *Lessij*
varijs. probabilem existimo: quia sicut diues in graui necessitate
Lessius. tenetur dare ita pauper potest accipere absque iniuria: neque diues in hoc casu potest esse rationabiliter inuitus circa substantiam rei acceptæ: sed tantùm potest ei modus displicere.

30. *Num furtum rei non sacræ in loco sacro sit sacrilegium?*
Fagund. Affirmo ex *Fagundez* non esse, nisi sit ibi deposita quasi sub iure & potestate Ecclesiæ; quia res illa non sacra est in Ecclesia quasi per accidens: ergo ipsi Ecclesiæ specialis non irrogatur iniuria.

31. *Filius mercatoris, patris bona administrat, & potest à patre salarium exigere quantum alicui extraneo deberet: si illud non posset à patre petitum impetrare, potest ne clam accipere?* Potest quidem ad iustam æstimationem laboris, & industriæ suæ, computatis tamen in dicta æstimatione expensis, quas
Laym. pater in ipso effecit alendo. *Laymanus* ita.

32. *Comedi apud furem bona fide cibos furtiuos: num de-*
Sanch. *liqui* ? Minimè; attamen *Sanchez* affirmat teneri te restituere Domino id, in quo factus es ditior. Ego autem tanti viri venia asserо non teneri ad huiusmodi compensationem nisi quando mala fide comedisses. Imò si furti consors non fuisti, comedens ex furtiuis solùm videris lædere furem, qui gratis dat tibi quod ipse surripiens restituere tenetur: vnde probabile existimo non teneri te ad restitutionem, licet mala fide comedisses.

33. *Sartores magistri assolent vendere fragmenta, quæ super-*
Sanch. *sunt ex vestibus: an liceat emere* ? Ex *Sanchez* affirmatiuè respondeo, quando existimo illa ideo eos iustè retinere, quia aliàs non possunt plenam mercedem impetrare. A famulis autem sartorum emere non licet; quia respectu illorum haud potest huiusmodi coniectura fieri.

34. *Quis decreuerat iniustum damnum alteri inferre: ego equidem meo hortatu eum confirmaui, fuique causa, vt citius, & expeditius damnum inferret. Furi item furandi gratia ascendenti scalam tenui, quam etsi non tenerem, tamen ille ascenderet. Latronem denique rem furtiuam asportantem adiuui, quam tamen sine mea ope auferret: Rogo num in his casibus deliqui,*
Laym. *teneárque ad restitutionem* ? Respondeo ex *Laymano* te deliquisse quidem, sed ad restitutionem non teneri; quia non es causa furti, sed tantùm modi, aut circunstantiæ. *Quid si hortatu meo, aut securitate, aut auxilio maius damnum inferretur*

retur à fure? De exceſſu tantùm tenereris. Plura in materia de reſtitut. Tract. 4.

EXAMEN X.

De Legibus in particulari, circa materiam octaui Mandati Decalogi de falſo teſtimonio non dicendo.

CAPVT PRIMVM.

De Iudicio temerario.

1. *Contra octauum Decalogi præceptum: Non falſum teſtimonium dices, delinquitur aut iudicio, aut mendacio, aut contumelia, aut detractione, aut ſuſurratione. Quid igitur eſt Iudicium temerarium?* Firmus aſſenſus de aliquare mala ex leuibus indiciis. *Quódnam peccatum eſt?* Mortale ex ſuo genere, & contra iuſtitiam: at ſi internum tantùm ſit, non obligat ad reſtitutionem; ex leuitate materiæ veniale eſt.

2. *Vt ſit peccatum mortale, quænam in iudicio concurrere debent?* Tria equidem. Primò, debet formari ſine indiciis ſufficientibus. Secundò, debet ex plena deliberatione efferri. Tertiò, certò, & ſine vlla formidine. Quæ quidem omnia rarò concurrunt in temerè iudicantibus; plerumque enim iudicant cum formidine de oppoſito; nullum autem iudicium citra certitudinem eſt peccatum mortale.

3. *Quid igitur de ſuſpicione temeraria dicendum?* Non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, præſertim ſi contingat ex quodam intellectus errore: ſicut neque opinio temeraria.

4. *Quænam res poſſunt fundamentum iudicandi exhibere?* Dubia de rebus æſtimanda momentis ſuis: de perſonis interpretanda in meliorem partem. In dubio non teneris interpretari in meliorem partem poſitiuè & ſpeculatiuè, ſed bene negatiuè & practicè. Ex charitate in dubio quiſque iudicandus probus. Si ferendum iudicium ſit, dubia in meliorem partem interpretanda. Ad cautelam, & ex ſuppoſitione dubia interpretari poſſunt in deteriorem partem, & Superiores ob indicia dubia ſubditos obiurgare poſſunt. Multa

iudicia

iudicia possunt esse falsa,& non temeraria : v.g. si iuuenis lasciuus cum fœmina clam loquatur de re quidem indifferenti, qui videt illum sibi iam cognitum impudentem, non temerè de crimine iudicabit. Sicut aliqua iudicia assolent esse vera, sed tamen temeraria : v. gr. si bonæ famæ vir cum fœmina bonæ etiam famæ de re turpi loquatur in publico : qui iudicauerit nequitiam ; verè equidem, sed temerariè iudicium profert; quia nullum adest firmum fundamentum.

CAPVT II.

De Mendacio, & secreti reuelatione.

§. 1. *Mendacium.*

5. *Quidnam Mendacium?* Falsum verbum cum intentione fallendi.

6. *Quotuplex Mendacij diuisio?* Duplex quidem. Prima, ratione vitij oppositi veritati, in iactantiam, & ironiam. Secunda, ratione culpæ grauioris, vel leuioris, in pernicioſum, iocoſum, & officioſum.

7. *Num omne mendacium peccatum sit?* Ita planè & ex suo genere malum ; potest autem & venialis, & mortalis esse mendacij culpa iuxta eius grauitatem aut leuitatem.

8. *Quónam peccatum est in doctrina Christiana mentiri?* Ex suo genere mortale : vt etiam mentiri in doctrinis naturalibus, si pertineant ad praxim virtutis, & vitij, quamuis omne scandalum excludatur, & contemptus.

9. *Num mortale sit crimen leuiter mentiri in iudicio, aut in Confessione?* Minimè, quia leuis iudicij iniuria, & leuis Confessionis irreuerentia est.

10. *Recepi centum ab alio, solui, sed probare non possum : num negare possum in iudicio non accepisse?* Potes quidem cum restrictione mentali : *quæ nunc debes.* Sicut petenti centum, cum tantùm debeantur quinquaginta, respondere potes, non debere.

11. *Num veritatem aliquando celare licet?* Licet equidem. Interrogatus testis, pro tempore potest vti æquiuocatione, si reuera illo tempore reus factus non sit, quando non debet iuxta mentem iudicis respondere. Interrogatus an habeas pecuniam, si petatur cum iniuria, negare potes, aut si adsit rationabilis causa id faciendi. Pernicioſum igitur mendacium graue aut leue est iuxta materiam, iocoſum & officioſum veniale plerumque.

12. *Quid*

12. *Quid de secreti iniusta reuelatione?* Seruare alienum secretum, fidelitatis est: at seruare secretum, ad quod quis obligatur ex officio, est iustitiæ; secretum de propria re, charitatis est, & continentiæ. §. 2. *Secreti reuelatio.*

13. *Quódnam peccatum est secreti reuelatio?* Prodere secretum parui momenti, veniale est, magni momenti, vt peccatum graue, quando infamandus patrator, graue crimen erit. Detegere vni graui viro graue secretum criminis .v.g. quando scio illum seruaturum, nec grauiter apud ipsum famam vulnerandam, graue peccatum non erit iuxta plures Doctores. Ego secretum graue reuelari posse vni concedo sine mortali, modò alterius peccatum non sit; nescio enim quonam modo possit crimen fœdum alterius tam prudenti viro reuelari ita vt fama bona patratoris delicti non vulneretur?

14. *Quid de secreto ad Rempublicam pertinente?* Si cedat in damnum Reipublicæ, manifestandum est: si autem reuelatio in eiusdem damnum cedat, celandum est, etiam si grauia tormenta, & mortem ipsam quis esset subiturus.

Caput III.

De Contumelia, Detractione, Susurratione, & alijs peccatis oris.

15. *Quid est Contumelia?* Iniusta honoris ablatio facta in præsentia patientis illam. Consistit in verbis & factis; à conuicio, & improperio materialiter tantùm differt. De ratione autem eius est, vt dicatur aliquid in detrimentum honoris alterius ea intentione, vt is id intelligat; quod fieri potest etiam in absentia eius, dicendo defectum aliis ea intentione, vt ad illum deferatur. §. 3. *Contumelia.*

16. *Quódnam peccatum est contumelia?* Contumelia formalis ex suo genere mortale crimen est; non materialis, & quando fieret animo corripiendi tantùm, nullum peccatum est; si fiat ioco, & ex animi leuitate quadam, veniale est: aliquando fateor esse posse mortale, vt cum honor notabiliter, me aduertente, aut dubitante, læderetur.

17. *Quid de libellos famosos conficientibus?* Mortaliter peccant, non sunt tamen iure communi excommunicati; sed excommunicandi, si sint Ecclesiastici. Qui eos reperiunt, ad rescindendum tenentur. Qui confecit, non tenetur se

prodere, si sit occultus; in aliquo casu potest per accidens obligari.

§. 2. *Detractio.*

18. *Num repelli potest contumelia?* In animi præparatione contumelia ferenda patienter est: re autem ipsa non semper tenemur, sed in quibusdam casibus repelli potest.

19. *Detractio quidnam est?* Alienæ famæ iniusta occulta violatio. Pluribus modis fieri potest tam directè, quàm indirectè.

20. *Quàm graue detractionis peccatum?* Ex suo genere formalis detractio mortale crimen est, materialis non semper est mortale peccatum, sed venialis aliquando. Qui refert audita potest aliquando formalis detractor esse, sæpè tamen non est, vt, v. g. cum probabiliter iudicat nullam inde infamiam orituram.

21. *An naturales defectus sint detractionis naturalis materia?* Regulariter non sunt, imò nec naturalium, præcipuè cum in vulgi ore communiter versantur hi, illi autem non pertineant ad famam.

22. *Publicum crimen vno in loco in alio quis diffamat: num delinquit contra iustitiam?* Minimè, nec contra charitatem quidem, si fama facilè eum in locum crimen huiusmodi perlatura erat. *Quid si crimen olim publicum, hodie occultum sit?* Id diffamare contra charitatem est solùm, nisi propterea diffamatus contemptui inibi haberetur; tunc enim etiam esset contra iustitiam.

23. *An sit mortale diffamatum iam de vno, rursus de alio diffamare?* Si crimina sint similia, non est mortale, secus si dissimilia sint, vnde accrescat grauiter infamia.

24. *Licitum ne hypocritas diffamare?* Si quærentes sibi fictis virtutibus famam nulli noceant, non licet; esset enim contra iustitiam. Profectò probabile esse fateor licitum esse diffamare eos, quando fama quæsita sit ex intellectualibus virtutibus, vel naturalibus; non tamen moralibus.

25. *Num historici vt seriem historicæ veritatis attexant, possunt crimina prodere?* Publica quidem possunt, & etiam secreta, si infamatoria non sint, si infamatoria & non omnino secreta etiam possunt: secus si omnino secreta; quia patratoris criminis secreti ius habet ad famæ tuitionem.

26. *Licet ne mihi in aliquo casu me ipsum infamare.* Non est id ex genere suo mortale, quia ex circunstantiis licitum esse potest. Ad vitandam mortem potes te infamare; ad vitanda autem leuia tormenta infamare te cum periculo mortis mortale peccatum est: secus si grauia tormenta sint. Ad aurem

cum eripiendum à morte potest se ipsum quis infamare, si iuridicè non procedatur, secus si iuridicè. *Num qui vi tormentorum fassus est falsum crimen, sese retractare teneatur?* Minimè, si denuò tormenta metuat.

27. *Audio mortalem detractionem: delinquo ne grauiter?* Mortaliter delinquis contra iustitiam, si ita audias, vt inducas, vel animes detrahentem; si autem non impedis, cum commodè possis, nec tamen animes, aut inducas peccas contra charitatem; si denique solùm delectaris detractoris eloquentia, vel curiositate, aliena facta dignoscendi, non tamen optes, vt detrahat, venialiter tantùm delinquis; quia nullo modo causa aut adiutor existis huiusmodi detractionis.

28. *Detrahit subditus coram Prælato: num ille debeat impedire?* Superior, scilicet Episcopus, Superiores regularium Principes, &c. non impedientes subditum detrahentem, peccant contra iustitiam; quia causa sunt illius, cum facilè possint impedire.

29. *Possum ne aliorum reuelare crimina ad tormenta vitanda?* Falsò infamare alium non licet: verum crimen licet aperire si tantummodo infamiæ incommodum impendeat, modò non sit sacramentaliter cognitum. Scio laudabile esse mininè reuelare, sed tamen non peccabit qui tormentorum *Vi* victus reuelat.

30. *Potest ne reuelari alterius occultum crimen ad impediendum proximi damnum?* Potest, si damnum proximo impendeat; secus si non impendeat, vel nil iuuat ad damnum impediendum.

31. *Licet ne infamare defunctum?* Minimè, præcipuè cum quando eius cum fama etiam famâ viuentium coniuncta esset.

32. *Quid est Susurratio?* Occulta oblocutio contra proxi- §. 3.
mum, qua dissolui possit amicitia, & discordia inter amicos *Susurra-*
exoriri. Porrò formalis susurratio ex genere suo peccatum *tio.*
graue est; materialis minimè ex genere. *Excludere aliquem ab amicitia Principis quodnam crimen?* Si illicitis modis excludatur, mortale est; si tantùm naturales illius defectus, vel alij publici morales narrentur, etiam peccatum est, nisi ex illius exclusione aliquod magnum bonum sequeretur.

33. *Quodnam est Irrisio?* Actio, qua proximus rubore suf- *Irrisio.*
funditur, & bono serenitatis priuatur. Præciso contemptu, veniale ex genere suo peccatum est: ex circunstantia fieri mortale potest, & aliquando nullum.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de falso testimonio dicendo ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De iudicio temerario.* Tann. Valent.

34. EST facilè iudicare, sed difficile quis iudicando peccati lethalis reus erit: quandónam mortale erit iudicium? Ex *Tannero 2.2. d. 4. q. 3. dub. 2. num. 39. & Valentia tom. 3. d. 5. q. 4. p. 3.* In re graui debes proximum iudicare, sine indiciis sufficientibus, deliberatè, & asseueranter sine vlla formidine. Rarò dixi contingere, hæc omnia concurrere, & ideo iudicium rarò erit lethale.

Less.

35. *Excusat materiæ paruitas: ergo iudicans proximum in re leuis momenti, venialiter delinquet: Rogo, an leue iudicium temerarium, quod aliquis sit filius Iudæi, aut spurius.* Lessius asserit *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 14.* quia huiusmodi qualitates sunt merè naturales. Alij autem probabiliter abnegant; quia hæ merè naturales qualitates apud nos obiiciuntur infames.

36. *Necessarium ne, in Confessione personæ, vel mali iudicati diuersitatem exprimere?* Non, quia moraliter omnia vni iustitiæ commutatiuæ in specie infima aduersantur.

§. 2. *De suspicione.* Filliuc.

37. *Quis ex leuibus indicijs temerè & voluntariè malum de proximo suspicatur: peccátne mortaliter?* Asserunt aliqui, si res sit grauis, & honesta persona. Contrarium assero cum *Filliucio*; quia nullum iudicium citra certitudinem esse mortale, docet Doctor Angelicus.

38. *Suspicio in quo differt ab opinione?* Cum suspicio sit assensus circa vnam contradictionis partem cum incertitudine, & partis alterius magna formidine; differt ab opinione, quia hæc in partem discriminatim fertur vtramque.

§. 3. *De detractione.* Less.

39. *Scio detractionem ex suo genere peccatum mortale, ex leuitate materiæ venialè fieri: v. gr. si vitia proximi leuia, seu naturalia proferantur: Rogo, quid, si leuis imperfectio de tali persona narraretur, vt putaretur grauis?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 11. diso. 3. num. 11.* docet lethale crimen; quia plus talis viri fama ex leui eo piaculo deturpatur, quam vulgaris ex grauiori. Porrò naturales animi, aut corporis narrare defectus, mortale non est. v. gr. aliquem esse natum ex adulterio, nisi ex hoc proximus in auditorum mente valde contemptibilis obiiciatur. Nec in genere profari, aliquem esse superbum,

bum, auarum, &c. quia hæc verba per se non sonant grauia crimina, sed naturalem inclinationem.

40. Audiui, Petrum adulterio infectum, narro, quæ audiui asserens me nihil certò scire, sed audita referre: rogo, an sit peccatum mortale? Asserit *Azorius part. 3. lib. 13. c. 6.* Azor. quia eius causa apud auditores proximi culpa reuelatur, & creditur; facilius enim malis narratis fidem, quàm visis bonis præstas. Porrò *Tannerus 2. 2. disq. 4. quæst. 8. dub 7. num. 139.* Tanner. docet narrantem simpliciter sine additione, aut confirmatione proximi crimen, lethaliter non delinquere; quia si diffamatio proximi credatur, non tam erit dicentis, quàm audientis, qui non debuit ex simplicis relationis leuitate credere.

41. *Aperit quis secretum crimen proximi vni, vel duobus prudentibus, quos scit minimè id vulgaturos: delinquit ne mortaliter?* Negatiuè respondet *Tannerus 2. 2. disq. 4. quæst. 8. dub. 7. num. 138.* Tanner. quia sicut quis non acquirit famam, vno dicente: ita nec infamiam, si vni aut alteri crimen aperiatur.

42. *Peccat ne vir ille prudens, cui crimen illud narratur, audiendo?* Dum est solus, non delinquit mortaliter. Nec etiam si cum multis adsit, & audiat communiter, si non tenetur ex officio narrantem reprimere. *Tannerus n. 151.* Tanner.

43. *Peccat ne mortaliter Petrus narrans Ioannis graue crimen notorium, eo in loco vbi nescitur?* Affirmatiuè respondent mei Doctores; quia sibi id fieri quisque ægerrimè ferret. *Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 68.* Less. limitat, nisi Ioanni parum esset, se alibi infamari; vel crimen, de quo punitus fuit, sit ita enorme, vt ad exemplum expediat vbique aperiri. Absolutè existimat *Fagundez Decal. part. 2. lib. 5. cap. 3.* Fagund. *num. 14.* sic detrahentes nec contra iustitiam, nec contra charitatem delinquere: siue crimen in loco, in quem eius fama facilè, siue difficilè, siue nunquam esset peruentura, detegatur.

44. *Qui falsum crimen alicui imposuit tenetur sese retractare, affirmans falsum protulisse?* Ita planè, imò si detractor non est vir magnæ authoritatis, tenetur retractationem iuramento firmare. Addit *Molina de iust. tom. 5. d. 41.* Molin. si opus est testes adhibere.

45. *Crimen occultum quis manifestauit duobus verb. gratia qui alijs quatuor manifestum fecere: necessarium ne detractori sese coram sex agnoscentibus retractare?* Sufficit duos, quibus ipse aperuerat, adire; quia posterior infamia accidentaliter

taliter sequuta est ex priori: & ex malitia audientium, qui
Tann. etiam apud suos auditores tenentur restituere: *Tannerus 2.2.d.4. quæst.6.dub.6. num.146.* Porrò alij asserunt sufficere ad restitutionem, quod de tali delicto non amplius loquatur apud eosdem, & illum laudet, honorificè de eo, & cum qq loquendo. Si autem esset falsum delictum impositum, tunc necessaria, vt diximus, retractio.

46. *Non potest detractor famam restituere: tenetúrne pecunia compensare?* Non; quia non bene pro toto fama venLaym. ditur auro. *Laymanus lib.3. sect.5. tractat.3. part.2. cap.7. num.3.*

47. *Petrus & Ioannes se inuicem infamarunt: tenentúrne inuicem restituere?* Non nisi alter velit restituere, tunc enim
Turr. & alter tenebitur. Lege *Turrianum 2.2. tom.1. d.53. dub.5. num.6.*

§.4. *De mendacio.* 48. *Solummodo circa mendacium quæsierim, an omne admittat materiæ paruitatem?* In Confessione, aut iudicio aliRegin. qui non admittunt; quia cum sit contra veritatem iudicij, in quantumuis parua materia erit mortale Sequor. *Reginaldum tom.2. lib.24. cap.2. sect.4. num.44.* asserentem mendacium posse leuitate niti, siue leuis materia mendacij sit præcipua de qua iudicatur, siue circunstantia: modo non vitiet absolutionem, & iuramentum non accedat.

§.5. *De secreto.* 49. *Debet ne aliquis cum periculo vitæ secretum naturale seruare?* Debet planè, si bonum publicum ex eius seruatione dependeat; quia sic naturalis ratio dictat. v.gr. miles ab hoFagund. stibus captus ex metu mortis non potest id sui exercitus aperire secretum, quod ad ipsius conducit conseruationem. *Quid si ad bonum particulare attineat?* Qui sine fraude illud calluit, poterit ad vitandum graue incommodum, secretum detegere; quia si non tenemur custodire secretum in proximi malum vergens, multo minus damno proprio tenebimur. *Fagundez Decal. tom.2. lib.8. c.6. n.11.*

50. *Scis, literas alienas aperire, regulariter esse mortale, nisi iure belli, iusta defensionis causa contra inimicum insidias præparantem, publici honoris ergo, aut regularis obseruantiæ consuetudine aperientur: Rogo autem erit ne mortale literas laceLaym. ratas & proiectas colligere, adaptare, legere?* Minimè *Laymanus lib.3. sect.5. tract.3. part.1. cap.4. num.4.* authore; quia præsumitur non magni momenti arcana continere, quod non igni datur absumendum, sed curiositati obiicitur instaurandum. Monet autem Doctor, si aliquod ex huiusmodi curiositate secretum fuerit seruatum in alicuius cedens perniciem,

sub

sub grauis piaculi pœna à colligente epistolæ particulos custodiendum.

§. 6. De falsi testimonio varia.

51. *Dixisti suspicionem plerunque peccatum veniale esse: rogo num sine sufficienti causa suspicari de viro sanctissimo rem grauissimam, v.g. hæresim, aut adulterium mortale sit?* Ita planè; quia tantæ personæ in criminis tanti suspicione tanta irrogatur iniuria, quàm cuilibet, de quo temerè iudicatur. Ex *Valentia* doctrina. Valent.

52. *Iudico temerè de aliquo indeterminato, aut de aliquo determinato, quem non agnosco, nec agnituras sum: num lethaliter deliquam?* Non; quia in hoc casu quasi nulli grauis irrogatur iniuria. Ex *Fagundez.* Fagund.

53. *Quot sunt detractionis modi?* Octo equidem, quatuor directi hoc carmine expressi:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Et quatuor indirecti, hoc versu exarati:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudátque remissè.

54. *Assero in tali Collegio, vel tali in loco multos improbos adesse; vel vnum in Canonicus talis Ecclesiæ simoniam aut adulterium commisisse, persona quidem in particulari non manifestata: an deliquerim grauiter?* Minimè, cum nullus grauiter lædatur: modò dictione tua talis loci nimium non minuas existimationem. sic *Fagundez.* Fagund.

55. *An pœnitens peccato detractionis delinquat complicem in confessione manifestando?* Minimè quando aliter non potest peccati speciem explicare, nec commoditate adeundi alium confessarium fruitur. Ex *Suarez.* Suar.

56. *Falsò affirmo adulterum scripsisse amatorias literas, aut hæreticum Crucifixi imaginem vulnerasse: pecco ne grauiter contra iustitiam?* Minimè; (vti ait *Filliucius*) quia iam infamatum in illo genere peccati diffamo vlteriùs in re quæ habet cum illo connexionem. Filliuc.

57. *Scio iam libelli famosi nomine intelligi signum, vel scripturam, quæ alicuius infamiam continet nondum antea publicam, vt publica fiat: rogo, num concurrens ad huiusmodi libellos præbens auxilium, &c. grauiter delinquat?* Ita planè, & ad restitutionem quemadmodum confector tenetur, vti *Lessius* asserit. Porrò ille etiam habetur libelli author, eiúsque pœnis subiacet, qui aliquod signum apponit, quod alium infamat: v. g. si quis cornua ad ianuam depingat, vel exponat ad iudicandum coniugis adulterium. Less.

58. *Licitum affirmasti aliquando ex rationabili causa peccata manifestare propria, & famam prodigere: requiro, an possit quis*

quis similiter exponere crimina, ex quibus aliis redundet specialis infamia: v.gr. se hæreticum esse, aut crimen læsæ Maiestatis commisisse? Palao. Maiorem ex Doctoribus cunctis præcipuè *Castro Palao* requiritur causam assero; quia ista crimina in opprobrium posterorum redundant. Similiter existimo Religiosum delinquere contra iustitiam, se ipsum infamantem, quando illius dedecus in Religionem, vel Monasterium redundat; quia fama particularis totius Religionis est.

59. *Reuelauit quis crimen alterius iniustè coram ijs, quos sciebat, vel dubitabat aliis reuelaturos: ad quidnam tenetur?* Apud omnes famam restituere; quia sua detractione censetur apud omnes causa efficiens infamiæ; secus si reuelauit alicui, de cuius taciturnitate non dubitabat. Ex *Lessio.* Less.

60. *Narro amico meo iniuriam mihi ab alieno secretò illatam, non quidem animo detrahendi, sed doloris mei leuandi gratia: delinquóne mortaliter?* Minimè; nam (vti *Lessius* innuit) Less. durum est acceptas iniurias silentio obruere.

61. *Dixisti occultum crimen alienum sine graui causa, vni aut alteri viro prudenti manifestare, quem scis non euulgaturum, non esse mortale, rogo, num ratio sit sufficiens, vt non delinquatur; hanc non esse notabilem famæ læsionem?* Scio id aliquos extra Societatem affirmare vt *Caietanus*, &c. Ast ego eam non existimo sufficientem causam cum *Suario.* Suar. Vnde affirmo peccatum graue huiusmodi delictum vni aut alteri manifestare, si fama sit apud illos lædenda; quia si iudicare temerè aliquem graue peccatum est, ob famæ deturpationem iudicati apud eum, qui iudicat, quare non erit graue peccatum aliquem apud duos viros infamare? Igitur non erit peccatum graue, eo quod non sit notabilis læsio famæ apud duos, sed quia prudentes cùm sint non grauiter apud illos delinquens deturpabitur: quod si lædenda sit grauiter fama, nec apud vnum licebit alterius manifestare delictum.

62. *Detraxi verbis generalibus affirmans aliquem esse mendacem, grauiter scio me deliquisse, si persona grauis erat, aut dignitate, aut ministerio: num teneor famam restituere?* Scio alios generatim excusare à restitutione omnem detractionem, quæ non est de peccatis mortalibus. Sed tamen ego assero teneri ad restitutionem, qui affirmauit grauem virum esse mendacem, quia licet mentiri mortale non sit, deturpatur fama illius viri de quo id affirmas, ac si grauiter deliquisset: vnde teneris ad satisfactionem sub mortali.

63. *Dixisti non esse peccatum mortale in confessione reue-*

lar

are crimen proximi: v. gr. complicis, si non posset adiri alius confessarius, cui is esset ignotus: rogo num probabile sit etiam peccatum non esse, licet adiri facile possit alius confessarius? Probabile esse affirmant graues Doctores exteri; quia si licitum est illud dicere ~~vnire~~ vni vel duobus extra confessionem, multo magis in confessione, cum absit diuulgationis periculum. Ex *Suario.* Suar.

EXAMEN XI.

De Legibus in particulari, circa primum Ecclesiæ præceptum de audiendo Sacro.

CAPVT PRIMVM.

De Missæ Sacrificio.

1. *Quid est Sacrificium?* Oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in signum legitimè institutum diuinæ excellentiæ. Multiplex olim fuit & si materiam spectes, in animalia, fructus terræ, & libamina (quæ liquores quidam erant) distinguebatur; si formam, seu actionem offerentis, in holocaustum, hostiam pro peccato, & pacificam partiebatur; si finem offerebatur tum pro venerando Deo, eiusque excellentia protestanda, tum pro expiatione peccatorum, tum pro gratiarum actione, tum denique pro impetratione beneficij. Hinc Sacrificij Missæ perfectio dignoscitur, quod & holocausti rationem habet in diuinæ excellentiæ recognitionem, & actionis gratiarum in recognitionem passionis Christi, & impetratorij, cum per illud Christus offeratur, cui nostra spes omnis debet inniti.

2. *A quonam Missæ Sacrificium institutum?* Si sermo sit de substantia, à Christo Domino fuit institutum, docente fide: si ratione cæremoniarum, & orationum, quæ adiunguntur, Ecclesiam habet institutricem.

3. *Quænam res Sacrificij huius?* Christus est, qui sub Sacramentalibus speciebus offertur.

4. *Quænam autem actio, in qua ratio Sacrificij ponitur?* Consecratio est ad sumptionem ordinata, sic enim cibus & refectio fidelium.

5. *Requiritur ne vtriusque speciei consecratio?* Ita planè: sic

enim mystica mactatio est expressè corporis à sanguine separationem repræsentans.

6. *Differt ne Missa ab incruento Sacrificio, quod Christus obtulit, & à Crucis cruento?* Profectò Missa Sacrificij illius oblatio est accidentaliter tantum differens ab incruento illo, quod in cœna Christus obtulit, & à cruento Crucis; quod in actione quidem sacrificandi distinctum, sed in re oblata conuenit.

7. *Quisnam offerens hoc Sacrificium?* Summus Sacerdos principaliter offerens Christus est, non tantùm remotè, ob institutionem, & virtutem in eius merito fundatam; sed etiam proximè, quia Sacerdos quilibet in persona Christi conficit, & cum omnibus actu concurrit repræsentando omnes & singulas oblationes Christi Deo in passionis suæ memoriam. Porrò Minister omnis Sacerdos est legitimè ordinatus: alij etiam fideles moraliter illi aliquo modo cooperantes; offerentes sunt medio Sacerdote: & suo etiam modo tota militans Ecclesia.

8. *Pro queisnam hoc sacrificium offertur?* Personæ, pro quibus offertur, multæ sunt. Primò ipsemet Sacerdos. Secundò alij fideles, qui offerunt. Tertiò alij omnes, pro quibus vel Sacerdos ipse fructum satisfactionis, & impetrationis offert, vel alij offerentes applicant, vel quod ad ipsos pertinet ex opere operantis. Quartò ipsa Ecclesia militans ex fidelibus constans, in qua infantes quidem peccatores, & catechumeni fructus impetrationis capaces sunt, energumeni etiam fructus satisfactionis: excipe excommunicatos, pro quibus publicam personam agendo non licet offerre, sed tantum priuata oratione in *Memento*. Quintò etiam infideles, quibus tantùm prodest Missa, vt est impetratoria. Sextò defuncti in Purgatorio existentes, quibus omnibus modis prodest. Septimò beati, pro quibus vt honorarium Sacrificium est, & impetratorium accidentalis, & extrinsecæ gloriæ, potest offerri. Nullo autem modo pro damnatis offerendum.

9. *Quosnam Missa pariat effectus?* Primò gratiam primam, & remissionem mortalium, non quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, & mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno, non semper efficaciter, sed sufficienter ex parte sua, & infallibiliter, præsertim si pro se ipso quis offerat. Secundò eadem ratione eiusdem gratiæ præstat augmentum. Tertiò venialia peccata remittit etiam ex opere operato,

mouendo

mouendo Deum ad producendum remissionis effectum, vt probabiliter cum Filliucio assero. Quartò pœnæ peccatorum siue mortalium, siue venialium ex opere operato tollit, nec minus easdem per modum impetrationis remittit, cum spirituales vires impetret ad opera pœnitentiæ peragenda, quibus Deo satisfacimus. Quintò bona etiam temporalia per modum impetrationis confert.

10. *Queisnam autem personis hi effectus tribuuntur?* Primò, ministris offerentibus. Secundò, aliis fidelibus cooperantibus ad Sacrificium. Tertiò, toti Ecclesiæ. Quartò, iis, pro quibus Sacrificium offertur. Porrò ipse Sacerdos duplicem fructum refert satisfactionis, qui ex opere operato confertur, alterum vt publicus minister est, alterum vt priuatus offerens, quem tamen nisi iustus sit minimè recipit. Is verò, pro quo offertur, vnum tantùm accipit satisfactionis, quam ipse Sacerdos vt publicus minister est confert.

11. *Quid si nulli Sacrificij fructus applicetur, vel incapaci vel non indigenti?* in Ecclesiæ thesauro remanebit.

12. *Priuati offerentes possunt ne offerre satisfactionum suarum partem?* Non; quia personalis est. Attamen probabile arbitror cum Filliucio & aliis ex charitate posse, sicut alias proprias satisfactiones.

13. *Quidnam requiritur ad hos fructus percipiendos?* Gratia habitualis, & viatoris status, qui tamen etiam existentibus in pugatorio conuenit, quia quoad pœnarum remissionem adhuc in via censentur.

14. *Quantus Missæ valor?* Profectò hic Missæ qualiscunque valor, qui ex opere operato confertur, finitus est quoad intensionem, cùm Ecclesia sæpius pro eodem sacrificare consuescat. Eodémque pacto pro pluribus collatus minor erit in singulis, non tamen minuetur multitudine offerentium, cùm quo plures offerentes sunt, eò etiam plures quodammodo oblationes sint, continentes singulæ suum fructum. Valor tandem Missæ, qui per impetrationem habetur, infinitus est, ideóque pro multis oblata non minus singulis prodest, quàm si pro vno tantùm offerretur.

CAP.

CAPVT II.

De Missæ celebratione.

15. *Quoties tenetur Sacerdos in anno Missæ celebrationi operam dare?* Probabile est, ter, vel quater in anno satis futurum, si nullum inde scandalum, vel damnum ipsius spirituale sequatur. Porrò quotidiana celebratio in præcepto non est, sed in consilio; & aliquando nedum absque peccato sed etiam cum merito potest intermitti.

16. *Num præceptum Ecclesiasticum, vt in aliquibus Ecclesiis quotidie celebretur?* Est quidem in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis præceptum vt quotidie celebretur, dempta feria sexta Parasceues; feria autem quinta in Cœna Domini vna tantùm Missa publicè à primario Sacerdote solet celebrari: priuatim autem etiam possunt aliæ dici, & publicæ matutino tempore, vbi talis vigeret consuetudo: Sabbato verò sancto vna tantùm publicè celebranda est: priuatim ab hora Paschalis officij etiam aliæ scandalo excluso.

Conuentualibus

17. *Quoties in die sacrificare licet?* Semel ordinario iure si diem Natalis dominici excipias, vel si vnus idémque Sacerdos plures Parochias haberet, & coadiutorem commodè sortiri nequiret.

18. *Quódnam sacrificandi tempus?* Ab aurora ad meridiem vsque moraliter accepta, & satis est si vel finis Missæ in auroram cadat, vel initium in meridiem.

19. *Quinam ad Missam locus requiritur?* Sacer esse debet, vt Ecclesia, vel oratorium benedictum. *Quid si violaretur?* Ante purificationem celebrandum non est. Hic profectò locus communis dicitur. Proprius est Altare, hoc est altaris mensa lapidea, & consecrata. Sine altari huiusmodi siue fixo, siue portatili non potest sine peccato celebrari.

20. *Quænam in Altari ex Ecclesiastico præcepto esse debent?* Quinque, duplex mappa, vel vna plicata, corporale ab Episcopo consecratum, lumen ardens ex cera, Missale, & Crucis imago. Vasa autem ad id necessaria, Calix & patena ex auro, vel argento, vel stanno, & ab Episcopo consecrata.

21. *An necessariò opus officium diuinum præcedere Missæ Sacrificium?* Minimè; imò si aliqua de causa omittatur, etiam si mediocris sit, nullum peccatum est; si nulla adsit causa, veniale.

22. *Quid*

22. *Quid de sacris vestibus?* Vsus earum congruentissimus, & Ecclesiastico præcepto necessarius est. Benedictæ esse debent, & absque iis sacrificare non licet: si tamen absque vna vel altera ex minoribus Sacrificium offerretur, secluso contemptu, aut scandalo, mortale non esset. *Potest ne nudis pedibus, aut cooperto capite sacrificari?* Nisi grauis infirmitas, aut Episcopo absente necessitas excusaret, non licet. Quod si ad id agendum diuturna necessitas adigat, Episcopi dispensatio requirenda.

23. *Quinam in Vrbis ritus seruandus?* Vt in Missali præscribitur. Vnius tamen diei Missa priuatim potest immutari, præsertim ex causa cum altera alterius diei, nisi peculiaris obligatio adesset vel ex stipendio, vel institutione. Preces ex deuotione addendæ non sunt nec publicè, nec priuatim.

24. *Quidnam de actionibus?* Peccatum esset suo genere mortale, si vel nouus adderetur ritus, vel antiquus omitteretur, nisi materiæ leuitas, aut ignorantia excusaret.

25. *Queisnam modis ministri obligari possunt ad celebrandum?* Primò ratione beneficij, in quo eius institutio attendenda erit, & obseruanda, vt si capella aliqua sit: si verò curatum non est obligatio singulis diebus offerendi Missam pro suis ouibus: sed aliquoties, vt Dominicis diebus, nisi consuetudo, aut declaratio Episcopi aliter docuerit. Secundò ratione stipendij accepti, & ex contractu oritur sacrificandi obligatio: iustum autem esse censetur siue quod Capellæ eam ob causam relictum est, si ex ea consurgat obligatio: siue quod à Superiore taxatum est, siue quod consuetudine introductum. Non est autem eius æqualitas, & iustitia mensuranda ex congrua sustentatione Sacerdotis pro iis diebus, quibus datur, cùm aliæ supersunt actiones faciendæ, pro quibus etiam stipendium aliquod lucrari potest, & actio sacrificandi non exigat integrum diem. Pro vna Missa non potest exigi nisi vnum adæquatum stipendium, illúdque ab omnibus sumi potest, siue pauperes sint, siue diuites, siue absque beneficio, siue cum illo, modò obligationibus ex eo nihil detrahatur. Neque Parochi à recipiendis huiusmodi stipendiis excluduntur, cùm possint iis diebus, quibus pro suis ouibus sacrificare non tenentur, offerre sacrificia pro aliis. *Num Sacerdos pauper duplicata stipendia ob paupertatem referre potest?* Nisi esset extrema, aut singula stipendia iusta non essent, haud potest referre duplicata.

26. *Num*

26. *Num necessarius Minister adiuuans in priuatis Missis?* Ecclesiastico præcepto necessarius est, ísque vir, fœmina minimè, nisi fortè è remoto loco respondeat, vt monialis in choro. Porrò in necessitate etiam sine ministro sacrificari potest.

CAPVT III.

De Missæ audiendæ obligatione.

27. *Quænam fidelibus Missæ audiendæ obligatio?* Ecclesiastico præcepto festis diebus fideles omnes sacro audiendo tenentur. Quod quidem voluntariè absque legitima causa excusante omittere etiam semel, mortale crimen est.

28. *Num totum sacrum audiendum?* Ita planè, & si notabilis pars non audiatur, v. g. maior parte quarta, videlicet ab introitu vsque ad Euangelium excluſiuè, præcepto non satisfacis.

29. *Quid si notabilis pars omissa sit?* Si inuoluntariè omittitur, suppleatur per aliam; si voluntariè animo non audiendi aliam, vltra mortalem culpam, manet obligatio præceptum implendi, si nondum tempus sit elapsum. *Impletur ne auditione partis alterius Missæ?* Ita planè, etsi consultiùs esset vnius integram audire.

30. *Impletur ne præceptum per quamcunque Missam?* Ita planè etsi votiua esset, vel defunctorum, etiam si ritu Græco, vel Syriaco celebretur.

31. *Quænam præsentia, aut attentio requiritur?* Requiritur quidem corporalis præsentia moraliter sumpta, vt nimirum percipere possis, quid agatur: intentio autem virtualis saltem audiendi: nec obest alia praua intentio vt aspiciendi libidinosè fœminas priori coniuncta, dummodo requisita adsit attentio vel ad res sacras, vel ad ea, quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina. *Si inuoluntariè aliquando distrahor?* Remanet virtualis attentio cum qua assistere cœpisti.

32. *Possunt ne in Missa Psalmi, vel aliæ preces, etiam ex obligatione recitari, & impleri pœnitentia in Confessione habita?* Possunt; quia cuncta eidem fini adiiciuntur, modò debita sacris actionibus Missæ non desit attentio.

33. *Quinam*

33. *Quinam fideles ad Missam audiendam adstringuntur?* Omnes adulti, etiam pueri impleto septennio.

34. *Queisnam diebus hac vrget obligatio?* Qui sunt ex præcepto festi siue iure communi, siue consuetudine, siue municipali statuto.

35. *Excusant ne aliquæ causæ ab implendo præcepto?* Plures causæ excusant, triplex præcipuè, impotentia, corporalis, spiritualis, & moralis, charitas, officium, & consuetudo rationabiliter introducta.

CAPVT IV.

Praxis, circa materiam de Missæ sacrificio, & auditione, ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De pluribus sacris eodē die perficiendis.*

36. *Scio in die Natiuitatis Dominicæ tres Missas neminem teneri celebrare: at rogo, num possit quis ante auroram cunctas perficere?* Aliqui non posse asseruere, cùm quia contra Missalis Rubricam, tum quia in Canone prima Missa ponitur, *Noctem sacratissimam*, pro aliis duabus, *diem sacratissimum venerantes.* At *Suarius 3. p. tom. 3. d. 80. sect. 4.* licere docuit; quia in *c. nocte sancta de consecr. dist. 1.* in nocte Natiuitatis Missas sine distinctione celebrari conceditur. *Quid de Rubrica? Vasquez 3. p. tom. 3. d. 232. cap. 3. n. 3.* ait Rubricam de Missis solemnibus esse locutam. *Quid de Canonis varietate?* Suarius citat. docet, aliquando verba Diuini officij referri ad tempus, pro cuius commemoratione dicuntur. Vnde tres Missæ possunt prope meridiem celebrari, non obstante, quod in prima dicatur: *Noctem sacratissimam.*

Suar.

Vasq.

37. *Queisnam in casibus Sacerdos ieiunus potest iterum Missam celebrare?* Enumerat *Valentia tom. 4. d. 6. q. 11. part. 3.* septem. 1. In die Natiuitatis Domini. 2. Si vnus Sacerdos esset præfectus duabus Ecclesiis Parochialibus ob ipsarum inopiam. 3. Quando sub finem vnius Missæ superuenit Episcopus, vel habens quasi Episcopalem iurisdictionem Ordinarius, Prælatus, Rex, seu alius secularis Princeps, vel aliqui iter agentes in die festo. 4. Ad benedicendas nuptias, aliqua necessitate, aut magna congruentia vrgente. 5. Quando sub finem Missæ corpus defuncti cum Missa sepeliendum intraret. 6. Si non esset asseruata Eucharistia, & dandum viaticum moribundo. 7. Ob rationabilem causam, vel congruentiam à viro prudenti iudicandam, vt habetur

Valent.

cap.

cap. consulisti, de celebr. Missar. cur ergo suprà num. 7. asseruisti solum primo, & secundo in casu licere Missam iterare? Quia casus reliqui ob multitudinem Sacerdotum in desuetudinem abiere. *Aliquis contingit.* Sacerdos locorum attendat consue-

Posseu. tudinem, & licentiam ab Episcopo requirat. Sic *Posseuinus cap. 2. num. 7.*

38. *Licitum ne renouanti Eucharistiam, consumere hostiam consecratam olim, & quam ipse consecrat in sacrario reponeret*

Fagund. Asserit *Fagundez p. 1. lib. 3. cap. 4. num. 26.* At *Præpositus 3. p.*

Præp. *q. 83. art. 1. dub. 7. num. 50.* sententiam hanc improbabilem putat; quia de ratione sacrificij est vt sumatur hostia, quæ ab ipso sacrificante est consecrata. *Non habens maiorem hostiam consecrauit particulam.* Ostendat populo hostiam olim consecratam addita particula.

§. 2. *De ritu celebrãdi.*

39. *Est ne lethale crimen, vnam Missalis Missam in aliam mutare. v. g. Missam Natiuitatis in Missam Assumptionis; aut hasce Missas extra diem talium festiuitatum recitare?* Non; quia Bulla Pij V. Missali Romano præfixa non obligat ad

Filliuc. mortale nisi in rebus grauibus. *Filliucius tom. 1. tract. 5. c. 5.*

Præp. *num. 140.* Addit *Præpositus in 3. p. q. 83. art. 4. dub. 3. n. 187.* generaliter nos obligari vi Bullæ ad obseruandum Missalis ritum, & alium non introducendum: vt si (v.g.) vnusquisque pro libito alius Missalis ritu sacrum ageret.

40. *Peccat ne grauiter, qui Missæ modicum addit, vel ex ea*

Filliuc. *detrahit?* Docet *Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* non delinquere mortaliter, qui aduertenter in Missa omitteret *Credo*, vel *Gloria*, aut in Canone alicuius Sancti nomen; ob materiæ scilicet paruitatem. Idem sentio de eo, qui aliquam commemorationem submissa voce adderet.

41. *Scio aliquos asseruisse, peccare grauiter Sacerdotem, qui dum se sacris vestibus induit, orationes solitas prætermittit ad-*

Fagund. *uertenter: quid sentiendum?* Ait *Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9.* non omnes Missalis regulas ad mortale obligare, sed illas tantum, quæ sacrificij essentiam, vel quasi essentiam continent.

42. *Conceditur facultas Religiosis Societatis* IESV *Missam de Luisio Gonzaga (v.g.) Beatificato celebrare: frui ne possint*

Pal. *alij Sacerdotes eadem facultate?* Asseruit *Palaus tom. 2. tract. 4.*

Granad. *d. 1. p. 5. §. 5.* sed *Granad. 2. 2. contr. 1. tract. 7. d. 4. sect. 2. num. 2.* contrarium asseruit; quia ita expressè sacra Congregatio Cardinalium determinauit apud *Gauantum in Enchir. Episcop. v. Missæ ritus num. 1.* Probatur autem, quia Alex. III. in *cap. de Relig. & vener. Sanct.* prohibuit, aliquem coli Beatum

publico

publico cultu sine summi Præsulis facultate. *Quid si in diplomate, certis personis nominatis, non addatur particula*, tantum? Putat Granado alios Sacerdotes posse Missam concessam celebrare, petentibus tamen illis, quibus facultas celebrandi conceditur. Quemadmodum licet Capellano Missas Capellaniæ per alios agere.

43. *Potest ne Sacerdos probatæ memoriæ aliquo in casu sine Missali celebrare?* Negat *Fagundez tom. 1. lib. 3. cap. 21. n. 23.* Fagund. quia nota incurritur apud audientes. At sciens *Gabrielem Vasquez in 3. part. tom. 4. d. 235. cap. 3. numero 26.* asseruisse Vasq. Sacerdotem, qui parum videt, posse memoriter Missam recitare, sed Missali præsente ad decentiam; affirmo Sacerdotem probatæ memoriæ posse sine Missali celebrare, sed simili libro appositio, ne apud adstantes aliqua nota inureretur.

44. *An licitum in casu necessitatis cum lumine olei, aut adipis celebrare?* Negat *Henriquez lib. 9. cap. 26. num. 4.* quia vsus Henriq. celebrandi cum cereo accenso à tempore Apostolorum est introductus. At *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 81. sect. 6.* affirmat, Suar. secluso contemptu, & scandalo; quia olim in Sanctuario lampades in Dei cultum ardebant. Monet Doctor id ante factum non esse consulendum. Attamen *Laym. lib. 3. tract. 5. c. 6. num. 17.* Laym. in necessitate asserit consulendum.

45. *Scio non posse Sacerdotem ex causa iusta Missam cooperto capite celebrare sine licentia Episcopi, aut si Regularis est, sui Prælati: rogo tamen an posset id ger: aliquando sine graui piaculo?* Posse quidem *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 83. sect. 3.* affir- Suar. mat, si grauis id infirmitas exigeret, & licentia facile non posset acquiri.

46. *Potest ne Sacerdos in necessitate sine ministro celebrare?* Aliqui asserunt posse. v.gr. si in die festo, aut cùm consecrandum esset viaticum pro moribundo, minister haberi non posset. *Potest ne fœmina in tali casu admitti?* Negat *Suarius* Suar. *in 3. part. tom. 3. d. 88. sect. 1.* quia *c. 1. de cohabit. Cleric. & mulier.* dicitur, quod nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. Scio aliquem contrarium asseruisse, existimantem quidem textum prædictum casum necessitatis complexum non esse. Suario hæresciimus.

47. *Potest ne quis ante auroram celebrare?* Asserit *Reginaldus tom. 1. lib. 29. cap. 9. numero 173.* quadrante ante auroram Regin. posse. *Azorius part. 1. lib. 10. cap. 25. quæs. 5.* hora & quadrante Azor. ante solares radios manifestos. *Fernandez part. 3. cap. 5. §. 14.* Fernād. *num. 3.* aliam semihoram addidit. *Suarius in 3. p. tom. 3. d. 80.* Suar.

sect. 4. docet Religiosos, qui ex priuilegio vna hora ante diē celebrant, posse quidem tribus horis ante diem celebrare.

48. *Scio terminum Missæ celebrandæ esse meridiem: rogo, num meridies sit mathematicè accipiendus?* Concedit parum

Præp. vltra meridiem *Præpositus in 3. part. quæst. 83. art. 2. dub. 4.*

Laym. *num.* 143. quia parum prohibitio reputatur. *Laymanus lib. 4. tract. 5. cap. 4. num. 4.* te putat peccare mortaliter, si Missam

Azor. ad mediam horam post meridiem differas. *Azorius part. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 6.* Si ad tertiam horæ partem. Porrò ex

Laym. *Laymano citato*, Sacerdos in die festo vna hora ante meridiem, potest Missam incipere, si ratione itineris, v.g. fuit impeditus.

49. *Possunt ne Sabbato sancto Sacerdotes celebrare?* Omnes

Hurt. quidem priuatim possunt, auctore *Gaspare Hurtado de sacram. d. 4. de sacrif. Missæ, diff.* 3. monente, si quis celebrare velit ante solemnem, posse Missam de Sancto ea die contingente, v. gr. Annunciationis, vel votiuam celebrare.

50. *Licitum ne in pelago celebrandæ Missæ operam dare?* Pro infirmo muniendo viatico, aut pro audiendo sacro diebus

Granad. festiuis asserit *Granado in 3. part. c. nt. 6. tract. 14. d. 13. num. 2.* licere, si mare tranquillum, & adsit alius Sacerdos, qui Calicem post consecrationem firmiter teneat. Hoc autem ait

Conin. *Coninch. de sacram. quæst. 83. art. 3. dub. 1. num. 226.* sine Pontificis summi facultate geri non posse.

§. 3. *De confessione celebraturi præmittenda.*

51. *Scio ex grauibus Doctoribus Sacerdotem confessione præmissa, celebrantem, si post sacrum inceptum recordatur alicuius mortalis oblitum esse, non teneri contritionem elicere; quia culpa illa iam remissa fuit indirectè per pœnitentiam virtualem. Rogo autem, si Missam sine præmissa confessione incepit existimans non habere mortalem culpam, & post ea recordatur habere, an teneatur conteri?* Tenetur; quia culpa irremissa. *Quid si non possit ad contritionem excitari?* Gaspar Hurtado *de sacr. d. 8. de Euch. diffic. 1.* asserit non peccare mortaliter si prosequatur, & Sacramentum recipiat; quia præceptum dignè communicandi non adeò strictè obligat, vt ad dimittendum Sacrificium inchoatum cum populi scandalo, & suæ famæ dedecore obliget. *Adest solus minister, quem facilè posset ad alium locum mittere, aut diutius Missam protrahere coram ipso.* Deberet adhuc contritioni eliciendæ studere.

Hurt.

52. *Quandonam Sacerdos in peccato mortali existens, potuerit sine præmissa confessione cum sola contritione sacrum gerere?* Vt ipse, vel alij præceptum communionis impleant in Paschate: si aliunde non adsit, quia hoc præceptum non est purè

Ecclesia

Ecclesiasticum, sed diuinum, determinatum tamen ab Ecclesia quoad tempus. *Lugo Cardin. de Euch. d.* 14. *sect.* 5. *num.* 116. Vt moribundo viaticum conferatur. *Lugo citat.* Vt in die festo alij Missam audiant, si non adsit alius Sacerdos celebraturus; quia vrget necessitas proximi. *Suarius tom.* 3. *in* 3. *part. d.* 67. *sect.* 4. obiicit, illi non peccabunt non audiendo sacrum, si ipse non celebret. Cui respondeo cum Cardinali meo. Nec moribundus peccaret sine viatico decedens. Potest ne Sacerdos, vt ipse præcepto audiendi sacrum satisfaciat? Negat *Suarius vbi supr.* sed alij probabiliter affirmant. Lugo. Suar.

53. *Peccati reseruati reus Sacerdos in casu necessitatis constituitur, adest confessarius inferior carens authoritate ad reseruata: an Sacerdos reus simul peccati mortalis non reseruati, aut venialium possit celebrare, non præmissa confessione?* Ait *Præpositus in* 3. *part. quæst.* 80. *art.* 5. *dub.* 3. *num.* 17. posse. *Hurtado de pœnit. d.* 11. *diffic.* 14. existimat debere; quia non adest confessoris copia, à quo integrè possit absolui. At asserit *Suarius citat.* teneri & reseruata & non reseruata illi Sacerdoti inferiori aperire, vt ab omnibus saltem indirectè absoluatur. *Quid si præter reseruata solum venialia haberet?* Deberet venialia ac reseruata confiteri, vt ab his indirectè, ab illis directè absolueretur, ex sententia *Coninch. de sacrament.* *q.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 21. Præp. Hurt. Conin.

54. *Potest ne celebraturus aut communicaturus absente superiore confiteri Sacerdoti inferiori peccata non reseruata, & reseruata relinquere, confessione dimidiata ad vitandum scilicet scandalum?* Negat *Valentia tom.* 3. *d.* 7. *quæst.* 11. *part.* 1. quia confessio debet esse integra quantum potest, vt omnia peccata directè, & indirectè absoluantur. *Gaspar. Hurtado vbi supr.* docet, celebraturum aut communicaturum se gerere debere, ac si confessarij copiam non haberet; quia Sacerdos ille non potest extra mortis articulum absoluere à reseruatis. Porrò *Petrus Hurtado de Mendoza* 2. 2. *d.* 84. *sect.* 7. §. 182. affirmat posse confessionem dimidiare, & reseruata relinquere; quia ad absolutionem indirectam non est necessarium, peccata exprimi, vt in peccatis patet oblitis; neque Confessio integra debet esse quo ad ea, quæ confessarij potestatem excedunt. Valent. Hurt. Mend.

55. *Sacerdos in casu necessitatis, confessario carens, celebrauit: tenetur ne quamprimum confiteri?* Asserit *Suarius in* 3. *part. tom.* 3. *d.* 66. *sect.* 4. quia sic Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. præcipit. *At illud: Quamprimum, Concilij quo-* Suar.

Fagund. *modo intelligendum?* Aliqui exponunt, *statim finita Missa. Fagundez autem prær. 3. lib. 3. cap. 8. n. 9.* explicat, *cum primum rursus celebrauerit.* Non approbo; quia secluso præcepto Concilij Sacerdos rursum celebraturus, id facere teneretur, & si per octo menses non celebraret, non teneretur confiteri, quod est absurdum. Vnde addiderim Fagundez sententiæ, cum primum proxima die, aut post vnum, vel alterum diem rursum sit accessurus ad altare.

Præp. 56. *Sacerdos ante celebrationem confessus, aliquod peccatum ex obliuione omisit: debet ne quàm primum confiteri?* Asserit *Præpositus in 3. part. q. 60. art. 5. dub. 4. num. 21.* quia hoc peccatum per se loquendo debebat ante communionem subiici claubus, & dici potest, quod conscius illius celebrauerit sine illius confessione. Profectò *Card. de Lugo de sacr. d. 14. sect. 7. n. 152.* Lugo. idem affirmat in casu, quo Sacerdos habens reseruata, absente superiore, & vrgente necessitate, confessus esset inferiori non reseruata, & celebrasset. Vel antea confessus, & absolutus, recordatus postea lethalis obliti, nec valens illud confiteri, sine noua confessione celebrasset.

§. 4. *De valore, & applicatione Missæ.* 57. *Scio, duplicem Sacrificij valorem, vnum ex re oblata, qui ex opere operato dicitur; alterum ex actu offerentis, qui ex opere operantis appellatur: an vterque finitus?* Ita planè, quia quamuis res oblata sit infinita, cum tamen offerens sit finitus, & actus eius finitus, valor etiam finitus est. In tres partes diuiditur. Prima, quæ ex vniuersali Ecclesiæ intentione toti populo Christiano applicatur. Secunda, seu media quæ applicatur ex intentione peculiari Sacerdotis cui ipse voluerit. Tertia, quæ est propria ipsius Sacerdotis.

Præp. Henriq. 58. *Sacrificium pluribus applicatur: prodest ne singulis, ac si vni tantum applicaretur? Præpositus in 3. part. quæst. 83. art. 1. dub. 7. & Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 5.* negant; quia valor Missæ, ex capite prædicto, finitus est.

Vasq. Lugo. 59. *Requiritúrne Sacerdotis actualis intentio Sacerdotis, vt valor ille medius applicetur alicui?* Requirit *Vasquez in 3. part. tom. 3. d. 138. cap. 6. num. 76.* actualem intentionem ipsius Sacrificij tempore, qualis ad consecrandum. *Lugo autem de sacr. d. 8. sect. 6. num. 93.* sufficere docet, quod aliquando voluerit, tale illi prodesse Sacrificium, etiamsi dum celebrat, nihil de hoc veniat in mentem, dummodo habitualem illam voluntatem non retractauerit.

Suar. 60. *Superior Sacerdotis Regularis Missam applicat alicui: rogo an præterea necessaria sit Sacerdotis celebrantis applicatio?* Asserit *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 79. sect. 9.* quia tam

conse

consecratio, quàm applicatio Missæ ita instituta est, vt à libera celebrantis intentione dependeat.

61. *Sacerdos primò celebrat cum Episcopo: possunt ne singuli, cui voluerint, integrè & independenter à voluntate alterius Missam applicare?* Possunt (ait *Maratius tom. 3. de Euch. d. 38. sect. 8. num. 4.*) quia singuli sunt vera causa per se totius sacrificij, ac si vnus solus offerret. Mærat.

62. *Recipit quis pro Missa stipendium: tenetúrne applicare danti orationes, & preces, aut fructum operis operantis?* Respondet *Coninch de sacr. quæst. 83. art. 1. dub. 10. num. 195.* tantum fructum ex opere operato teneri applicare. Alij autem huic sententiæ non subscribunt, quia æquè valeret danti eleemosynam boni ac mali Sacerdotis Sacrificium: frustráque Doctores consulerent, probatæ vitæ Sacerdotes esse quærendos. Conin. Fagund.
Fagundez Prac. 1. lib. 3. c. 6. n. 22.

63. *Licet ne applicare defunctorum Missas viuentibus, ac si vita functi essent?* Negatiuè respondet *Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 15.* tum quia id contrarium plane Romanæ Ecclesiæ ritibus. Tum quia nullum habet peculiarem fructum, quem non habent Missæ pro viuis institutæ, v. gr. de Sanctis, aut de remissione peccatorum. Si loquamur de fructu ex opere operato, hic in omnibus Missis æqualis est: nec quia applicatur in subsidium animæ, postquam è vita decesserit, potest suspendi: nam statim prodest ei, cui applicatur, si est capax. Si autem de fructu ex opere operantis, nimirum ex suffragiis Ecclesiæ, non potest nisi imperitè, ac superstitiosè, viuis applicari; quia illæ preces, quæ in Missa *de Requiem* recitantur, cùm ex significatione tum ex Ecclesiæ institutione, referuntur ad mortuos. *Timeo suffragia mihi post mortem heredum incuria defutura.* Missas ab Ecclesia pro viuis institutas tibi cura applicari viuenti. Laym.

64. *Scio sacram congregationem Cardinalium Concilij Tridentini interpretum authoritate Vrbani VIII. anno 1625. statuisse, vt Sacerdotes tot omnino Missas celebrarent, quot ad rationem attributi stipendij præscriptæ fuerint. Item exposuere, non posse Sacerdotem, qui certam eleemosynam accepit pro offerendo Sacrificio, alteri sacerdoti minorem pro eodem offendo præbere, parte aliqua sibi retenta. Hoc posito, quid iam de Doctorum placitis sentiendum?* Non potest iam Sacerdos vnica Missa pro pluribus stipendiis paruis satisfacere, quod *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 86. sect. 4.* asseruerat. Non potest pro vna Missa tot stipendia accipere, quot sufficiant ad se ac parentes, famulúmque §. 5. *De Missæ stipendio* Suar.

lúmque sustentandum, & aliquos libros (si Theologus, aut
Vasq. iuris prudens) emendos. Imò (auctore *Vasquez in 3. p. tom. 3. d. 234. cap. 2.*) ante Congregationis decretum licitum non erat; quia sacrificium non est institutum ad Sacerdotis sustentationem, cui deseruit sufficiens patrimonium, aut beneficium antequam promoueatur ad sacra. Non potest accipere duo stipendia pro Missa diei festi, aut applicando vni partem solitam, alteri verò partem suam. Non potest accipiens stipendium pingue, dare alteri tenue, quod *Vasquez citat. num. 4.* docuerat, asserens Sacerdotem dum ei datur stipendium pingue pro sacrificio ab ipso celebrando, acquirere dominium, & posse alteri Sacerdoti minus, sed iustum stipendium præbere; quia nulli facit iniuriam.

65. *Potest ne Sacerdos sacrificium offerre pro eo, qui primò*
Henriq. *daturus est stipendium?* Affirmat *Henriquez lib. 9. ca. 21. n. 1.* quia licet tale opus respectu nostri sit præteritum, est tamen respectu Dei præsens. At sacra Congregatio ex mandato Clementis VIII. die 15. Nouembris anno 1605. id improbauit.

66. *Ægrotat per aliquot dies Capellanus, tenetur ne ei*
Hurtad. *alterum interim celebrare?* Respondet *Gaspar Hurtado de sacram. d. 4. diffic. 1.* negatiuè, quando Capellanus per mensis spatium ægrotauit; quia est breue respectu anni, & cum restator non explicauerit intentionem suam esse tam strictè obligandi, non debet pauper Capellanus eo tempore stipendio priuari, quo magis indiget, ad ægritudinis sublcuationem.

67. Capellanus, vel alius Sacerdos stipendio obligatur in tali Altari, vel Ecclesia Missam celebrare: potest ne alibi
Fagund. sacrificium agere? Respondet *Fagundez pr. 12. lib. 3. cap. 9. num. 6.* non posse, & regulariter peccare mortaliter. At Capellanus, qui ter vel quater in anno in destinato Altari vel Ecclesia non celebrat, excusatur ob materiæ paruitatem, Minimè verò qui stipendium accipiens, vt celebret in Altari priuilegiato, in alio Altari cum calculo benedicto celebrat; Congregatione Rituum declarante.

§. 6. *De Missæ audi-tione.*

68. *Tenentur ne fideles Feria sexta in Paraseeue incidente Annunciationis Festo illud audire officium, in quo sacramentum præconsecratum absumitur?* Asserit *Vasq. in 4. p. tom. 3. n. 232. c. 2. n. 18.* non teneri; quia Missa non est.

Vasq. 69. *Sufficit ne Missa Natiuitatis, quæ coram summo Præsule illa nocte à Cardinali celebratur, ad præcepti satisfactionem?*
Lugo. Sufficere asserit *Card. Lugo de Euchar. d. 15. sect. 2.*

70. Scio

70. *Scio satis esse ad præcepti impletionem, sacro moraliter interesse: Rogo, an moraliter interfit sacro, qui manet in atrio Ecclesiæ, vel in alio loco sufficienti, vt inter illos, qui in Canone circunstantes dicuntur, numeretur?* Sufficit ex sententia *Gordoni tom. 2. lib. 6. q. 7. c. 2. §. 3. n. 12.* Gord.

71. *Sufficit ne adesse in fenestra, quæ sit è regione Altaris?* Non; quia non interest moraliter. *Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 209.* Filliuc.

72. *Excusantur ne surdi, aut cæci?* Minimè; quia necessarium non est audire, aut videre, sed sufficit personaliter interesse. *Fagundez pr. 1. lib. 2. c. 7. num. 3.* Fagund.

73. *Dixisti, posse quem partem Missæ ab vno, partem ab alio Sacerdote exaudire: Rogo, an possit prius pars Missæ posterior audiri & posta prior?* Asserit *Turrianus select. t. 2. d. 16. dub. 7.* quia præceptum quoad substantiam impletur, & solum inuertitur ordo, quod in satisfactione Horarum Canonicarum dicemus non esse mortale. Turr. *Potest ne simul & eodem tempore audiri, quando ex duobus Sacerdotibus vnus Missam inchoaret, alter consecrationi daret operam?* Affirmat *Hurtad. de sacram. tom. 2. de Missa, d. 5. diffic. 4.* quia (vt *Azorius p. 1. lib. 7. c. 3. q. 3.* ait) potest quis ad vtrumque Sacerdotem animum intendere. Hurt. Azor. Vnde aliquis docuit probabiliter ex præcepto, ex voto, ex pœnitentia iniuncta obligatum tres Missas audire, satisfacere, si simul à tribus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus audiat. In prima editione tr. 1. exam. 11. num. 93. dixi: *Colligo posse te breuissimo temporis interstitio Missam audire, si quatuor v. gr. altaribus variæ Missæ proportionatæ temporis anterioritate celebrentur.* Hoc quidem addidi non quia id affirmem esse verum, sed quia ex sententia affirmante posse implere præceptum duabus medietatibus simul auditis, id colligitur apertè: contrarium enim ex hac sequela ab inconuenienti arguens Problem. moral. meo Vol. 6. affirmo.

74. *Requiritur ne solum ad implendum præceptum mentalis præsentia, an corporalis sufficit?* Consulenda mentalis, sed asserunt *Gaspar Hurtado de sacr. tom. 2. de sacrif. d. 5. diff. 2. & Conink q. 83. a. 6. n. 197.* Hurt. Conin. Sufficere corporalem, dummodo licet mente distrahatur, corpore reuerenter assistit, & cum debita externa attentione.

75. *Datur paruitas materiæ in Missæ auditione: sed quonam modo hæc sit determinanda? Coninck de sacram. q. 83. a. 6. dub. vnic. n. 285.* Ab initio vsque ad Euangelium exclusiuè. Conin. *Henriquez lib. 9. c. 25. n. 7.* vsque ad Euangelium exclusiuè. Henriq. Confirmat

Lugo. firmat nouissimè *Card. Lugo de Euch. d. 22. sect. 1. n. 3.* quia valde probabile, non teneri fideles duo Euangelia audire, cum possint, data benedictione, recedere. Ergo audito vltimo Laym. Euangelio Ioannis satisfaciunt. *Layman. lib. 4. tract. 7. c. 3. n. 3.* citat Amalarium asserentem, haud esse grauis culpæ damnandos, qui ab offertorio vsque ad benedictionem intersint. Quod minimè admittendum.

76. *Excusantur ab auditione sacri infirmi, qui priuilegium habent audiendi Missam in Oratorio domus?* Non; quia hoc priuilegium à iure communi derogatur, & non potest in- Suar. ducere obligationem. *Suarius in 3. p. q. 83. a. 6. d. 88. sect. 6.*

77. *Quis excommunicatus est, & Missam audire non potest: rogo, an teneatur ex vi huius præcepti reconciliari, & fieri habilis ad audiendum?* Non; quia non obligat præceptum hoc ad tam remotam dispositionem. Quid si culpa sua excommunicatus maneat, quia non vult reconciliari? Adhuc Laym. non teneri affirmat *Layman. lib. 2. tract. 5. p. 2. cap. 2. num. 3.* Sicut qui culpa sua detinetur in vinculis, & non vult soluere quod debet, peccat contra iustitiam non soluendo; sed non peccat non audiendo sacrum.

78. *Peccat qui die Dominico, vel alio festo celebrat aliam* Suar. *Missam votiuam? Suarius* affirmat non peccare mortaliter. Fagund. Item ex doctrina *Fagundez* qui certis diebus debet dicere Missam, v. g. de B. Virgine, potest illis diebus dicere aliam in Missali præscriptam, etsi pro dicenda illa Missa stipendium accepisset.

79. *Sacerdos celebrans non obseruat vnam aut aliam Missalis rubricam: peccat ne lethaliter?* Non; quia non obligant sub mortali. Secus si nullam seruaret, aut in rebus substan- Fagund. tialibus Sacrificij delinqueret. Sic *Fagundez*. Hinc colligo non peccare mortaliter qui aliis diebus Missam de B. Virginis Assumptione, Natiuitate, &c. dixerit.

80. *Est ne anxietas, aut cura exactissima necessaria circa* Conin. *infusionem aquæ in calicem?* Minimè; quia ex doctrina *Conin.* & aliorum licet plures guttas infundat, aqua, quæ ante consecrationem non est in vinum conuersa, immediatè in Christi sanguinem conuertitur in ipsa consecratione.

81. *Potest ne Sacerdos in casu necessitatis cum stola, manipulo,* Suar. *aut cingulo non benedictis celebrare? Suarez* posse sentit, imò etiam sine aliquo ex iis. Addo posse celebrare in Calice & patena nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit; quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata.

82. *Si extra Ecclesiam sine iusta causa celebrares?* Mortaliter ex *Filliucij* sententia delinqueres.

83. *Peccat ne tripliciter Sacerdos celebrans indignè, scilicet consecrando, offerendo, & sumendo Christi corpus?* Minimè (ait *Henriquez*;) quia tres isti actus sunt sibi inuicem subordinati. Imò cum *Vasquez* affirmo Sacerdotem excommunicatum non præmissa confessione celebrantem scientem planè se adstringi peccati, & censuræ vinculo, duplex peccatum non committere.

84. *Potest quis uti stola pro cingulo, & manipulo pro stola?* *Suarius* respondet affirmatiuè. Imò ex *Azorio* ex duplicata stola vel casula possunt fieri duæ, & ex stola cingulum sine alia benedictione. Addit. *Suarius* fracto cingulo, partem adhibendam si sufficit, non nectendam cum alia; quia benedictionem amittit. Si verò antequam omnino diuidatur, reficias, vel aliquo modo connectas, ad vsum sufficere. Azor. Suar.

85. *Potest ne quis ob vitandam mortem sine vestibus celebrare? Saa* affirmat; quia Ecclesia cum tanto periculo non obligat. Saa.

86. *Circa corporalium ablutionem quid?* Lauant illa Diaconi, vel Subdiaconi, itémque Purificatoria: & prima ablutio mittitur in piscinam. Porrò semel ita lota possunt tradi monialibus rursum lauanda, & reficienda. *Saa* ex *Suario*. Saa.

87. *Quonammodo variis casibus in Missa celebratione accidere solitis occurrendum?* Ex *Suario, Azor, Toleto, Saa* & aliis respondebo. *Si aduertas hostiam consecratam esse corruptam?* Aliam consecra, incipiendo à *Qui pridie*, vsque ad *Simili modo* exclusiuè; deinde ad locum transeas quò peruueneras; tandemque illam hostiam corruptam post sumptum calicem sume, vel serua. Suar. Azor. Tolet. Saa.

88. *Si sumpta hostia, aquam esse pro vino in calice positam deprehendam?* Si in publico es loco, infunde vinum veluti ad ablutionem & clam consecra, & sume; quod si in priuato loco adsis, nouam hostiam etiam sume, & consecra incipiendo à *Qui pridie*. Aquam verò mitte in piscinam, quæ solet esse propè altare: *Quid si pergam in Missa, & ista ex ignorantia, aut perturbatione omittam?* Non delinquis mortaliter.

89. *Cœpta Missa recordor, me non esse ieiunum, aut irregularem esse, aut in mortali peccato: quid tunc?* Si non esse ieiunum te recordaris, perge, si alioquin scandalum sequeretur: si aduertis te irregularem, aut excommunicatum, pergendum tibi, nec ideo irregularis fies; si in peccato graui te deprehendas, contere, nec Missam omitte, etiam si posses sine scandalo.

90. *Venenum in vino consecrato adesse cognosco.* Aliud consecra,& illud stupa collectum, & siccatum comburatur,& cineres in piscinam immittantur.

91. *Hostia ab animante comeditur.* Si potest extrahi,seruetur,donec corrumpatur, animal verò combustioni detur;& in piscinam mittantur cineres. Itidémque videtur faciendum, si quis euomat Eucharistiam.

92. *Hæret hostia calici, aut palato.* Toties adhibeatur ablutio, donec deglutiatur.

93. *Post ablutionem apparent reliquiæ, aut particulæ consecratæ.* Si non possunt facilè asseruari,sumi possunt à Sacerdote, dum adhuc est in altari. *Sanguis excidit.* Si supra tabulam lambe,& rade: si super mappam, suge,& laua, deindè rasuram,seu ablutionem in piscinam immitte.

94. *Venenosum animalculum in sanguinem incidit.* Si deglutiri non possit sine periculo, aut horrore, extrahatur,& comburatur,cineresque dentur piscinæ.

95. *Quid si aliquo euentu Missam absoluere non valeam?* Si nondum consecrasti, perfici potest per alium ieiunum Sacerdotem: si consecrasti,& nondum communicasti,potest,imò debet alius etiam non ieiunus, si ieiunus non adsit, non autem excommunicatus,aut suspensus,aut irregularis. Quodsi desit,qui perficiat, sequenti die sumatur ab ipso in alia Missa Sacramentum.

96. *Potest ne Sacerdos, dum accepto stipendio pro altero celebrat, partem sacrificij sibi conuenientem alteri applicare, & pro ea stipendium accipere?* Posse sentit *Filliuc.* dum non tanquam pro integro sacrificio,sed pro parte,vt pro vna tertia accipiat. Filliuc.

97. *Dixisti, non posse Sacerdotem Missam offerre pro primo, qui dederit stipendium, quòd damnatum sit ex Cardin. decreto. Quid quando ex alicuius Capellæ fundatione statæ Missæ sunt singulis hebdomadis celebrandæ?* Potest Sacerdos antecedente hebdomada illas celebrare; quia sacrificium certam sortitur applicationem. Ita *Reginaldus.* Regin.

98. *Certam eleemosynam pro celebrandis Missis accepi, non possum alteri celebrandas committere, parte eleemosynæ mihi retenta; si accepi,vt dicendas Missas curarem per alios; at si accepissem certam summam pro Missis à me dicendis, possunt alios pro minori pretio conducere,qui adiuuent,& reliquum mihi retinere. Profectò post hæc, Congregatio Sacra Cardinalium fieri posse prohibuit?* Vt vidimus. Ego equidem existimo hoc decretum non extendi ad Capellas, quibus pingue stipendium est addictum; neque enim tantùm datur pro Missis dicendis.

99. Quid

99. *Quid si ab amico accepi pingue stipendium pro celebranda Missa?* Si intuitu amicitiæ accepisse probabiliter videaris, poteris per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei iusto stipendio: sin accepisti præcisè, & simpliciter pro Missa, nil tibi debes retinere, nisi Sacerdos, cuius opera vsus es, sponte id condonet.

100. *Quis pluribus debet Missam non ex stipendio accepto, sed ex liberali promissione: potest ne vnica pluribus satisfacere?* Affirmat *Hurtado*; quia fructus ex opere operato, quem solum illis debet, æqualis obuenit singulis, ac si vni tantùm applicaretur. Hurtad.

101. *Quanam rationabilis causa, aut legitimum impedimentum Missam non audientem excusat?* Ex *Azorio* & aliis, si herus impediat, si fœmina prodeundo est alicui obnoxia peccato, aut alicui occasio delinquendi. Item consuetudo puellarúmque non solent egredi domo, cudodia domus, aut gregis, ægroti instans ministerium, pudor ob vestem non decentem, & Ecclesiæ distantia respectu cuiusuis debilis. Azor.

102. *Tempore interdicti habeo priuilegium Sacrum audiendi: teneor ne?* Non teneris; ne priuilegium grauare videatur potius, quàm leuare à præcepto. *Suarius* sic. Suar.

103. *Transiens per locum, vbi Festum particulare celebratur, tenetur ne Sacrum audire?* Minimè; secus est, si inde recedat, aut eo accedat, vti *Saa* docet *v. Missa*. Saa.

104. *Sufficit ne in die Natiuitatis vnam Missam dicere, aut audire?* Ita planè, ex *Suario*. Qui autem vnam solummodo Missam dicere decernit, eligat quam maluerit. Suar.

105. *Potest ne audiri Missa publici concubinarii?* Si non sit denunciatus excommunicatus, posse *Suarez* asseruit. Suar.

106. *Qui die Dominica, in Festum Sancti alicuius incidit, Missam non audit: debet ne illam circunstantiam in confessione aperire? Vasquez* negatiuè respondet; quia hæc transgressio præcepti Ecclesiæ vnam tantùm habet malitiam. Vasq.

107. *Audit quis Sacrum animo non satisfaciendi præcepto: satisfacit ne?* Ita planè ex *Vasquez* assertione. Vasq.

108. *Tempore præfationis quis venit ad Sacrum audiendum, quod vnicè celebratur: tenetur ne illam singularis Missæ illius partem audire? Sanchez, & Suarius* teneri asserunt, quod illa præcipua sit sacri pars. Ego autem probabiliter asserem non teneri; qui per illam partem Missæ non potest implere præceptum. Sanch. Suar.

EXA

EXAMEN XII.

De Legibus in particulari, circa præceptum secundum & tertium Ecclesiæ de annua Confessione, & Communione.

CAPVT PRIMVM.

De Confessionis Præcepto.

1. *Quotuplex Confessionis Præceptum?* Duplex, & diuinum, & Ecclesiasticum. Confessionis enim præceptum de iure diuino positiuo in noua lege a Christo latum est; cum eius necessitatem in sola Sacerdotum absoluendi à peccatis potestate concluſit: ideoque nec in eo dispensare, neque illud abrogare potest Ecclesia. Posset tamen Confessionis præceptum ipsa proferre etiam si à Christo non fuisset impositum, à Christo tamen eius institutione suppositа.

2. *Quinam ad præceptum diuinum Confessionis obligantur?* Fideles omnes adulti, qui recepto baptismo lethaliter deliquerunt: infideles, & infantes, quique rationis capaces non sunt, minimè.

3. *Quodnam obligationis tempus?* Vt minimum articulus mortis esset, si paulo antè non esset impletum. Scio probabiliter defendi obligare quarto vel quinto quoque anno, nisi iam ab Ecclesia annua confessio esset imperata. At probabilius cum Filliucio & aliis assero, nisi determinaret Ecclesia, ad solum mortis articulum eius obligationem pertinere. Per accidens autem tum Eucharistiæ susceptio tum indulgentiæ acquisitio, quæ confessionem exigeret, tum votum, grauisque tentatio, quæ alia ratione tolli non posset, obligationem induceret.

4. *Impleturne præceptum hoc per Confessionem quocumque modo nullam?* Minimè, at bene per validam, licet informem; quia hæc confessio est, illa nequaquam.

5. *Quidnam de Ecclesiastico præcepto?* Additum est quidem Ecclesiasticum præceptum obligans ad confessionem semel in anno, quo diuinum determinatum est ad certum tempus; vnde

vnde quatenus à diuino iure pendet, abrogari non potest: vt verò ab Ecclesia; prorogari tempus, vel restringi posset, ita omnino etiam tolli iusta de causa, quæ tamen vix dari posset, remanente semper obligatione ex iure diuino.

6. *Obligat ne in anni parte determinata?* Vi sua non obligat, v.g. Paschate: consuetudine tamen, & ob commoditatem ratione Eucharistiæ eo tempore sumendæ inductum est, vt eo tempore fideles ferè omnes confiteantur. Porrò annus computatur à Quadragesima in Quadragesimam, & annus Ecclesiasticus nominatur.

7. *Eo tempore non impleui, absoluor ne obligatione?* Probabile est expectare te posse vsque in alteram Quadragesimam sine nouo peccato: probabilius tamen; quod primo quoque tempore tenetis. *Num ita qui confessus quidem est, sed aliquod peccatum omisit, aut ex obliuione, aut alia rationabili de causa?* Minimè; potest enim ad sequentem annum vsque differre. *Quid si præuideatur fore, vt occasione illa omissa toto anno non possim confiteri?* Debes eiusmodi tempus. prævenire

8. *Quænam causæ ab impletione præcepti excusant?* Primò impotentia tum physica, quia confessoris copia non sit: tum moralis, quia sine graui nocumento famæ, vel alterius boni non possit: quæ causæ etiam valent in excusando à præcepto diuino; modò damnationis morale periculum non adsit. Necessitas confitendi per interpretem excusat ab Ecclesiastico præcepto, & etiam à diuino, licet articulus mortis subesset; si tamen probabilem existimationem haberes te non esse contritum, vt eo medio iustificari posses, obligareris. Quod multò magis de Confessione per Scripturam, quando aliter quis non posset, affirmo; teneretur enim saltem in articulo mortis ea ratione confiteri, cum præsertim manifestationis periculum, adhibita diligentia, caueri facile possit.

9. *Satisfacit ne præcepto Ecclesiæ informi confessione?* Ita equidem, vti proximè de præcepto diuino affirmaui.

10. *Quinam obligantur?* Fideles omnes cum ad vsum rationis peruenerint. *Num Papa?* Quo ad vim directiuam, maximè; vt autem iure diuino obligat, etiam Papam comprehendit & alios.

11. *Num vlla transgressoribus pœna?* Nulla posita, quæ ipso facto incurritur, sed iubentur tantùm ab Ecclesiæ ingressu & ab Ecclesiastica sepultura repelli.

CAP.

CAPVT II.

De Præcepto Communionis.

12. *QVo iure Eucharistia sumenda?* Et diuino, & Ecclesiastico. Diuino quidem iure aliquoties in vita sumenda Eucharistia, in fine scilicet & exitu huius vitæ; in ingressu, quando iam rationis vsus aduenit, circa duodecimum frequentius annum; in medio denique vitæ quarto videlicet, vel quinto anno, vt probabile affirmo. Profectò Ecclesiastica lege omnis fidelis perfecto rationis vsu pollens tenetur semel in anno in Paschate communicare coarctato iam ad singularem quotannis Communionem præcepto diuino.

13. *Quónam tempore instat præceptum?* In Paschate, nempe à Dominica in Palmis vsque ad Dominicam in Albis, alicubi planè ad proximam sequentem Dominicam producto tempore. Consuetudo attendenda.

14. *Si hoc tempore quis omittat quacunque de causa: num quamprimum ad Eucharistiæ sumptionem obligatur?* Probabile est vsque ad proximum Pascha liberum remanere.

15. *Quid si indignè communicem?* Imples tamen per voluntariam susceptionem præceptum, id quod immediatè imperat Ecclesia.

CAPVT III.

Praxis circa materiam de annua confessione, & Communione ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De annua confessione.*

16. *LIgari incipiunt (vt vidimus) pueri post septennium, quando nimirum rationis vsus in eis viget, annua confessionis præcepto: num antea si rationis vsus maturius eluceſcat?* Non, quia id per accidens, ad quod Ecclesia non respexit. *An teneantur hi in articulo mortis?* Ita planè, in quo si dubium sit de rationis vsu, & aliquod peccatum confiteantur, sub conditione debent absolui. Cessat enim per conditionem iniuria Sacramenti, & pars tutior pro pueri salute eligitur. *Incurrunt ne ante annos pubertatis synodalem quorun-*

dam

dam Episcoporum contra omittentes confessionem annuam excommunicationem. Affirmat *Hurtado de sacr. d.7. de pœn. dis-* Hurt.
sic.9. quia capax culpæ puer, capax pœnæ. Alij autem ex externis probabiliter contrarium affirmant; quia in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis progressionibus ætatis humanæ legos ducunt seuerius puniendum. *c. 2. de delictis puerorum.*

17. *Quónam modo annus præcepti est computandus? A Ianuario ne in Ianuarium; quia annus absolutè dictus sic computatur? Suarius in 3. part. tom. 4. d. 36. sect. 6.* asserit à Quadra- Suar.
gesima in Quadragesimam computandum: aut à Paschate in Paschа. *Vasquez in 3. part. tom. 4. quæst. 90. art. 1. dub. 1.* Hinc Vasq.
ait, eum, qui in Ianuario præsentis anni confitetur, satisfacere pro anno præsenti; & si in Decembri sequentis anni confiteatur, pro illo etiam præsenti anno satisfacere.

18. *Infra annum confessus sum, & in sequenti Paschate reperior ægrotans; ac proinde non possum Eucharistiam recipere: impellendus ne sum ad confessionis annua præceptum implendum?* Non; quia Concilium non assignauit pro confessione annuæ tempus Paschale, sicut assignauit pro annua Communione. *Layman* sic *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 10.* Addens non gra- Laym.
uiter dilinquere, qui ex iusta causa annuam confessionem ad tempus modicum vltra annum differt: v. gr. à Paschate Pentecostem.

19. *Confessus sum Ianuario, tenebor ne iterum in Paschа confiteri, si noua mortalia commissus sum, aut recordor grauis, culpæ oblitæ?* Non, nisi communionis gratia, aut mortis occasione, quia dum Ianuario confessus es omnia mortalia, quæ memoria retinebas, præcepto satisfeci sti. *Gaspar Hurtado de pœn.* Hurt.
diff. 11.

20. *An teneär ad annuæ confessionis præceptum, qui solummodo venialium piaculorum conscius sum?* Negatiuè respondet *Becanus de sacr. cap. 36. quæst. 6. num. 3.* quia hæc de iure Becan.
diuino non tenemur confiteri: Ecclesia autem præceptum diuinum ad certum tempus determinauit, non fecit nouum.

21. *Mortalis criminis me reum agnosco, sed eius, quod iusta de causa non possum confiteri: teneor ne ad annuam confessionem?* Negat *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 18.* Attamen Laym.
ego venialia peccata aperirem, vt à peccatis grauibus, quæ ritè subticeo, tunc indirectè absolueret, donec possem cessante causa, expressè confiteri.

22. *In principio anni confessus sum sola venialia, postea*

autem

autem mortale crimen perpetrauit : teneórne intra eundem annum iterum confiteri ? Teneris, quia Ecclesia tantùm petci-

Hurt. pit mortalium confessionem. *Hurtado citat. d. 7. de pœn. diffic. 11.*

23. *Si ad finem anni, id est ad Pascha differo confessionem, scio manifestum obliuiscendi peccata periculum incurrere : teneórne confiteri ante anni terminum ?* Aliqui asseruere. Ast

Turr. cum *Turriano de pœn. quæst. 6. art. 2. d. 19. dub. 6.* puto non teneri; quia non tenemur ad integram confessionem peccatorum quæ fecimus, sed quæ recordamur, dum confitemur. Alioqui tenerer sæpe infra annum confiteri; quia regulariter vix possum vnius integri anni criminum recordari.

24. *Timeo, quod in anni termino, quando vrgebit præceptum, confessarij copia non aderit : debeo ne annuam confessionem præuenire ?* Asserit

Laym. *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 4.* quia per totius anni decursum viget præceptum confessionis. At non

Idem approbo, quod addit, scilicet dicendum de præcepto communionis in Paschate; quia assignatum est ei tempus Paschale.

Azor. *Azor. tom. 1. lib. 17. cap. 41. quæs. 15.*

25. *Annus præterijt, nec confessionis præceptum impleui : teneórne quamprimum confiteri ? Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 3.*

Filliuc. *num. 54.* approbat negatiuam sententiam; quia præceptum affirmatiuum obligat pro certo tempore determinatè. At probabiliorem reputo contrariam; quia annus assignatur, vt non prætereatur confessio, non verò, vt eo præterito, cesset obligatio præcepti.

26. *Tenetur ne excommunicatus absolutionem procurare, vt valeat confiteri ?* Asserit

Laym. *Layman lib. 5. tract. 5. cap. 2. num. 38.* quia ob culpabilem negligentiam præcepto implendo aptus non redditur.

27. *Satisfacere ne possunt huic præcepto inualidè confitentes ?*

Suar. Negat *Suarius in 3. part. tom. 4. d. 36. sect. 7. num. 3.* quia Ecclesia non præcipit aliam confessionem ab ea, quam Deus fieri indicit; Deus autem veram ac validam præcipit confessionem. Addit *Henriquez. lib. 4. cap. 4. §. 1.* facientem confessio-

Henriq. nem voluntariè nullam non quidem Ecclesiæ præcepto satisfacere : ab excommunicatione tamen contra tale præceptum transgredientes latam, liberari. Porrò probabiliter asseritur inualida confessione præcepto satisfieri, quia Ecclesia non internos actus potest præcipere, sed solum externum confessionis.

28. *Præcipit Pius V. in Bulla super gregem, ne Medici vltra tertium*

tertium diem ægrotum visitent, nisi de illius Confessione per Confessarij chirographum certi fiant. Scio in Doctoratu à Medicis exigi iuramentum hanc constitutionem seruandi: rogo igitur, quandonam Medici teneantur de Confessione monere? In graui morbo, & tunc non per se ipsos. Nec tenentur impœnitentem deserere; quia Pontifex nihil frustraneum præcipit. *Sanchez sum. tom. 1. lib. 3. c. 16. num. 10. & 11.* At sufficit domesticorum testimonium, quod sit confessus æger: quia sic recepta est Præsulis summi constitutio, & hoc modo Medici iurant se eam seruaturos. *Sanchez.* Sanch.

29. *Num præceptum Communionis annuæ liget impuberes?* §. 2. *De annua Cõmunione*

Asseruit *Palaus tom. 1. tract. 3. d. 1. p. 24. §. 2. n. 7.* quia *c. omnis, de pœn.* vtrumque præceptum imponit absque vlla distinctione, nec minor discursus ad confessionem, quam ad communionem requiritur: imò maior ad confessionem, cum culpas, ac præcepta oporteat distinguere. At *Vasquez in 3. p. tom. 3. d. 214. c. 4. n. 28.* negauit; quia plus discretionis communio requirit. Vnde aliqui docent pueros non teneri ante duodecimum annum communicare. Pal. Vasq.

30. *Fatuis communio non permittenda extra mortis articulum an permittenda semifatuis, v. g. Æthyopibus imperfecto rationis vsu pollentibus? Henriquez lib. 8. cap. 42. num. 3.* Paschatis Communionem permittit eis, excluso irreuerentiæ periculo. Henriq.

31. *An surdo, & muto à natiuitate danda?* Si sciant scribere tenentur recipere; quia possunt Eucharistiæ mysterium scriptura callere. *Non sciunt.* Etiam tenentur *Sanchez* auctore *de Matr. tom. 1. lib. 4. c. 8. n. 12.* quia huiusmodi homines plerumque perspicacis ingenij sunt, & facilè per nutus & signa quæcumque percipiunt. Tenentur ad Confessionem per nutus & signa, ergo ad Communionem; quia nõn minus difficilia ad Confessionem prænoscenda sunt, quàm ad Cõmunionem. Sanch.

32. *Tenetur ne excommunicatus quærere absolutionem, vt in Paschate præceptum communionis impleat?* Asserit *Laym. lib. 2. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 3.* Vnde si absolutionem negligeret, lethaliter delinqueret contra præceptum. Laym.

33. *In Paschate non accepit Eucharistiam: teneorne communicare quàm primum?* Ita quidem ex aliquorum mente; quia terminus anni non assignatur ad obligationem finiendam, sed vt non liceat illam differre post annum: & in contractibus non ideo excusatur à solutione, qui tempore non soluit statuto. Addunt huiusmodi hominem non communicando semper peccare, & grauius, quo diutius non communicat. Ast

Lugo. Card. *Lugo de Sacr. Euch. d. 16. sect. 4. n. 4.* tenet talem esse obligatum ad communionem, negat nouam indies culpam semper contrahere.

34. *Scio Eucharistiam necessariam in articulo mortis ex præcepto diuino, cui non fit satis per communionem factam ante periculum, & non per modum viatici: Rogo, si manè quis communicauit ex deuotione, & post meridiem incidat in periculum eadem die decedendi, teneatur rursum viaticum accipere?*

Hurt. Affirmat *Gaspar Hurtado de Euch. d. 10. diffic. 2.* quia præceptum diuinum præponderat Ecclesiastico de non communicando nisi semel in die, & ieiunè. Probabilis tamen contraria sententia. Plura Tract. 7. de Sacram.

35. *Non confessus proximo elapso anno, confessus sum initio sequentis: postea aliquod peccatum mortale commisi: rogo num tenear etiam illo anno rursum confiteri?* Ex doctrina *Hurtado* censeo non teneri, quando initio sequentis anni confessus, peccatum mortale illo sequenti anno commissum addidisti.

36. *Adhuc dubium hæreo circa puerorum ætatem, ad Eucharistiam recipiendam: annum assigna.* Ego equidem cum pluribus ex Societate nostra assero perfectiorem vsum rationis requiri ad Communionem, nec posse statui certam ætatem; cum queisdam pueris vsus rationis antelucanus adsit, queisdam segnior procedat; plerumque ab anno vndecimo ad decimum quartum sese rationis vsus manifestat.

37. *Possunt ne Laici qui regularibus seruiunt propria in Ecclesia Regularium communicare?* Propria in Parochia, in

Saa. Paschate communicare debent. *Saa* ita ex Cardinalium Congregatione.

38. *Quonam circa hoc Mendicantes priuilegio gaudent?* Possunt quibusuis dare Communionem vno excepto Resurrectionis die. Possunt & illo cum licentia Parochi, aut si com-

Valent. municaturus alio die Parochiæ satisfaciat. *Valentiam* lege.

39. *Possunt ne Regulares in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ Communionis, peregrinis, & aduenis Eucharistiam ministrare?* Ita planè; quia nulla Parochis fit iniuria. Sic *Sanchez*. Imò & quilibet alij seculares quoad substantiam communicando apud Regulares satisfacient Ecclesiæ præcepto.

EXA

EXAMEN XIII.

De Legibus in particulari, circa præceptum quartum Ecclesiæ de Ieiunio.

CAPVT PRIMVM.

Quid Ieiunium Ecclesiasticum?

1. *Vid Ieiunium?* Abstinentia quædam voluntaria à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Id equidem maiorem (authore *Filliucio*) quandam victus abstinentiam significat, quàm communis temperantiæ regula postulat.

2. *Quotuplex Ieiunium?* Triplex, Naturale, Morale, & Ecclesiasticum. Primo à quolibet comestibili & potabili perfectè abstinemus, quod ieiunium ad Communionem requiritur; Secundo à vitiis: Tertium est fidelibus ab Ecclesia indictum; actus quidem Temperantiæ, & Obedientiæ: Religionis autem, Charitatis, & Iustitiæ non nisi imperatus. Eius commoda plura.

3. *Quænam ad ieiunium Ecclesiasticum requisita?* Tria vnica comestio à certo ciborum genere abstinentia, & hora certa refectionis. Ex his tribus morale quiddam ieiunium est multis ex partibus integratum.

4. *Quid de vnica comestione?* De essentia quidem ieiunij est. In secunda tantùm peccatur mortiferè; quia ea tantùm ad carnis mortificationem pertinet, in aliis probabile est veniaaliter peccari. Vespertina refectiuncula ex consuetudine licita est, etiam si ad somnum necessaria non sit, nec exigua; excusat enim consuetudo.

5. *Licet ne sumere refectiunculam manè, aut meridie, dilata in vesperum comestione?* Meridie licet, manè minimè: at si adsit causa etiam manè licebit. Sine causa venialis culpa est: dispensatione etiam aliqui gaudent; quod si causa certa sit, non est dispensatio necessaria.

6. *De refectiuncula qualitate, & quantitate quid sentis?* Absumi possunt arborum fructus, herbæ, leuiores cibi, panis, parum biscocti, non autem cibi, qui inter fercula adnumerantur ordinati ad sustentandam naturam, quales essent

pisces. Scio equidem Azorium & alios pisciculos permittere, quod non improbarim si pauci sint, & eius qualitatis, vt quo ad substantiam sustentationis inter fructus arborum adnumerari videantur, quales sunt qui apud nostrates vocitantur *Bermejuelas, & Camarones.* De iusculis autem ex leguminibus & amygdalato non consentiunt Doctores. Permitto, si quantitas permissam frugum quantitatem non exæquet. Porrò refectiuncula ex frugibus, pane & herbis seu aut ad summum octo vncias non debet excedere. In Nativitatis Vigilia maiorem ex assignata ciborum qualitate quantitatem dedit consuetudo.

7. *Quanam ciborum absumptio ieiunium non frangit?* Praegustatio ciborum, sumptio alicuius per modum medicinæ aut ad debilitatem arcendam; ministrorum in mensa gustatio. Potus denique minimè ieiunium violat quicumque ille sit, si potus essentiam non excedat, & quod sumitur, ut noceat.

8. *Quid autem de ciborum quantitate seruanda in ieiunio?* A carnibus necessariò abstinendum, ab ouis etiam & lacticiniis in Quadragesima, & ab iis quæ loci consuetudo non permittit. Scio alicubi consuetudinem induxisse lacticinia alibi etiam extra Quadragesimam abstinentiam ab ouis.

9. *Dispensatus ne ad carnes, est simul ad lactacinia?* Ita planè: imò & ad duas comestiones; quia essentialis ieiunij conditio abstinentia à carnibus est, quidquid *Filliucius* de dispensatione respectiua affirmet. Filliuc.

10. *Potest ne dispensatus ad carnes, etiam pisces comedere?* Potest, & in eadem mensa, modò non fiat immoderatè. *Quid de pueris?* Ante septennium comedere carnes possunt, post illud vti Quadragesimæ cibis tenetur. *Oua obsunt ieiunio?* Non, vnde dispensatus ad oua, non hoc ipso à ieiunio liberatur, quia oua licet carnis substantiam imitantur, caro tamen non sunt. In Iubilæo cum ouis ieunans indulgentiam lucratur, & dispensatus ad oua, etiam est ad lacticinia, non ad sagimen et lardo, cuius vsum scio alicubi paupertatem, aut ciborum penuriam induxisse. *Excusatus à ieiunio tantùm potest ne carnes aut oua comedere, vel lacticinia?* Minimè.

11. *Quid denique circa horam comestionis?* Seruanda hora iuxta consuetudinem loci. Ea quidem de essentia ieiunij non est, sed requisita ad perfectum, & integrum ieiunium. Meridies est competens hora, qui moraliter computandus iuxta vsitata horologia: quod si horologium non sit, sufficit tempus ex consuetudine designatum.

12. A

12. *An mortale sit, horam notabiliter præuenire?* Non, etsi cauenda sub veniali huiusmodi præuentio: dimidia hora non videtur esse notabilis.

13. *Quænam causæ in præueniendo excusant?* Tres equidem, consuetudo, dispensatio, & iusta causa.

14. *Prolatio cibi ad vesperam licita ne?* Imò commendabilior, ob maiorem corporis mortificationem.

CAPVT II.

De Ieiunij obligatione.

15. *Obligat ne Ieiunium iure diuino, an humano?* Humano, ad mortale quidem, nisi paruitas materiæ venialem reddat transgressionem.

16. *Delinquitur ne toties mortaliter, quoties in die comeditur?* Minimè, nam in secunda comestione tantùm lethaliter delinquitur. At comedens carnes pluries, toties peccat, quoties eas in graui quantitate absumit; quia hoc præceptum negatiuum, illud positiuum.

17. *Si duplex titulus obligat ad ieiunium, inducit ne duplex peccatum?* Si eiusdem rationis sit, non: si autem diuersæ rationis, inducit, vt si ex obedientia & Religione quis obligetur.

18. *Frangens vna die, tenetur altera ieiunare?* Non, nisi ex voto vel pœnitentia obligatio insurgeret, in aliis ieiuniis onus diei reputatur.

19. *Quoties peccat, qui apud se statuit per totam Quadragesimam non ieiunare, aut in ea carnibus vesci?* Vnicum peccatum committit, sed grauius admodum, in executione autem toties delinquit, quoties diem ieiunij violat, aut quoties in die carne vescitur.

20. *Peccat ne qui causa est, vt alius non ieiunet?* Quis dubitet? Vnde cibi ministrandi non sunt ieiunium fracturo, nec quibus familia tua ieiunium soluat; Caupo vetitos cibos apponere non debet: nec qui ieiunium non seruat inuitare ieiunantem, nisi vrbanitatis gratia fieret.

21. *Quinam ad ieiunium obligantur?* Omnes Christiani, qui sanæ mentis sint. Peregrini tenentur ad ieiunia loci, in quo habitant, etiam in quo versantur per aliquot dies. Absens non tenetur ad ieiunia suæ ciuitatis. Discedens à loco in quo non ieiunatur, potest etiam carnes comedere, scandalo

excluso. Minores viginti & vno anno completo excusantur nisi aut voto, aut regula quis obligetur: maiores etiam sexaginta tribus, imò & sexaginta, in dubio de læsione valde.

Finis

22. *Quinam præterea à ieiunio excusantur?* Infirmi, prægnantes, nutrientes. Paupertas excusat, nec enim tenetur quis solo pane vescens ieiunare. Labor corporeus ad vitandum damnum, vel notabile lucrum. Præcedens vel futurus labor, v.gr. agricolarum, qui die ieiunij à labore vacant. Pedites iter agentes: non sic equites in itinere breui, secus si longo, & de viribus dubitetur, aut si temporis ac itineris incommoda peditis laborem commmunem adæquent.

23. *Quid de laborante ad malum finem libidinis. v. gr.* Non potest ieiunium soluere vt vires colligat, ad crimen patrandum: sed post commissum, potest ad vires recuperandas lassitudini ieiunio soluto occurrere. Præterea opera misericordiæ excusant, redditio debiti, peregrinatio ex magna deuotione assumpta, exercitium concionandi quotidie, aut docendi.

24. *Quisnam in ieiunio dispensare potest?* Papa dispensare potest per totam vitam, Episcopus tantùm cum suis subditis ad tempus. Iusta causa euidens sit, dispensatione non indiget. *Quid in dubio?* Superior dispenset. Porrò bona fide credens habere se iustam causam, non peccat: dubitans autem experiri tenetur: neque enim quis ex difficultate aut repugnantia à ieiunio excusatur.

Caput III.

Praxis circa materiam de ieiunio ex Societatis Iesv *schola.*

§. 1. *De essentia ieiunij.*

25. *Idem ieiunij à media nocte in mediam noctem computari, certum est. Cœnans in carnibus pridie ieiunij dubitat, an media nox transacta sit: potest ne cœnam adhuc producere?* Potest; quia possessio stat pro cœnante. *Idem dubium subest cœnanti Sabbato in piscibus: potest ne carnes edere?* Minimè; quia possessio stat pro præcepto.

26. *Ad ieiunium quonámmodo media nox computanda?* Post primum ictum horologij mediam noctem pulsantis, nõ potest cœna in carnibus die Iouis continuari, & cœnans in piscibus Sabbato vesci carnibus potes. *Quid ad ieiunium naturale?* Qui post primum ictum horatum aliquid degustaret, non

non poterit manè Eucharistiam recipere. *Præpositus* 1.1.q.19. Præp.
art.6.dub.5.num.8. Monet *Lugo de Euch.d.15.sect.2.num.37.*
si horologium ante pulsum horarum quadrantes præmittat,
horum ad primum quadrantem duodecimam terminari.

27. *Vinum quis in sustentationem sumit, & ad sedandam famem extra prandium: an frangit ieiunium?* Asseruit *Azo-* Azor.
rius part.1.lib.7.cap.10.quæs.4. At certum est ex communi
non frangere; quia vinum alit per accidens, Ecclesia autem
ea prohibuit, quæ per se alunt. Idem de Chocolate dixe-
rim.

28. *Licet ne toties quoties frigidus sit potus hauriendus, aliquid, ne noceat, præsumere?* Licet *Azorius quæst.7.* aliquos Azor.
cibos ab hac regula excipiat, Doctores modica in quantitate
omnem cibum permittunt.

29. Famuli ministrantes in mensa, aut mense lectores
mox cœnaturi, cùm vt melius seruiant, tum vt famem sub-
leuent aliquid prægustant, vel etiam ex reliquiis gulosè
comedunt: an soluunt ieiunium? Negatiuè *Sanch. opusc.* Sanch.
tom.2.lib.5.c.1.dub.24.n.2.& 3. respondet.

30. *Dixisti à mortali paruitatem excusare materiæ: assigna materiæ paruitatem.* Duarum vnciarum, quæ est quarta pars
collationis. *Turrianus summ. part.1.cap.256.dub.27.nu-* Turr.
mero 2.

31. *An multæ materiæ paruæ, ad constituendam notabilem materiam continuentur?* Distinguit *Salas* 1.2.*tract.*13.*d.*16. Salas.
*sect.*26. tunc comestiunculas continuari cum per vnicum vo-
luntatis actum deliberantur. Non placet, sapientissimi Ma-
gistri mei venia; quia absque eo quod sint vnius volitionis
obiectum, sunt vnica vnius indiuidui, vnius diei, vnius co-
ctionis refectio. Alioqui posset quis fraudare præceptum,
plures refectiones ad modum plurium paruitatum, & per
plures actus intendens.

32. *Scio frangentem semel ieiunium, non peccare sæpius comedendo, quia Ecclesia à secunda comestione solum præcipit abstinere: rogo, an eadem sit ratio, si quis vouisset in pane & aqua ieiunare?* Ita planè; nam si is semel vinum hausisset in
notabili quantitate, non teneretur ab illo amplius abstinere.
Quid si vouisset, nihil sumere præter panem, & aquam? Tunc
peccaret toties quoties. Sic *Sanchez sum. tom.1.lib.4.cap.11.* Sanch.
num.25.

33. *Vnicam comestionem non debere esse continuam mathematicè scio: sed sufficere, si moraliter continuetur: vnde surgens è medio prandio absque finiendi intentione, potest illud per*

Less. *aliquod interstitium perficere: rogo tamen quid si habuisset perficiendi prandij intentionem?* Respondet *Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11.* ad comedendum, mutata intentione redire posse, si durat adhuc prandium. *Finitum iam est?* Restaurare illud potest, (si nondum sufficienter ederat ad ieiunium) in-
Filliuc. fra quadrantem. *Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 2. quæst. 10. num. 41.*

34. *An hora comestionis sit de essentia ieiunij?* Olim erat nona hora diei & tertia post meridiem, nunc vel vndecima vel duodecima. Qui illam notabiliter anticipat, peccat so-
Less. lum venialiter. *Lessius citat. num. 13.* Aliquis asseruit adeo esse de essentia ieiunij horam, vt qui siue cum causa, siue sine
Laym. causa anticipauit, amplius ad ieiunium non teneri. At cum *Laymano lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 4.* contrarium putamus, impeditúmque ab itinere, ob quod manè comederat, teneri reliquum diei ieiunare.

§. 2. *De ieiunij obligatione.*

35. *Si quis ex voto, aut obseruantia regulari ieiunare die Natiuitatis die Veneris incidente teneretur, non potest frui illius festiuitatis priuilegio: rogo, si non id expressè vouisset, sed generaliter Veneris aut Sabbati promisisset ieiunium, nihil de Venere, aut Sabbato Natiuitatis determinans: an teneretur ieiunare?*
Molin. Minimè, (*Molina tom. 2. de Iust. d. 272. n. 3.* ait) quia non est verisimile hunc se ad communis lætitiæ diem obligare vo-
Fagund. luisse. *Fagundez* autem *pr. 4. lib. 1. cap. 6. n. 6.* votum docet sumendum esse iuxta receptum Ecclesiæ morem, dum certò
Suar. non constat de intentione vouentis. At *Suarius de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 20. num. 7.* contrarium asseruit.

36. *Concurrunt in eodem die duo præcepta ieiunij: an duo peccata committat violator?* Si pertineant ad duas virtutes, duplex peccatum est, vnicum si ad vnicam. v. g. in die Veneris confluit vigilia. Frater Minor violans ieiunium, duplici piaculo illigatur, ex Religione ob Regulam, ex temperantia ob præceptum Ecclesiæ. At si vigilia in die Quadragesimæ celebretur, violans ieiunium vnico delicto fœdatur; quia vtrumque præceptum ad eandem temperantiæ vir-
Vasq. tutem spectat. *Vasquez 1. 2. tom. 2. quæst. 72. art. 6. dub. 98. num. 8. & 9.*

37. *An teneamur ieiunare, quando grauis tentatio vrget & aliud remedium non obiicitur?* *Antonius Ferdinand. de*
Cord. *Cordoba part. 4. cap. 12. §. 6. num. 1.* asseruit etiam prægnantes cum periculo prolis teneri: quia salus spiritualis propria aliorum corporali saluti est præferenda. Non admitto, quia cum prægnans possit sese Sacramentorum vsu, ac oratione

munire

munire contra carnis stimulos, non debet tantæ iacturæ prolem exponere. Addo supponere gratis Auctorem alia remedia ad sedationem huiusmodi motuum non suppetere cuilibet. Adest oratio, eleemosyna, in Deiparam pietas, vsus Sacramentorum præsentissimum ad luxuriei stimulos medicamen.

§. 3. *Qui teneantur ieiunare.*

38. *Excusari dixisti omnes ante vigesimum primum annum: rogo an senes sexagenarij alias robusti ieiunare teneantur?* Negat *Granado* 1. 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *part. d.* 6. *sect.* 5. *num.* 39. quia robur senum solet illudere, & iterato indiget alimento. *Quid si vouisset perpetuò ieiunare?* Adhuc excusat senem sexagenarium *Sanchez de Matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *d.* 32. *num.* 17. At *Layman. lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. non approbat. Rogo, an sufficiat inceptum esse annum sexagesimum? sufficit, quia in fauorabilibus annus inceptus pro completo reputatur. Secus in odiosis, ideo non obligat ieiunium vsque ad annum vigesimum primum completum. *Tenetúrne ieiunare die ipsa, qua complet ætatem?* Licet hora prima post mediam noctem compleuerit, non tenetur tota die ieiunare; quia præceptum totum diem respicit. *Dubito an compleuerim ætatem.* Non teneris, pro te stante possessione.

Granad. Sanch. Laym.

39. *Iubilæum indicitur: lucrantur ne illud iuuenes sine ieiunio?* Non (inquit *Fagundez pr.* 4. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 5.) quia gratia illa illi operi illigatur.

Fagund.

40. *Dispensatione, carnibus vescor die ieiunij: debeóne ieiunare?* Excusaris (ait *Lessius lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 6. *num.* 41.) quia ad fragilitatis refectionem confert non solùm cibi qualitas, sed etiam repetitio. Addit, si dispensatus es, eo quod alij cibi tibi noceant, non excusaris ob contrariam rationem. Ego cum *Henriquez lib.* 7. *c.* 13. *n.* 12. absolutè à ieiunio libero dispensatum ad carnes; quia abstinentia ab his est de essentia ieiunij.

Less. Henriq.

41. *Licet mihi carnibus vesci, sed voto die Veneris ex deuotione abstinere in Quadragesima: teneor ieiunare?* Asserit *Sanchez opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *cap.* 1. *dub.* 30. *num.* 2. excusaris, ideo quod ieiunio essentiale est à carnibus abstinentia: ergo qui à carnibus abstinet, cur in reliquo violabit ieiunium? contrarium asseruit *Turrianus.*

Sanch. Turr.

42. *Quinam ex labore excusentur à ieiunio, speciatim assigna.* Porro *Layman. lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. liberat à ieiunio figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, sementarios, coriarios, textores, pistores. *Axorius part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæs.* 8. Sutores. *Gordonus tom.* 2. *lib.* 6. *q.* 18. *cap.* 6. *num.* 11.

Laym. Azor.

num. 11. versantes prelum Typographorum, non tamen typorum compositores. *An sartores, & pictores?* Non excusat
Laym. *Layman.* quia facilis labor. At *Fagundez pract.* 4. *lib.* 1. *c.* 7.
Fagund. *num.* 15. *&* 16. omnes artifices excusari existimat ex Eugenij
Filliuc. IV. priuilegio, siue declaratione. *Filliucius* non improbat.

43. *Excusantur ne concionatores totius Quadragesimæ, aut trium vel quatuor dierum, lectores Grammaticæ, confessarij debiles, & suo muneri assidui, Aduocati, Procuratores, Cantores, qui ex officio canendi victitant, & ieiunando redderentur inhabiles?* Arbitrio boni viri subiacere debent ex mente *Fagundez p.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. Ego Prædicatores totius Quadragesimæ, & rectores Grammaticæ qui quatuor horas ministerio (admodum laborioso) litant, nunquam non eximerem à ieiunij obligatione.

44. *An iter agentes teneantur ieiunare?* Pedestres minimè, nec equestres incommodè, aut asperitate frigoris afficiendi, aut qui non inueniunt nisi panem, fructus, aut olera, quia ad
Sanch. prandium insufficiens apparatio. Ex *Sanchez opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 15. *n.* 3.

45. *An defessus ex quocunque labore licito, vel illicito obligationi ieiunandi subiacent?* In licito, v.gr. pilæ defatigatione; & in illicito, v.gr. cum fœminis commistione, aliqui asserunt delinquere, qui præuidit tali labore reddendum inhabilem ad ieiunium. Alij putant absolutè liberandum à lege ieiunij; quia quo die obligat præceptum ieiunij, ieiunare non potest, quando verò laborabat licitè, aut illicitè, ieiunij præceptum non illigabat. Quid si in ieiunij fraudem sese ni-
Azor. mium defatigasset? Adhuc liberatur à docto; sed cum *Azorio tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 9. huiusmodi laboris affectatorem ieiunij violatorem reputamus.

46. *Excusantúrne ab Episcopalibus ieiunij Regulares?* Ita planè; quia Tridentinum obligans ad festa Episcopalia Re-
Suar. gulares, haud efficit de ieiunio memoriam. *Suarius de Rel.* 4. *lib.* 4. *c.* 20. *n.* 8.

47. *Dubitat Regularis, an possit ieiunare: quidnam gerat?* dispensationem petat à Prælato, qui etiam sibi dubio potest dispensationem impertiri; quia non est deterioris conditionis, quàm subditus.

48. *Scio Petrum paratum frangere ieiunium: possum ne eum*
Suar. *ad cœnam inuitare?* Negat *Suarius de Charit. d.* 10. *sect.* 3. *n.* 2. quia potest contingere, vt ille, te cœnam non exhibente, ieiunium non violet, aut inspiratione præuentus, aut occupa-

tione

tione impeditus. At *Petrus Hurtado de Mendoza* 2. 2. *d.* 173. *sect.* 12. §. 154. te excusat à crimine, si certus esses de futura ieiunij violatione, & illum inuitares cum expressa suppositione, quod alias vellet violare ieiunium, superátque aliqua iusta causa. v.gr. vrbanitas, &c. Mend.

49. *Famuli heris cibos vetitos ministrando, peccant?* Si heri ex ignorantia vetitis vesci curaret, deberent famuli de errore monere. At violatori ieiunij ministrantes ex munere non delinquunt; quia materialiter concurrunt ad ieiunij violationem. *Hurtado* 2. 2. *d.* 10. *diffic.* 9. Hurt.

50. *Peccant ne caupones ministrantes cœnam eis, quos norunt ieiunium violaturos?* Asserit *Toletus lib.* 6. *cap.* 5. At *Lessius lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 24. distinguit. Aut possunt cœnam sine notabili incommodo abnegare, aut non. Si possunt, & non sunt illi aliàs cœnaturi, ex charitate tenentur: secus si nõ possunt, &c. Monet *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 35. confluentes ad caupones plerumq; esse pauperes, operarios, viatores, quos probabiliter credere possunt à ieiunio excusari. Tolet. Less. Sanch.

51. *Peccántne venditores ciborum prohibitorum?* Minimè; quia multi illos cibos licitè emunt, nec illis præceptum impositum est explorandi emptorum intentionem. *Fagundez pr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. Fagund.

52. *Dari ne possunt carnes pueris ante septennium si sint doli capaces?* Possunt; quia accidentale est, quod in aliquo rationis vsus acceleretur. *Quid de paganis?* Etiam, quia non tenentur legibus Christianorum. *Quid de amentibus?* cum pueris ante septennium computandi. *Sanchez summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 16. §. 4. *De cibis quibus licet vesci die ieiunij.*

53. *Num pinguedo possit die ieiunij absumi ab eo, qui vtitur lacticinijs?* Asserit *Fagund. pr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. inter carnes non computari, sed inter oua, & lacticinia; quia pinguedo ex *Aristotele* 2. *de gener.* non est caro. Fauet aliquorum Regnorum consuetudo. At in Hispania communiter ab vsu pinguedinis abstinemus. Absumatur igitur, vbi dederit consuetudo. Sanch. Fagund.

54. *Datúrne in esu carnium materiæ parvitas?* Ita planè sicut in præcepto negatiuo de non furando. Absque causa legitima veniali piaculo reus carnis parum absumis: cum causa non delinquis. v.gr. si coquus, aut ægroti minister cibos prægustes, si ad excitandum ægroti appetitum aliquid absumas, &c. *Sanch. opusc. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 22. *num.* 10. quia Ecclesia non intendit impedire aut rectam officij administrationem, aut charitatem. Sanch.

55. *An consuetudo prohibens oua & lacticinia quadragesimali*

Suar. *mali in ieiunio obliget sub mortali?* Affirmo cum *Suario de leg. lib.7. cap.15.num.13.* sufficiens signum esse, sub mortali obligare consuetudinem, cum transgressores pœna afficiantur.

Fagund. Ideo contra *Fagundez* asserentem *pr.4. lib.1. cap.2. n.12.* venialiter delinquere ouis aut lacticiniis vescentem, mortaliter peccare sentiendum. *Vrget etiam in Dominicis?* Affirmatiuè respondet *Henriquez lib.7. cap.13. num.10. An toties peccat*

Henriq. *mortaliter, quoties oua, aut lacticinia comedit?* Ita planè sicut carnium esu; quia est præceptum negatiuum.

56. *Excusat necessitas eos qui alias epulas non habent?* Excusat. *Sanchez opusc. tom.2. lib.5. cap.1. dub.19. n.6.* permittit iter

Sanch. agentibus lacticinia, quoties pisces non inueniunt.

57. *Violat ne ieiunium, qui ouis aut lacticinijs in Quadragesima vtitur?* Non, sed contra præceptum de abstinendo ab illis

Sanch. delinquit. *Sanchez sum. tom.2. lib.4. cap.11. n.53.*

58. *Prohibentur ne oua, ac lacticinia in alijs ieiunijs præter Quadragesimalia?* De iure communi non prohibentur. *An ex*

Filliuc. *consuetudine?* Aliquis ex externis asserit. At *Filliuc. tom.1. tract.27. part.2. cap.3. num.49.* docet talem consuetudinem (si alicubi recepta) ex deuotione introductam, nec obligare: attamen admonendum populum, ne ex erronea conscientia delinquat. In Hispania talis consuetudo quæ obliget sub mortali constare non potest; quia non adest præscriptio Quadraginta annorum ad eam legitimandam requisita.

59. *Pono vigere in Regnis Hispaniæ consuetudinem hanc: tenentur Regulares subiacere?* Negat *Sanchez opusc. tom.2. lib.5.*

Sanch. *cap.1. dub.21. num.2.* quia consuetudines laicorum non te-

Suar. nentur Clerici, aut Religiosi seruare. At *Suarius de leg. lib.7. cap.17. num.12.* dissentit.

60. *Possunt ne lacticinia in ieiunijs voti, pœnitentiæ, ac Iubilæi absumi?* Asserit *Sanchez sum. tom.1. lib.4. cap.11.* quia hæc

Sanch. solum in Quadragesima prohibentur. Addit, si quis vouit ieiunare in Quadragesima, dubitat tamen, an voluerit à lacticiniis abstinere, vtentem lacticiniis non fieri reum voti violati, quamuis contra præceptum Ecclesiæ delinquat. Porrò

Henriq. *Henriquez lib.7. cap.10. num.4. & cap.13. num.13.* docet in omnibus ieiuniis etiam Iubilæi extra Quadragesimam lacti-

§. 5. *De tentaculo, seu collatione.* cinia non prohiberi. Quo ad ieiunia autem ex pœnitentia asseruerim diei sequi proprietatem. Si in Quadragesima indicitur, abstinet à lacticiniis, qui priuilegio exemptus non est. Si in alio tempore, non tenetur à lacticiniis abstinere, sed communis ieiunij legibus subiici.

Fagund. 61. *Tentaculi quantitatem assigna.* Docet *Fagundez pr.4. lib.1.*

lib. 1. cap. 4. num. 13. & 19. octo vncias posse permitti. *Filliu-* Filliuc.
cius tom. 2. tract. 27. part. 4. cap. 3. q. 7. num. 33. extendit colla-
tionem ad quartam partem cœnæ ordinariæ. Si cœna ordina-
ria duarum librarum pondus non superet, vera est *Filliucij*
sententia; si excedat notabiliter, falsam omninò reputarim.

62. *Quid de Natiuitatis vigilia? Fagund. vbi sup.* asserit su-
mi posse ientaculum duplo maius, nempe sexdecim vncia-
rum quantitatem, plus, minusve. *Sanch. in opusc. dub. 26. num. 1.* Sanch.
docet sumi posse duplo solita maiorem. Alij autem probabi-
liter de rebus ad ientaculum illud seruientibus sine limitatio-
ne continuatè absumi posse opinantur. Adeo tamen, me au-
ctore, habenæ laxandæ, vt ob solemnitatis licentiam, lex
temperantiæ non lædatur.

63. *Exprime iam ciborum qualitatem.* Nec oua, vt aliqui
ex externis asseruere, de quo *Turrianus*, esse ait doctrinam Turr.
scandalosam, temerariam, & bonis moribus contrariam asse-
ruere, licere pro collatione duo oua absumere. Porrò *Azorius* Azor.
piscículos permittit paucos, vulgo *Anchobas*, *Bernie Iuelas*,
Camarones. Turtianus parum casei, aut lactis. *Azorius* idem
p. 1. lib. 7. c. 9. q. 8. panem cum amygdalis coctum. Porrò *Sanch.*
opusc. tom. 1. lib. 5. cap. 1. dub. 25. n. 4. docet fieri non posse col-
lationem cum caseo, lacte, vel cremore amygdalino.

64. *Dixisti absentem ad ieiunia sui oppidi non obligari: potest*
ne quis aliò se conferre, vt ieiunium vitet? Fag. posse respondet. Fagund.

65. *Manè discessurus sum ex loco domicilij vbi est ieiunium,*
peruenturus vespere ad locum vbi ieiunium non est: possum ne
sumere ientaculum in loco domicilij? Potes; quia peruenturus
es ad locum, vbi licebit cœnare. Sic *Lessius. Vesci ne carnibus* Less.
licebit? Minimè, licet vespere absumendæ alio in loco sint;
quia obligatio abstinendi à carnibus toto die durat: at ieiunij
secunda futura comestione proculdubio soluitur obligatio.

66. *Robustæ ne fœminæ prægnantes aut lactantes excusantur?*
Less. excusari asserit. Non autem possunt ouis aut carne vesci. Less.

67. *Dormire quis nequit nisi sumpta vesperi cœna: tenetur*
ne ieiunare? Minimè. *Si sufficit manè collatiunculam sumere, &*
vesperi cœnare: tenetur ad id? Non tenetur; quia nemo tene-
tur peruertere ordinem refectionum. Ita *Filliucius.* Filliuc.

68. *Tenetur ne quis seruorum aut operariorum labores immi-*
nuere, vt possint ieiunare? Ex *Fernand.* & *Fag.* negatiuè respon- Fernād.
deo. Itaque non tenetur quis eos solos operarios vocare, qui Fagund.
cum moderato labore ieiunare possunt. Nec peccat si seruis
onus imponat cū ieiunio incompatibile. Imò potest operarios
conducere cū pacto, vt non ieiunent, ne aliàs minus laborent.

69. *Seruito*

69. *Seruitores & lectores ad mensam aliquid ante sumunt*
Sanch. *sine necessitate: soluunt ne ieiunium?* Non, vti *Sanchez* asserit; quia totum reputatur vnica comestio, quæ tunc inchoata paulò post perficitur.

70. *Dubito, num expleuerim annum vigesimum primum.*
Suar. Non teneris ieiunare. Ita *Suarius*.

71. *Cœnans quis die Iouis dubitat an sit audita hora noctis*
duodecima: potest ne comedere carnes? Potest, secus si die Sabbati cœnaret. Ratio est, quia in priori est libertas edendi, nisi sit duodecima: in posteriori est obligatio non edendi nisi
Sanch. duodecima sit. Ita. *Sanchez*.

72. *Anticipatur sine causa hora comedendi die ieiunij: solu-*
itur ne?; Minimè; quia determinatio horæ non est de essentia ieiunij: at delinquetur venialiter nisi sit exigua antici-
Filliuc. patio, vt dimidiæ horæ. Sic *Filliucius*. Colligo Religiosos habentes priuilegium anticipandi prandium per horam, posse sine vlla culpa per horam & dimidiam ante meridiem prandere.

73. *Ieiunans, à mensa exurgo propter aliquod occurrens ne-*
gotium: possum, rursum rogo, mensam repetere ad continuandam
Azor. *refectionem?* Potes, si breue sit interiectum spatium. Sic *Azor*. Non approbo *Sanctii* sententiam asserentis id esse licitum etiam si spatium duarum horarum interesserit, dummodo surrexerit à mensa animo reuertendi; id enim à secunda comestione non libero, nisi ita parum absumpserit prius, vt non possit comestio illa omnino subleuare naturam.

74. *Dixisti paruitatem materiæ à mortali excusare: assigna-*
sti materiæ paruitatem duarum vnciarum. Num huiusmodi
paruitas materiæ in esu carnium excusat à lethali crimine?
Tann. Assero cum *Tannero* non excusare, quatenus aduersari professioni fidei existimaretur, qui eo cibo vteretur die ieiunij, aut prohibitionis.

75. *Dixisti potum non violare ieiunium: an vinum assumi*
potest quoties quis voluerit, licet in magna quantitate? Potest, immoderatio autem potest temperantiam violare, sed non ieiunium. Itaque quidquid potus est, ieiunium non soluit. Vnde potus ex vino, qui vocatur apud nostrates *Clarea*, seu *Hipocras* licet sit Indicis speciebus conditum, potus est; similiter mulsum, quod aqua melle, & speciebus Indicis præparatur, vulgo *Aloxa*. Lac autem licet alicubi pro potu absumitur ex vini aquæque defectu, potus verè non est, vnde ieiunium proculdubio soluit, non autem accidentaliter violaret, vbi pro potu necessariò adiicitur.

76. *Quid*

76. *Quid de potione in Hiſpania, aut Occidentali India, dicta vulgo Chocolate?* Aliquando dixi pro potu haberi, ſed parum meriti ieiunio relinquere ob vires, quas ieiunanti adiicit omnino inedia ſublata, aut impedita: nec abſolutè cuperem vſum huiuſce potionis vti mortificationis ieiunij ab Eccleſia intentæ apprimè aduerſantem: at magis authoritati hærens, quàm rationi, potum eſſe aſſero, ſed non vti condit abuſus, ſed quemadmodum potio ab Indis ad Hiſpaniam peruenit. Vnde Chocolate ouis aut lacte conditum potus non eſt, ſed cibus ſubſtantialiſſimus. Item huiuſmodi potio admodum craſſa in notabili quantitate ieiunium violat, Verum Chocolate liquidum adeò, vt vnicæ potioni vncia vna adhibeatur ſaccharo neceſſario potus eſt, & abſque ſcrupulo abſumi poteſt. Vnicam potionem appello quod capit commune vas, quod *Iſcara* vulgo aſſolet appellari. Quod ſi aſſignata proportione ea potionis quantitas condiatur, licet vas non ſemel euacuetur, ieiunium non ſoluitur, temperantia fortaſsè violata; quia potus eſt, quemadmodum de vino aſſeruimus.

77. *Die ieiunij ab amico rogatus ſum modicum cibi vrbanitatis gratia: num venialiter delinquo?* Negatiuè cum *Fagundez* reſpondeo. Fagund.

78. *Tenetur ne paterfamilias filios aut ſeruos ad ieiunandum cogere?* Hortari vt ſeruent tenetur quidem, ſed cogere minimè, vti docet *Toletus*. Tolet.

79. *Num profeſſi ad Religionis ieiunia ante annum vigeſimum primum teneantur?* Cum *Azorio* & *Saa* exiſtimo non teneri. Azor. Saa.

80. *Licet ne die Dominica ex deuotione ieiunare? Bellarminus* licere ait: ſcandalum tamen cauendum. Bellar.

An licet dare cibum ei, quem ſcis debere ieiunare? Saa reſpondet licere parato non ieiunare, & alibi reperturo cœnam dare, vrbanitatis cauſa, aut hoſpitalitatis, vt ſupra dixi. Adiicio id non licere Superiori, hoc eſt, Domino, aut Patrifamilias, ſi ſuauiter poſſit ad ieiunium allicere; ſed, vt dixi, ſeruum, aut filium minimè cogere tenetur. Saa.

EXA

EXAMEN XIV.

De legibus in particulari circa materiam de Decimis ad præceptum quintum Ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM.

De Oblatione, Primitiis, Decimis.

§. 1. *Oblatio.*

1. *Quid est Oblatio?* Exterior actio, per quam ex bonis sensibilibus aliquid Deo offerimus in recognitionem dominij eius, & seruitutis nostræ ad ipsum, vel in quemcunque cultum religiosum Dei. Variis titulis deberi possunt oblationes, eásque offerre non potest nisi baptizatus. Deo fiunt, & hominibus Ecclesiasticis, & fieri aliquando possunt ex debito, & voto.

§. 2. *Primitiæ*

2. *De Primitiis quidnam?* Primitiæ ex primis terræ fructibus frugum oblationes sunt. Eas offerre Deo de iure naturæ est. Olim erant in præcepto, & nunc etiam in lege gratiæ præcipiuntur.

§. 3. *Decimæ.*

3. *Decimæ quid?* Decimæ ex Ecclesiæ præcepto sunt, & ratione congruæ sustentationis ministris debitæ de iure naturali, in lege gratiæ confirmata.

CAPVT III.

De personis, à quibus dandæ Decimæ, de quibus rebus soluendæ sunt, & queisnam personis.

§. 1. *Soluens decimas.*

4. *Quænam personæ ad decimas soluendas obligantur?* Omnes fideles. Vnde gentiles non comprehenduntur, neque Iudæi, siue de prædialibus, siue de personalibus sermo sit. Sacerdotes non soluunt. Pauperes soluunt modò in extrema necessitate non sint. Ministri Sacramentorum non tenentur ad decimas, at clerici ea recipientes tenentur, & quidem ex prædiis seculari titulo possessis, non ex lucris spirituali titulo acquisitis.

5. *Tenetur*

5. *Tenetur ne Papa, aut Episcopus?* Papa sui ratione non tenetur, at ratione prædij, in quo tale sit onus, obligatur. Episcopus personali debito non tenetur, sed reali bene teneri potest.

6. *Quid de Parochis, Clericis, ac seruientibus Ecclesiis?* Parochi ad prædiales tenentur, non ad personales. Clerici non ministrantes ad omnes. Seruientes Ecclesiis ex Ecclesiasticis bonis non tenentur, nec ex acquisitis titulo spirituali.

7. *Tenentur ne Religiosi?* Iure communi tenentur, aliqui sunt priuilegio exempti & à personalibus etiam ex proprio labore iure communi immunes sunt. Priuilegiati etiam à debito reali eximuntur; eorúmque priuilegium ad noualia, & ad prædia in futurum acquirenda extenditur.

§. 2. *Decimarum materia.*

8. *Ex quibus rebus soluendæ sunt decimæ?* Ex omnibus lucris iustè acquisitis. Nec debentur ex donationibus. Ex propriis actionibus lucra comparata debentur ex militia, & præda. Ex acquisitis contra iustitiam non debentur ex iustè verò acquisitis per turpem actionem debentur. Ex decimis personalibus deducendæ primùm expensæ sunt. Prædiales ex omnium rerum fructibus soluendæ.

9. *Quid si colonus mediarius sit?* Mediæ soluantur ab ipso & mediæ à domino. *Si mercenarius?* A domino totæ.

§. 3. *Quibus soluendæ decimæ.*

10 *Queisnam personis decimæ soluendæ?* Personales decimæ debentur Parochiæ, eique Ecclesiæ soluendæ sunt, in cuius Parochia sita sunt prædia. Mixtæ debentur illi Ecclesiæ, in qua animalia habitant, nisi consuetudo induxerit, vt soluantur in alia. Non extenditur ad noualia, ante possessa; & priuilegio solui possunt extra Parochiam. Noualia autem tunc comprehenduntur, quando verba talia sunt, vt absque propria interpretatione restringi non possint. Soluendæ decimæ sunt Parochiali, etiam si baptismalis non sit. Prædiales soluuntur Parochiali, in cuius territorio prædia sunt.

11. *Num ius percipiendi decimas laicis conueniat?* Minimè; at tanquam temporales quidam fructus solui illis possunt. Tribus autem modis eas possunt percipere locatione, stipendio, donatione. Concedi item laicis ad vitam possunt, in feudum, & transferri ad successores. Consuetudine eas præscribere non possunt, etsi vim habere potest consuetudo probandi priuilegium. Porrò decimæ institutæ fuere in Cleri sustentationem & post diuisionem diœcesium in Parochias, distributæ per Parochos fuere. Primò debentur Episcopis,

æquè primò etiam Clero Parochiarum. Deinde Parochiatum capitulis præbendatis. Simplices clerici non habent ius ad illas proprium, nec Religiosi ex vi ſtatus. Consuetudine præscribere quidem possunt immunitatem à soluendis decimis, non autem ius eas recipiendi, nisi sint ministri Sacramentorum, & titulum aliquem Parochialem habeant.

CAPVT III.

Quomodo, & quando, soluendæ sint Decimæ.

§. 1. *Quomodo soluendæ decimæ.*

12. *Quonammodo debeantur, & reddendæ sint decimæ?* Debentur ex Iustitia, & Religione, non tanquam alienæ res, sed tanquam res propriæ, (vt probabilius assero) cum obligatione reddendi. Vnde potest Ecclesiam quodammodo habere vsum fructum in prædiis, pro parte decimarum. Eas petere potest Ecclesia à quocunque, apud quem sint non decimati fructus.

13. *Si culpa Parochiani amittantur fructus?* Contra ipsum ius habet Ecclesia. Culpa autem triplex esse potest, commissio, omissio, & mora: commissione debet, qui potuit impedire damnum & non fecit: omissione, qui potuit seminare, vel vineam colere: mora autem tum in colligendis opportuno tempore fructibus, tum in non soluendis postquam ij collecti sunt.

§. 2. *Quando soluendæ decimæ.*

14. *Quando soluendæ?* Sine mora, & non petitæ. Et quidem personales in fine anni soluuntur. Computandæ autem decimæ ex negotiationibus per singulos annos. Prædiales soluendæ statim collectis fructibus: animalium proportionato tempore. Parochi suis sumptibus curare debent, vt in domum deferantur.

15. *Ius ne habet Ecclesia decimas exigendi?* Ita planè, per vim tamen accipi non possunt à Parochis, sed recurrere possunt ad Ecclesiasticos iudices, qui cogere valebunt. Prælati quidem tenentur cogere debitores, interdum tamen ad tollenda, ~~fenda~~, seu vitanda scandala poterunt conniuere.

CAP.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Decimis ex Societatis IESV *Doctoribus.*

16. *SCio, Religiosos priuilegio, exemptione à decimis frui: rogo* §. 1.
an laici coloni Religiosorum ad decimas soluendas te- *De obli-*
neantur? Tenentur pro sua cuiusque portione soluere, sed cir- *gatione*
ca Religionum fundos gaudent priuilegio Religiosorum, *decimas*
quod est reale vtpote communitati concessum, quod de iure *soluendi,*
communi transit ad colonos. Priuilegium decimarum Socie- *& exē-*
tati concessum à Gregorio XIII. videndum apud *Henriquez* *ptione.*
lib. 7. cap. 27. n. 8. & in Gloss. lit. H. Quid si coloni Religiosorum, Henriq.
vel ipsimet Religiosi aliqua in Prouincia decimas persoluant?
Id profectò erit ex aliquo Breui Pontificio ab Episcopis ob-
tento priuilegij huius reuocatorio.

17. *Eximuntur ne laici à decimarum solutione ex præscri-*
ptione immemorabili sine titulo? Ita planè ex *c. auditis de præ-*
script. & c. 3. de consuet. in 6. sicut etiam ex præscriptione qua-
draginta annorum cum titulo, & consuetudine quadraginta
annorum sine titulo. *Quænam inter consuetudinem, ac præscri-*
ptionem disparitas? Consuetudo respicit communitatem, quæ
per diuturnum vsum legitimo tempore continuatum potest
legem derogare. Præscriptio autem priuata respicit perso-
nam, cuius vsus quantumuis continuatus, non potest legem
introducere, aut abrogare. *Laym. in lib. 4. tract. 6. c. 7. n. 9.* Ex Laym.
cuius mente laici non possunt per præscriptionem omnino
eximi à decimarum onere persoluendarum, sed tantum in
partem, vt scilicet loco decimæ vigesimam, aut trigesimam
partem soluant.

18. *Alias, precor, de præscriptione, circa decimarum exemptio-*
nem Doctorum Societatis sententias adnota. Porrò *Henriquez* Henriq.
lib. 7. cap. 27. num. 2. & Tannerus *2. 2. d. 5. q. 3. dub. 2. num. 31.* Tanner.
asserunt, ad præscritionem sine titulo in causa decimarum
sufficere quadraginta annorum tempus. *Ad consuetudinem*
autem quid? Affirmat *Castro Palao tom. 2. tract. 10. d. vnic. p. 4.* Palao.
n. 6. probabile esse; ad consuetudinem contra decimas de-
cem annorum spatium sufficere.

19. *Decimarum obsecro obligationem pressiùs expende.* Tri- §. 2.
plex decima, personalis, prædialis, & mixta. Personalis est *De deci-*
decima pars fructuum prouenientium ex industria, & opera *mis va-*
personæ. Prædialis, seu realis est quota fructuum, qui ex *ria.*

prædiis percipiũtur. Mixta quæ partim ex hominis industria, partim ex prædiis prouenit, vt sunt animalium fœtus. Profectò decimæ personales soluendæ sunt post lucrum acquisitum, ab iis qui Sacramenta suscipiunt illi Ecclesiæ, in qua Sacramenta suscipiuntur, nisi aliter sit consuetudine receptum. Prædiales statim ac fructus collecti sunt, soluendæ ab illis omnibus, qui prædia titulo non spirituali possident, illi Ecclesiæ, cui subiecta sunt prædia, nisi sit consuetudine introductum, vt alteri soluantur. Mixta quando fœtus peruenit ad statum vtibilem, soluendæ iuxta locorum consuetudinem. Ex *Layman. Palao & aliis.*

20. *Possunt ne Sacramenta non soluentibus decimas denegari?* Ita planè, dum nullam habent excusationis causam.

21. *Soluendæ ne Clericis diuitibus, aut improbis?* Quis dubitet? Non enim debentur decimæ Clericis ob eorum inopiam, aut probitatem; sed laborem, quem in populi vtilitatem impendunt.

22. *In soluendis decimis realibus seu prædialibus sunt ne detrahendæ expensæ, v.gr. cultura agri?* Minimè; secus in personalibus.

23. *Qui decimis soluendis deteriorem, & non vt par est, mediocrem saltem partem bona fide assignat, peccat ne contra iustitiam?* Peccat, & consequenter ad restitutionem tenetur. Imò peccato sese sacrilegij fœdare aliqui affirmant, quos minimè probandos affirmarim; nec satis ad sacrilegium non soluere, aut malè impendere rem sacro cultui dedicatam,
Azor. *Azorius* ita.

24. *Obligatio soluendi decimas potest ne validè priuilegio Papæ condonari?* Potest, quatenus decimæ dicunt quotam fructuum, seu determinatam partem. Imò sine causa non condonari valet à Pontifice, sed tum illicitè concederetur. Item obligatio soluendi decimas in futurum auferri posse videtur per compositionem, interueniente Summi Pontificis authoritate. Imò etiam Prælatus Ecclesiæ, aut Beneficiarius potest iusta de causa absque assensu Apostolico compositionem, vel remissionem facere de præteritis decimis, cum iuri suo cedere possit, & nulla Simoniæ labes, aut prohibitio interAzor. ueniat. Ex *Azorio.*

25. *Est ne probabile decimas non deberi personales, id est, ex*
Saa. *lucro industriæ?* Nullibi ferè esse in vsu ab *Emanuele Saa* affirmatur. Qui quidem addit decimas non deberi à Clerico ex fructibus Ecclesiæ, nec ex patrimonio, si Ecclesiæ seruiat, cui decimæ debentur. Standum planè in iis & similibus præscriptæ

scriptæ consuetudini, quæ quidem efficit miram hac in re varietatem.

26. *Sunt ne speciales pœnæ non soluentibus decimas assignatæ?* Tridentinum præcipit subtrahentes decimas, aut earum solutionem impedientes, non solùm excommunicandos esse, verùm non esse absoluendos, nisi facta plena restitutione: intellige, modò non adsit impotentia restituendi. Extant etiam peculiares pœnæ *in Clem.* 1. *decim.* contra Religiosos, qui iniquè vsurpant decimas ad se non pertinentes, vel alios ab iis soluendis retrahunt, vel pœnitentibus conscientiæ scrupulum circa decimarum solutionem ingerere negligunt. *Azorium* lege. Azor.

EXAMEN XV.

De Legibus circa materiam de Priuilegiis in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Priuilegiorum varietate.

1. *Vidnam est Priuilegium?* Specialis gratia alicui concessa: seu lex qua alicui aliquid speciale conceditur.

2. *Quotuplex illud?* Multiplex planè. Aliud dicitur *scr ptum*; aliud *non scriptum*, siue à Superiore concedatur, siue acquiratur consuetudine. Aliud est *Reale*, quod directè conceditur alicui rei, vt loco, dignitati, prædio, mercibus. Aliud *Personale*, quod conceditur immediatè personæ. Quando res, cui concessum est priuilegium transit ad alium dominum, ad eundem etiam priuilegium transit: priuilegium verò personale cum persona extinguitur. Aliud est *Gratiosum*, quod gratis conceditur. Aliud *Remuneratorium*, quod meritorum ratione præstatur. Aliud est *Conuentionale*, quod conceditur ex pacto. Aliud *Purum*, quod absolutè conceditur. Aliud est *Priuatum*, concessum in personæ priuatæ fauorem. Aliud *Commune*, quod bonum communitatis immediatè respicit. Aliud est *Fauorabile*, quod priuilegiato confert fauorem, & commodum, nulli autem incommodum. Aliud

Odiosum, quod in fauorem vnius, & in præiudicium cedit alterius. Aliud est *Perpetuum*, aliud *Temporale*, seu ad tempus. Aliud *in foro conscientiæ*, quod in externo foro non valet. Aliud *in foro externo*, quod etiam valet in conscientiæ foro.

CAPVT II.

De accipiente à Superiori Priuilegium.

3. *Quónam priuilegium conceditur?* Ab eo, qui ferendi legem habet potestatem; quia priuilegium est quædam lex.

4. *Cuinam est concedendum?* Solis subditis; quia per priuilegium homo à lege eximitur, non autem eximitur à lege, nisi qui aliquo modo legi subiiciebatur. *Ergo Religiosi & Clerici, qui subditi non sunt, priuilegia à Principe seculari consequi non possunt, neque illis frui.* Nego sequelam; quia licèt non sint directè subditi Principibus secularibus, nihilominus si Princeps concedat legem ciuilem purè fauorabilem, possunt illius beneficio frui; sunt enim aliquo modo subditi, quatenus Principem agnoscunt in iis, quæ Ecclesiasticæ non officiunt immunitati.

5. *Concedi ne potest priuilegium ignoranti?* Validè conceditur; quia sufficit voluntas concedentis. v. gr. valida est dispensatio voti castitatis, quam pro sponsa inscia dispensationis, sponsus obtinuit: modò tamen ab ipsa acceptetur; alioquin non posset ea licitè vti dispensatione.

6. *Priuilegium ne potest validè obtineri pro inuito?* Potest, & Superior potest cum subdito renitente in lege dispensare. Imò dari potest casus, quo Superior valeat subditum ad vtendum dispensatione cogere; v. gr. ad non ieiunandum in Quadragesima ob aliam vtilitatem.

7. *Si priuilegium vim habeat, debet ne acceptari?* Porrò acceptari debet vel ab eo, cui conceditur: vel ab eo, qui vices gerit illius; quia priuilegij concessio est velut quædam donatio facta in priuilegiati fauorem; donatio autem non valet antequam acceptetur. Hoc tamen intelligendum plane de priuilegiis gratiosè concessis; nam quæ in remunerationem conceduntur, & non ex mera liberalitate, valent, quamuis expressè non acceptentur; quia priuilegiatus scit se remuneratione dignum, ac proinde non omnino priuilegium ignorat.

CAP.

CAPVT III.

De Priuilegij vsu.

8. *POteſt ne vti priuilegiatus indulto conceſſo, quolibet in loco intra concedentis ditionem?* Poteſt, ſi abſolutè, & abſque loci determinatione conceſſum eſt; quia priuilegium huiuſmodi iuxta facultatem concedentis generale cenſetur. Priuilegium autem, quod reſtringitur ad aliquem locum, extra illum non valet. v. g. quià Sede Apoſtolica priuilegium obtinuit duo beneficia in vna Eccleſia retinendi, non poteſt in alia eodem vti priuilegio.

9. *Priuilegiatus autem poteſt ne vbique etiam extra territorium concedentis vti diſpenſatione, aut priuilegio perſonali ſibi abſque determinatione loci conceſſo?* Maximè, modò in alieno territorio aliqua ſpecialis prohibitio non extet; quia priuilegium perſonale ſequitur perſonam, quocunque proficiſcatur. Fateor per accidens ratione ſcandali, vel alterius circunſtantiæ fieri poſſe, vt vtendum non ſit perſonali huiuſmodi priuilegio.

CAPVT IV.

De Priuilegij ambiguitate, & explicatione.

10. *QVid præſtandum, quando Priuilegij verba ambiguitatem continent, & de mente concedentis dubitatur?* Recurrendum planè ad coniecturas, aut Princeps adeundus, niſi in mora periculum adſit.

11. *Quonam modo autem explicanda priuilegia, cum opus eſt interpretatione?* Priuilegium purè fauorabile latè explicandum eſt, quantum verborum proprietas patietur, cum nullum præiudicium vlli inde paſcatur. Priuilegium verò odioſum regulariter loquendo, ſtrictè exponendum eſt, ſeruata ſimiliter verborum proprietate; odia enim ſunt reſtringenda, fauores ampliandi.

12. *Quænam priuilegia ſunt ſtrictè explicanda?* Non quidem ea, quæ continentur in iure communi; nec quæ in corpore iuris continentur, nec quæ verſantur circa materiam iuris; habent enim vim legis: ſed quæ non continentur in iure; quia cenſentur ius quoddam priuatum contra ius commune;

mune. Dispensationes autem, quæ derogant iuri communi, explicandæ strictè. Item priuilegium, quod liberiùs deliquendi exhibet occasionem, strictè exponendum.

13. *Facultas absoluendi à reseruatis Confessa 10 concessa, & facultas Iubilæi, sunt ne strictius explicanda, an laxius?* Laxius quidem; quia fauorabiles sunt, modò in damnum tertij non vergant, nec ad ea, quæ sunt Pontifici Summo specialiter reseruata, extendantur, vti est dispensatio in Matrimonio rato, in voto castitatis, aut Religionis; quia in generali concessione haud continentur ea, quæ Superior non esset concessurus, si specialiter rogaretur.

14. *Potest ne vxor aliqua ratione gaudere priuilegio nobilitatis, quod vir eius obtinuit: & filius potest frui priuilegio nobilitatis patri concesso?* Potest, iure ita disponente; priuilegium enim non solùm censetur concessum iis personis, & rebus, quæ in illo exprimuntur: sed & iis, quæ in eo comprehenduntur propter vocis significationem, aut actionis connexionem, aut dispositionem iuris.

15. *Potest ne extendi priuilegium ad alios casus, vel personas ob rationis similitudinem?* Minimè; quia indultum concedens non videtur velle ad alios extendi, nisi in eo specialiter significatiua voce comprehendantur. Alioquin priuilegia vni Religioni concessa ad aliam arctiorem, vel æqualem transirent ob similitudinis, aut rationis paritatem. Colligo hinc priuilegiorum materia à pari, vel à maiori ad minus non esse arguendum, nisi minus in maiori includatur. v. gr. concedens vescendi carnibus facultatem, etiam facultatem vescendi ouis & lacticiniis concedere censetur.

Caput V.

Quonam modo Priuilegium amittatur?

16. *Amittit ne Priuilegium vim suam obeunte eo, cui fuerat concessum?* Amittit prorsus, si priuilegium erat personale; tale enim personæ affigitur. Reale autem successiuè ad illos, qui rem ipsam acquirunt, transmittitur.

17. *Quandonam priuilegium personale esse censebitur, vti dignoscere possimus vtrum expiret, nec ne?* Priuilegium personale censetur, quando alicui conceditur expresso solùm nomine illius, nisi aliter ex circunstantiis appareat. Quando verò exprimitur solummodo nomen dignitatis, priuilegium reale

reale censetur, nisi aliud ex circunstantiis colligatur. *Quid si simul nomen personæ, & dignitatis exponatur?* Tunc priuilegium personale censetur; quia nomen dignitatis per nomen personæ tanquam genus per speciem contrahitur.

18. *Priuilegium ritè concessum cessat ne morte concedentis?* Non cessat, modò concessum simpliciter fuerit sine vlla conditione, seu particula restringente vsque ad obitum concedentis.

19. *Priuilegium nondum erat obtentum, sed obtinendum: expirat ne morte concedentis?* Expirat. v. g. si Pontifex postquam facultatem commisit Antonio, vt beneficium conferat Petro, ante collationem è vita excedat illa facultas infatuatur; quia beneficium nondum erat obtentum.

20. *Quid de priuilegio simpliciter, & indeterminatè concesso: & de illo, cui tempus præfigitur?* Concessum indeterminatè perpetuum est: terminatè autem datum, lapsu temporis præscripti, aut cessatione conditionis, amittitur. *Quid si ad beneplacitum concedentis datum sit?* Expirat planè morte concedentis.

21. *Amittitur ne priuilegium tota ipsius causa cessante?* Amittitur, modò non sit executioni mandatum: quia non est credibile Principem conseruare velle priuilegium causa cessante, quod quidem iniquè videretur indultum.

22. *De priuilegio gratuito, & oneroso quid sentiendum?* Gratuitum quo quidem alicui subdito facultas datur faciendi contra, vel potiùs præter ius, potest ex causa iusta à concedente reuocari, vel à Superiori, vel à successore concedentis. Quod autem datur per contractum oneroſum, vel in remunerationem, vel præuia pecunia, per se loquendo non potest reuocari; quia pacta seruanda.

23. *Quonam modo priuilegium reuocatur?* Vel expressè verbis sufficienter reuocationem, in specie indicantibus, seu in genere: vel tacitè, si concedens, v. gr. aliquem gerat actum, qui non possit absque priuilegij derogatione subsistere; vt si Princeps iubeat tributum exigi ab eo, quem exemerat.

24. *Adsunt quædam priulegia in corpore iuris inserta, quædam verò minimè: rogo num sint reuocabilia?* Priuilegium insertum per posterius priuilegium abrogatur; quia non præsumitur ignorari. Priuilegium non insertum nec reuocatur per legem subsequentem, nec per particulare mandatum, seu rescriptum Principis, nec per subsequens priuilegium præcedenti repugnans, nisi ipsius mentio fiat; quia priuilegium

huiusmodi est ius quoddam priuatum, quod Princeps ignorare præsumitur, nisi ipsius faciat mentionem.

25. *Quidnam requiritur, vt reuocatio priuilegij facta per legem suum effectum sortiatur?* Publicatio reuocationis; quia ante publicationem non obligat lex. Facta autem publicatione, priuilegium manet reuocatum, ita vt acta non valeant, etiam si ignoranter, & absque culpa fiant. Excipe tamen actus publicos cum errore communi, & titulo colorato effectos. Priuilegium verò priuatum vim suam retinet, donec reuocatio ad notitiam illius, cui concessum fuerat, perueniat; vt enim concessio priuilegij, priusquam ei, cui concessum fuit, innotescat, non operatur: sic illius reuocatio suum non sortitur effectum, donec ab eo, cui fuerat concessum, cognoscatur, v.gr. confessarius, cui fuerat facultas concessa absoluendi à reseruatis post facultatem priuatim ipso inscio reuocatam, validè absoluit.

26. *Amittitur ne priuilegium per voluntariam renunciationem?* Ita quidem, modò à concedente acceptetur, aliàs priuilegium adhuc viget, & potest priuilegiatus illo vti, mutata voluntate; quia priuilegium vim habet à voluntate concedentis. Loquor de priuilegio, quod tractum habet successiuum, & consistit in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurum; nam priuilegium momentaneum, quod operatur statim ac concessum est, vt est dispensatio in impedimento Matrimonij, non potest renunciari. v. g. qui dispensationem in impedimento consanguinitatis obtinuit, non potest per renunciationem inhabilis fieri ad contrahendum; non enim potest sese inhabilem efficere, postquam semel est habilis dispensatione effectus.

27. *Quid de priuilegio alios grauante, seu non grauante affirmatiuo?* Priuilegium affirmatiuum, quo facultas conceditur aliquid in aliorum grauamen faciendi, per non vsum amittitur; quatenus qui grauantur, per tempus legitimum a tali onere præscribunt exemptionem. Priuilegium verò, quod neminem grauat, regulariter loquendo non amittitur per non vsum, etiam si longissimum tempus intercedat: modò fuerit absque temporis limitatione concessum, exceptis casibus in iure expressis.

28. *Amittitur ne priuilegium per vsum materialiter & formaliter contrarium?* Amittitur; quia priuilegiatus præsumitur priuilegio renunciare, si aliquem actum contrarium efficiat tanquam ex obligatione, seu animo sese obligationi subiiciendi, v.g. qui priuilegium habet non soluendi tributum, si

tributum

tributum soluat tanquam ex obligatione, priuilegium per vsum contrarium amittit.

29. *Quandonam potero priuilegio meo renunciare?* Quando illud præcipuè in bonum, seu commodum priuatum cedit; quia nullus cogitur inuitus beneficium acceptare. Sin priuilegium concessum sit boni communis intuitu, non possum priuatus illi renunciare, etiamsi in meum commodum redundet. v.g. nullus Clericus potest priuilegio Canonis, aut fori Clericus indulto renunciare. Idem proportione affirmo, quando priuilegium in fauorem plurium concessum est, ita vt commodum vnius ab aliorum commodo non seiungi non possit.

30. *Priuilegium concessum communitati quandonam amitti videbitu?* Non quidem amittitur per vnum actum aut plures, si fiant à personis priuatis, absque authoritate & consensu communitatis: secus si à tota communitate fiant, seu de totius communitatis authoritate, & consensu; quia tunc communitas videtur suo iure cedere.

31. *Amittitur ne priuilegium per abusum?* Ipso facto non amittitur, regulariter loquendo; quia nullus tenetur à se priuilegium ante sententiam saltem declaratoriam criminis abdicare: nisi in iure verba inducentia ipso facto priuationem ob abusum, vel delictum habeantur. v. gr. Clericus Sodomitico vitio lapsus, excidit ipso facto à priuilegio clericali.

32. *Priuilegium præcisè ob aliquam actionem exercendam concessum, cessat ne, tali actione cessante?* Cessat; quia cessante causa, cessat effectus. v.g. Beneficiarius, qui priuilegium obtinuit percipiendi fructus beneficij pro eo tempore quo abest studiorum causa: quandiu studiis non vacat, fructus percipere non potest.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Priuilegiis, ex Schola Societatis IESV.

33. *Dixisti priuilegium diuidi in personale, ac reale: illúdque immediatè concedi personæ, eamque sequi: non immediatè rei, quæ aliquando est locus, & tunc extra illum hoc operatur: rogo, an priuilegio ciuitatis ciues absentes possint potiri?* Ita planè, si persona habeat præsentiam legalem. §. vnic. De priuilegijs varia.

Quo

Sanch. Quo pacto ex *Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 3. d. 18. num. 7.* sententia priuilegio ciuitatis frui potest qui habet in ea domicilium, quamuis per aliquod breue tempus absit: quia in iure pro præsenti reputatur.

34. *Dubium adest, num priuilegium sit reale, an personale: quid gerendum?* Putat *Sanchez lib. 8. disq. 27. num. 4.* perso-
Sanch. nale reputandum; quia concurrente præsumptione generali cum speciali, specialis debet prævalere. *Quid si dubium vinci non possit, & ex parte habentis priuilegium stet possessio illius,*
Pal. *vt realis?* Reale censeri debet priuilegium. *Palaus tom. 1. tract. 3. d. 4. p. 2. §. 1. n. 6.*

35. *Dubito, num aliquod priuilegium sit reuocatum: quid?* Reuocatum non est præsumendum; quia in dubio melior conditio possidentis.

36. *Priuilegium concessum non subdito est ne reuocabile?*
Suar. Negat; vè affirmo cum *Suario.* Talia sunt, quæ à secularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis.

37. *Priuilegia, quæ non vni personæ, sed toti communitati, v. g. Clericorum, aut Regularium conceduntur, habent ne latam*
Laym. *interpretationem?* Affirmo cum *Laymano,* quia legibus communibus æquantur.

38. *Quid si priuilegium huiusmodi sit contra ius commune?* Amplam adhuc interpretationem habet, si motu proprio à Principe concessum sit; quia proprium Principis beneficium
Laym. est ex certa scientia datum. *Laymanus* ita.

39. *Si autem Principis priuilegium in alterius præiudicium tendat, vel scandali exhibeat occasionem?* Strictè (cum eodem *Laymano* loquor) interpretandum; quia eatenus odiosum est.

40. *In dubio num priuilegium aliquod sit reale, an personale, quid præstandum?* Si est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, nec particulari alicuius contrarium est, censendum reale, & extendendum; sin contra, censendum personale, &
Suar. restringendum. Sentio cum *Suario.*

41. *Possunt ne exempti, non obstante exemptionis priuilegio, cum Prælati sui consensu subijcere se ordinario, dispensationem ab eo petendo in votis, iuramentis, & censuris?* Possunt,
Laym. quia priuilegium priuilegiato onerosum esse non debet *Layman.* ita.

42. *Potest ne priuilegium ante acceptationem reuocari?* Cum eodem Doctore posse existimo, si ex mera liberalitate emanauit: secus si ex debito officio conferentis.

43. *Mihi priuilegium concessum est libros prohibitos legendi:*

vti

vti ne eo possum extra Diœcesim, aut Prouinciam conferentis? Potes; quia est datum personæ. Sic *Laymanus.* Laym.

44. *Quonam modo stylus Principum concedentium priuilegia intelligendus est?* Respondeo ex *Laymano.* Si Princeps priuilegium dederit sub hac verborum forma: *Dum volnero: Quoad beneplacitum meum*, eo mortuo, expirat; non item si dixerit, *Donec reuocauero, dum aliud decreuero:* neque si dicat, *Quandiu Sedi placuerit*; quia potestas Sedis transit ad successorem.

45. *Potest ne Capitulum iuri, ac priuilegio renunciare?* Non potest, si Ecclesiæ vtile ac honorificum sit. Et si Capitulum contra priuilegium faceret, vnus solus se opponere posset. Imò si omnes contra facerent, Superior, videlicet Episcopus deberet impedire, quatenus in damnum cedit Ecclesiæ. Ex eodem *Doctore* accepi. Laym.

46. *Amittuntur ne priuilegia per merum non vsum?* Priuilegia, quæ aliis onerosa sunt, amittuntur per non vsum spatio decennij inter præsentes: viginti verò annis inter absentes: si tamen vtendi occasio sit, v. g. si habeas priuilegium decimas exigendi, aut Monasteria exempta visitandi, & longo tempore non vtaris. Priuilegia verò affirmatiua per merum non vsum non amittuntur, si vtendi non adsit occasio v.g. si quis habeat sanguinis iurisdictionem, & diuturno tempore nullum ceperit delinquentem. Adhuc ex *Laymano.* Laym.

47. *Litera ne fidei publicæ, siue saluus conductus expirat morte concedentis?* Ex *Saa* respondeo non expirare. Saa.

48. *Facit Papa gratiam, committendo Episcopo examen: interea moritur Papa: expirat ne priuilegium?* Idem *Saa* negatiuè respondet. Adiicit gratiam præcedentem sequenti excommunicatione non auferri: impetratam autem ex falsa causa nullam esse; concesso item aliquo priuilegio intelligenda etiam concessa omnia, sine quibus non potest illud commodè fieri: præterea nomine marium fœminas etiam comprehendi; Papam denique non præsumi concedere exorbitantia, nec velle derogare iuri, aut præiudicare alicui nisi exprimat. Saa.

EXAMEN XVI.

De Legibus circa materiam de Dispensatione particulari, scilicet priuilegio.

CAPVT PRIMVM.

Quisnam possit Dispensare?

1. *Vid significat hoc nomen Dispensatio?* Actum iurisdictionis, quo quis à legis obligatione eximitur; aut quo legis obligatio suspenditur.

2. *Quinam in lege dispensat?* Superior legitimus, seu Legislator, vel Superior ipsius, vel successor, vel æqualis in iurisdictione, cuius quidem internus consensus requiritur ad dispensationis valorem. Hic potest cum suis subditis dispensare, illósque à legis obligatione eximere, respectu aliorum adhuc obligatione perseuerante. Idem potest quilibet conditor in sua lege, & Summus Pontifex in legibus ab Apostolis tanquam Episcopis latis.

3. *Num possit Legislator secum suis in legibus dispensare?* Potest, quamuis actum, quo quis secum sua in lege dispensat, propriè & strictè dispensationem non appellarim.

4. *Inferior ne potest in Superioris lege dispensare?* Minimè, quoties Superior sibi dispensationem reseruauit, aut inferiori prohibuit dispensandi facultatem. Imò nec potest toties quoties non ademit expressè Superior ei facultatem dispensandi; quia quando vrgente necessitate potest Papam certiorem per literas facere; vel inopiæ partium, quibuscum dispensandum est debet suis redditibus occurrere, ipse dispensare non potest.

CAPVT II.

De dispensationis validitate, & nullitate.

5. NVM *Dispensatio concessa sine iusta causa à legislatore, vel ab habente ab ipso facultatem, valida sit?* Valida quidem, sed non licita. Vnde peccat Superior si dispenset sine

sine causa : imò si dispenset ex causa, quam dubitat esse sufficientem. At ille, quo cum dispensatum est, potest vti dispensatione, licet dubitetur, an Superior iustam dispensandi causam habuerit: quia in dubiis Principis est standum iudicio.

6. *Dispensatio in lege Superioris concessa ab inferiore sine iusta causa, illicita quidem est: quæsierim, num sit valida?* Minimè, vnde is quo cum inferior dispensauit in lege Superioris absque iusta causa non potest vti dispensatione. A fortiori dispensatio concessa à Papa sine iusta causa in iis, quæ sunt de iure diuino, & naturali inualida est, & dispensans, grauiter delinquit. Inducens item ad dispensandum sine causa, vel falsa allegata, peccat eodem pacto, quo dispensator.

7. *Necessum ne, vt Superior dispensaturus iudicialiter cognoscat, iustam ad dispensandum causam adesse?* Minimè, imò dispensatio tacitè concessa sine causæ cognitione, valida est.

8. *Quænam ad dispensandum iusta & sufficientes causæ assignantur?* Hæ. Vtilitas, aut necessitas communis, vel priuata: Pietas, aliique occurrentes casus, qui sufficientes, & legitimi arbitrio prudentis viri visi fuerint, pro qualitate loci, temporis & personæ.

9. *An Princeps possit in lege dispensare, imposita mulcta pecuniaria fabricæ Ecclesiæ, vel piis operibus ex præcepto tradenda?* Minimè, nisi sit supremus Antistes; quia in Tridentino sess. 25. cap. 18. dispensatio gratis fieri præcipitur.

10. *Aliquid habens connexionem cum materia dispensationis tacetur, vel falsò narratur, quo cognito Superior non dispensaret: rogo, num sit valida dispensatio?* Inualida est: secus si taceatur tantùm res, vel circunstantia impertinens ad causam. Vnde valida est v. gr. dispensatio voti obtenta ab eo, qui se virum doctum, & studiosum finxit; nam huiusmodi fictio nihil refert ad dispensationis causam. Similiter valida est dispensatio obtenta tacito nomine personæ, quam si dispensans cognouisset, propter odium, non dispensasset. Valida item est, quando in personæ nomine erratur; quia accidentalia hæc sunt

11. *Est ne valida dispensatio, quoties impedimentum certum narratur sub dubio: vel quoties narratur vna tantùm causa, & ea sit falsa?* Minimè.

12. *Surreptio tacendo verum, vel exprimendo falsum, assolet in toto rescripto, vel in parte contingere: quonammodo infa-*

mat

tuat dispensationem? Si contingat in toto omninò vitiat, si in vna tantùm rescripti parte vitiat, & irritum reddit rescriptum, quoad eam partem, in qua est subreptio; non verò quoad reliquas. *Quid si non possit separari pars, in qua contingit subreptio?* Totum rescriptum irritum est. Valet autem rescriptum quò ad partem, in qua non contingit subreptio, etiam subreptione in ea parte à ciuili scienter commissa, inscio eo, in cuius fauorem rescriptum obtinetur. Vnde obtinens dispensationem de duobus votis in eodem rescripto, potest vti dispensatione quò ad votum in quo subrétio non contingit. Item qui in petendo rescripto ad beneficium siue curatum siue simplex bona fide tacuit legitimam ad curatum ætatem, potest virtute illius rescripti beneficium simplex obtinere, si ætatem legitimam ad beneficium simplex habeat. Porrò vitium subreptionis, & inualiditatis suppletur per clausulam, *Motu proprio*, positam in rescripto, quando priuilegium motu proprio conceditur sine vlla præuia informatione, sed ex mera concedentis liberalitate. Hæc quidem clausula, *Motu proprio*, in rescriptis posita operatur, quod priuilegium censeatur magis voluntarium, & nunquam in eum, cui conceditur, retorqueatur.

13. *Metum incutio ad dispensationem obtinendam; rogo num sit valida?* Ita planè. Non ita si extorta fuisset per dolum, & mendacia, si dolus & mendacia circa causam finalem seu motiuam dispensationis versentur; id est, quando dispensans non concessisset dispensationem, vel eius partem, si dolum cognouisset.

14. *Valida ne dispensatio ab aliquo obtenta non exprimendo se aliàs eam petiisse, sed non obtinuisse?* Valida est, v.gr. dispensatio obtenta ab Episcopo successore ab anteriori denegata valida est, quamuis circunstantia denegationis taceatur. Imo validam puto dispensationem ab inferiori, habente tamen potestatem dispensandi, obtentam, quamuis non exprimatur eam prius fuisse à Superiori denegatam.

15. *De vna & eadem re duplex dispensatio petitur, & prima fuit limitata: rogo, an in secunda, quæ magis ampla petitur, facienda sit mentio prioris limitatæ?* Ita planè, alioquin secunda videtur inualida, nisi secunda ex noua sufficienti causa petatur, aut nisi prima concessa fuerit cum limitatione, quæ iuxta stylum apponi soleat.

16. *Qui ob scrupulum vel dubium circa primam dispensationem obtinet secundam, validè ne obtinet, non facta mentione prioris?* Ita quidem. Vnde qui obtinuit, v.gr. dispensationem

vescendi

vescendi carnibus in vna Quadragesima, si in alia similem dispensationem quærat, non tenetur prioris mentionem facere.

17. *Quid si ampliorem dispensationem expeterem?* Deberes prioris memoriam facere, v. g. qui obtinuisti exemptionem à soluenda parte decimarum, debes prioris mentionem facere si ampliorem desideras.

18. *Habet quis plura impedimenta, seu vincula; num valide obineat dispensationem vnius, aliis non explicatis?* Affirmatiuè respondeo, vt patet à simili de obstricto pluribus excommunicationibus, qui potest ab vna absolui, alia non ablata. Excipe Matrimonij impedimenta.

19. *Redditur ne inualida dispensatio tacita qualitate, quam iura specialiter exprimi volunt, si ea qualitate expressa adhuc Superior dispensationem concessisset?* Ita quidem. Vnde inualida est dispensatio obtenta (v.g.) non expresso gradu affinitatis, vel consanguitatis, vel publicæ honestatis, aut non facta expressione diuersorum titulorum, ratione quorum duo sunt affines.

20. *Committens cum consanguinea incestum, potest ne vti dispensatione, si antequam dispensatio obtineatur, iterum cum eadem peccet?* Potest.

21. *Est ne valida dispensatio obtenta non expressa linea in consanguinitate, affinitate, & publica honestate?* Inualida est. Porrò in cognatione spirituali exprimendum est, an sit filiatio, vel spiritualis confraternitas. Imò explicandum, impedimentum publicæ honestatis esse in primo gradu, & ex matrimonio rato consurgere, si de hoc dispensatio quæratur.

22. *Est ne valida, quando circa speciem impedimenti erratur, aut quando obtinetur ad contrahendum cum affine vel consanguineo, tacito incestu iam commisso, & completo?* Est inualida. Profectò si incestus sit occultus, non est necessariò faciendа ipsius expressio in dispensatione à Papa pro foro externo obtinenda.

23. *Est ne explicanda copula incestuosa spe facilius obtinendi dispensationem commissa?* Ita planè, quamuis alter tantùm eorum talem animum habuerit.

24. *Valet ne in foro externo dispensatio concessa, si copula non intercessit, ea occulta intercueniente? & an contrahentes à iudice de hoc interrogati, respondere teneantur?* Respondeo contrahentes interrogatos de copula licet occulta, teneri iudici interroganti manifestare.

25. *Est ne dispensatio valida, quando error vitiniori in*

gradu committitur? Minimè; v.g. si dicatur esse in quarto, cùm sit in tertio. Porrò si duo non æqualiter distent à stipite, necessariò non est facienda mentio gradus propinquioris stipitis, modò tamen alter contrahentium non distet vno tantum gradu à stipite. Ordinarius quidem non expresso propinquiori gradu non debet in foro externo dispensationem admittere donec litteræ declaratoriæ afferantur.

26. *Requiro, quid seruandum, dum aliqua dispensatio de Pontificis mandato expenditur?* Requiritur, vt qui rescriptum Apostolicum debet expedire, ad confessiones sit ab Ordinario approbatus: vt sit Doctoratus laurea insignitus: vt habeat iustam causam dispensandi: vt rei veritatem, nisi notoria sit, vel aliunde constet, ab ipso pœnitente diligenter inquirat: vt Confessarius, cui rescriptum Apostolicum exhibetur, ad dispensandum. v.g. in Matrimonio, non dispenset, nisi impedimentum sit occultum, id est, nisi ignoretur à maiori viciniæ parte, vel parochiæ, vel oppidi, vel Collegij, vel Monasterij: vt præcedat confessio dispensationem; quoties hoc à rescripto iubetur: vt denique confessarius talia pia opera imponat, qualia prudenter imponenda iudicauerit. v. gr. in dispensationibus ad contrahendum matrimonium obtentis ratione delicti, imponenda est corporalis pœnitentia, aut menstrua confessio, quæ quidem fieri poterit quacunque Mensis die. Confessarius autem, cui datur facultas dispensandi circa matrimonium, curare debet ante dispensationis executionem, vt coniuges separentur, si id sine scandalo præstari possit. Denique vt ipsi coniuges certiores sint de consensu nullitate. Et literas dilacerare debet quoties in priuilegio præscribitur literas dilacerari: & pro dispensatione nihil omnino exigere.

CAPVT III.

De dispensationis vi amissa, & de ipsius expensis.

§. 1. *Vi amissa dispensationis.*

27. *Quemnam modis vim suam amittit Dispensatio?* Aut cessatione causæ, aut morte concedentis, nondum effectu adimpleto, renunciatione, reuocatione, modò non sit. Dispensatio absolutè sine limitatione concessa. Dicitur, *cessatione causæ*; quia cessante causa finali, seu motiua dispensationis, post obtentam ipsam, & nondum executioni mandatam,

tam, probabile est, etiam ipsam dispensationem cessare. Delegatúsque ad dispensandum, non potest validè dispensare, si post indultum sibi concessum cessauit causa iusta dispensandi. Hinc colligo obtinentem dispensationem comedendi carnes tempore ieiunij ob infirmitatem, ea cessante teneri à carnibus abstinere. Item obtinentem dispensationem in aliqua lege humana, vel diuina, peccare tali vtendo dispensatione, postquam transacta est dispensationis causa. *Quid si dubitetur, num causa dispensationis cessauerit?* Præsumitur non cessasse, & consequenter valida est dispensatio.

28. *Num dispensatio executioni mandata cessat causa cessante, aut potest reuocari?* Minimè. v.g si iusta de causa concessa sit dispensatio ad contrahendum matrimonium, & vi talis dispensationis sit matrimonium contractum, non cessat dispensatio, licèt contracto iam matrimonio cesset causa dispensationis.

29. *Quidnam efficit dispensationis renunciatio?* Efficit planè, vt dispensatio, quæ nondum executioni mandata fuerat, vim suam amittat, si renunciatio acceptetur à dispensante. v. gr. Antonius obtinuit dispensationem ducendi in matrimonium consanguineam, sed ante contractum matrimonium cedit dispensationi, dispensatio cessat, si cessio, seu renunciatio dispensationis à dispensante acceptetur. Hinc patet, dispensatum posse dispensationi renunciare antequam sortiatur effectum. Et qui proposuit non vti dispensatione, aut illi renunciare, potest ea vti, vel renunciationem reuocare, si eam Superior nondum acceptauit.

§. 2. *Expensæ dispensationis.*

30. *Quid de Expensis dispensationis?* Dispensatio impetranda illius expensis, qui onus illius impetrandæ suis sumptibus in se suscepit. Quando tamen præcessit consensus tacitus; vel expressus impetrandæ dispensationis, & alter onus illius impetrandæ suis sumptibus liberaliter in se non suscepit, dispensatio communibus expensis impetranda est. Et qui obtenta de communi consensu dispensatione, iniustè renuit matrimonium contrahere, tenetur ad integras dispensationis expensas; qui verò iustè renuit absque alterius culpa, tenetur solùm ad partem expensarum; quod si renuat ob alterius culpam, videlicet ob iniustam, & iniuriosam alterius actionem, ad nullas tenetur expensas: sed alter, qui causam resiliendi dedit, ad integras tenetur. Vnde sequitur eum, qui resilit à promissione matrimonij ob superuenientem in altero contrahente notabilem deformitatem, non

teneri integras dispensationis expensas soluere, sed tantummodo partem. Vir item qui fornicatus est ante promissionem matrimonij, non tenetur ad integras expensas, si sponsa obtenta dispensatione, nolit cum eo contrahere, cognita illius fornicatione; quia fornicatio sponsi antecedens promissionem matrimonij non est sponsæ iniurioſa. Ille denique, cuius culpa post matrimonij promissionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, si possit propriis expensis dispensationem obtinere, vt sponsalia perficiantur.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Dispensationibus ex Doctoribus Societatis IESV.

§. 1. *De dispensatione in communi.*

31. *Dispensationem fieri debere ex causa dixisti: rogo, an facta in lege propria, vel inferioris sine iusta causa, valida sit?* Invalidam *Vasquez* asseruit 1.2. *tom.*2. *d.*178. *cap.*4. At tanti viri venia contrarium affirmarim; quia lex ferentis, vel eius superioris voluntate pendet, qui pro re potest eam tollere, ac relaxare.

Vasq.

32. *Num sit peccatum mortale, dispensationem concedere, seu impetrare, eáque vti sine iusta causa?* *Granado* Affirmat

Granad.

At *Sanchez de Matrim. tom.*3. *disq.* 18. *num.* 10. probabile

Sanch.

putat, nec esse veniale peccatum vti dispensatione, obtenta sine causa; quia iam lex relaxata est, vnde nec ad veniale remanet obligatio. Concedere autem, aut impetrare sine causa

Granad.

veniale alij solummodo putant. In graui dispensatione *Granadum* sequor *con.*7. *tract.*3. *p.*2. *d.*17. *sect.*3. *n.*24. mortale esse putantem.

33. *Dubitat Prælatus de iustitia dispensationis: potest ne licitè concedere?* Potest, quia in dubio in benigniorem

Sanch.

partem inclinandum. *Sanchez summ. tom.*2. *lib.* 4. *cap.*45. *num.*10.

34. *Valida ne dispensatio inferioris in lege superioris causa non iusta, si bona fide facta sit?* Negat *Salas de leg. disq.*20.

Salas.

*sect.*4. *n.* 35. quia bona fides non potest acta aliàs nulla va-

Sanch.

lida reddere. At *Sanchez de Matr. tom.*3. *lib.* 8. *d.*17. *num.*8. docuit valere; quia talis præsumi debet Papæ intentio circa suas leges, & Dei erga suas.

35. *Iusta adest causa, sed non præcognita: valida ne dispensatio?* Negat *Azorius part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæs.*9. & 10.

Azor.

qui is

quia facultas dispensandi commissa censetur, præmissa causæ cognitione. Porrò *Sanchez* affirmat, *numer.* 11. quia talis dispensatio in foro conscientiæ nullo iure irritatur. Sanch.

36. *Cessat dispensationis causa: num dispensatio cesset?* Negatiuè respondet *Salas disq.* 20. *sect.* 5. *num.* 63. quia in dispensatione intelligitur conditio, *si causa permaneat.* Porrò *Sanchez d.*20.*num.*14. affirmat, quia cessante causa, cessat lex communis, quæ maioris est roboris. Itaque dispensatus à Pontifice sine vlla limitatione ad non ieiunandum per totam vitam, etiam si causa v.gr. infirmitas cessaret, vti posset dispensatione. Verùm conditionem illam subintelligi, abnegatur. Salas. Sanch.

37. *In dubio positiuo, an casus indigeat dispensatione, est necessaria dispensatio?* Minimè. Addit *Palaus tom.* 1. *tract.* 3. *d.*6.*p.*5.*n.*10. nec in dubio negatiuo, etiam si quis propensior sit in eam partem, quod casus indigeat dispensatione; quia possessio stat pro libertate. Pal.

38. Dubium est, num sit valida dispensatio, vel quia dubitatur de veritate narratorum, vel quia dubitatur, an causa allegata sit finalis: præsumendum ne validam esse, aut inualidam? Validam planè; quia in re dubia, in fauorem actus est præsumendum. *Palaus citat. part.* 16. §. 5. *num.*3. Scio *Coninch de sacram. d.* 33. *dub.*6. *num.*93. contrarium asseruisse. Pal. Conin.

39. *Generaliter in narratiua dispensationis tacetur, vel falsò exprimitur aliquid, de quo dubitatur, an fuerit causa finalis, id est, sine qua Pontifex non concessisset dispensationem; an verò solum impulsiua, ita vt etiam sine illa dispensatio concederetur: pro quanam præsumendum?* Pro impulsiua, & consequenter dispensationem esse validam; quia semper in fauorem actus est præsumendum. Sic *Palaus vbi supr.* Pal.

40. *Scio dispensationes gratis expediendas semper enim in literis sacræ Pœnitentiariæ verba illa apponuntur: gratis vbique; rogo tamen, an possit aliquid gratitudinis ergo accipi?* *Sanchez apud Hombonum p.*3.*tract.*13.*c.*11. *q.*32. docet non prohiberi aliquid accipi post expeditionem causa gratitudinis. Repugnant alij. Praxi standum. Sanch. §.2. *De dispensationibus Matrimonialibus.*

41. *A Tractatu septimo de sacramentis subtraho de Matrimoniali dispensatione plures resolutiones, vt plenior reddatur de legis dispensatione materia. Rogo igitur, queisnam in trimocasibus dispenset Episcopus?* In impedimentis non diriment-

bus. In dirimentibus post celebrationem bona fide saltem vnius, publicè factam, si impedimentum est occultum, & separatio coniugum nequit fieri absque magna famæ iactura, aut scandalo, alióve magno detrimento, & non est facilis ad Papam recursus, & si est periculum in mora, &c. dispensare potest Episcopus. Imo ante contractum matrimonium si sponsa manè ad confessionem accedens, quando omnia parata sunt ad nuptias eodem vespere celebrandas, quæ sine graui infamia omitti non possunt, aut differri, dirimens impedimentum habere inueniatur: dispensare potest Episcopus; quia impedimenta sunt de iure humano, & eadem ratio, qua Episcopus potest post matrimonium dispensare antea etiam
Sanch. videtur militare. Ita *Sanchez de Matrim. tom. 2. lib. 2. cap. 4. num. 7.*

42. *Matrimonium cum impedimento mala fide est contractum: scio communiter à Doctoribus asseri Episcopum dispensare non posse; quia Tridentinum sess. 24. cap. 5. de huiusmodi contrahente dicit:* Separetur, & spe dispensationis obtinendæ omnino careat: *Rogo tamen, an sit afflicto, ac misero solatium?*
Henriq. Profectò *Henriquez lib. 12. cap. 3. n. 2.* probabile ostendit esse, posse Episcopum dispensare; quia Episcopus in sua diœcesi de iure diuino potest: quidquid Papa in toto orbe; & quamuis eius potestas possit à Papa limitari, & de facto quo ad hoc limitata sit: non tamen censetur limitare in omnibus casibus, sed in ordinariis. At quando animi adest periculum, præsumitur summus Pater velle, & Episcopus adhibeat medicamen. Cum hac limitatione Concilium exponit. An non Deus prohibet homicidium; quod tamen in necessariam permittit defensionem? Non audeo subscribere.

43. *Potest ne Pontifex summus in primo gradu lineæ rectæ inter affines dispensare. v. gr. vt socer possit ducere nurum, vitricus priuignam?*
Sanch. Præp. potest, auctore *Sanctio de Matr. tom. 2. lib. 7. d. 66. num. 7.* & *Præposito in addit. ad 3. part. quæst. 7. d. 11. num. 69.* quia hæc matrimonia non sunt naturali iure prohibita. Nónne Adonias filius Dauid petiit in vxorem Abisag Sunamitidem, quæ fuerat patris sui Dauid vxor? *3. Reg. 2.*
Hurt. Probat *Gaspar Hurtado de Matr. d. 20. diffic. 4. num. 13.* ratione, quia inter tales affines nulla superioritas reperitur, contra cuius reuerentiam sit matrimonij vsus; vnus enim non est principum naturale alterius.

44. *Potest ne Pontifex inter fratrem & sororem dispensare?*
Præp. Negat *Præpositus in addit. ad 3. part. quæst. 7. dub. 9. num. 73.* quia primus gradus cognatorum iure naturæ prohibitus. At

Hurtado

Hurtado de Matr. d.17. diffic.5. num.12. affirmat tale matri- Hurt.
monium iure naturæ validum esse, & Pontificem posse, concurrente iusta causa, dispensare. v. gr. si Rex Hispaniarum non posset pari coniugio colligari extraneæ nisi hæreticæ, aut suspectæ, vnde probabile periculum immineret vel perueretendi Regis, vel Regni inficiendi: tunc, inquam, Pontifex dispensare posset, vt sororem duceret, præcipuè si vterina non esset; quia nec frater est sorori superior, aut è contra. *Quid si aliquando Pontifex respondit, se non posse in gradibus prohibitis diuina lege dispensare? vt patet cap. litteras, de restitut. spoliat?* Exponendum significare, se non debere sine magna causa.

45. *Scio posse Episcopum dispensare in lege Pontificis ex iusta causa: rogo, an iusta causa censenda paupertas partium, si eam possit Episcopus suis redditibus subleuare dum certior sit Pontifex?* Negat *Vasquez 1.2. tom.2.d.187.cap.2.num.16.* quia ipse Epi- Vasq.
scopus tenetur pauperum necessitati subuenire. At *Salas de* Salas.
leg.d.20.sect.3. num.27. affirmat; quia Episcopus tenetur quidem ad victum pauperum, non autem ad absumendum reditus suos hisce in dispensationibus.

46. *An valida sit dispensatio inter consanguineos, vel affines, haud facta copulæ mentione?* Negatiuè respondet communiter Doctores; quia stilo curiæ exprimi debent. Ast *Gasp. Hurtado* Hurt.
de Matr.d.26.diffic.5. num.21. docet hanc dispensationem in conscientiæ foro valere; quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione: nec ex stylo curiæ, aut Doctorum consilio semper exprimitur: & quando exprimitur, non pertinet ad causam motiuam dispensationis abnegandæ, sed potius concedendæ.

47. In rescripto apponitur vnica causa, & illa est falsa: an vitietur rescriptum? Vitiatur (ait *Castro Palao tom.1. tract.3.* Pal.
d.6. part.16. §.3. num.1. quia totalis dispensandi causa corruit. *At si apponuntur plures partiales quarum singulæ non sufficerent & omnes simul sufficiunt?* Existente vna falsa, rescriptum vitiatur. *Quid si vera sit inter plures falsas vna sufficiens?* Non vitiatur.

48. *Petrus & Maria duplici impedimento alligantur, explicant autem vnum petituri circa aliud dispensationem seorsim: subripiunt ne dispensationem?* Subreptitia quidem est; quia Pontifex decipitur existimans hosce vnico tantum impedimento laborare. *Suarez de leg. lib.6. cap.24. num.6.* At Suar.
Saa v. dispensatio num.16. contrarium affirmat. Vnde si qui Saa.
sunt simul affines, & consanguinei, possunt petere consangui-

nitatis dispensationem, & postea affinitatis : & è contra. Ap-
Sanch. probat *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 8. d. 23. num. 1.*

49. *Vitiatúrne dispensatio cum errore in nomine personæ aut*
Sanch. *diœcesis?* Inualidam putat *Sanchez tom. 3. d. 21. num. 39.* quia tunc committitur v. gr. Episcopo Vallisoletano, qui non
Salas. potest cum non subdito dispensare. At *Salas tom. 20. sect. 16. num. 123.* validam existimat; quia constat Papæ intentionem esse, vt cum orante proprius dispenset Episcopus. Porrò accidentalè est Petrum, aut Antonium appellari, si error non est in personâ.

50. *Vitiatúrne, si aliquis error in curia scriptoris irrepat, v. gr. pro tertio gradu affinitatis, tertium consanguinitatis scribat?* Ne-
Laym. gat *Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 2. & 3. num. 26.*

51. *Pono dispensantem, ex falso nomine in rescripto apposito, intelligere personam determinatam sibi notam : vitiatúrne dispensatio?* Vitiatur, quia legislator intendit cum persona sibi no-
Amic. ta dispensare, & non cum alia. Ast *Amicus* oppositam sententiam probabilem existimat.

52. *Emisit Antonius votum Religionis, & dispensationem impetrauit, vt eo non obstante duceret vxorem : potest ne prima vxore mortua aliam ducere?*
Sanch. Affirmat *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 8. d. 31.* quia per dispensationem absolutè impedimentum voti est sublatum.

53. *Dispensatur Petrus ad contrahendum cum vna consanguinea, mutato proposito vult cum alia contrahere consanguinea : teneatúrne in petenda secunda dispensatione, prioris mentionem facere?*
Suar. *Suarius de leg. lib. 6. cap. 23. num. 20.* asserit. Negat autem
Sanch. *Sanchez d. 22. num. 13.* quia in vsu illarum dispensationum datur optio, vt impetrans vti possit qua velit.

54. *Cum subest causa dispensandi, debet ne Prælatus dispensare?*
Saa. *Saa* affirmat Prælatum peccare, si potens non dispensat, quando oportet.

55. *Sufficit ne ad dispensandum putare Superiorem causam rationabilem esse: an necesse est constare de causæ iustificatione?* Suf-
Saa. ficit putari causam rationabilem esse, vti *Saa* asserit ex Sylu.

56. *Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. præcipit non valere dispensationem Papæ vsque ad notitiam Ordinarij : de quanam dispensatione intelligendum?* De data in foro exteriori, vti cum
Saa. eodem *Saa* sentiendum puto.

57. *Extendenda ne potestas dispensandi?* Ita planè, quia fauorabilis. Vnde extenditur ad causam, in qua eadem ratio, aut maior est. Itaque qui potest in affinitate, poterit in publica honestate, si fortè cum data est facultas errore putaba-

tur

tur esse affinitatis impedimentum, cùm esset publicæ honestatis. Non autem ideò absolutè qui potest in maius, potest in minus, nisi in casu, vt dictum est, ex præsumpta concedentis voluntate; quod præsumi potest, cùm rationabile est. Qui autem potest legitimare natum ex adulterio, potest etiamsi sit semel ex incestu natus; in materia enim fauorabili veniunt mista sub simplici. Ex eodem *Saa.* Saa.

58. *Dat Prælatus licentiam ad id quod non potest sine dispensatione fieri: censetur ne dispensare?* Affirmat *Saa*; quia qui facit scienter id vbi est opus dispensatione, si potest, manifestè censetur dispensare. Saa.

59. *In quibusnam potest Episcopus dispensare?* In iis, in quibus homines sæpè indigent dispensatione, vt ieiuniis, festis, & eiusmodi à iure, seu lege Papæ prohibitis: item cum materia leuis reputatur.

60. *In dispensationibus assolet hæc particula, fortè, apponi: quámnam vim præ se fert?* Ex stylo Curiæ perinde est, ac si affirmaretur.

61. *Quónam modo intelligi debet dispensatio illegitimi?* Profectò si est ad Ordines, non intelligitur de sacris. Si est ad beneficium, non intelligitur de Curato. Et si ad Curatum, non ideo ad dignitatem. Quod si est ad beneficium prius dispensatus, & postea petit dispensationem super pluralitate, debet dicere se illegitimum. *Saa* author. Saa.

62. *Prælatus inferior bona fide dispensauit, putans causam esse iustam, quam non fuisse sufficientem postea constat: valida ne dispensatio?* Validam omnino *Sanchez* affirmat. Adiicit, si Prælatus inferior dispenset in lege Superioris non præcognita causa, quæ reuera est sufficiēs, & legitima, valere dispensationem in foro conscientiæ, donec reuocetur; vtentemque huiusmodi dispensatione, nec venialiter quidem peccare. Sanch.

63. *Quis voluntariè occidit Sacerdotem, & in petenda dispensatione ab irregularitate solùm dicit se hominem occidisse, est ne valida dispensatio?* Validam esse cum *Sanchez* assero.

64. *Est ne subreptitia dispensatio, quando tacetur aliquid, quod secundùm Curiæ stylum est necessariò declarandum? Sanchez* sentit subreptitiam esse, *Granadus* autem contrarium edocet. Adhæserim *Sanctio.*

65. *Data est dispensatio à Confessario habente potestatem solamente, sine vllis verbis: fuit ne valida?* Sentio cum *Turriano* validam fuisse, cum putauit tam ipse, quàm pœnitens, non esse necessarium verbis expressis fieri. Turr.

66. *Dispensatio ex literis pœnitentiariæ debet ne fieri in Confessione*

fessione Sacramentali? Debet, vt patet ex clausula nunc addi solita: *audita Confessione, non aliter, neque alio modo.* Ita Filliucius. *Num valeret, quamuis confessio esset inualida?* Suarius affirmat, modò id non oriretur ex defectu integritatis circa rem, de qua petitur dispensatio. Colligo Confessarium huiusmodi debere esse ab Ordinario approbatum saltem respectu petentis dispensationem; aliàs enim non potest eius confessionem audire.

EXAMEN XVII.

De Legibus circa materiam de priuilegio Bullæ Cruciatæ.

CAPVT PRIMVM.

De ijs, quibus frui datur Bullæ priuilegio.

1. *VR hæc Bulla Cruciata appellatur?* Quia indulta in ea concessa iis assimilantur, quæ concessa sunt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Christianis militibus, qui susceptо Crucis signo ad recuperandam sanctam terram, Christianique nominis hostes comminuendos proficiscebantur.

2. *Quei nam Cruciatæ priuilegia specialiter concedantur?* Hispaniarum Regnis: iis tamen fruuntur non solùm incolæ, sed etiam exteri, qui tempore concessionis in Hispaniis negotiandi causa, aut aliquid aliud gerendi versantur; etiam si postea ipsi quouis gentium proficiscerentur. Prohibet tamen Bullæ textus iis esum carnium, & lacticiniorum extra Hispaniam.

3. *Lucrantur ne indulta Bullæ Religiosi ab Ordinarij potestate exempti?* Lucrantur, imò possunt absque suorum Præsulum licentia opera iniuncta facere, quæ absque suæ obseruantiæ detrimento exequi valent, vt ieiunare, preces fundere, &c.

4. *Frui ne potest Papa huiusmodi à se concessis indultis?* Potest; quia ipse est caput Ecclesiæ, & ideo membrum principale illius fruitur totius corporis commodo.

5. *Prælati Regulares tenentur ne non impedire, vt subditi Bullam accipiant?* Sub mortali tenentur. Possunt tamen licentiam

centiam suam quoad talem, vel talem vsum iuxta constitutionum præscripta, aut Religionis priuilegia limitare.

6. *Bulla quam meretrix de turpi quæstu sumit, valida ne?* Ita planè; quia licèt turpiter sese gerat peccando non tamen turpiter pretium peccati acquirit.

7. *Quid si ex furto sumatur Bulla?* Non valet; quia hanc eleemosynam vult Pontifex ex bonis propriis erogari.

8. *Qui scit parentem, vel amicum solere quotannis Bullam pro se accipere, potest ne eius frui priuilegiis, antequam certior fiat de Bulla suo nomine accepta:* Potest; nec opus ad eum remitti Bullam, vt eius fruatur indultis.

9. *Quandiu Bulla durat?* A publicatione in publicationem. *Quid si post tempus anni elapsum, aliámque publicationem emissam, duobus aut tribus diebus velim Bullæ prælapsæ virtute frui?* Non repugnarim; parum etiam pro nihilo putatur.

enim

CAPVT II.

De priuilegio audiendi Sacrum tempore interdicti, & sepeliendi.

§. 1. *Priuilegium audiendi Sacrum.*

10. *VIrtute Bullæ possum interdicti tempore Sacrum exaudire: rogo, num diebus festis tenear hoc priuilegio vti?* Existimabam aliquando teneri ac si interdictum non adesset, quia cum possum debeo. At crescente Doctorum suffragio iam affirmo minimè teneri; quia non esset priuilegium, sed onus, si ex ipso indulto aliqua exurgeret grauatio.

11. *Priuilegium de interdicto extenditur ne ad cessationem à diuinis?* Minimè; est enim grauissimum Ecclesiæ flagellum, quod expressandum fuisset; vt posset extendi.

§. 2. *Priuilegium sepulturæ.*

12. *Potest qui Bullam accipit, sepulturæ Ecclesiasticæ cum moderata pompa beneficio frui: quidnam per moderatam exequiarum pompam intelligendum?* Dimidietatem solemnitatis solitæ exposuerim, iuxta personarum qualitatem, & statum. *Num circa omnia?* Circa omnia quidem, videlicet circa pulsanda cymbala, officium canendum, reliquum verò relinquitur Ordinarij arbitrio, si adfuerit. Ita in Bullis Pij IV. datis anno 1563. declaratur. Porrò circa comitatum ciuium nil limitandum censeo; nec enim facilè aut sanguinis, aut amicitiæ poterit quis affectum prohibere.

CAP.

CAPVT III.

De edendi carnes, ac lacticiniorum vsus priuilegio.

§. 2. *Priuilegium edendi carnes.*

13. *BVlla virtute possum carnibus vesci de medici vtriusque consilio: si id eodem Quadragesimæ tempore ius commune concedit, quódnam hoc Cruciatæ indultum?* Rodericus indecisam reliquit quæstionem, asserens alibi nil nouæ facultatis ibi concedi, sed tantùm ius commune explicari. Nil prorsus dat Cruciatæ. Ego autem cum *Sancio* assero virtute Bullæ concedi facultatem edendi carnes ex vtriusque medici licentia non solùm quando est causa manifesta, quod sine Bulla, imò sine licentia effici potest: nec solùm quando est dubia, ad quod licentia illa requiritur medici vtriusque, vel saltem corporalis: sed etiam quando solùm est sufficiens ad petendum dispensationem, non tamen ad edendas carnes sine illa.

§. 2. *Priuilegium vtendi lacticinijs.*

14. *Mittitur Iubilæum præscribens vt lucraturus Indulgentias tres dies ieiunet: possunt ne ex priuilegio Bullæ hac ieiunia cum lacticiniorum esu impleri?* Possunt; quia Iubilæum haud strictius ieiunium requirit, quàm est Quadragesimale, quod cum esu lacticiniorum impletur.

15. *Dispensatus ad esum carnium virtute Bullæ potest ne simul pisces edere?* Potest, vti in materia de ieiunio asseruì.

16. *Bullæ à lacticiniorum priuilegio excipit Regulares omnes, & Clericos seculares Presbyteros: num hi Dominicis Quadragesimæ possunt lacticiniis vti?* Ita planè; quia secundùm ius commune dies Dominici Quadragesimę non appellantur Quadragesimales. Addiderim consequenter non egere huiusmodi Sacerdotes, & Regulares Bullæ priuilegio, sicut non egent seculares ipsi, vt lacticiniis vtantur diebus Quatuor temporum, & Vigiliarum, qui quidem dies ieiunij Quadragesimales non sunt.

17. *Num Nouitij Religionum Bullam habentes possint lacticinijs vti?* Possunt vti seculares; quia Nouitij quoad Religionis onera Religiosi non censentur, sed quoad priuilegia.

CAP.

CAPVT IV.

De Indulgentiarum lucratione, operibúsque per Bullam iniunctis, ad eas consequendum.

18. *LEgisti apud Bullam Indulgentiarum catalogum; suspensionem item aliorum Indulgentiarum, aliorúmve priuilegiorum per Bullam factam durante illius tempore erga eos, qui illam non habent, vidisti quænam precor Indulgentiæ, quænámve priuilegia per Bullam suspenduntur, ita vt ij qui Bullam non habent, minimè fruantur?* Non omnes Indulgentiæ nec priuilegia omnia, sed eæ solæ Indulgentiæ,& ea priuilegia sola,quæ per hanc Bullam conceduntur, v.gr.similes Indulgentiæ plenariæ: similia priuilegia sepeliendi Ecclesiastica sepultura interdicti tempore & alia huiusmodi suspenduntur: vt soli ij qui Bullam habent, eis perfruantur. Nam clausulæ reuocatoriæ generales solùm comprehendunt priuilegia contra concessionis consecutioni, non verò alia, quæ impedimento tali concessioni non sunt.Et ideo siue similes indulgentiæ concedantur personis, siue domibus sacris, similia priuilegia suspenduntur per hanc Bullam, præter eas, quæ superiores Religionum mendicantium concedere possunt suis Religiosis tantummodo ex vi suorum priuilegiorum; nam quæ habent simul cum secularibus communia, id est, quibus tam ipsi, quàm seculares frui possunt etiam suspenduntur quoad regulares.

19. *Suspenditur ne per Cruciatam gratia, quæ alicui Altari solet adesse animam à Purgatorio liberandi Missæ Sacrificio?* Existimo proculdubio suspendi.

20. *Dicendum ne idem de priuilegiis in iure communi concessis?* Minimè; est enim ad suspendenda, vel reuocanda ea, quæ in iure communi continentur, necessum, vt fiat expressa mentio; id quod etiam de consuetudinibus vsu approbatis affirmo.v. gr.possunt Ordinibus minoribus initiati interdicti tempore Sacrum audire, & Diuinis Officiis adesse de iure communi: etiam sine Cruciata poterunt. Item Religionum Superiores ex iure communi habent potestatem literas fraternitatis conferendi, quibus fratres facti per eas frui possunt piis Religiosorum operibus: possunt eadem tempore Bullæ Cruciatæ dare cum effectu participationis. stante

21. *Tempo*

21. *Tempore Cruciatæ durante, Bulla Cœnæ expenditur reuocans, & derogans omni priuilegio: derogatur ne priuilegio Cruciatæ absolutionem à casibus in Bulla Cœnæ expressis obtinendi?* Minimè, ne Pontifex sibi contrarius esse videatur. Nec denique Cruciatæ vis per anni centesimi Iubileum suspenditur, vt latè probat *Henriquez.*

22. *Per Bullam ad lucrationem Indulgentiarum ieiunium indicitur eisdem diebus, quibus vel ex præcepto Ecclesiæ, vel ex voto teneor ieiunare: rogo, num satisfaciam vtrique obligationi?* Satisfacis; quia opus præcipitur à Bulla, vt satisfactorium est; opus verò ad quod teneor ex præcepto, aut voto, adhuc factum ex præcepto, vel voto est satisfactorium.

23. *Potest ne ieiunium in aliud opus, pium commutari?* Potest, & quidem à solo confessario electo, vel Parocho. Ita Bullæ expressus contextus.

24. *Quænam sufficiens ad huiusmodi commutationem?* Ea, & sola, quæ hominem talem à non ieiunando ex præcepto excusaret.

25. *Præscribit Bulla, vel Iubileum, vt tribus hebdomadæ diebus, feria scilicet quarta, sexta, & Sabbato ieiunetur, oratio fiat, & eleemosyna: satis ne, si hæc quibusvis hebdomadæ diebus fiant?* Satis planè. Ita à Gregorio XIII. Societatis nostræ Patribus declaratum.

26. *Quantitatē eleemosynæ assignatam pro Bullæ susceptione vides: qui bis in anno eleemosynam huiusmodi elargitus fuerit, lucrabitur ne bis indulgentias, & fruetur indultis?* Maximè; vti ex verbis Bullæ plumbeæ manifestè constat.

27. *Concedit Pontifex, vt qui inuerit quacumque eleemosyna aliquod pium opus, consequatur tot, vel tot indulgentias: satis ne diuiti teruntium in arculam immittere?* Communiter affirmant Doctores tantum quemque indulgentiarum lucrari, quantum in æqua Dei æstimatione eleemosynæ valent, cum hominis arbitratui à Pontifice relinquatur. Id quod abnego in Cruciata tenere. In ea etenim certa eleemosynæ quantitas præscribitur. Vnde priuilegiis, ac indulgentiis Bullæ æqualiter fruetur, qui assignatam eleemosynam erogauerit. Quod si de alia eleemosyna alij pio operi conferenda sermo sit, tantum proculdubio quis indulgentiarum lucrabitur, quantum eleemosynæ valere in Dei conspectu reperiuntur.

28. *Visitatio denique Ecclesiarum ad indulgentias Cruciatæ consequendas indicitur: quid precor, Ecclesiæ nomine intelligendum*

gendum est? Quoduis Sacellum Ordinarij erectum authoritate. *Num satis, quinque eiusdem Ecclesiæ altaria visitare?* Satis; quia Bulla disiunctiuè loquitur. Itaque Ecclesiæ visitentur, aut quinque eiusdem Ecclesiæ altaria. *Quid si vnicum adsit altare?* Probabiliter sufficiens, si vnicum quinquies visitandum adoriaris.

29. *Assignatur ab Episcopo ad Iubilæum certa Ecclesia visitanda: possunt ne Clerici aut Religiosi illius Ecclesiæ ibidem indulgentias lucrari?* Possunt.

30. *Præ multitudine populi Ecclesiam ingredi non valeo: sufficit ne à foris mente & reuerentia Ecclesiam salutare, & altaria inuisere?* Sufficit.

31. *Possum ne ad lucrandas indulgentias, ex vno loco quinque altaria, vel vnum si quinque non adsint, visitare?* Si quinque sint altaria, sufficit, si ex eodem loco visitentur. Si vnum solummodo, quinquies visitandum. Attamen probabile existimo non esse opus loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodo, qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinetur, in distinctæ visitationis signum.

32. *Possunt ne sæpius quinque altarium Indulgentiæ eodem die obtineri?* Probabile admodum iudico, & quotidie me eas lucrari, & toties quoties eadem die, & operi incumbo.

33. *Quanam sunt intentione Ecclesiæ, seu altaria quinque visitanda?* Pro lucranda Indulgentia. Hoc autem non tollit, quin minus principaliter adeam Ecclesiam seu altaria pro alio etiam negotio gerendo, cuius gratia eadem necessariò adirem.

34. *Ad lucrandas Bullæ Indulgentiaas, requiritur ne, vt Confessarius eas concedat?* Ad Indulgentias visitationis Ecclesiæ minimè; ad Indulgentiam plenariam semel in vita, & in mortis articulo rursum consequendam, Confessarij opus requiritur. Debet ille vti forma à Commissario exposita; quia si non vsus fuerit, verè adhuc impertit Indulgentias. Satis dicere: *Concedo tibi omnes gratias, quas concedere possum virtute huius Bullæ*; quando autem concedenda est pro mortis articulo Indulgentia, salubre consilium, non nisi quando pœnitens delinquere mortaliter nequeat, iuxta mortale iudicium, illam concedere; vt absque Purgatorij pœna valeat in cœlum auolare.

35. *Confiteor crimina, vt Indulgentias Bullæ adipiscar; Confessarius me ex malitia non absoluit, lucror ne Indulgentias?* Lucraris iuxta perspicuam Bullæ clausulam.

Cap.

CAPVT V.

De eligendo Confessario.

36. *DAt copiam Bulla idoneum eligendi Confessarium, & approbatum: rogo quinam talis censendus, vt priuilegio Bullæ eligi possit?* Qui vel Parochiale habet beneficium, curam scilicet animarum: vel qui ab ipso Episcopo fuit idoneus iudicatus. Non loquor de cura animarum, quæ Prælatis Religionum commissa est. Quare affirmo hos minimè à secularibus licèt domesticis posse eligi in Confessarios absque Ordinarij approbatione. Nec approbati censentur qui publicum gradum Theologicæ vel Canonicæ scientiæ suscepere, Doctores scilicet, & Licentiati.

37. *Repulsam quis idoneus malitia Episcopi passus est: poterit ne in Confessarium eligi?* Cum *Suario* respondeo negatiuè; quia Concilium hanc conditionalem apponit: *Nisi sit approbatus, non possit.* Et quisnam aliàs non proclamaret, sibi iniustè negatam approbationem. Vnde non approbo Nauarrum de Regularibus Mendicantibus contrarium iuxta priuilegia Constitutionum suarum affirmantem.

38. *Confessarius ne Vallisoletanus approbatus ab Ordinario illius Diœcesis potest virtute Cruciatæ eligi à Burgensis Metropolis pœnitente?* Congregatio Cardinalium resp. 1159. affirmatiuè respondet. Imò circa Regulares eligentes virtute Iubilæi confessarium idem declarauit, vt sit approbatus à suomet Episcopo.

39. *Quid si Confessarius secularis approbatus in vna Diœcesi, pergat in aliam?* Potest ibi eligi virtute Bullæ; quia Congregatio Cardinalium solam Episcopi Confessarij approbationem requirit.

40. *Affirmandum ne idem de Regularibus semel ab Ordinario approbatis?* Regularis approbatus in vna Diœcesi, haud censetur in omnibus approbatus, vt inibi absque noua Ordinarij approbatione audiat confessiones sine aliquo electus priuilegio. At virtute Cruciatæ eligi in Confessarium potest in Diœcesi, in qua vt hospes versatur; quia declaratio Cardinalium solam requirit Ordinarij Confessoris approbationem. Ordinarius verò Regularium quoad hunc effectum est ille, cuius Episcopatus sunt incolæ, licet alibi versentur vt hospites. Quod si mutet domicilium, egere noua approbatione aliqui affirmant. Sed non improbabiliter alij idoneum, &

& eligibilem fatentur eum, qui semel fuit approbatus, vt etiam mutato domicilio absque Cruciatæ virtute confessiones exaudiat.

41. *Approbatus sum, vt confessiones oppidi vnius audiam, non aliorum: obstat ne limitatio hæc approbationis, quominus non valeam à quouis totius diœcesis eligi?* Non obstat; quia huiusmodi minister est approbatus, quòd solùm Bulla requirit.

42. *Num Regulares possint sine licentia Prælatorum, virtute Bullæ eligere Confessarium?* Ad peccata mortalia non reseruata possunt. Scio ex vi Decreti Clementis VIII. posse eligi in Confessarium eum, qui ex approbatis, & deputatis à Superiore esset ad Regularium illorum confessiones audiendas. Sed quia decretum Clementis VIII. innouatum est à Sanctiss. D. N. Vrbano VIII. anno 1630. Iunij 19. Saltem dum viuit Vrbanus contrarium non est probabile, nec in praxi tutum. Vnde iuxta idem illud decretum non poterunt Regulares per Bullam Cruciatæ de reseruatis etiam à Confessario domus absolui, vel ab aliis à Superiore designatis, nisi expressè ei copiam ad reseruata crimina largiatur. Porrò id priuilegium concessum est Religionum Mendicantium Superioribus, nec per Bullam Cruciatam reuocatum. Circa Moniales extat Congregationis Cardinalium declaratio. Addiderim tamen, si alicuius Religionis Prælati nunquam huiusmodi reuocatoria priuilegia suis in Capitulis generalibus, aut Prouincialibus promulgarint (non habente vim lege reuocatoria Priuilegiorum ante sufficientem promulgationem) & scientes Religiosos virtute Cruciatæ absolui solitos, tacent, & ideo videntur consentire, probabile esse quoad praxim Religiosos, Monialésque posse Bullæ priuilegio confessarium ad reseruata eligere. Vnde eum, qui bona fide iuxta prædictam suppositionem priuilegio Bullæ vsus esset, non cogerem confessiones iterare: secus eos, qui promulgata à Superioribus reuocatione, miniméque assentientibus, imò repugnantibus, punientibus, adhuc frenetici passione, somniato priuilegiato Bullæ vti tentassent. Benè meus doctissimus Magister *Petrus Hurtad de Mendoza* hanc animi ad crimina proni opinionem esse dicebat, qui ad delinquendi facilitatem captandam rationes non rationes quotidie excogitat. Existimo equidem, nullum doctum posse contrariæ sententiæ hæresceré post doctissimum *Caramalis de Lugo* de hac materia tractatum.

43. *Quid de Nouitiis: Possunt ne virtute Bullæ Confessarium*

eligere ad absolutionem casus suo Prælato reseruati ? Possunt, & iuris communis vi idem valent ; quia solùm ad honores, ad onera minimè, Religiosi censentur.

44. *Requiritur, vt virtute Bullæ possit eligi Confessarius, non solùm qui approbatus sit, sed qui insuper sit idoneus : rogo, quidnam est idoneum eligi Confessarium ?* A Pio IV. idoneus censetur, Non suspensus, non irregularis, non excommunicatus, non interdictus, nec alio modo à suo impeditus Superiore. Attamen affirmo virtute Bullæ posse à te in Confessarium Parochum proprium, etiam si excommunicatus sit, eligi; quia parochianus petis, quod tuum, à Parocho quidem propriæ malitiæ reo. Quod si non sit Parochus, licet sponte sua quibuscunque audiendis exponatur, eligendus non est, nisi magna necessitate cogente.

45. *Quoties ex vi Bullæ potest pœnitens ab electo Confessario absolui ?* De grauioribus delictis, & censuris in Bulla specialiter expressis semel in vita, & semel in morte ; de aliis toties potest absolui, quoties Confessurus accedat.

46. *Quódnam Bullæ vi priuilegium in mortis articulo conceditur, Confessarium eligendi, si tunc nullum est reseruatum crimen, quod vel simplex Sacerdos non valeat absoluere ?* Etiam in articulo mortis, absolutè loquendo, seruandus est ordo dignitatis, dum necessitas ad aliud non cogit. Et ideo præsente eo, qui possit absoluere à reseruatis, non potest absoluere, qui tali caret potestate. Ex priuilegio autem Bullæ potest quilibet Confessarius approbatus à pœnitente electus etiam qui iuxta ius commune debebat, absoluere.

47. *Quinam est mortis articulus intelligendus ?* Aliud est, me authore, periculum mortis, aliud articulus. Periculum est euentus, in quo iustè timeri potest mortem euenturam, v.gr. periculosa nauigatio, prælium committendum. Articulus autem mortis est euentus, in quo quis iam naturaliter desperata salute est ad moriendum proximus, v.gr. qui maligna febre teneretur, aut lethali fauciaretur vulnere. Ex vi Bullæ tantùm potest in articulo mortis seu vero, seu præsumpto, absolutio conferri. Attamen quia confessioni gerendæ non est nouissima anxietas accommodata, minimè expectandum ad omnimodam salutis corporeæ desperationem, sed sufficit reputari probabile ægritudinem esse lethalem. Nec aliter mentem Pontificis reor interpretandam, qui pater ægroti saluti animi debet accuratè consulere, Confessione scilicet minimè ad illud prolata discrimen, quando non facilè debito cum pondere exeritur.

tanquam

47. *Consti*

48. *Constituitur quis in articulo mortis præsumpto: potest ne Confessarius Indulgentiam sub conditione impertiri, si verè diem tuum obieris, alioquin ad mortis instans tibi à Deo hæc Indulgentia reseruetur?* Potest, imò ita fieri iubet Cruciatæ commissarius.

CAPVT VI.

De Peccatis, aliisque, à quibus absoluere potest Confessarius per Cruciatam electus.

49. *AQueisnam peccatis Confessarius Bullæ virtute electus potest absoluere?* A queiscunque peccatis, & censuris: censuræ autem quatuor adnumerantur, excommunicatio, suspensio, irregularitas, interdictum.

50. *Quidnam obseruandum circa absolutionem ab excommunicatione?* Non tenet absolutio nisi satisfactione partis præmissa. Fit autem si vel rei debitæ (si res ipsa non potest) reddituræ qualitas, vel pignora exhibeantur, vel saltem iuret pœnitens se satisfacturum, cùm primum potuerit. Profectò vnica absolutio ligatum pluribus excommunicationis vinculis expedire potest similibus verbis: *Absoluo te ab omnibus, quibus detineris excommunicationibus.* Id quod necessariò præstandum intra ipsum pœnitentiæ Sacramentum, vti legenti Bullam patebit. Vnde non est exterioribus ceremoniis impertienda huiusmodi fori conscientiæ absolutio: nec ad forum exterius valere potest. *Potest ne Confessarius virtute Bullæ electus absoluere ligatum nominatim excommunicatione ab homine, quoad conscientiæ forum?* Minimè, nec per aliquod aliud priuilegium, nisi prius parti læsæ satisfaciat. *Pars læsa longè abest, iudex qui te excommunicauit nominatim, vult confessione præmissa te Indulgentias Bullæ lucrari, deponis apud fideiussorem fidelem rem debitam: poteris ne à peccatis, excommunicationéque absolui?* Potero; quia ea censenda iusta partis voluntas, quantum in se est præstante debitore. Imò si centum deberem aureos, impotens soluere, ab excommunicatione possem liberari faciens quod in me est. *Quid si postmodum potens effectus nolles parti læsæ satisfacere: In eandem ne reincideres excommunicationem?* Minimè, non enim est Confessario potestas ad reincidentiam, cum taliter absoluere circa excommunicandum sit iurisdictionis actus.

51. *Circa absolutionem à suspensione requiro, num malitiosè ordinatus Presbyter sciens se esse minorem vigesimo quinto anno inchoato, virtute Cruciatæ in foro interiori possit absolui?* Potest; quia huiusmodi censura fuit culpabiliter contracta; de censuris autem culpabiliter contractis valet Bullæ virtute Confessarius electus absoluere. *Potest ne absolutus illico celebrare?* Si peruenit iam ad ætatem legitimam, potest; si non peruenit, non potest; manétque, si celebret, irregularis: quia electus Confessarius potest priuilegio Bullæ tollere suspensionem, non tamen in legitima ætate dispensare.

52. *Circa absolutionem ab irregularitate inquiram, quanam irregularitas appellanda censura?* Ea sola, quæ oritur ex delicto, & ab ea sola potest Confessarius virtute Bullæ electus absoluere. Excipe irregularitatem, quæ ab homicidio voluntario siue iusto, siue iniusto exoritur, à qua Bullæ virtute, licet ex delicto exoriatur, nullus potest absolui.

53. *Circa interdictum quaram, quidnam priuilegij Pontifex illa concedat in clausula?* Vt Confessor electus possit virtute Bullæ interdictum nominatim ab homine (quem non poterat absoluere nisi iudex qui illum interdixerat, vel alius iudex illo Superior in eiusdem fori iurisdictione) ab interdicti censura absoluere, satisfacta prius parte læsa. Potest præterea absoluere à quouis alio interdicto posito à iure, quouis modo Sedi Apostolicæ reseruato. Vnde pœnitens possit & Sacramenta suscipere, & Ecclesiasticæ sepulturæ mandari.

54. *Quidnam de absolutione à cessatione à Diuinis dicendum?* Non dat ad hoc Bulla potestatem; quia cessatio à diuinis censura non est.

55. *Potest ne virtute Bullæ Cruciatæ dari ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ expressis absolutio?* Potest.

56. *Denique circa Ecclesiasticam sepulturam interdictis concessam repentè mortuis virtute Bullæ Cruciatæ, rogo, quisnam interdictis hæc facultas concedatur?* Iis profectò, qui in articulo mortis signa contritionis exhibuere, & minimè erant excommunicati.

57. *Prohibet Bulla excommunicatos mortuos repentè, aut sine confessione propter defectum Confessarij cum solis signis contritionis sepultura Ecclesiastica tradi: quónam modo huiusmodi prohibitio intelligenda?* Non debent humari sacro in loco, nisi prius ab excommunicatione absoluantur. Quoniam secúdum ius commune excommunicatus mortuus cum signis contritionis sine absolutione ab excommunicatione, potest

ab

ab ea post mortem absolui ab eo, qui habet iurisdictionem. Post absolutionem autem cadauer donandum Ecclesiæ sepulturæ exhumatum è loco profano; seu à loco sacro, si inibi iacet, non extrahendum. Satísque tunc virgis terram (corpus minimè) cædere.

CAPVT VII.

De votorum commutatione.

58. *Quænam vota possunt virtute Bullæ commutari?* Omnia præter tria, castitatis scilicet, Religionis, & Transmarina. *Possuntne commutari vota Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia petendi: quæ Papæ assolent reseruari?* Possunt; quia vbi textus non excipit, nec debemus excipere.

59. *Quódnam votum Castitatis non valet Confessarius commutare?* Castitatis perpetuæ, & absolutæ. Nam si quis vouit castitatem ad tempus, vel circa vnam rem veneream, & non alia ad eandem materiam pertinentia. v.gr. circa tactus impudicos, seu pollutionem, &c. Non censetur absolutè castitatem vouisse; vnde tale votum potest virtute Bullæ commutari; quia non est Papæ reseruatum. Ad eandem classem refero votum non nubendi, vel suscipiendi Ordinem Sacrum; quia tales non vouerunt aliam perfectionem, quàm ei statui adhærere, in quo decens castitatem seruare.

60. *Mihi hanc pœnam statuo: si tale crimen perpetrauero, voueo me Iesuitarum Ordinem ingressurum: potest ne Confessarius virtute Bullæ hoc votum pœnale Religionis commutare?* Probabile reputo cum *Henriquez* posse; quia vota pœnalia non sunt in fauorem, & amorem Religionis emissa, sed quodammodo in criminis detestationem, & mœrorem quasi rem gustui contrariam. Tale autem votum Pontifex sibi non reseruat, sed quæ ab amoris & gaudij stimulis ducant exortum.

61. *Comprehendit ne exceptio Bullæ etiam votum ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis?* Ita planè; quia est vera Religio voto solemni castitatis astricta matrimonium ratum dirimente.

62. *Quidnam intelligitur sub nomine vltra mare?* Votum ineundi Hierosolymæ peregrinationem.

63. *Potest ne Confessarius virtute Bullæ iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare?* Potest; quia huiusmodi iuramenta facta Deo, sunt vota iurata.

64. *Voueo post Bullam susceptam, potest ne hoc votum virtute Bullæ commutari?* Potest proculdubio, sicut absolui, qui post publicatum Iubilæum delinquit.

65. *Voueo item me nunquam commutationem meorum votorum petiturum: potest ne electus Confessarius, hoc non obstante, mea vota commutare?* Potest planè: sed tunc illa vota commutanda in melius.

66. *Num vota extra Sacramentum Confessionis commutari valeant?* Minimè; nam Bullæ textus circa hoc manifestè disponit.

67. *Sub potestate commutandi vota intelligitur ne dispensandi potestas?* Non; quia maior ad dispensandum, quàm ad commutandum potestas requiritur.

CAPVT VIII.

De Commissarij Bullæ Cruciatæ potestate.

68. *COmmissario Bullæ potestas dispensandi in irregularitate addicitur: rogo in quanam irregularitate dispenset?* In irregularitate procedente ex delicto occulto tum quoad forum interius, tum quoad exterius extra confessionem: Confessarius verò non potest nisi quò ad forum Confessionis. Excipio tamen quatuor irregularitates, in quibus Confessarius dispensare non potest: ortam scilicet ex homicidio voluntario, in qua solus Papa dispensat: ortam ex Simonia reali, & perfecta: ortam ex hæresi, seu apostasia fidei quamuis occultissima: illam denique, quam incurrunt malè ad Sacros Ordines promoti, si celebrent, qui quidem à die suscepti Ordinis suspensi sunt.

69. *Quonam in gradu affinitatis potest Commissarius dispensare?* In primo & secundo affinitatis ortæ ex fornicatione, in foro tantùm interno conscientiæ, non quidem vt publicè fiat cum ritu nuptiali iuxta ordinem à Tridentino præscriptum: sed vt factum cum tali impedimento, & ideo nullum, ratum sit Commissarij dispensatione, & maneat verum. Tunc haud necessum, testes adesse, & Parochum, sed satis nouus vtriusque coniugis consensus occultè inter se declaratus.

70. *Quid si post occultam Commissarij dispensationem detegatur illud impedimentum?* Pro foro quidem externo recurrendum ad Papam. Non quod coram Deo matrimonium

nium sit nullum, sed quod externo in foro nullum sit iudicandum.

71. *Quænam Bullæ conditiones requirit, vt Commissarius possit super hoc dispensare?* Tres equidem. Prima est, vt ambo contrahentes (aut saltem vnus) bona fide contraxerint. Secunda, vt antea ignorans, certus modò sit talis impedimenti. Tertia, vt ex dissolutione matrimonij sequatur scandalum.

72. *Potest ne Commissarius dispensare in affinitate exorta ex copula fornicaria cum suæ vxoris consanguinea, vel è contra cum consanguineo sui mariti ad petendum debitum, quod petere non poterat?* Ita planè.

73. *Quid plura?* Potest etiam cum paucis,& debitis personis dispensare ad Sacrum faciendum vna hora ante auroram, & post meridiem.

74. *Potest ne in irregularitate orta ex delicto publico dispensare?* Potest in ea scilicet,quam contrahit, v.g. excommunicatus, suspensus, aut interdictus celebrando publicè, aut interdictum violando. Ita plumbea Bulla.

CAPVT IX.

Praxis circa materiam de Bulla Cruciatæ ex Societatis IESV *Doctoribus.*

75. *AN necessarium, suscipientem Bullam nomen in illa scribat?* Negatiuè respondet *Henriquez lib.7. c.20. num.5.* Item Bullam ab amico meo nomine inscriptam acceptam possum non acceptatam pro me alteri applicare mutato nomine. Non tamen qui semel applicuit vni, applicare postea alteri. §. 1. *De susceptione Bullæ.* Henriq.

76. *Scio, patrem, amicum, aut propinquum singulis annis pro me Bullam sumere, possum ne ea vti antequam certior fiam?* Respondet *Henriquez apud Villalobos tom. 1. trac.27. claus.12. num.25.* affirmatiuè; quia sufficit certitudo moralis. Henriq.

77. *Bulla ad annum concessa, durat ne anno transacto?* Respondet *Henriquez lib.7. cap.20. num.2.* annum Cruciatæ ab vna publicatione in aliam more Ecclesiastico esse computandum, ita vt, si transacto anno à prima publicatione, adhuc secunda Bulla non publicetur, prima interim valeat. §. 2. *De duratione Bullæ.* Henr.

78. *Publicatur Bulla, sumenda ne prima die post publi-*
Henriq. *cationem?* Docet *Henriquez lib. 2. cap. 19. num. 2. gloss. lit. O.* in magna ciuitate non teneri te nouam Bullam prima publicationis die suscipere, sed posse virtute præcedentis priuilegiis vti, & nouam intra tres dies, aut hebdomadam sumere.

§. 3. *De Confessario eligendo per Bullam.*

79. *Confessarius ne approbatus in vna Diœcesi potest virtute Bullæ eligi in alia?* Potest; quia cum Bulla solum requirat approbationem Ordinarij, nec exprimat cuius: nomine Ordinarij intelligi potest Episcopus originis, domicilij, beneficij tam Confessarij, quàm pœnitentis. *Coninch de Sacr. d. 8. dub. 7. num. 53.* Scio *Laymanum lib. 5. tract. 6. cap. 11. n. 8.*
Conin. contrarium asseruisse.

80. *Approbatus est Confessarius tantum ad viros: eligi ne potest à fœminis?* Potest, quia absolutè approbatus est ab Ordinario, nec illa limitatio ad viros tantum fuit apposita ex
Fagund. scientiæ defectu, sed ætatis. *Fagund. tract. 2. lib. 7. c. 2. n. 45.*

81. *Approbatur quis pro vno oppido ex defectu scientiæ, v. g. pro villa, quia ad conscientias ciuitatis ineptus: vel cum limitatione ad facilia negotia, non ad mercatores, &c. potest ne*
Fern. *eligi in ciuitate, aut ab eo qui negotia difficilia gerit? Fernandez p. 3. cap. 9. §. 8. num. 6.* absolutè asseruit. At probabilius abnego; quia limitatio illa ex scientiæ defectu apposita est. An ignorantia laborans Confessarius poterit difficilia mercatorum extricare negotia?

82. *Potest ne per Bullam eligi Parochus vbicumque reperiatur, absque Episcopi approbatione?* Potest; quia per Tridentinum absolutè approbatur, nec exprimitur, quod ab hoc,
Regin. vel illo Episcopo reputetur idoneus. *Reginaldus tom. 1. lib. 1. c. 16. §. 3. n. 189.*

83. *Potest ne eligi Prælatus Regularis non approbatus?*
Henriq. Asserunt multi apud *Henriquez lib. 6. c. 6. num. 2. in gloss. lit. E.* quia nomine beneficij Parochialis omnes comprehendi videntur, quibus ratione dignitatis vel officij cura animarum addita est: v. gr. Prouinciales, Priores, Generales, Rectores, Guardiani, Abbates &c. Ideo enim Concilium admittit Parochos, quia illis commissa est animarum cura. Addo Regulares Prælatores plerúmque literis ac moribus pleríque secularibus habentibus beneficia curata probatiores.

§. 4. *De absolutione à reseruatus virtute Bullæ.*

84. *Secundum Bullæ priuilegium est, absolui posse à reseruatis, à Papalibus quidem semel in vita, & semel in morte; à reseruatis autem Episcopo toties: rogo an casus Papales occulti toties quoties per Bullam valeant absolui?* Negauit

Henriquez

Henriquez lib.6.cap.4.num.7. At *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.*4. Henriq.
*cap.*54.*n.*2. asseruit; quia casus Papales cum sunt occulti fa- Sanch.
cti sunt Episcopales per Tridentinum.

85. *Per Bullam dixisti omnes casus Bullæ Cœnæ absolui posse, hæresi excepta: an nomine hæresis veniant omnes casus in primo canone dictæ Bullæ expositi?* Asserit *Sanchez* solam hæ- Sanch.
resim formalem intelligendam.

86. *Possunt ne absolui virtute Bullæ casus reseruati post eius susceptionem commissi?* Possunt; quia Bullæ verba sunt generalia, & non debent restringi. *Sanchez sum.tom.*1.*lib.*4. Sanch.
*c.*53.*n.*26.

87. *Quid de peccatis perpetratis obspem absolutionis è Bulla?* Possunt absolui; quia vbi lex non distinguit nos distinguere, præsertim in gratiosis. *Filliucius tom.*1. *tract.* 8. *cap.*10. Filliuc.
*num.*262.

88. *Quis in Confessione virtute Bullæ facta, peccata reseruata obliuiscitur, ab illis absoluitur indirectè: rogo an debeat, si periit Bullæ tempus, memor oblitorum criminum, legitimo superiori confiteri?* Porrò *Vasquez in* 3.*part.tom* 4.*quæst.* 91. Vasq.
*art.*3.*dubit.*5. requirit, Confessarium cognitionem habere reseruatorum, aut saltem intentionem auferendi quamcumque reseruationem. At *Coninch de Sacr.d.*8. *dub.*12. *num.*98. Conin.
asseruit huiusmodi pœnitentem liberum ab onere reseruationis remanere.

§. 6.
De absolutione censurarum.

89. *Datur in articulo mortis virtute Bullæ absolutio à censuris: relinquit ne onus comparendi, si conualescat ægrotus?* Minimè; quia sine Bulla potest talis absolutio exhiberi, & tamen certum est Bullam pro illo articulo aliquod circa censuras priuilegium donare. *Hurtado de Mendoza* 2.2.*tom.*1. *d.*84.*sect.*3.§.135. *rum.* Hurt.

90. *Potest ne absolui excommunicatus nominatim, publicus Clerici percussor, vel ille, cuius excommunicatio deducta sit ad forum contentiosum, lite non finita?* Negat *Auila de cens.part.*2.*cap.*7.*dict.*3.*dub.*10. *cont.*1. sed *Sanch.sum.*2.*lib.*6. Auila. Sanch.
*c.*17.*n.*49. affirmat.

91. An possit absolui quis ab excommunicatione ob intromissionem fœminæ in virorum Monasteria, siue ob ingressum viri in Monialium claustra, seu suspensio à diuinis ob causam prædictam, nempe intromissionis fœminæ in Monasteria Regularium? Asserit *Sanch. summ.* Sanch.
*tom.*1. *lib.*6.*cap.*17. *num.*41. non solùm semel, sed toties quoties, etiam si causa ad forum contentiosum fuerit deducta.

92. *An absolui possit excommunicatus à Clemente VIII. ob duelli delictum?* Potest (ait *Hurtado de Mendoza citat.*) quia Bulla Cruciatæ non reuocatur, nisi per expressam derogationem, quæ quidem non habetur in illo Clementis proprio motu. Hurt.

93. *Absolui ne possit excommunicatus ex Bulla Sixti V. lata contra causantes, vel procurantes abortum?* Potest, quia in Bulla Cruciata datur facultas absoluendi omnes censuras Papales præter hæresim. *Prohibuit expressè Sixtus.* Non obstat, quia non potuit successorum Pontificum potestatem coarctare. *Henriquez lib. 6. cap. 10. gloss. lit. E.* Henriq.

94. *Dubius quis est, an aliquam censuram incurrerit: potest ne ad cautelam absolui?* Potest ex *Coninch.* sententia *de sac. d. 14. dub. 16. n. 200.* Conin.

95. *Absolui ne potest quis per Bullam ab aliqua irregularitate?* Negat *Henriquez lib. 14. cap. 17. gloss. lit. L.* quia non est censura. Alij autem probabiliter affirmant ab irregularitate ex delicto proueniente absolui posse; quia hæc vera pœna, & censura. Henriq.

96. *Potest ne dari absolutio à censuris per Bullam extra Confessionem, v.g. si reus deberet statim absolui, & ad Confessionem paratus non esset?* Negat *Vasquez in 3. p. tom. 4. tract. de excomm. dub. 20. num. 9.* At asserit *Auila de cens. p. 2. c. 7.* adnotans Commissarium Bullæ ita declarasse. Vasq. Auila.

97. *Potest ne quis in vtroque foro absolui ab excommunicatione à iure, & ab homine?* Si à iure sit excommunicatio, potest in foro vtroque, si ab homine, solum in interno: quia Bulla asserit absolutionem non cadere super censuras latas ab homine in foro exteriori: ex quo colligitur cadere in hoc foro super latas à iure. Clericum ergo Presbyter percutiens absolutus per Bullam potest publice celebrare: nec potest puniri, si schedulam absolutionis ostendat. Porrò absolutus in foro interno ob excommmunicationem ab homine debet se in publico tanquam excommunicatus gerere. *Auila citat. dub. 12.* Porrò *Suarius de cens. d. 7. sect. 5. num. 20.* vtramque censuram absolui posse per Cruciatam pro exteriori foro: quia Bulla generaliter loquitur. Addit *Henriquez lib. 8. c. 60. n. 40 g ossl. lit. I.* posse iudicem talem absolutionem pro exteriori foro acceptare. Auil. Suar. Henriq.

98. *Ad censuræ absolutionem per Bullam satisfactionem partis præmitti debere, si censura exigit, scio: rogo tamen, an si Confessarius, omissa satisfactione partis, quempiam absolueret, ab excommunicatione liber remaneret?* Ita quidem, sed cum onere

onere satisfactionis; quia Pontifex in illis verbis : *Prius satisfacta parte*, non intendit potestatem Confessarij limitare : sed illum de sua obligatione iuxta ius commune admonere. *Sanchez de Matr. tom. 2. lib. 3. d. 33. n. 3.* Porrò *Henriquez lib. 7. c. 13. n. 2.* contrarium asseruit. Sanch. Henriq.

99. *Quidnam, precor, satisfactionis nomine intelligendum est?* Famæ, vel bonorum temporalium restitutio. *Suarius in 3. part. tom. 5. d. 7. sect. 5. num. 47.* *Quid autem nomine partis intelligendam?* Persona qui iniuria facta est, non Iudex, cui applicanda esset pœna pecuniaria. *Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 1.* Suar. Henriq.

100. *Pono personam offensam publicam esse. v.gr. Religiosum: satisfaciendum ne communitati, aut conuentui?* Respondet *Auila cap. 7. d. 3. dub. 11.* negatiuè; quia damnum illud tangit principaliter Monachum, & minus principaliter bonum communitatis. Auila.

101. *Non potest excommunicatus satisfacere parti: potest ne per Bullam absolui?* Potest; quia non est verisimile, Papam conditionem impossibilem requirere. *Coninch de Sacram. d. 14. dub. 16. num. 206.* Addit *Sanchez sum. tom. 1. lib. 2. c. 20. num. 19.* etiamsi caueretur, ne quis extra mortis articulum possit absolui, non satisfacta parte: posita impotentia absolui posse extra mortis articulum. Conin. Sanch.

102. *Dixisti, per Bullam commutari posse omnia vota praeter vota castitatis, Religionis, ac Peregrinationis vltramarinæ: rogo, quænam peregrinatio vltra marina?* Ea, quæ fit in Ieroſolymam, quæ vltra nostrum mare est collocata. Colligo vota peregrinationis Romam, & Compostellam, quæ alioqui sunt reseruata, posse per Bullam commutari. *Fernandez part. 3. cap. 9. sect. 2. §. 17. num. 7.* igitur commutari possunt per Bullam omnia vota, quæ commutare, & dispensare potest Episcopus : idem de iuramentis asseruero; quæ inquam dispenſare potest Episcopus, vt Episcopus ex ordinaria potestate: non quæ dispensare potest ex consuetudine, vel vt Sedis Apostolicæ delegatus. v.gr. Episcopus cum eo, qui post votum castitatis contraxit dispensat ad petendum debitum, ex consuetudine quidem, non de ordinaria potestate : & ideo non potest virtute Bullæ dispensari. *Sanchez summ. tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 20.* §. 7. *De Commutatione votorum.* Fern. Sanch.

103. *An vota quæ dixisti Episcopum dispensare posse vt Episcopum, possint per Bullam dispensari?* Dixi posse commutari, non dispensari; quia solum in Bulla commutandi potestas impenditur, at dispensandi potestas ma-

ior

Fern. ior obiicitur, vnde in illa non comprehenditur. *Fernandez p.3.c.9.sect.2. §.17.num.6.*

104. *Potest ne commutari votum pœnale, quoad pœnam pecuniariam?* Negat *Azorius part.1.lib.11. cap.18. quæs.11.* Azor. Ast ex aliorum sententia probabiliter potest affirmari; quia pœna illa tantum debetur ex vi voti, quod per Bullam commutatur.

105. *Potest ne commutari votum in fauorem tertij emissum, v.gr. votum de eleemosyna alicui eroganda?* Potest, si tale votum non sit à tali persona, vel Ecclesiæ Præposito acceptatum; quia præcisa acceptatione, nullum ius acquisiuit ille, in cuius fauorem fuit emissum. *Sanchez in sum. tom.1. lib.3.cap.41. n.9.* Sanch.

106. *In quænam opera sunt vota commutanda?* Partim in eleemosynam ad belli subsidium, partim in aliarum virtutum opera. *Sanchez citat.c.54.n.58.* Sanch.

107. *Quid si à paupere sit votum emissum?* Putat Sanchez ibid. deberi in exiguam eleemosynam suæ exigentiæ conformem commutari. *Suarius* autem *de Religios. tom.2. libr.6. cap.19. numer.18.* totaliter ~~posse~~ in opera aliarum virtutum docet posse commutari; quia quamuis intentio Pontificis in Bulla sit de subsidio temporali, potest tamen in fauorem pauperum interpretari probabili epiikeia. Suar.

108. *Debet ne fieri hæc commutatio in bonum æquale?* Potest in minus; quia in bonum æquale simplicis Confessarij auctoritate commutari poterant vota: ergo aliquid Bullæ priuilegio dandum. *Lessius lib.4. cap.40. dubitat.16. num.19.* Lessius.

109. *Requiritur ne iusta causa ad votorum commutationem?* Non; quia Pontifex concedit indultum in belli subsidium, tanquam propter causam finalem vnicam. *Suarius de Relig. tom.2.lib.6.c.19.n.10.* Suar.

110. *Delinqueret ne Confessarius, qui nollet* ~~nequiret~~ *sine iusta causa, vota commutare?* Ita planè, quia est Iudex delegatus per Bullam, vt illius indultum impendat pœnitenti, ad quod ius habet. *Sanchez vbi supr. n.12.* Sanch.

111. *Commutat Confessarius votum virtute Bullæ: potest ne suspendere assignationem nouæ materiæ, post annum illius Bullæ assignaturus?* Potest, & vouens interim ad nihil tenetur; quia obligatio prioris voti per illam commutationem assignandam suspensa est. *Lessius lib.2. cap.40. dubitat.16. num.109.* Less.

112. *Bullæ*

§. 8. De indulgentiarum lucratione.

112. *Bulla Cruciatæ virtute fidelibus indulgentia conceduntur: quænam illa, & quonammodo earum lucrationi studendum?* Concedit Bulla indulgentiam plenariam (vt vidimus) semel in vita, & semel in morte, hæc quidem quando applicatur, apponenda conditio: *Si obieris.* Potest applicari etiam sensibus destituto, imò absenti, si v.g. Parochus postquam extremam vnctionem contulit ægroto, oblitus est ei hanc indulgentiam applicare, & instante morte, non potest moribundum adire. Potest applicari indulgentia per verba absolutionis Sacramentalis: *Absoluo te.* Si Sacerdos non adest, potest Clericus vel laicus verbis à Commissario appositis absoluere, concedit etiam Bulla stationum indulgentias, de quo inferius.

113. *Confessionem Bulla requirit ad lucrandam indulgentiam: requiritur ne num sit conscientia mortalis?* Ad venialia solummodo, probabiliter non requiritur; quia Ecclesia solum de mortalibus assolet præcipere Confessionem. *Potest exigi à Bulla vt opus iniunctum.* Non exigitur; quia non dicit, *Præmissa*, aut *facta Confessione.* Imò (*Coninch* autore *de sacr. d.* 12. *dub.* 7. *n.* 38.) etiamsi hoc diceret Bulla, de mortalibus esset intelligendum: Sic *Suarius in* 3. *p. tom.* 4. *d.* 52. *sect.* 3.

114. *Peccatis quis mortalibus illigatur: rogo, num necessaria sit præsens Confessio?* Porrò *Filliucius tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 6. *q.* 8. *n.* 148. sufficere Confessionem Quadragesimæ præteritæ cum præsenti contritione, & proposito confitendi in futura; quia contritus secundum ius confessus dicitur.

115. *Suppono necessariam esse præsentem Confessionem ad indulgentiarum virtute Bullæ lucrationem ex aliorum sententia: rogo, si aperio peccata lucrandarum indulgentiarum intentione, & me ex malitia Confessarius non absolueret, lucrarer ne Bullæ indulgentias?* Affirmatiuè respondet *Antonius Fernandez de Cordoua p.* 3. *c.* 9. §. 19. *n.* 3. quia Bulla indicit Confessionem pœnitentis, non Confessarij absolutionem. Fern.

§. 9. De laticiniorum, & carnis licentia. Less.

116. *Ex Bullæ priuilegio conceditur (vt dixisti) facultas de licentia medici vtriusque edendi in Quadragesima carnes: quænam sit huiusmodi licentia, si ex vtriusque medici facultate possit quilibet carnibus vesci sine Bullæ indultu?* Putat *Lessius lib.* 4. *cap.* 2. *dubitat.* 6. *numer.* 45. quando causa est dubia, Bullæ indultu licere carnis vsum, qui sine Bulla saltem leui piaculo afficeretur. Alij probabilius asseruêre Bullæ indultum valere, vt cum causa non est sufficiens ad carnes edendas, sed solum ad petendam dispensationem.

sationem. v. gr. si timeretur aliquale detrimentum ex abstinentia carnium promanaturum, quod tamen si existeret, non tolleret obligationem de non edendis carnibus, cum leges positiuæ obligent cum aliquali labore. Subscribo huic Sanctij *Sanctij sel. disp. 51. num. 9.* expositioni, potius quàm Lessij causæ dubiæ; quia quando causa est dubia, potest quisuis carnibus sine Bulla vesci.

Sanct.

117. *Bullæ indultu possunt in Regnis Hispaniæ commorantes vti ouis, & lacticiniis in Quadragesimalibus diebus: rogo, si incolæ Hispaniarum, extra Regna nostra proficiscantur, breui reuersuri, possunt Bullæ indultu potiri?* Affirmatiuè respondeo ex *Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 3. d. 18. num. 7.* doctrina asserentis Mediolanensem transeuntem per oppidum, vbi viget ius commune, breui reuersurus in patriam posse vesci carnibus quatuor primis diebus Quadragesimæ, quod est priuilegium locale Mediolani; quia breui reuersurus non dicitur abesse.

Sanch.

118. *Suppono, lacticinia prohibita esse, vsumque ouorum in ieiuniis Iubilæi, & vigiliarum, (quod superius negasti:) rogo, an ea ieiunia impleri possint edendo per Bullam lacticinia, & ouа?* Possunt planè ex sententia *Sanchez summ. tom. 1. lib. 4. c. 11. num. 49.* quia si Iubilæi, & vigiliarum ieiunia Quadragesimalia appellas, Bullæ indultum cuncta Quadragesimalia ieiunia complectitur.

Sanch.

119. *Possunt ne Regulares, & seculares Presbyteri vti ouis, ac lacticiniis Dominicis Quadragesimæ?* Alij negant, alij probabiliter affirmant; quia in iure communi dies Dominici non appellantur dies Quadragesimales.

§. 10. *De aliis Bullæ priuilegiis.*

120. *Potest ne Bullæ priuilegio eligi Sacerdos, à quo extra Pascha Sacram Communionem, & Extremam Vnctionem accipias? Suarius* negat *in 3. part. tom. 3. d. 72. sect. 4.* sed *Vasquez in 3. part. tom. 3. d. 219. cap. 5. num. 47.* affirmat, Bullæ verba circa hoc indultum adducens.

Suar. Vasq.

121. *Potest ne quis in die Paschatis in priuato oratorio communicare virtute Bullæ?* Potest; quia Pontifex in illa clausula, *excepto die Paschatis*, solummodo Communionem Paschalem excipit, quæ ad implendum præceptum geritur. Vnde qui præceptum impleuit, v. gr. die Iouis, aut Dominica *Quasi modo* implere intendit, potest in die Paschatis in priuato Oratorio Eucharistiam accipere. *Suarius in 3. part. quæst. 82. art. 3. d. 72.*

Suar.

122. *Quid tempore interdicti?* Habens Bullam, potest vnà cum familia Sacrum audire, vel celebrare tempore interdicti in

in Ecclesia, vel Oratorio priuato; nisi interdictum per ipsum inceperit, aut perseueret. *Tenetúrne audire ?* Minimè, quia priuilegium est, & nemo tenetur eo vti; aliàs non esset priuilegium, sed onus. *Auila de cens. part. 5. d. 4. sect. 2. dub. 6.* Auila.

123. *Quinam autem nomine familiæ intelliguntur ?* Consanguinei vtriusque lineæ, at domestici, qui quidem possunt sacro, domino absente, interesse. Profecto Oratorium ab Episcopo approbandum. At sufficit licentia iustè petita, & non obtenta; quia censetur Papa concedere.

§. 11. *De Bullæ varia.*

124. *Potest ne quis extra Regna Hispaniæ vti priuilegiis Bullæ in Hispania susceptæ ?* Qui sumit Bullam in Castellano Regno, v. gr. & postmodum Romam petierit, potest sibi Confessarium eligere, & cum illo à reseruatis absolui, &c. Excipiendum priuilegium edendi carnes, & lacticinia; quia hoc tantum commorantibus in Regnis Hispaniæ conceditur.

125. *Possunt ne ampliari Bullæ priuilegia ?* Negauit *Sanchez de Matr. lib. 8. cap. 16. num. 3.* sed *Suarius de Rel. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 2.* asseruit; quia sunt fauorabilia, in Principis beneficium sine alicuius præiudicio; sunt opus Clementiæ, & opus liberalitatis ad vtilitatem publicam ordinata.

126. *Suspenditur ne Cruciata per Bullam Cœnæ, vel per anni Sancti Iubilæum ?* Negatiuè respondeo cum *Salas*; quia priuilegia Cruciatæ per modum contractus conceduntur; quæ autem sic non censentur à Pontifice reuocari. Salas.

127. *Bulla ne seculari fideli assignata potest Sacerdoti conferre priuilegium circa lacticiniorum vsum in ieiunio Quadragesimæ ?* Potest Presbyter virtute Bullæ communis lacticiniis vesci postquam ad annum septuagesimum accesserit, ex *Fernandez de Corduba.* Fernãd.

128. *Confessarius Regularis ab Episcopo approbatus, sed à suo Prælato prohibitus, est ne eligibilis per Bullam ?* Assero cum *Salas* eligibilem esse, nisi alios habeat defectus; quia habet potestatem Ordinis, & iurisdictionis. Nec peccabit mortaliter sic absoluens, nisi ex vi suarum constitutionum ad peccatum mortale obligaretur. Salas.

129. *Quis virtute Bullæ electo Confessario fictè peccata reseruata confitetur, ita vt eius confessio sit irrita: rogo num postea possit à quocunque confessario ab illis absolutionem obtinere, licet virtute Bullæ non eligatur ? Comitolus* ait posse; quia iam censetur reseruatio sublata. Vnde qui Superiori de reseruatis fictè confitetur, potest à quocunque Confessario postmodum absolui rursum ritè proferendo eadem crimina. Comit.

130. *Dixisti*

130. *Dixisti per Cruciatam esse dispensabilem omnem irregularitatem ex delicto prouenientem: est ne hæc sententia probabilis, & in praxi secura?* Suar. Salas. *Suarij* venia affirmatiuè cum *Salas* & aliis respondendum puto.

131. *Vouet quis castitatem circa pollutionem v.gr. idem votum iuramento obfirmat: potest ne votum firmatum iuramento Bullæ virtute commutari?* Suar. Posse supra respondi. Rationem nunc ex *Suario* adiicio, quia licet votum & iuramentum sint duo vincula specie diuersa, tamen moraliter, & in ordine ad Deum, & ad virtutem Religionis quasi vnum vinculum censentur.

132. *Requiritur ne aliqua iusta causa, vt per priuilegium Bullæ possint vota commutari?* Suar. Non requiri docet *Suarius*; quia hoc priuilegium confertur cum onere dandi eleemosynam in belli contra infideles subsidium.

133. *Peccaret ne Confessarius, qui sine iusta causa nollet virtute Bullæ vota pœnitentis commutare?* Sanch. Henriq. Ita quidem, vti *Sanchez* affirmat; esset enim infidelis dispensator, quippe qui debet vti priuilegio sibi in fauorem pœnitentis concesso. Adiicio tamen ex *Henriquez* Religiosos non peccare, si nolint virtute suorum priuilegiorum commutare vota; quia non obstringuntur vti priuilegiis. Sic ille. Ego autem aptius respondere existimarim, quia priuilegium Regularium in ipsorum gratiam indultum est, priuilegium autem Bullæ in gratiam pœnitentis.

134. *Adstrictus quis voto castitatis transit ad nuptias: potest ne Confessarius virtute Bullæ tale votum commutare, vt possit petere debitum?* Sanch. Ex *Sanchez* doctrina non posse assero. Potest quidem Episcopus iure speciali, & vi consuetudinis, commutare huiusmodi votum; quod quidem non relaxat simpliciter, sed solùm ex parte, nempe ad petendum debitum; ideóque mortuo coniuge, obligatio voti reuiuiscit.

135. *Commutato voto in aliquam materiam, post ne ipsa materia in aliam commutari?* Sanch. Potest ex *Sanchez*. Admoueiim tamen in æqualem commutandam, ne sæpè in aliam atque aliam, commutato voto ad materiæ paruitatem deueniatur.

136. *Quod de votis assertum, est ne de iuramentis intelligendum?* Fern. Affirmat *Anton. Fern. de Cordoua*, modo sine tertij iniuria fiant.

137. *Vouet quis solo fine vtendi Cruciatæ priuilegio, potest ne votum illud commutari?* Sanch. Posse docet *Sanchez*. Non sic compositionis Bulla valet ei, qui ex prætextu priuilegij compositio

positionis furatur, aut non recitat: quia expressè ipsa præcauetur in Bulla.

138. *Votum pœnale posse commutari dixisti: est ne idem de conditionali dicendum?* Maximè; imò etiam conditione impleta; solum enim votum absolutum reseruationi addictum est. Sic *Sanchez.* Sanch.

139. *Potest ne electus Confessarius impertiri virtute Bullæ à censuris absolutionem, aut commutare vota non annuente pœnitente?* Minimè (vti *Suarius* affirmat) quia illud priuilegium non est Confessarij, sed pœnitentis. Suar.

140. *Votum castitatis, seu Religionis quis emisit cum intentione obligandi se tantùm sub peccato veniali: erit ne votum illud per Bullam commutabile?* Affirmatiuè respondeo cum *Suario*, etiamsi emissum fuerit cum intentione se obligandi, vt solus Papa possit commutare; quia tale votum non est ex reseruatis Papæ. Suar.

141. *Dixisti votum Religionis Melitensis non esse commutabile priuilegio Bullæ: rogo, num Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ possit? Sanchez* posse asserit; quia sub opinione est, an votum huiusmodi sit reseruatum. Sanch.

142. *Vouet qui sub alterius potestate est, Religionem, vel castitatem: potest tale votum commutari per Bullam?* Gutierez affirmat; quia si pater, dominus, aut maritus possunt illa vota irritare, poterit Confessarius Bullæ vi, imò Episcopus commutare. Attamen contrarium cum *Suarez*, *Sanchez*, & aliis asserendum puto, nec vrgere paritatem. Suar. Sanch.

143. *Num commutari possit votum ingrediendi in Religionem artiorem in votum ingrediendi in laxiorem?* Potest; erogata tamen eleemosyna in belli subsidium. Ita *Sanchez.* Sanch.

144. *Expendas quæso, num sint commutabilia vota non petendi debitum, non nubendi, virginitatis, non fornicandi, castitatis coniugalis?* Votum non petendi debitum docet *Sanchez* esse commutabile; quia non est votum integræ castitatis. Idem asserit de voto non nubendi, nisi tale votum fuisset emissum in fauorem alterius coniugis id petentis propter filiorum bonum, vel similem causam. Item affirmat de virginitatis voto, quando constat non esse votum castitatis, sed solius integritatis corporis seruandæ, quæ consistit in abstinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas amittatur. Si tamen qui vouet dubius est de sua intentione, non potest vti beneficio Bullæ; quia tale votum censetur votum castitatis absolutum. Porrò de voto non fornicandi, aut non committendi crimen mollitiei, commutari posse *Lessius* asserit; Sanch. Less.

asserit; quia non sunt perfectæ castitatis vota. De castitate
Sanch. denique coniugali idem *Sanchez* affirmat.

145. *Vouet quis disiunctiuè castitatem, vel sacros Ordines; cuius quidem voti altera pars reseruata est; potest ne qui vouit*
Suar. *eligere eam partem, quam potest Confessarius per Bullam com-*
Sanch. *mutare? Suarius & Sanctius* posse asserunt, etiam si hæc pars per accidens alicui facta esset impossibilis ita vt iam non posset implere, nisi partem, quæ est reseruata.

146. *Alter coniugum votum castitatis emisit post matrimonium consummatum sine mutuo consensu: potest ne virtute Cruciatæ commutari?* Potest, neque enim est omnimodæ castitatis, cum alteri petenti debitum reddere teneatur. Illo tamen matrimonio soluto, qui ita vouit, tenetur seruare votum simplicis castitatis, nisi à Pontifice summo dispensationem ob-
Sanch. tineat. Ita *Sanchez*.

147. *Scio votum castitatis emissum cum licentia alterius coniugis absque animo ingrediendi Religionem per Bullam esse commutabile: rogo si vterque communi consensu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, potest ne illud votum virtute Bullæ commutari?* Non potest; quia sic vouentes sese ad votum absolutæ castitatis obligant. *Quid si postea sibi mutuo illam renunciationem iuris petendi remitterent & conferrent iterum suorum corporum potestatem?* Quamuis id sacrilegè contra votum efficerent, facerent tamen validè, &
Sanch. iterum reddere tenerentur, & per consequens vt debitè petatur, posset votum per Bullam commutari. *Sanchez* sic.

148. *Vouit quis Religionem tempore assignato: potest ne commutari per Bullam vt tempore præscripto ex iusta causa non impleatur?* Potest, dummodo non ita differatur, vt sit periculum, ne non possit impleri; quia hæc commutatio non attingit substantiam voti; sed tantùm temporis circunstantiam. Do-
Sanch. cet *Sanchez*.

149. *Vouit quis mendicando sacrum Sepulchrum adire: potest ne Confessarius commutare per Bullam, vt sine mendicatione pergat?*
Less. *Lessius* posse asserit; quia mendicatio tantùm est qualitas substantiæ voti adiuncta.

150. *Voueo me votum emissurum castitatis perpetuæ, aut Religionis: rogo sit ne huiusmodi votum commutabile virtute*
Suar. *Cruciatæ.* Est equidem; quia (vti *Suarius* ait) non est votum castitatis, nec Religionis.

151. *Iurauit quis se nunquam in posterum alea lusurum aut si ludat, se certam pecuniam pauperibus daturum, lusit ille: rogo num vi Bullæ possit dispensationem obtinere etiam quoad*

pœnam

pœnam pecuniariam ex iuramenti violatione incursam? Potest ex *Sanchez* doctrina; quia pœna illa non debetur nisi ex vi iuramenti; vnde facultas concessa ad iuramentum commutandum, extenditur etiam ad pœnam. Sanch.

152. *Ad commutandum votum in bonum æquale indiget Confessarius Bullæ priuilegio?* Respondeo cum *Lessio* non indigere, si quidem ex *Henriquez* id possit pœnitens vel propria authoritate. Sed quoad Henrici placitum non hæreo secutus probabilius commune asserentium Confessarij requiri authoritatem ad voti in æquale bonum commutationem. Less. Henriq.

153. *Scio ad commutanda vota etiam in bonum æquale extra casus Bullæ, vel Iubilæi opus, esse aliqua causa: rogo num causa requiratur ad commutationem ex vi Bullæ?* Sufficit, petere petentem. *Sanchez* sic. Sanch.

154. *Fieri ne potest commutatio votorum per Cruciatam extra Sacramentalem confessionem?* Sanchez affirmat, sicuti per Iubilæum, aut Regularium priuilegium.

EXAMEN XVIII.

Circa materiam Bullæ Compositionis.

CAPVT PRIMVM.

Queisnam in casibus fieri valeat per Bullam Compositio?

1. *EXpendi Bullam scio, cuius virtute incerta, & certa quædam debita componuntur. Rogo, quantum debitum per Bullam componatur?* Centum millia terunciorum Bullæ beneficio componi valent, ita tamen vt duo millia per vnamquamque Bullam remittantur. Quod si maiori debito quis pergrauetur, debet ad Bullæ Commissarium recurrere. Itaque quinquaginta Bullas potest quilibet debitor assumere.

2. *Generaliter loquendo queisnam in casibus possum vti beneficio Bullæ?* Potest componi de quacumque re illicitè tibi comparata.

3. *An debet aliqua adesse conditio?* Duæ profectò conditiones obseruandæ sunt. Prima, vt ignoretur creditor, cui legi-

timè possit, & debeat fieri restitutio. Secunda, vt debitor non contraxerit debita illa sub prætextu, aut spe Bullæ Compositionis. Hoc enim in casu beneficio Bullæ destitutus integram quantitatem Sanctæ Cruciatæ debebit reddere in bellorum subsidium.

4. *In particulari recensens res, de quibus possumus per Bullam componi.* In primis de iis, quæ malè sunt partæ ex vsura. 2. De fructibus Beneficiorum, & Ecclesiasticorum prouentuum malè partorum ex Officij Canonici omissione, modò exhibeat Ecclesiæ fabricæ duas dragmas, præter alias duas, quas Cruciatæ impertitus est; fabricæ inquam Ecclesiæ illius, vnde Beneficium exoritur. 3. De medietate legatorum, quæ facta fuerint in solutionem rerum malè acquisitarum, dummodo hæ personæ queis legata huiusmodi facta sunt, per vnius anni terminum fuerint negligentes circa legati acquisitionem, licet certò sciatur, quinam huiusmodi legatarij sint. 4. De legatis olim factis, aut eo tempore, quo Bulla publicatur, quorum legatarij non apparent post adhibitam diligentiam. 5. De pecunia malè acquisita à iudice Ordinario aut delegato ob iniustæ sententiæ prolationem, modò damnum speciale partis læsæ aliàs reparetur. 6. De eo quod Aduocatus accepit, vti iniusta in causa patrocinium exhiberet, modò læsæ parti fiat satis. 7. De re malè acquisita à falso teste, aut accusatore, aut ab eo cuius instigatione facta sit accusatio, modò parti læsæ satisfaciant. 8. De iis, quæ Tabelliones, aut Notarij malè acquisierunt, ob munus iniustè exercitatum, modò parti satisfiat. 9. De acquisitis à iudicibus Ecclesiasticis aut secularibus ob exhibitum munus, quod debebant. 10. De iis, quæ Tabelliones aut Notarij acceperunt vltra Officij præscriptionem, modò ignoretur creditor, cui facienda erat restitutio. 11. De iis, quæ quis acceperit, vt roget iustitiam prætermitti à Magistratu, seu iudice, aut vinctus iniustè è carcere dimittatur, modò parti læsæ satisfiat. 12. De re quam quis acceperit fingens se quod non est, aut se pauperem simulans. 13. De rebus inuentis post sufficientem domini inquisitionem. 14. De iis, quæ apud se quis detinet, quorum dominus, post diligentiam adhibitam ignoratur. 15. De læsionibus vinearum, hortorum, &c. Factis quidem seu venatione, seu grege, dummodo hæreditatum dominus ignoretur. 16. De iis, quæ ob delictum turpe mulieres non quidem meretrices publicæ, acceperint. 17. De quacumque

cumque re malè parta ob iniquam ponderationem, & mensuram.

CAPVT II.

De nonnullis expositionibus, aut resolutionibus ex præfata doctrina.

5. *QVid si creditor certus sit, sed tamen ita distans, vt debitum ei remitti vix possit?* Debitum id reputatur incertum, & potest componi.

6. *An post exhibitam pecuniam assignatam, scilicet duplicem regalem argenteum, ad Bullæ acquisitionem, remaneant omnino debitores ab obligatione debiti expediti?* Ita planè; quia quemadmodum de bonis inuentis post præmissam sufficientem diligentiam ad inueniendum dominum potest Rex disponere Fisco regali addicens in Reipublicæ vtilitatem: ita ex bonis incertis iustè aut iniustè acquisitis restitutioni quidem obnoxiis potest Summus Præsul disponere Cruciatæ addicens, reputans bonorum Ecclesiæ dispensator fore vt domini, si possent, ratum se habere, significarent.

7. *Post factam compositionem virtute Bullæ incerti debiti certus creditor apparet: est ne valida compositio?* Quidquid pauperibus, aut piis locis exhibitum fuit, aut sibi bona fide applicarunt, aut virtute Bullæ composuere, non tenetur restituere. Ad materiam restitutionis recurre.

8. *Possunt ne exteri vi Bullæ componi?* Possunt si ad Hispaniæ Regna accesserint, licet post compositionem, aut assumptionem Bullæ ad propria mox recurrant.

9. *Rogo, num compositio fructuum, quibus quis fruitur, ob debitas Canonicas horas, aut paruum Officium Deiparæ ob pensionem, locum habeat in quotidianis distributionibus Cathedralis aut Collegiatæ Ecclesiæ malè partis ob residentiæ defectum?* Minimè; quia huiusmodi distributiones præsentes diuiduntur; vnde in creditoris certi læsionem haud est locus compositioni. Quod si institeris parem adesse in Horarum Canonicarum compositione rationem, siquidem certus dominus adest, id est Ecclesia, cui facienda restitutio: respondeo id quod iniustè acquiritur ob Horarum Canonicarum omissionem reddendum esse aut Ecclesiæ, aut pauperibus. Ex eo capite, quod possit pauperibus quæsdam exhiberi, inter

quasi incertum debitum reputatur : ex eo autem iure aliquali quidem quod specialiter posset habere beneficij Ecclesia; iam Pontifex absolutus bonorum Ecclesiæ dispensator imperat duos reguläs Ecclesiæ beneficij applicari præter alios duos, quos Cruciatæ debitor exhibuit.

10. *Quinam residentiæ Chori defectus grauis habeatur?* Suarius asserit à mortali liberari qui vnico die abfuerit, vltra quem grauis alter dies defectus reputandus. Nimis, tanti viri venia, acris sententia à nobis modificanda est. Asseuerim ex grauium Doctorum placito tres dies esse materiæ paruitatem, vltra quos vnus materiam grauem constituet, reo culpæ mortalis transgressore, cum obligatione restitutionis.

11. *Potest ne componi qui absque Canonico titulo aut accipit, aut retinet beneficium?* Potest quidem, quoad fructuum restitutionem; non tamen vt absque titulo beneficium retinere præsumat.

12. *Quid de excommunicato, aut suspenso?* Potest componi de fructibus, quos dum excommunicatus residentiam omisit, percepit. Profectò componi non possunt qui culpabiliter ab Ecclesiis recedunt, fructuum quidem prædones, quos restituere tenentur.

13. *Quid sibi vult, componi quem supra legatorum medietatem?* Mihi pauperi centum aurei legati sunt à Petro in restitutionem eorum q̃, malè acquisierat; Antonius hæres Petri mihi soluturus est huiusmodi legatum. Ego quidem per vnius anni interstitium centum aureos ab Antonio non petij, Potest Antonius Bullæ beneficio componi super debiti medietate quinquaginta aureos retinendo, post Bullarum eleemosynam exhibitam, dummodo alios quinquaginta aureos mihi impendat creditori. Admonuero ad Commissarium recurrendum, si legatum centum millia territorium excedat. terúnciorum.

14. *Quonámmodo intelligendum sit iudicem, aut alios iustitiæ ministros componi posse de iis, quæ ob sententias, aut actiones iniustas iudiciales acquisierunt, si quidem huiusmodi iniuriæ nullam habeant restituendi obligationem?* Ex iustitia quidem non tenentur parti restituere, at pauperibus ex plurium sententia tenentur, quorum opinioni adhærens Commissarius, huiusmodi ex Bulla compositionem offert. *Quid si pars illud exhibuerit inuita ad vexationis redemptionem?* Haud compositioni locus; quia dominium non fuit iudicibus, aut Ministris translatum, creditórque certus adesse videtur.

15. Quo

15. *Quonammodo denique sit intelligendum, mulieres, quæ publicè non meretricantur, posse componi de ijs, quæ turpiter acquisierunt?* Quæ publica est meretrix restituere minimè tenetur quod ob turpitudinem acquisiuit; imò potest petere, & qui promisit, reddere tenetur *Saa* authore ex D. Thoma id referente. Profectò quæ occultè operam dant iniquitati licèt solutæ sint, & corporis libertate fruantur, haud possunt, ex plurium Doctorum placito acceptum in turpitudinis pretium retinere. Igitur huiusmodi meretrices occultæ possunt vi Bullæ componi, quando certus dominus non adest. Id quod à fortiori de nuptis, quæ quidem corporis dominium non habent, dicendum est. Denique admonuerim à Commissario Bullæ generali facultatem exhiberi, vt prudens Confessarius circa aliarum rerum compositionem possit arbitrari.

TRACTATVS SECVNDVS

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS.

Peccata.

Vbi materiæ de Peccatis in communi, de ſeptem Peccatis capitalibus, & vniuerſis moralibus delictis, quæ in particulari à cunctis Fidelibus commiti aſſolent, enodantur.

SEQVOR doctrinam Suarij, Vaſquez, Toleti, Laymani, Filliucij, Ferdinandi de Caſtro Palao, Saa, Gaſparis Hurtado, Baldelli, Gordonij, Meratij, Lugo, Tanneri, & Præpoſiti.

EXA

EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Peccatis in genere.

CAPVT PRIMVM.

De Originali Peccato.

1. *Quid peccatum Originale, quod in ipsa origine, seu conceptione contrahitur?* Est priuatio iustitiæ, & sanctitatis, quæ singulis hominibus debuit inesse ex pacto Dei cum Protoplasto. Hinc fit Originale peccatum mortem animæ esse, cuius vita gratia, & sanctitas est. Vnde patet peccatum Originale concupiscentiam non esse; quia peccatum Originale tollitur per Baptismum, concupiscentia autem post Baptismum permanet. Dicitur autem concupiscentia peccatum à Paulo, quia est radix, & causa peccati.

2. *Num Originali peccato vera ineſt ratio peccati*; Inest; quia voluntarium est, non quidem voluntate propria, sed aliena, quatenus posterorum voluntas in voluntate Adami continebatur, cum quo Deus pactum iniit, vt si vetitum fructum absumeret, iustitiam in posteros non transmitteret.

3. *Contrahunt ne omnes seu fidelium seu infidelium filij peccatum Originale?* Contrahunt, nisi quis speciali priuilegio eximatur, vt Deipara.

4. *Si quis à Deo crearetur, aut ex humana carne decerperetur absque seminali propagatione, contraheret ne Originale peccatum?* Non; quia cuncti peccatum Originale ex peccato Adami per seminalem generationem contrahimus. Hinc Christus (præscindendo, quia Dei filius, & quia vt homo speciali priuilegio si opus fuisset donatus esset) peccati Originalis fuit expers; quia per lineam virilem, & seminalem generationem non traxit originem ex Adamo.

5. *Quanam sunt pœna addicti pueri, qui cum solo Originali peccato decedunt?* Subeunt pœnam damni; nec enim beatifica Dei visione frui possunt iræ filij, & Dei inimici. Pœna autem sensus torquendi non sunt, quæ quidem soli actuali crimini præparatur.

Caput II.

De Peccato actuali, & habituali.

§. 1. *Actuale peccatum.*

6. *Quidnam Actuale peccatum?* Sic à priori definio: Est priuatio debitæ rectitudinis. A posteriori autem sic: dictum est, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Siue: Auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Itaque in omni peccato duo inesse asserо, materiale, & formale. Materiale est ipse actus, v. gr. actus detractionis: formale autem est priuatio bonitatis, aut rectitudinis, quæ illi actui debetur. Qui enim loqui curat de factis alienis, absque famæ læsione loqui tenetur.

§. 2. *Habituale peccatum.*

7. *Peccatum Habituale quid?* Est quædam labes, seu macula ex peccato actuali relicta. Quam quidem maculam in duobus consistere asserо, primò in malitia actus præteriti moraliter perseuerante per modum habitus; vel in extrinseca denominatione ab actu præterito nondum per pœnitentiam retractato, vnde homo peccator denominatur. Secundò in priuatione gratiæ habitualis, quæ est nitor animæ, & pulchritudo.

Caput III.

De requisitis ad Peccatum, vbi de eiusdem malitia.

8. *Quidnam ad Peccatum mortale requiritur?* Plena, & expressa aduertentia malitiæ, aut saltem dubium expressum. Nisi enim quis aduertat opus, quod gerit, esse malum, vel mali periculum adnexum habere; aut nisi formaliter dubitet, censetur inuincibili inaduertentia laborare, quæ non minus excusat à peccato, quàm inuincibilis ignorantia; quia vbi non est aduertentia, ibi non adest voluntarium, v.g. sic excusatur à crimine, qui in die ieiunij carnes comedit, nihil cogitans de ieiunio. Item requiritur consensus saltem virtualis; quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium.

9. *Dubitat quis, an habuerit consensum sufficientem ad lethale delictum?* Has regulas præscribo. Si homo sic se dignoscat affectum, vt nollet peccatum committere, si maximè posset: vtplurimum iudicandum est, consensum sufficientem ad

ad peccatum mortale non adfuisse. Si dubitans conscientiæ est adeo timoratæ, vt peccatis dissentire soleat, vt plurimum iudicandum, plenam aduertentiam, & consensum non exhibuisse, licet aliqua in repellendis tentationibus negligentia laborarit. Cùm autem quis dubitat, an aliquod fecerit, seu voluerit somno correptus, an in vigilia? haud leue indicium est, plenam aduertentiam, & consensum minimè adfuisse.

10. *Datur in individuo vllus deliberatus actus, qui sit indifferens?* Minimè, sed quemlibet bonum, aut malum esse sentio. Dantur tamen aliqui actus, qui secundùm speciem nec boni sint, nec mali, v. g. actus comedendi, &c. Huiusmodi actus nec sunt boni ex obiecto, neque prohibiti, sed indifferentes.

11. *Malitia peccati ac iniuria infiniti Dei, quæ reperitur in peccato, est ne intrinsecè infinita?* Non; quia tanta est malitia peccati, & iniuria Dei, quanta est bonitas actui debita; sed bonitas debita actui non est infinita; ergo neque malitia, nec Dei offensa. Iniuria quidem Deo irrogata grauior est, quàm iniuria hominibus facta, non tamen infinita; alioquin etiam iniuria, quæ Deo per peccatum veniale irrogatur, infinita esset.

Caput IV.

De Peccato Mortali, & Veniali.

§. 1. *Mortale, & veniale peccatum.*

12. *Quid peccatum Mortale, & Veniale?* Mortale est, quod amicitiam cum Deo dissoluit, & peccatorem reum æternæ pœnæ constituit. Veniale autem neque Deo hominem reddit inimicum, nec æterno dignum supplicio; sed solummodo temporalia pœna dignum, cùm facilè veniam adipiscatur.

13. *Quotuplex Veniale peccatum?* Triplex. Primò dicitur veniale ex suo genere, quod ex sua natura & obiecto, circa quod versatur, est leue, vt verbum otiosum, mendacium iocosum. Secundò, dicitur Veniale ex imperfectione deliberationis, & aduertentiæ vt percussio ex subita ira. Tertiò, dicitur Veniale ex paruitate, seu leuitate materiæ, vt furtum pomorum, aut nummorum in quantitate parua.

14. *Datur ne paruitas materiæ in re qualibet.* Minimè. In materia enim Simoniæ, Odij Dei, iuramenti falsi, &

Rei

rei venereæ materia leuis excusans à mortali non assignatur.

15. *An multa venialia per se & formaliter loquendo vnum mortale efficiant?* Non; quia peccata venialia innumera non priuant hominem gratia Dei. Fateor tum, qui per leuia furta ad quantitatem peruenit grauem, mortaliter delinquere; sed non quod plura furta venialia vnum mortale efficiant, sed quia vltimus furandi actus circa materiam versatur, quæ continuata cum præcedentibus ad peccatum mortale sufficiat. Vbi adnoto, ~~quod~~ quoties materia vltimi peccati venialis potest cum præcedentium materia continuari, vltimum, in quo grauis materia completur, mortale esse, quod alioqui venialem non excederet. Quando verò materia vltimi peccati venialis non potest cum materia præcedentium moraliter continuari, vltimum non esse mortale affirmo, quia singulæ materiæ sunt paruæ, & absque morali illigatione disiunctæ remanent.

16. *Num peccatum veniale possit mortale fieri?* Potest, vel ratione finis moraliter mali; v.gr. si mulier suo ornatu aliquem ad concupiscentiam alliceret. Vel ratione plenæ aduertentiæ, cuius defectu graue quodcunque venialis limites non transiliebat. Vel ratione contemptus, aut inobedientiæ. Vel ratione proximi periculi incidendi in lethale. Vel ratione conscientiæ erroneæ. Vel ratione scandali grauis actiui. Vel per additionem materiæ.

§. 2. *Mortale peccatum.*

17. *Quonammodo Mortale peccatum dignoscam?* Primò considerando materiam ipsius, vt pote necessariam, ad seruandam Dei, ac proximi charitatem. Deinde legis obligationem, & materiæ grauitate posita, considerandæ est actus deliberatio: an interuenerit plenus rationis vsus, nec ne. Tertiò, perpendenda, quæ ex genere suo mortalia sunt. Quæ enim contra Theologicas virtutes, contra Iustitiam, Religionem, Temperantiam præcipuè in materia venerea sunt, mortalia ex genere recense.

18. *Num mortale ex genere suo possit veniale reddi?* Potest quidem, tum leuitate materiæ, tum deliberationis plenæ defectu. Non ita veniale ex genere in mortale transmutatur.

19. *Vndenam peccatum mortale, aut veniale aggrauatur?* Hæ circunstantiæ peccatum aggrauant. Maior affectus, vel conatus ad peccatum. Maior scientia, & cognitio criminis. Conditio personæ peccantis, vel in quam, seu cum qua peccatur. Maius damnũ quod infertur. Peior finis, qui à delinquente intenditur, Scandalum adiunctum, Locus, tempus, modus.

CAPVT V.

De Peccatorum numero dignoscendo.

20. *Quonammodo peccatorum numerum dignosces?* 1. Non sunt tot numero peccata, quot sunt obiecta circa quæ vnus & idem actus eodem tempore versatur; quia plura obiecta eiusdem rationis vicem vnius gerunt. Quare detrahens, v. gr. de pluribus vno actu, vnius tantùm peccati detractionis est reus. 2. Tot sunt numero peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, quando idem nec moraliter, nec formaliter perseuerat. v. gr. actus odij, quod Petrus heri commisit, distinctum odium est ab eo, quod hodie fouet. At qui proficiscitur ad furandum, vel occidendum, & in via voluntatem furandi, aut occidendi sæpiùs repetit, non dicitur plura peccata committere; quia eiusmodi actus interrupti non censentur. 3. Peccata specie distinguuntur per ordinem ad diuersas specie perfectiones, queis priuant; quia priuato specificatur à forma cuius priuatio est. Non distinguuntur autem per ordinem ad diuersa præcepta, quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur ex eodem motiuo; alioquin desiderium rei alienæ & furtum rei alienæ essent peccata specie diuersa: cum alterum septimo, alterum decimo præcepto prohibeatur. Porrò si peccata prohibita sint pluribus præceptis ex diuersis motiuis, specie distinguuntur; quia diuersis opponuntur virtutibus, & perfectionibus. v. gr. Sacerdos in actum venereum consentiens duo peccata committit; actus enim venereus prohibitus est Sacerdoti diuersis præceptis ex diuerso motiuo conditis, scilicet ex motiuo castitatis, & ex motiuo Religionis, ad quam spectat votum, quod per actum venereum violatur. At qui eo die Quadragesimæ, in quem quatuor tempora incidunt, non ieiunat, duplici delicto non illigatur; quia duo illa præcepta ex eodem motiuo Temperantiæ ieiunium indicunt.

21. *Num duplex peccatum perpetret, qui violat id quod cautum ex duplici præcepto ex eodem motiuo, sed vno præcepto simplici, altero verò adiunctam excommunicationem habente?* Non; quia excommunicatio per se loquendo, nouam specie malitiam peccato non adiicit.

CAP.

Caput VI.

De Peccato Commissionis, & Omissionis.

22. *Quidnam peccatum Commissionis & Omissionis?* Peccatum Commissionis actus est qui contra præceptum negatiuum fit: Omissionis autem est priuatio actus contra præceptum affirmatiuum. *Affirmatiuum, & negatiuum præceptum expende in definitionis intelligentiam.* Affirmatiuum est, quod operationem aliquam præcipit, v.gr. festa coles, ieiunabis, &c. Negatiuum autem, quod cessationem ab opere indicit, v.gr. non occides, non mœchaberis, &c.

23. *Differt ne peccatum Commissionis à peccato Omissionis specie, secundùm rationem materialem, & formalem?* Differt; quia peccatum Omissionis non tantùm est priuatio debitæ rectitudinis; sed etiam sustantiæ actus, cui rectitudo debetur: peccatum verò commissionis est tantùm priuatio rectitudinis, quæ actui debetur, & præterea priuat perfectionibus specie diuersis.

24. *Quodnam grauius peccatum, Commissionis ne an Omissionis?* Commissionis quidem. At Omissio, si culpabilis sit absque positiuo actu esse non potest, qui causa ipsius per se, vel per accidens existat.

25. *Quandonam Omissionis peccatum committitur?* Eo tempore, quo implendum est præceptum, quia omissio actus non est culpabilis, nisi eo tempore, quo præceptum vrget. *Quid si Omissio eo tempore, quo deest libertas, contingat?* Ea imputatur ad culpam, quando voluntariè causa datur, non verò quando ipsa contingit Omissio. v.g. me somno trado, præuidens forè, vt propter somnum Sacro die festa non interfum: tunc delinquo, quando voluntariæ illi Omissioni causam exhibeo. *Quid autem si exurgam postea, & Sacrum exaudiam?* Iam dans causam Omissioni deliquisti, licet accidentaliter non prodierit effectus.

26. *Idem ne de Commissionis peccato dicendum?* Ita planè. Si enim huiusmodi peccatum contingat eo tempore, quo in potestate, seu libertate hominis, non est, illud vitare, tunc imputatur ad culpam, cum data ei fuit voluntariè causa, v.gr. in ebrietate homicidium.

27. *Num actiones, quæ sunt causa Omissionis, malæ sint, & peccaminosæ?* Sunt quidem; quia peccati causa. v.g. ludus, propter

propter quem Sacrum omitto, malus est, & ad culpam imputatur. Imò actiones etiam ex natura sua bonæ, fiunt praua, si sint causa Omissionis præcepti, nisi ex necessitate fiant. v. gr. qui Sacrum omittit, vt domi studeat, peccat studendo. *Necessariò igitur huiusmodi actiones quæ Omissionis causa extiterunt, erunt aperiendæ in confessione?* Nego consequentiam, nisi malitiam habeant distinctam ab Omissionis crimine.

CAPVT VII.

De Peccato Cordis.

28. *SCio peccatum diuidi in crimina Cordis, Oris, Operis, in Spiritum sanctum: requiram igitur, Quidnam Cordis peccatum?* Quod in ipsa ratione, & voluntate completur, v.g. Odium Dei, Hæresis, Inuidia, Superbia, & similia: eaque specie inter sese differunt.

29. *Morosa delectatio quid?* Est (de simplici delectatione loquor) illicitæ rei deliberata complacentia absque intentione illam operè perficiendi; quæ à Theologis consensus in delectationem assolet appellari.

30. *An de se mala delectatio de cogitatione?* Non, secluso morali periculo, & proximo in delectationem rei illicitæ consentiendi. At de re mala delectatio mala ex se; ideóque, si res illa peccatum lethale sit, etiam illius erit lethalis delectatio.

31. *Permitto in appetitu delectationem sine consensus periculo in delectationem ipsam: an mortaliter delinquam?* Probabile est te grauiter non delinquere. Profectò non omnis de re mala delectatio est peccatum. v.g. si positiuo tantùm iure mala sit. Et aliquando etiam si de iure Diuino. v.g. cum de malo tantùm materialiter delectatio habetur.

32. *Delectatio de re facta in ignorantia est ne delictum?* Non, modò sit de actione naturaliter quodammodo contingente, & naturalibus ex causis. At si ex causa voluntaria, quamuis ignorantia, vel rationis defectu excusetur, tutius equidem à talibus cogitationibus abstinere.

33. *Coniugati, ne delectantur licitè de actu coniugali?* Ita planè. Nec ideo viduæ possunt de actu præterito delectari, sicuti nec sponsi de futuro; quia hîc Matrimonium non adest: ibi autem iam dissolutum est.

34. *Est*

34. *Est ne peccatum delectatio de re mala sub conditione?* Peccatum non erit, si conditio illa tollit ab actu malitiam, v.g. comedere carnes in Quadragesima, si vetitum non esset. At si non tollat, peccatum est, v.gr. furari, nisi esset infernus; quia nunquam non furtum malum est.

35. *Morosa delectationes in Veneris materia sunt ne omnes eiusdem speciei?* Speculatiuè probabilis est sententia affirmans. In praxi autem diuersæ speciei esse affirmarim. Verùm si morosa delectatio de coniugata. v. gr. tantùm esset de ea veluti de fœmina non sua, aut de pulchra, abstracto ad coniugium respectu fornicationis simplicis affectus esset.

36. *Cordis desideria sunt ne variis speciebus addicenda?* Sunt quidem, vt superbia, inobedientia, contemptus, odium, inuidia, ira, scandalum. Certè generaliter tantùm accepta neque specialia peccata sunt, neque necessariò in confessione aperienda. At accepta specialiter diuersa specie peccata efficiunt, ideóque exprimi necessariò debent. Multiplicantur autem per moralem interruptionem, quæ tunc accidit, cùm siue contraria voluntas interuenit, siue voluntariè, cessatur ab actu.

37. *Memoratli peccatum ex contemptu: rogo, num sit tale peccatum?* Ita quidem, si ideo legem, aut præceptum violes, quia non vis legi esse subiectus; aut legislatrici potestati. Contemptus planè continet peccatum specialis inobedientiæ; quare qui legem, aut præceptum ita transgreditur, debet contemptus circunstantiam in Confessione explicare. Porrò omnis inobedientia ex contemptu formali, est peccatum lethale adeò, vt etiam ea negligere ex formali contemptu, quæ solum in consilio sunt, puta Sacramentum extremæ vnctionis, aquæ benedictæ asperſionem, &c. sit graue commissum. Contemptus autem materialis siue ipsius operis, v.gr. si quis regulam aut præceptum transgrediatur, quia parui momenti æstimat, est culpa venialis. *Rogo, num frequens relapsus, seu consuetudo peccandi contemptum contineat?* Propriè non continet, sed solùm interpretatiuè secundùm externi fori præsumptionem.

38. *Ad cordis peccata ea quæ in Spiritum sanctum committi dicuntur, reduci videntur: ideo quæritur, quotnam in Spiritum sanctum peccata annumerantur?* Sex quidem, Desperatio scilicet, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis agnitæ, & fraternæ charitatis inuidentia. His adiicias odium Dei, quod grauissimum in Spiritum sanctum crimen

crimen est. *Cur in Spiritum sanctum appellantur peccata?* Quia Spiritui sancto aditum præcludunt, dum scilicet media, aut dispositiones (puta Spem, Timorem, & Dolorem) à se removent, sine quibus secundùm ordinariam legem Spiritus sanctus non iustificat peccatorem. Quamobrem huiusmodi peccata irremissibilia dicuntur, quod difficilis, & rara sit eorum remissio, licet non absolutè impossibilis.

CAPVT VIII.

De Peccatis Oris.

39. QVid *Oris delictum?* Quod ore perpetratur, seu lingua.

40. *Eius species recense.* Tribus modis species multiplicantur. Primò ex obiectis specie distinctis. Secundò ex eo, quod vnus idémque sermo ad obiecta specie diuersa referatur. Tertiò ex eo quòd licet ad vnum obiectum idem specie sermo terminetur, attamen diuersa specie circunstantia affectus est.

41. *Aperias autem quonam modo numero mutiplicentur?* Ex multiplicatione sermonis moraliter interrupti, & ex morali distinctione numerica obiectorum. v. gr. maledicens Deo & duodecim Apostolis, duo tantum numero peccata committit; quia Deus & Apostoli cuncti duplex tantùm distinctum specie obiectum constituunt. Item eadem ratione imprecans familiæ mortem, vnum solummodo intendit homicidium.

CAPVT IX.

De Peccatis Operis.

42. PEccati *Operis species & numerum distingue.* Operis crimina specie differunt ex diuersis obiectis. Numero autem multiplicantur, tum operis multiplicatione moraliter interrupti, tum obiectorum multitudine, quæ moraliter diuersa numero peccata constituunt. Ex intentione tamen ad vnum multa opera peccatum vnicum efficiunt. *Num peccatum operis ex circunstantijs augetur?* Ita quidem, tum in eadem specie, tum etiam in diuersa.

43. *Qui obveniæ fiduciam recipiendæ per Confessionem delinquit, peccat ne grauius?* Non videtur grauius peccare, nisi iustitiæ contemptus adiiceretur.

44. *Qui alium ad peccandum inducit, peccat ne semper speciali scandali crimine?* Non, nisi ideo inducat, vt eum in mortale labi efficiat. Peccat tamen alio peccato numero distincto. Aliquando etiam grauiùs tantùm peccat, vt in his peccatis accidit, in quibus necessariò sociorum concursus requiritur.

CAPVT X.

De Peccati effectibus.

45. QVinam *Peccati effectus recensendi?* Primus est macula, quam peccatum actuale infert, & in qua peccatum habituale consistit. Secundus est reatus pœnæ, seu æternæ, seu temporalis: seu damni, seu census. Tertius est diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas acquisito per peccatum habitu vitioso, facilius ad malum defertur, ad quod habitus vitiosus inclinat.

46. *Num vnum peccatum alterius pœna esse possit?* Per se & formaliter consideratum, quatenus culpam dicit, non potest, ita vt Deus velit hominem ob culpam præcedentem in aliud prolabi delictum; quia peccatum non potest à Deo intendi. Si verò peccatum spectetur secundùm eius accidentia, vt ratione infamiæ, vel tristitiæ, vel subtractionis gratiæ, vnum peccatum alterius pœna potest existere.

CAPVT XI.

De causis à Peccato excusantibus.

47. AN *aliquæ causæ excusantes à crimine?* Sunt quidem, quas ad quatuor classes adduco. 1. Dispensatio valide obtenta. 2. Impotentia physica, aut moralis. 3. Vis, aut metus, seu proximum grauis damni periculum. 4. Ignorantia inuincibilis, & inaduertentia.

48. *Esto quod impotentia excusset à peccato: requiro, numquid non possum totum præceptum implere, tenear adimplere partem, quam possum?* Teneris, modò sit pars notabilis, & à Superiori

periori censeatur intenta v.gr. qui non potest tota Quadragesima ieiunare, tenetur iis saltem diebus, quibus commoda vtitur valetudine; quia hoc à Superiore arbitramur intentum. Verùm non valentes totum officium Canonicum recitare, ad horas minores recitandas non obligarem; quia id minimè à Superiore intentum existimo.

49. *Quidnam de vi, aut metu?* Vis absoluta, per quam homo inuitus omninò facere aliquid prohibitum cogitur, excusat à peccato; quia nullum est crimen nisi voluntarium. Item metus, seu probabile grauis damni periculum, regulariter loquendo, à transgressione legis humanæ excusat, & consequenter à delicto, quia lex humana non obligat strictius, quàm lex diuina & naturalis: multæ autem diuinæ & naturales leges sub mortali in periculo grauis mali non obligant vti in Confessione patet, quæ licet iure diuino sit ante Eucharistiæ sumptionem præmittenda, non autem obligat simpliciter in omnibus casibus: ergo metus aut periculum grauis damni à trangressione legis humanæ excusat, & consequenter à peccato.

50. *An ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti à peccato excuset?* Excusat; quia cum hac ignorantia non stat voluntarium: omne enim voluntarium supponit cognitionem. Ignorantia verò inuincibilis pœnæ non excusat à peccato; quia non tollit voluntarium, neque aduertentiam sufficientem ad legem, & prohibitionem.

51. *Quænam igitur ignorantia excusabit à culpa?* Antecedens excusat, non consequens. Quæ verò comitans dicitur, aliquo pacto excusat, cum ab actu ratione auferat voluntarij.

52. *Quonammodo ignorantia inuincibilis, aut probabilis, quæ sola excusat, est dignoscenda?* Has regulas præscribo. 1. Quando homo operans nil prorsus dubitat de eo quod agit, ignorantia est inuoluntaria, ac probabilis. 2. Idem iudicium de eo, qui adhibito sufficienti studio, scientiam acquirere non valuit. 3. Quando quis rem aliquam nescit, quam scire tenetur, sed nunquam de ea cogitauit, ignorantia est probabilis. 4. Qui dubitat, aut scit, se ad aliquid teneri, si adhibita morali diligentia, adhuc ignoret, ignorantia erit inuincibilis.

53. *Quidnam de inaduertentia dicendum?* Ea, quæ saltem est in apprehensione excusat à crimine; si enim in apprehensione aduertentia non est, Peccatum esse non potest.

54. *Denique exponendum, quænam peccati causa?* Malitia quidem. Ea autem tunc est, quando nec ignorantia adest ex parte intellectus, nec passio ex parte appetitus.

55. *Num Dæmon causa peccati dici possit?* Maximè; quia humores humani corporis localiter mouere potest, eos applicando ea ratione, vt corpus alteretur, hominémque ad vitiosos motus impellat.

CAPVT XII.

Praxis circa materiam de Peccatis ex Doctoribus Societatis IESV.

§. 1. *De peccato mortali, ac veniali ex genere.*

56. *Scis, mortale ex genere fieri veniale per accidens ex defectu deliberationis: rogo, an etiam possit fieri nec venialis culpa?* Potest. v. gr. ebrietas excusat ab omni peccato in his, quæ insana mente fiunt, iniuriosa quidem, ac prorsus quæ mente sana, peccata essent. Item blasphemia, infidelitas, periurium in ebrio, &c. Sic *Vasquez tom. 2. d. 227. cap. 3. n. 11. Quid si hæc omnia gerenda in ebrietate, prauideantur?* Non excusari *Sanchez* asseruit *sum. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 44.* quia sunt voluntaria in causa.

Vasq.

Sanch.

57. *Scis etiam, veniale ex genere fieri possit per accidens mortale ratione circunstantiarum, vel ratione conscientiæ erroneæ, de quo supra: rogo, an ex numero venialium insurgat mortale: vnde si (v. gr.) per impossibile quis omnia peccata venialia committeret, culpam leuem excederet?* Negatiuè respondeo cum *Granado 1. 2. cont. 6. tract. 2. d. 2. sect. 7.* docente, volentem vno actu omnia venialia peccata perpetrare, solum venialiter delinquere. Porrò *Sanchez citat. cap. 5. num. 4.* asseruit peccare mortaliter, ratione periculi, quo se exponere, omnes dispositiones peccati mortalis admittendo. Sed respondeo, omnes hasce dispositiones in essentia dispositionum contineri, non transire in mortale.

Granad.

Sanch.

§. 2. *De cooperatione ad peccatum.*

58. *Scio cooperari peccato alterius, peccatum esse; & qui concurrit vt causa remota, à peccato excusari: rogo, an quis dicatur proximè peccato cooperasse, dum commodat (v. gr.) cubiculum amico fornicaturo, vt magnum incommodum euitari possit?* Negatiuè respondeo ex Doctorum meorum mente; quia talis commodatio cubiculi ex se est indifferens, & sola abutentis voluntate vitiatur.

59. *Cooperatúrque proximè peccato famulus, qui dominum heri concubinam conducit?* Non cooperatur ex sententia *Pal. tom. 1. tract. 6. d. 6. part. 11.* si adsit aliquod graue, & proportionatum damnum; quia iam supponitur, inter herum, & concubinam

Pal.

cubinam conuentum esse crimen: conductio verò illa indifferens est. At *Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 15.* permittens famulo, fœminam per ianuam intromittere, facem præferre, lectum sternere, &c. prohibet à domo illam euocare, & per plateas conducere; quia verè talis actio geri potest sine aliqua ad peccatum inductione, quamuis illa parata sit. Laym.

60. *An possit famulus concursum physicum adhibere, v. gr. ferendo concubinam in sella, aut curru?* Non potest (inquit *Sanchez summ. tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 25.*) ratione solius famulatus, sed requiritur aliquod seruorum damnum notabile. At ex aliorum sententia auriga deferens concubinam eò, vbi scit peccaturam, non peccat, ne lucrum amittat. Sanch.

61. *Potest ne famulus aliquando cooperari proximè peccato domini sui. v. gr. sustinendo pedes, vel scalam ascendenti per fenestram in domum meretricis?* Potest, si ei imminet aliquod damnum, v. gr. si dominus sit illum expulsurus, & sic cogendus mendicare, vel penuriam pati, præcipuè cum non inueniat alium dominum, qui eadem non petat obsequia: dummodò actio sit indifferens, & ex prauo domini animo in malum finem ordinata, vt est illa ascendentis domum, aut dicere nomine heri concubinæ: *Dominus dicit, vt hac nocte expectes, aut in domum accedas*, aut signare locum, vbi sit concubina. Sic *Palaus tom. 1. tract. 6. d. 6. part. 11. num. 5.* Porrò omnes hasce actiones *Hurtadus 2. 2. d. 10. diffic. 9.* solius vtilitatis ratione excusat. Pal. Hurt.

62. *Potest ne famulus scribere, ac deferre literas amatorias?* Subdubitans dicit licere *Palaus*, ad euitandum aliquod graue damnum; quia non est intrinsecè malum, si ab scribente, & deferente malus finis absit; possunt enim scribi talia amatoria verba non serò, sed irrisoriè, &c. At *Sanchez citat. num. 26.* putat probabilius huiusmodi scriptionem, ac delationem esse malam intrinsecè. *Quid si literæ solum indicant concubinæ nocturnum (v. gr.) aduentum?* Possunt scribi, ac deferri; quia illa verba indifferentia sunt. Palao. Sanch.

63. *Licet ne pictori imaginem concubinæ pingere amasio?* Vrgente grauissima causa licet; quia indifferens actio. *Palaus part. 12. num. 6.* Scio *Azorium tom. 2. lib. 12. cap. vltim. quæs. 9.* contrarium asseruisse. *Quænam causa grauissima reputanda?* Non amissio lucri, sed mortis, aut vulneris metus. Pal. Azor.

64. *Excusantúrne Christiani captiui in triremibus Turcarum propugnacula ædificantes, sarcinas, & arma necessaria ad bellum contra Christianos afferentes?* Metu verborum excu-

santur; quia talis cooperatio non est adeò propinqua, vt sine illa damnum non inferretur. At si res eò deueniſſet, vt Christiani, captiuorum opera, vincendi essent, tenerentur pro-
Sanch. priam vitam bono communi postponere. *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 18.*

65. *Licet ne captiuis in terras Christianorum descendentibus ex mortis metu damnum illis inferre in bonis externis ci-*
Conin. *mando, furando, & ad triremes cogendo?* Negat *Coninch. 2. 2. d. 31. dub. 7. num. 104.* sed Palaus asserit licere, quia licitum est, ad vitandam extremam necessitatem propriam, rebus temporalibus alienis vti; in tali enim casu dominus irrationabiliter esset inuitus. Scio Magistrum propinquum meum
Mēdoz. *Petrum Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 76. sect. 3. §. 114.* limitationem hanc apposuisse: *Nisi Christiani essent in eadem necessitate.*

66. *Licet ne metu mortis pingere, aut fabricare idolum gen-*
Conin. *tili?* Negat *Coninch 2. 2. d. 18. dub. 13. num. 213.* sed affirmat
Pal. *Castro Pal. tom. 1. tract. 6. n. 7.* si non postulatur talis pictura, aut effictio in Religionis contemptum; quia non est aliàs intrinsecè mala.

67. Licet ne ex metu mortis vendere furi instrumenta, quibus alterius seras effringat, & gladium parato homini occidere? Licet; quia venditio illa ex se, & prout proficiscitur à vendente fieri solùm censetur, vt medium præsens periculum euadendi, non in honorem, aut cultum falsæ Religio-
Valent. nis. *Valentia tom. 3. d. 1. q. 10. part. 6.* & *Tannerus tom. 3. d. 1.*
Tanner. *q. 9. dub. 5. num. 144.*

68. *An possint ministrari indifferentia aliàs præceptum*
Sanch. *transgressuro?* Excusat *Sanchez num. 16.* generaliter huiusmodi rerum ministratores, si non sint ita proximè res ordinatæ ad peccatum, vt per se meritò sint malæ censendæ. Re-
Suar. pugnat *Suarius de Char. d. 10. sect. 3. num. 2.* quia quod alius sit abusurus non tollit concursum alterius, qui ministrat. Vnde non obstat, quod quis aliàs sit Cœnaturus in die ieiunij, quin tu pecces Cœnam ministrando. In materia de scandalo plura.

§. 3. *De materia leui.*

69. *Vndenam agnosci possit, an in transgressione alicuius*
Bald. *præcepti detur materia leuitas?* Profectò *Baldellus tom. 1. lib. 3. d. 14. num. 13.* hanc regulam tradidit: si ex ratione obiecti per se prima oritur notabilis oppositio ad virtutem versantem circa illud, in tali obiecto leuitas materiæ non datur. Si autem ex ratione obiecti prima oritur oppositio ad virtutem neque grauis, neque leuis, ita vt fiat deinde grauis ex ratione obiecti

obiecti per se secunda: tunc dabitur materiæ leuitas, & leuis culpa. v.gr. quia in furto ratio per se prima est, quod res, quæ accipitur, sit aliena; & ex hoc furtum habet, solum esse malum vt sic, non autem notabiliter, id quod habet solùm ex eo, quod res aliena notabilis sit: ideo furtum erit grauis, vel leuis culpa iuxta rei acceptæ magnitudinem, aut paruitatem. Contra verò, quia in materia infidelitatis ratio per se prima est, quod abnegetur fides Deo aliquid reuelanti, quod ex se habet notabilem oppositionem ad virtutem fidei; ideò in peccato infidelitatis non datur materia, & culpa leuis. Porrò *Castro Palaus tom.1. tract.2. d.2. p.7. num.2.* edocet ex Pal. Ecclesiæ & fidelium sensu id desumendum, qui quidem sensus in ipsarum rerum natura fundatur. Aliqua enim ita sunt ex natura sua inordinata, vt in quauis materia reputentur grauissima; v.g. idololatria, Simonia, infidelitate. Aliqua ita leuia, vt, nisi aliqua circunstantia accedat, semper leuia reputentur; vt verbum otiosum, scurrilitas &c. Alia denique ex natura sua mala quidem, sed nec grauia, nec leuia; crescentia tamen, & decrescentia iuxta materiæ quantitatem. v.g. furtum.

70. *Coalescunt ne plures materiæ leues in vnam grauem, ita vt in omnibus delinquere, sit mortale?* Si plures illæ materiæ ad diuersa præcepta etiam simul tempore implenda pertineant, non coalescunt. v.g. Clericus in die festo, in quo ieiunium incidit, parum laborat, parum interdiu comedit, modicum de Officio diuino recitare, & de Missa audire omittit vnum mortale, sed plura venialia. *Sanchez in sum. tom.1. lib.1.* Sanch. *c.4. n.16.*

71. *Vouit quis, vna die orare, sacrum audire, eleemosynam exhibere; ex singulis tamen modicum omittit: peccat ne grauiter?* Asserit *Sanchez citatus*; quia plura vota eodem die Sanch. obligantia, quamuis de diuersis materiis, vnam inducunt obligationem, quatenus omnia sub eadem ratione ad eandem Religionis virtutem pertinent. At *Suarius de Relig. lib.5. cap.5. numer.11. & 12.* negat; quia licèt omnia vota eodem implenda sint die, & ad eandem Religionis virtutem pertineant; cum tamen missa sint in diuersorum Mysteriorum, aut Diuorum honorem, omnino disparata, & se habent, ac si diuersis diebus essent implenda. *Vouit quis singulis diebus B. Virgini vnum Aue recitare, aut modicam eleemosynam largiri, coalescunt ne paruæ illæ materiæ?* Cum *Sanchez vbi subr. num.14.* distinguo. Si vota illa alligata sunt diei, & diei honorem respiciunt: multis diebus Aue, aut

eleemosynam prætermittere, quæ simul sumpta fuisset materia notabilis, non coalescit in grauem materiam, ad culpam grauem inducendam. At si vota non sint diei alligata, sed dies præfigatur vt terminus, vltra quem obligatio differri non debeat: tunc coalescunt. Ratio est, quia in priori casu, cum votum alligatum sit diei, transacto die, expirat, & ideo non potest cum aliis obligationibus vniri. At in posteriori, obligatio voti, transacto die, non extinguitur, & ideo potest vniri cum sequentibus.

Pal. 72. *Quandonam ergo censebor vouens alligare obligationem voti ad diem, & quando non?* Cum *Palao tom.1. tract.2. d.2. part.9.§.4. num.9.* respondeo: quando in singulis diebus est diuersum motiuum, tunc votum intelligitur diei alligari; secus vbi idem est motiuum. Porrò in votis personalibus semper obligatio diei alligata censetur, in realibus minimè.

EXAMEN II.

Circa materiam de septem Peccatis Capitalibus.

CAPVT PRIMVM.

De Superbia.

§. 1. *Superbia.*

1. *Quotnam vulgò capitalia crimina numerantur?* Septem, scilicet Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acedia.

2. *Quare peccata hæc Capitalia vocitantur?* Quoniam ab his omnia mortalia crimina exoriuntur.

3. *Sunt ne semper mortalia?* Minimè, sed quando simul aliquod præceptum Decalogi, aut Ecclesiæ in re graui violatur. Appellantur autem mortalia, quia mortalium radices.

4. *Quidnam Superbia?* Est appetitus propriæ celsitudinis peruersè voluntarius. Actus autem proprius huius appetitus est sua minora bona naturalia vel supernaturalia bonis naturalibus, aut supernaturalibus proximi præponere.

5. *Quandonam appetitus hic grauiter vulnerat conscientiam?* Quando cum Dei contemptu copulatur, & tunc omnium peccatorum superat grauitatem. Cùm autem non hæret Dei;

Dei, aut legis contemptui, superbia quidem est, sed aliquando venialis.

6. *Exprime quandonam Superbia cum Dei contemptu admisceatur?* Quando quod à Deo habet à se ipso habere existimat: aut vult ab aliis tanquam à se ipso bona habens existimari: aut vellet à se ipso, & non à Deo bona sua possidere. Aut dolet, quod huiusmodi bona à Deo, & non à se ipso receperit: aut cum quis existimat quidem se bona habere à Deo, sed non gratis ei obuenisse; verùm ex iustitia sibi debita propter ieiunia, eleemosynas, &c. Item cùm huiusmodi appetitus, ambitio, aut præsumptio cum notabili proximi contemptu existit, grauiter etiam animus vulneratur. Ille autem notabiliter proximum contemnit, qui superbiendo despicit sordidum proximi statum cogitatione, ore, opere per contumeliam cum intentione vilipendij, complacendo sibi de misera proximi fortuna.

§. 2.

7. *Quidnam est Vana gloria?* Appetitus gloriæ inordinatus. Nempe inordinatè appetere propriæ excellentiæ cum laude immerita manifestationem. *Quodnam peccatum Vana gloria, cuius septem filiæ.*

gloria? Ex genere suo tantùm veniale; quia per hoc vitium intra suos terminos, contentum haud grauis Deo seu proximo irrogatur iniuria.

8. *Vanæ gloriæ species, seu filiæ enumera.* Septem sunt, Iactantia, Inuentio nouitatum, Hypocrisis, Pertinacia, Discordia, Contentio, Inobedientia.

9. *Iactantia quid?* Declaratio inordinata propriæ excellentiæ. Dum scilicet me iacto de crimine, aut cum proximi iniuria, seu non ad bonum finem mea bona narro. Profectò iactantia de opere nunquam à me facto, sine graui Dei irreuerentia, aut sine graui proximi iniuria, venialis culpa est. Tunc autem ad mortalem accederet, quando grauiter aut Dei reuerentia læderetur, aut proximi fama. Fit equidem cum graui Dei irreuerentia, cum in morem Regis Tyri, dixerit fatuus: *Ego sum Deus.* Proximus autem graui iniuria afficitur, quando quis cum Pharisæo iactat: *Non sum sicut ille Publicanus.* Ratio est, quia iactantia eiusmodi de re tam grauis graue scandalum ingerit audienti, & est graue mendacium. Porrò cum quis se iactat flagitium graue gessisse, si scandalum ingeratur, graue delictum est; si autem non adsit scandali occasio, nec de tali iactantia operis, aut facti aut conficti non admiscetur complacentia, vel voluntas faciendi veniale est: si autem admiscetur, est mortale.

10. *Quidnam Inuentio nouitatum?* Manifestatio propriæ

excellentiæ per facta quædam. Puta nouas opiniones, nouas veſtes exponere. Quæ quidem inuentio, niſi aliunde grauius vitietur, ex ſe venialis tantum culpa eſt; quia communiter huiuſmodi inuentione quis ſolummodo geſtit aliorum laudem comparare.

11. *De Hypocriſi differe.* Eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ per facta ficta, & falſa. Duplex quidem Hypocriſis; vna, qua quis intus vult eſſe malus, ſed vult apparere aliis bonus; altera, qua quis vult externè apparere virtuoſus, cùm non ſit. Profectò Hypocriſis ſemper eſt peccatum; quia ſemper mendacium pernicioſum eſt. Mortale quidem erit, ſi intus vult eſſe malus, & foris tantùm bonus apparere: veniale autem, ſi aliqua præſtet exterius, vt ſanctus appareat.

12. *Pertinaciam expende.* Eſt oſtentatio inordinata proprij iudicij. Graue quidem peccatum, quando contra Dei honorem in rebus fidei notabiliter militat; vel proximo graue infert nocumentum. Potrò in aliis leue peccatum erit Pertinacia.

13. *Diſcordia quidnam?* Voluntatum eſt contrarietas. Mortalis erit huiuſmodi cordis diuerſitas, in graui Dei iniuerentia, vel proximi notabili detrimento. Aliter aut eſt tantum leuis culpa, aut nulla.

14. *Perge ad Contentionem?* Eſt pugna verbis, ſeu ſcriptis contra perſpicuam veritatem. Cùm veritas impugnatur, ſolo animo diſputandi, vt veritas clarior illuceſcat, nullum peccatum eſt, modò lege aliqua non ſit prohibitum, huiuſmodi veritatem afferri in diſceptationem. At impugnare perſpicuam veritatem animo impugnandi, & contradicendi, eſt peccatum aut graue, aut leue, iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem.

15. *Inobedientiam expende.* Eſt inordinata renuentia mandati Superioris. Adiicit *Toletus* non de quacunque inobedientia loquendum, ſed de ea, quæ eſt præcepti tranſgreſſio, quia præcipitur. Vt enim obedientia eſt impletio præcepti, quia præcipitur: ita è contrario inobedientia eſt tranſgreſſio præcepti, quia præcipitur. Quæ quidem inobedientia cum contemptus ſit, ſemper peccatum mortale eſt. Tolet.

16. *Scio ab aliquibus plures adhuc filias vanæ gloriæ adſcribi, nempe Curioſitatem, Ambitionem, & Præſumptionem: (dixerim duas proximas non filias, ſed matres aptiùs vocitari.) Quidnam igitur de Curioſitate?* Eſt appetitus ſciendi inordinatus. Ad minimum ſemper eſt veniale peccatum. Contingit autem mortale eſſe cum ex curioſa ſcientia damnum graue proximo

proximo exoritur. v. gr. si secretum graue referetur: aut si cum proprio damno copulatur, v.g. dum Theologiæ ignarus, velis res fidei difficillimas cognoscere cum periculo de rebus certissimis dubitandi.

17. *Ambitionem euolue.* Est appetitus inordinatus dignitatum & honorum. Ex genere veniale tantùm, ex circunstantia externa mortale delictum, cum appetis dignitatem seu ad damna Reipublicæ, seu ad profusiorem delinquendi licentiam.

18. *Quidnam denique de Præsumptione dicendum?* Est appetitus ostendendi se illustrem per opera grandia supra propriam vim. Delinquis mortaliter, si cum graui aliorum periculo præsumis, v.g. si artis medicæ ignarus ægrotos curandos assumeres: aut ignorans iura, causas susciperes patrocinandas: aut Theologiam moralem non callens, te audiendis confessionibus exponeres: aut imperitus suggestum concionaturus ascenderes.

Caput II.

De Auaritia.

19. *Quidnam est Auaritia?* Inordinatus diuitiarum amor. Inordinatus quidem amor culpabilis est; non ordinatus, siue ad rectum finem directus. Certè in optandis diuitiis inordinatio nisi coniuncta sit cum iniustitia retinendi, vel auferendi alienum domino inuito: vel cum duritia non subueniendi egeno grauiter inopia laboranti, solummodo venialis est culpa. Secus si aliquod præceptum violaueris nimio diuitiarum affectu. v.g. si Sacrum diem non obserues. §. 1. *Auaritia.*

20. *Auaritiæ prolem enumera.* Septem sunt filiæ eius, Animi inquietudo, Violentia, Fallacia, Periurium, Fraus, Proditio, & Obduratio cordis. §. 2. *De septẽ auaritiæ filiabus.*

21. *Animi inquietudinem expende.* Nimia est solicitudo, vt diuitiæ acquirantur, sæpe de iis etiam extra tempus cogitando. Si huiusmodi solicitudo te à legis custodia repellit, in re graui, graue admisisti delictum: si autem legem leuiter transgrediaris, peccato subiaces veniali.

22. *Violentia quid?* Vim alicui inferre, ad diuitiarum acquisitionem. Si iniuria sit grauis, graue quidem peccatum est; leuis autem iniuria veniali culpa fœdat conscientiam.

23. *Dic de Fallacia.* Est verbis mendacibus fraudem agere, ad

ad acquirenda bona. Ex graui fallacia grauis culpa resultat; leuis autem de leui deceptione.

24. *Periurium quid?* Est addere mendacio iuramentum. Nunquam non periurium grauissimum delictum est, de quo supra.

25. *Fraudem expone.* Est reipsa aliquid per dolum auferre. Si vendidit quis pluris iusto pretio, aut minoris emerit, interueniente fraude, grauiter aut leuiter delinquit iuxta materiæ quantitatem: si vendidit vnam rem pro alia, aut ignorante vendente accepit: si nummum adulterinum alteri obtrusit, etiamsi ipsemet ab alio bona fide recepisset, fraus proculdubio grauis aut leuis iuxta materiam reputatur.

26. *Quid est Proditio?* Alium ob pecuniam in discrimen adducere, siue aliis lædendum offerre, vel iniustè accusare. Vbi equidem similiter grauis aut leuis culpa materiæ sequitur grauitatem, aut leuitatem.

27. *Quidnam denique cordis obduratio?* Durum sese ob pecuniæ amorem erga egenos ostendere. Num pauperibus compassus fueris? Num eos obiurgaueris? Num ab aliis durè exegeris debita, cum non essent soluendo? Alibi de eleemosynæ obligatione periculum fiet.

28. *Quodnam vitium auaritiæ opponitur?* Prodigalitas, cuius affectu assolet quis bona inutiliter lusibus, ac computationibus consumere, parentum diuitias malè expendere.

CAPVT III.

De Luxuria.

§. 1. *Luxuria.*

29. *Quidnam Luxuriæ nomen significat?* Propriè lautitiam conuiuiorum, & in vestibus mollitudinem, seu herbarum vbertatem, feracitatémque arborum ex glebæ, terrarúmque pinguedine: siue animantium lasciuiam, qua tripudiant pecudes propter alimenti abundantiam. In præsenti sumitur pro appetitu, seu actu libidinosæ voluptatis humanæ.

§. 2. *Filiæ Luxuriæ octo.*

30. *Quotnam Luxuriei filiæ?* Octo, scilicet, Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Amor huius mundi, & Horror futuri seculi.

31. *De mentis cæcitate disserere.* Cæcitas mentis adest, cum quis adeò addictus est turpitudini, vt mens de cœlestibus minimè cogitet.

32. *Præ-*

32 *Præcipitatio quid?* Ex eadem causa homo sine consilio operatur media non conuenientia adhibens.

33. *Inconsideratio quid est?* In modo delinquere inconsideratè, agens quod statum, aut personam minimè deceat.

34. *Inconstantia quid?* Est in bono proposito ex eodem affectu voluptatum non persistere: aut nunc promittere emendationem, & rursum mox cadere, aut ex vna voluptate in voluptatem velociter currere.

35. *Amorem sui describe.* Ille se amat, qui ob corporis voluptates se ipsum finem actionum suarum, & studiorum proponit, non Deum.

36. *Odium Dei quid?* Lasciuus assolet à rebus diuinis abhorrere: imò à Deo, quia carnales prohibet, & punit voluptates.

37. *De præsentis vitæ affectu?* Amor deliciarum ita animum solet afficere, vt quandóque quis gloriæ renunciet, si frui ei præsenti seculo daretur.

38. *Quid denique de futuri seculi horrore?* Voluptati addictus nimis mortem timet, rarò de ipsa lubet cogitare, sæpè malis artibus ad vitæ propagationem vtitur, potiúsque in medicina quàm in Deo fiduciam constituit.

39. *Num octo prædicti affectus lethalia crimina?* Profectò ex his ad intellectum pertinent quatuor actus. Intellectus enim fit ineptus ad considerationem finis boni, dum rapitur ad cogitanda quæ carnis faciunt delectationem; & hæc est cęcitas mentis. Rursus fit ineptus ad consultandum de mediis ad finem bonum, & est Præcipitatio, qua homo non curat vti in bonis consilio, ex mentis occupatione in carnalibus. Cæterùm remittitur iudicium, dum non curat, quale sit, quod faciat, & est inconsideratio. Fit hinc debilissimus homo ad exequenda bona apprehensa, & cognita, nec vires habent in eo proposita bona, & est inconstantia. Quæ quidē contra quatuor prudentiæ actus militare videntur. Tunc igitur actus hi sunt morrales, quando finis vltimus in creatura ponitur: aut quando ex inconsideratione, ac præcipitatione aliquod diuinum mandatum prætermittitur. Quatuor reliqui actus ad voluntatem attinent. Rapitur hæc ad volendum quod sensus amat, & finis bonus peruertitur, vnde amor sui exurgit, homine amante, quę sibi sunt delectabilia; & consequenter odiū Dei ingeneratur, id est, quædam auersio animi à Deo, quæ si perueniat ad plenum consensum, vt odio Deus habeatur, est peccatum grauissimum. Rursum rapitur voluntas erga media, vt ea velit, quæ ad carnis delectationem ordinantur, insurgente

insurgente hinc amore seculi huius, & horrrore futuri. Hi quidem actus, si plenus consensus voluntatis, mortalia sunt; si verò imperfecti quidam actus, & indeliberati, venialia commissa.

CAPVT IV.

De Ira.

§. 1. *Ira.*

40. *Quid est Ira?* Appetitus vindictæ inordinatus. Impropriè autem appellatur Ira passio appetitus irascibilis, quæ accédit ex bilis excitatione, & furore contra proximum, quæ quidem solùm in vociferationem absque alicuius damni voluntate prorumpit.

41. *Quàm graue crimen Ira propriè sumpta?* Ex genere suo mortale, cum inordinatio appetitus circa grauem vindictam sumendam effrænatur. At hæc inordinatio grauis erit, quando appetimus immeritum grauiter punire: seu punire eum super quem non habemus authoritatem: seu punire aliquem non ex iustitiæ zelo, sed ex vindicta, aut graui odio, & desiderio damnum inferendi. Ratio est, quia tunc Deo grauis irrogatur iniuria clamanti: *Mihi vindicta;* & proximo graue damnum infertur.

42. *Impropriè autem sumpta quantum est crimen?* Nullum quidem secundùm se; quia est quædam passio naturalis naturali imporentia exorta ex naturali obiecto, qua in re animantia referimus.

§. 2. *Maledictiones.*

43. *Quando Ira impropriè sumpta prorumpit in Maledictiones, quódnam peccatum est?* Si maledictiones ore tenus proferantur absque desiderio executionis in proximo, in quem iactitantur, neque respectu personarum sint grauiter contumelioſæ: illa ira impropria solùm est peccatum veniale. Qui tamen ex animo deliberato alium, vel se ipsum maledicit, imprecando sibi, aut alteri graue malum sub ratione mali, cum desiderio, quod eueniat, grauiter peccat. Dixi sub ratione mali, quia imprecari malum sub ratione boni, hoc est, vt inde bonum exoriatur, non est peccatum. v.gr. imprecari ægritudinem corporis peccatori, pro animi salute recuperanda. Porrò si malum, quod imprecaris, sit leue, etiam si toto animi affectu desideres, venialis culpa est.

44. *Indica, vndenam dignoscemus, num animo euentus grauis maledictio sit iactata?* Iuxta animorum specialem con-

textum

maledictionem
sensum est interpretandum. Plerumque qui facilis est perturbatu, dum non adest inimicitiæ causa, aut odij grauis occasio, etiam si repentè sibi videatur concupiisse euentum, non tamen vllo modo desiderat. v.gr. mater iactat in sibi charum filium grauem maledictionem: videtur sibi mentis perturbatione considerata, ex voluntate locutam esse: at si mox ei obiicias: filium ne vis inferno detrudi? respondebit: Auertat Dominus. Affirmo igitur maledictiones illas, quas contra tibi inuisum, vigente præcipuè odij occasione, iactas, plerumque cum intentione euentus exprimi; quæ autem in filium, in amicum, in famulum, non tam ex odij affectu, quàm ex mentis perturbatione infligantur, plerumque efficaci euentus desiderio priuari. Vnde p[illegible]a mortalia crimina vitanda spero.

45. *Est ne licitum Diabolum maledicere?* Peccatum est cum maledicto afficere quo ad naturam bonam quidem; & à Deo factam; propter ipsius culpam & aduersus homines odium, nullum peccatum est Diabolum maledictis vulnerare.

46. *Quidnam de maledictionibus in irrationabilia animantia iactatis?* Si tales maledictiones in creaturas iactitentur, & desiderentur vt creaturis Dei, est blasphemia. Si iactentur, & desiderentur; vt eueniant propter damnum redundans in proximum, est iniustitia grauis quidem, aut leuis iuxta materiæ desideratæ grauitatem, aut leuitatem. Si verò iactentur, vt illis eueniant neque vt creaturis Dei, neque vt rebus proximi, sed vt entia quædam sunt, est vanitas, & peccatum solummodo veniale; quia res vana exoptatur, cum rei ratione carenti bonum aut malum secundum se sumptum non conueniat.

§. 3.

47. *Filias Iræ recenseo.* Sex adnumero, Indignationem, Tumorem mentis, Contumeliam, Blasphemiam, & Rixam. *Clamorem* *Iræ sex filiæ.*

48. *Definitio indignationem* Ex ira quis assolet loqui, non dignari, aut nominare nomine proprio, aut aliquod beneuolentiæ signum exhibere.

49. *Tumorem mentis.* Tumor mentis tunc adest, cum diutius iram retineo, cogitans modum, & media vindictæ.

50. *Clamorem.* Cum ex ira litigatur, clamores assolent excitari.

51. *Blasphemiam.* Ex iræ conceptæ immoderatione aliquando effrænata libertas verba in Deum aut Sanctos efformat; pluuiæ aut ventis à Deo immissis sub ea formalitate maledicit;

maledicit; infert Deo, aut Sanctis iniuriam eorum imagines violando.

52. *Contumeliam.* Proximo ex iræ feruore verbis conuicia ~~exprimuntur~~ *inferuntur.*

53. *Rixam denique explana.* Rixa illa est, cum facto tocumentum infertur, lutum proiiciendo, vulnerando, &c.

54. *An actus hi venialem culpam excedant?* Ira equidem tres habet status. Aut enim tantum interius concipitur, aut exterius etiam aliquo signo manifestatur, aut ad opus festinat, in quo vindicta consistit. Indignatio igitur, qua homo indignum reputat proximum sua familiaritate, mortalis est in tribus casibus. 1. Quando adeo prorumpit, vt homo sit paratus proximum non iuuare etiam in iis, in quibus ex præcepto tenetur. 2. Cùm adest interior personæ contemptus. 3. Cùm scandalum graue exoritur. Extra hosce casus venialis est. Præterea tumor mentis, seu illa audacia, qua homo insurgere audet ad vindictam, ex qua in mente variæ nascuntur cogitationes: erit quidem tam graue peccatum, quàm grauis vindicta excogitata. Qua verò parte ira in signo consistit exteriori, tres filiæ exoriuntur, Clamor, siue inordinata illa & confusa locutio ex se veniale peccatum, nisi ex scandalo fortasse mortalis fiat: Contumelia, seu iniurioſum verbum graue aut leue iuxta contumeliæ grauitatem, aut leuitatem, aut qualitatem personæ, in qua iactatur. De Blasphemia iam dixi. Qua denique parte ira ad opus descendit, habet filiam Rixam, sub qua est bellum, vulnera, & contentiones, quæ quidem omnia grauiter iuxta affectum internum, & effectus grauitatem lædent conscientiam, aut venialia erunt.

CAPVT V.

De Gula.

§. 10. *Gula.*

55. *Quid est Gula?* Appetitus inordinatus cibi, & potus. Inordinatum dixi: quia ordinatus ad sustentandam vitam, virtus est temperantiæ, & sobrietatis.

56. *Quódnam peccatum Gula est?* Ex genere suo veniale, etiam si absque vtilitate se quis cibo & potu vsque ad vomitum ingurgitet; nisi ex huiusmodi vomitione grauia saluti incommoda exoriantur. Verùm ad consulendum valetudini licet vomitum excitare, cum quis cibo aut potu pergrauatur.

57. *Licet*

57. *Licet ne edere aut bibere, & vomere cibos & potum, vti rursum manducando, & bibendo opera detur?* Peccatum id graue reputo; quia contra naturam magna in eo deformitas præsentatur.

58. *Quandonam Gula peccati mortalis terminos attinget?* 1. Quando in ea vltimus hominis finis collocatur. 2. Quando eduntur à lege prohibita. 3. Quando ex cibo & potu graue corpori malum exoritur, vt ægritudo: vel animo, vt peccatum mortale. 4. Quando scandalum exurgit. 5. Quando cibis, quos natura prohibet, quis vescitur, talis est caro humana, aut sanguis.

59. *Num aliquando liceat hominem carne aut sanguine humano vesci, aut potari?* In necessitate magna quidam exteri asserunt licere. *Toletus* in magna ægritudine huiusmodi esu aut potu curanda. Ego equidem affirmo sola in extrema necessitate licere. Ducor ipsius naturæ testimonio; non enim canis vel extrema necessitate pressus alium canem absumit. Demus rationali creaturæ egenti remedium, sed extremè quidem egenti solummodo tam formidabilis esca concedatur. Tolet.

§. 2. *Ebrietas*

60. *Num peccatum mortale sit ebrietas?* Sese scienter inebriare vsque ad vsus rationis priuationem, mortale est: vel se amittendæ rationis periculo exponere, etiam si effectus non sequatur: vel alij vinum porrigere, quem scio inebriandum, licet non inebrietate corripiatur. Ratio est, quia voluntariè illi sese magno rationis bono abdicant.

61. *Bibit quis vsque ad satietatem, ebrietate non prævisa: delinquit ne grauiter?* Imò nec leuiter, si bona fide sedandæ siti operam dedit; quia accidentalis præter intentionem secuta est ebrietas.

62. *Immoderato potu quis nonquidem ebriatur, sed aut dolore capitis laborat, aut capite tentato à vino, non sibi omnino constat, attamen vsus rationis perseuerat, quo se nimis potui indulsisse cognoscit: quodnam hoc peccatum?* Venialem intemperantiam dixero; quia absolutè rationis vsum non tollit.

63. *Licet ne se, vel alium pro salute corporis recuperanda inebriare?* Cùm aliud remedium non supereſt, probabiliter quis licere opinabitur. v.g. si opus sit ad vomitum ciendum: aut si alius potus grauiter noceret valetudini: aut si alius liquor non adesset potabilis, vt posset nauiganti accidere; quia tunc aut ægritudini curandæ directè vinum addicitur, aut siti in necessitate prouidendæ: vnde ebrietatis effectus accidentalis reputatur. Adiicit *Toletus* tunc licere, quando non timetur Tolet.

ex ebrietate aliquod malum secuturum, quod assolet ebrietatem comitari. Quam quidem limitationem, tanti viri pace, inutilem iudico; quia cùm directè valetudini consulitur, cuncta mala sequentia accidentaria reputantur.

64. *Imputantur ne ad culpam ebrio voluntario actu malo tempore ebrietatis effecti?* Si huiusmodi mala præuidit, & adhuc contempsit eorum euentus vino indulgens, proculdubio ipsi sunt actus illi vitio vertendi; secus si directè non fuerit mala illa præuisa. Præcipuè certè delinquit, qui iam iterum in ebrietatem incidisset, & similibus malis dedisset operam.

65. *Quid si mala, qua ab ebriando præuidentur non possit accidissent?* Opinatur *Laymanus* in tali casu haud ebrij culpæ esse vertendum. Contrarium tamen teneo, quia delictum tunc patratur, cùm ebriandus præuidit mala probabiliter sequtura, non quando actu eueniunt; quia tunc iam recessit voluntarius actus rationis: ergo siue accidat præuisus actus, siue non, delinquit planè qui sese periculo exposuit, licet accidentaliter haud euenit effectus.

§. 3. *Quinque Gulæ filiæ.*

66. *Gulæ filiæ recense.* Sunt quinque, mentis hebetudo, inepta lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, Immunditia.

67. *Defini mentis hebetudinem.* Ex crapula talis assolet stupiditas exoriri, vt confessurus non possit conscientiam discutere, orare, necessaria edíscere, & retinere.

68. *Quid inepta lætitia?* Næniis nimium affici vsque ad lætitiam, cùm ex iis non aptè exoriatur.

69. *Multiloquium?* Assolet multo indulgens mero, inter pocula de rebus sacris disputare, Principes, aut Superiores carpere.

70. *De scurrilitate quidnam?* Ebrius verbis turpibus vtitur, cantica obscœna profert.

71. *De immunditia denique quid?* Ebrij facilè vacant immundæ euomitioni. Hinc somnia turpia habent exortum.

72. *Quandónam hi actus mortales sunt, quando autem veniales?* Profectò mentis hebetudo potius pœna est, quàm peccatum; quia ex nimio cibo ac potu ingenium hebetudine laborat. Esset quidem culpabilis hæc hebetudo, si homo aduertènter ita fieret ineptus, vt iis, quæ ex præcepto efficere tenetur, haud posset operam nauare, v.g. si medicus sese adeò expleret, vt curandi munus exercere non posset. Inepta lætitia, qua congaudet homo in iis, quæ nullam delectationem assolent ex se excitare, ex genere venialis est, nisi materiæ grauitas mortale efficiat. Multiloquium ex se veniale, nisi sit cum contumeliis præuisis admistum. Porrò scurrilitas ad risus

prouo

prouocans, si causa delectationis venereæ fiat, mortale peccatum est; si autem solùm tendat ad risum prouocandum veniale tantùm. Immunditia denique venialis est; quamuis enim quis vsque ad vomitum vescatur, aut bibat, mortale non est, vt diximus, nisi graue malum corporis vel scandalum sequatur, quia ex se vomitio graue incommodum non est.

CAPVT VI.

De Inuidia.

§. 1. *Inuidia.*

73. *Quid est Inuidia?* Tristitia de alieno bono, in quantum tale bonum inuidentis excellentiam imminuit. Ideo inuidere idem est, ac non videre; cupimus enim non videre tam ipsum, cum inuidemus, quàm bonum, quod excitat inuidiam.

74. *Quodnam peccatum inuidia?* Mortale ex genere suo, cùm bonum, de quo tristamur, est graue: & cùm scienter & liberè huiusmodi tristitiæ assensum exhibemus.

75. *Possumus ne sine crimine de alieno bono tristari?* Possumus planè, vel quando videmus ex eo aliqua grauia mala prouentura seu Reipublicæ, seu proximo, seu ipsi bonum possidenti. v.g. si maneat ideò in occasione peccandi; tunc enim non tristamur ratione boni, sed ratione mali. Vel cùm tristamur, non quia alius tale bonum possideat: sed quia nos illo caremus. Quæ quidem tristitia si circa spiritualia versetur, à Patribus sancta vocitatur inuidia.

§. 2. *Quinq; inuidiæ filiæ.*

76. *Quotnam inuidiæ filiæ?* Quinque assolent assignari, Odium, Susurratio, Detractio, Gaudium in aduersis proximi, & in prosperis afflictio.

77. *Odium diffimas.* Est quo alicui malum volumus ob malum ipsius, & non ob aliquod inde bonum exoriens.

78. *Susurrationem?* Qua famam in occulto auferimus.

79. *Detractionem?* Qua in manifesto famam proximi curamus comminuere. De gaudio in aduersis, de afflictione in prosperis adnata est ipsi nomini definitio.

80. *Num hi actus leuiales?* Odium quidem graue, quo proximo graue malum cupimus, mortale peccatum est: leue autem veniale. Susurratio occulta aut publica detractio iuxta materiæ aut grauitatem aut leuitatem graue aut leue crimen erit. Denique gaudium de proximi aduersis graue peccatum est, si malum proximi, de quo gaudemus, est graue,

& gaudium sit ex rationis consensu. Afflictio autem in prosperis, seu de bonis proximi tristitia est. Inuidus equidem duplici afficitur tristitia, vna de bono proximi prout per ipsum propria excellentia videtur imminui, & hæc est ipsa inuidia: altera verò consequenti; nam inuidus vellet nihil boni proximo illi contingere, & bonum illius saltem desiderio conatur impedire. Quando ergo ei huiusmodi bonum euenit, quia contra inuidi euenit voluntatem, contristatur & hæc tristitia est inuidiæ filia, non ipsa parens. Peccatum igitur hic actus est eo modo, quo gaudium in aduersis iuxta materiæ quantitatem.

CAPVT VII.

De Acedia.

§. 1. *Acedia.*

81. *Quidnam est Acedia?* Fastidium spiritualium rerum, seu tristitia ex eo, quod sint res spirituales. v. gr. si quis doleat, quia sit ad gratiam, ad merita, ad gloriam creatus; aut quis afficiatur tristitia, quod Sacramenta sint gratiæ, bonorúmque spiritualium scaturigo.

82. *Quale hoc peccatum?* Mortale grauissimum. Hinc colligo grauiter delinquere, qui vitæ sanctius ærumnis, deliberatè se non fuisse natum exoptaret, aut potiùs cum brutis animantibus adnumerari, quàm cœtui hominum addici. Tamen si quis tristitia afficeretur, quod opus laboriosum implere teneatur, quod nihilominus exequeretur, mortaliter quidem non delinqueret; quia non tristatur de bono iniuncto, sed de obligatione sibi imposita ex difficilis præcepti obseruatione.

83. *Num directè Acedia charitati opponatur?* Non omnis opponitur; nam si quis tristetur de ieiunio ex gulæ affectu, videtur directè contra temperantiam delinquere, peccata enim dicuntur illi virtuti opponi, cuius perfectione priuant.

§. 2. *Sex Acediæ filiæ.*

84. *Prolem Acediæ expone.* Sex annumero, Desperationem, Pusillanimitatem, Torporem, Malitiam, Rancorem, mentis Euagationem.

85. *Desperatio quid?* Qua homo diffidit se finem supremum consecuturum.

86. *Pusillanimitas?* Est id, quo homo non audet diuina consilia, quæ perfectionis sunt, exequi.

87. *Quid*

87. *Quid est Torpor?* Quo quis negligit homo seipsum, & facere omittit, quod præcepto tenetur.

88. *De Malitia quid?* Malitia est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia in se, quia vellet ea non esse: aut qua hominem pœnitet bene feciſse, & impleuiſse, quæ efficere tenebatur.

89. *Quidnam Rancor?* Est, quo homines, qui ad spiritualia peccatorem inducunt, (v.g. Concionatores) sunt ei fastidio, & eos auersatur.

90. *Quid denique de mentis Euagatione?* Est defectus intentionis, quæ rebus spiritualibus exequendis, & exercendis est adhibenda.

91. *Horum actuum exprime grauitatem.* Desperatio equidem peccatum mortale grauissimum est, cum ex consensu rationis fit pleno; quando verò solum est motus quidam imperfectus, veniale est. Pusillanimitas ex se veniale. Torpor quidem graue delictum. Malitia grauius. Rancor autem leuis culpa, nisi graue odium admisceatur, quo proximum graui malo affici desideraret. Euagatio denique mentis notabilis mortale crimen esset, si ex culpabili negligentia exorta. v.g. si aduertenter recitaturus Canonicum Officium ab interna attentione huic operi debita recederes.

Caput VIII.

Praxis circa materiam de Peccatis Capitalibus ex Societatis Iesv *Schola.*

92. *Vandonam vana gloria mortale sit crimen?* Respondeo ex *Baldello* gloriari de peccato mortali, vel ad finem mortaliter malum, mortale esse. §. 1. *De vana gloria.* Bald.

93. *Licet ne gloriam & famam ob finem bonum optare? Toletus* asserit licere optare quantum quisque meretur. Tolet.

94. *An sit ex se peccatum mortale inanis gloria*; Negatiuè respondet *Toletus.* Tolet.

95. *Prædicare, aut Missam celebrare præcipuè vanæ gloriæ causa, quodnam peccatum?* Affirmat *Saa* vtrumque probabile, remittitque ad Sylu. verb. *Vana gloria. n.* 2. explicationem. Saa.

96. *De Prodigalitate Auaritiæ opposita rogatur, an solummodò contra iustitiam militet?* Assero cum *Baldello*, non solùm peccare mortaliter eum, qui Dei legem transgreditur §. 2. *De Auaritia.*

in materia iustitiæ prodigè res alienas consumendo, v. gr. si tutor res pupillorum consumat: sed etiam, quia legem transgreditur in materia charitatis, v. gr. si quis ex prodigalitate vxori & filiis provt debet, prouidere non possit.

§. 3. *De Luxuria.*

97. *Quando actus illi, qui quidem Luxuriei filiæ nuncupantur, contra sextum præceptum per se explicitè exurgunt, scio esse lethales: rogo num etiam mortalia crimina sint à sexto abstracti præcepto?* Esse planè cum *Baldello* respondeo, cum scilicet quis per mentis cæcitatem ex affectu Luxuriæ causatam in se, non proponit sibi explicitè Deum, & vitam æternam prout vltimum finem: & per præcipitationem rationis, & inconsiderationem non eligit sibi media, ad quæ tenetur ex aliquo præcepto: vel per inconstantiam desistit ab eo, quod tenetur exequi, &c. Profectò quamuis communiter ex huiusmodi vitiis non contingat peccatum mortale, nisi quando occurrat legis transgressio, seu præcepti: potest tamen aliquando contingere, vt grauiter delinquatur etiam propter huiusmodi transgressionis periculum. Porrò *Reginaldus* adiicit rationem, cur hi actus sint lethales, quia scilicet grauia sint impedimenta ad salutem consequendam.

Regin.

§. 4. *De Ira.* Tolet.

98. *An indignatio non volentis videre vel audire eum, cui irascitur, sit mortale peccatum?* Communiter veniale esse *Toletus* affirmat.

§. 5. *De Inuidia.* Suar.

99. *Num tristari de bono alterius, quia mihi proprium bonum diminuit, sit graue commissum?* Asserit *Suarius* ex suo genere esse peccatum inuidiæ mortale.

§. 6. *De Gula.* Lessius.

100. *Est ne mortale, ministrare ægroto cibum, aut potum, ex quo febris augeatur?* Minimè; quia ægrotanti graue malum non infertur: nisi tanta debilitate laboraret, vt leuis cibi aut potus immoderatio graue ei nocumentum expresè à ministrante præuisum inferret. Sic *Lessius.*

101. *Gulæ indulges nimis venialiter; at ex huiusmodi nimietate prouides futuram in somnis pollutionem: num sit graue gulæ ex hoc capite flagitium?* Ex *Lessio* respondeo non esse culpam mortalem, si pollutionem per se non intendam, & per huiusmodi cibum aut potum procurem.

Less.

102. *An comedere, & bibere vsque ad satietatem absque necessitate ob solam voluptatem, sit peccatum?* Cum *Sanctio* negatiuè respondeo, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Sanch.

§. 7. *De Accidia.*

103. *Quantum peccatum est Acedia?* Non solùm mortale, sed grauissimum; quia est propinquum odio Dei, in quantum scilicet est directè oppositum gaudio charitatis: & de illo

illo tristatur, de quo ex charitate cum Deo, & ex amicitia Dei est gaudendum.

104. *Num possit Acedia esse venialis?* Cum *Baldello* iudico ex indeliberatione posse esse venialem, non autem ex materiæ leuitate, nisi accipiatur generaliter Acedia pro quacumque tristitia de bono spirituali, & ex quocumque motiuo. Baldel.

105. *An circunstantia Acediæ sit in Confessione exprimenda?* Sentit *Baldellus* explicandum non esse necessariò: Sacrum omisi ex Acedia; sed sufficere, omisi sacrum, si Acedia generaliter accipiatur, quæ quidem peccatum in aliam speciem non trahit. At id minimè admittendum de Acedia specialiter dicta, quæ charitatis gaudio specialiter opponitur; quando enim adiungitur alteri alicui malitiæ in alia specie, & contra aliquod aliud præceptum, specialiter est in Confessione aperienda. Fateor tamen rarò contingere, vt quis specialiter doleat, ac tristetur de bono suo spirituali, in quantum est bonum diuinum, & specialiter Acediæ peccato delinquat. Baldel.

EXAMEN III.

Cuncta peccata Mortalia recenseo pœnitentem instruens, quonamodo generali Confessioni, aut particulari oberam nauare debeat siue generales fidelis obligationes, siue status cuiusuis speciales euoluendo. *Instructio ad Generalẽ Confessionẽ.*

CAPVT PRIMVM.

De prænoscendis ante Confessionem.

VAnam in pœnitente dispositio sit necessaria ad Confessionem? Potest hæc ex tribus explorari, scilicet ex dolore, ex proposito, ex integritate Confessionis. §. 1. *Dolor, & propositum.*

2. *Quidnam circa dolorem adnotandum?* Affirmo, dolorem aliquem esse necessarium, qui saltem sit attritio cognita, vera quidem, non existimata tantùm ita vt excludat voluntatem peccandi, & includat propositum absolutum non pec-

candi formaliter, vel virtualiter; præterea supernaturalis, & proueniens ex principiis gratiæ, ex aliquo scilicet motiuo diuino & supernaturali.

3. *Quid circa propositum?* Signum sufficiens pro dolore est etiam pro proposito, nisi fortè requiratur particulare propositum ex aliqua restitutione facienda, vel occasione proxima vitanda.

4. *Quidnam deniaue circa integritatem?* Omnia mortalia crimina tenetur confiteri in particulari, numerum recensendo viginti, v.gr. furta grauia commisi: vel si certus numerus vestigari non potest, commisi viginti, aut viginti quatuor, &c.

§. 2. *Examinatio cõscientiæ.*

5. *An necessaria ad integritatem Confessionis grauia examinatio?* Ita planè, vnde qui non accedit ad Confessarium præmissa conscientiæ discussione ita, vt sese periculo exponat prætermittendi aliquod mortale, licet actu omnia aperiat, sacrilegium committit. Id igitur tempus examini exhibendum, quod aliàs graui negotio cuidam impendi deberet, iuxta tempus, memoriam, occasiones, discursum, periculum producendo, aut contrahendo. Vt autem huiusmodi examen opportunius fieri valeat, operæ pretium erit te mente volutre præcipua mortalium criminum capita. In primo enim præcepto peccatum mortale ex genere est, quod versatur circa fidem, spem, & charitatem, Religiones, siue quoad excessum dando cultum indebitum, vt Iudæi: auferendo debitum, & tribuendo creaturę per idololatriam: Magiam, diuinationem, obseruantiam, maleficium: siue quoad defectum committendo sacrilegium circa personas, res, loca sacra. In secundo blasphemia, si pertineat ad Deum, periurium, voti fractio, est peccatum mortale ex genere, In tertio omissio sacri in Festo, vel partis notabilis, vt tertiæ, ieiunij diebus præceptis, Confessionis semel in anno. Communionis in Paschate, solutionis decimarum, Festi ipsius per opera seruilia violatio est peccatum mortale ex genere: huc peccata contra censuras referenda. In quarto non succurrere proximo in necessitate corporali per eleemosynam, vel spirituali per correctionem, quando adest cognitio moraliter certa de peccato mortali proximi, & est spes emendationis, & opportunitas personæ, & temporis, est peccatum mortale ex suo genere. Item deficere in honore debito parentibus, & Superioribus eos aspere tractando, spernendo, multa tristitia afficiendo, desiderando iis malum notabile, non succurrendo in necessitate, esset peccatum mortale. In quinto offendere

dere proximum in vita, vel bonis corporis, est mortale ex genere. In sexto fornicatio, stuprum, incestus, raptus, sacrilegium, vitium contra naturam cum quatuor suis speciebus, mollitie, innaturalitate, Sodomia, bestialitate, quibus addi potest impudicitia, qua quis vacat tactibus libidinosis, absque intentione alterius operis consummati, sunt mortalia ex genere. In septimo lædere proximum in bonis externis, furto, contractu illicito, v. gr. vsurario, vel iniusto, est peccatum mortale ex genere. In octauo offendere eum verbis, v. gr. mendacio pernicioso, contumelia, detractione, maledictione, susurratione, irrisione, est peccatum mortale ex genere, Nonum & decimum præceptum ad sextum & septimum reuocatur. Adde his quatuor capitalia peccata in præceptis non comprehensa, scilicet superbia, gula, ira, inuidia. Profectò circa alia præcepta duo præcipuè consideranda sunt; primo vis præcepti ex verbis adiunctis; si enim sit præceptum diuinum, ponderanda sunt verba: nam si significent actionem esse dignam morte, excludere à Regno, esse execrabilem, & similia indicant esse peccatum mortale; secus si verba sint mitiora. Si præceptum sit humanum, tunc consideranda sunt verba, an sint præceptiua, an habeant adiunctam pœnam grauem vt censuram, mortem, amissionem bonorum, exilium. Denique si lex scripta non sit, habenda est ratio consuetudinis, traditionis, consensus Doctorum, luminis naturalis. Secundò consideranda est materia præcepti, an sit necessaria ad charitatem Dei, vel proximi: an lædatur virtus necessaria ad salutem, vt Theologicæ virtutes, Religio, Iustitia, &c. An noceat sibi grauiter in rebus spiritualibus, vel temporariis. In eiusdem accurati examinis, seu discutionis conscientiæ gratiam mente versanda sunt quæ à peccato mortali excusant. v. gr. leuitas materiæ, vt patet in furto: indeliberatio, defectus rationis inaduertentia: consensus in parte inferiori, id est, rei malæ, vt habet rationem delectabilis, commodi, &c. non in superiori, id est rei malæ, vt cognoscitur este contra legem Dei, prohibitam, &c, ignorantia probabilis, dispensatio iusta, præsertim in præceptis humanis, & in nonnullis diuinis affirmatiuis, vt voto, iuramento Demum necessitas, & rationabilis causa, vt in furto, homicidio ex inculpata tutela, obseruantia diei festi, & similibus. Admonuerim excipiendum sextum præceptum, in quo nec sanitatis, nec vitæ necessitas

excusare potest: excipiendum item cultum idoli, periurium, & si quæ alia similia reperiantur. Igitur post meditationem criminum lethalium ex copia proxima elige quod deliqueris, additóque numero delictorum & in generali præceptorum decursu & in speciali munerum obligatione sic te accusare procura.

CAPVT II.

Quonammodo pœnitens proferre debeat crimina lethalia contra decem Præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ.

§. 1. *Mandati primi praxis.*

6. *Contra primum præceptum Decalogi mortalia crimina recense.* Quinque modis hoc mandatum de diligendo Deo violaui. Primò circa fidem, dubitando, consentiendo, seu exprimendo aliquo signo aliquid contra ipsam. v. gr. de prouidentia Dei, animæ immortalitate, vita futura: nesciendo necessaria ad salutem. Secundò circa spem desperaui, præsumpsi, Deum tentaui, spem totam in creatura reposui *toties.* Tertiò circa charitatem Deum odio habui ob legem datam, vel pœnam inferni impositam, &c. non amando ratione debita, tempore debito in tentationis periculo, &c. *Toties.* Quartò circa Religionem non oraui speciatim mortis spiritualis, aut grauissimæ necessitatis proximi occasione: Officium Canonicum omisi in sacris constitutus, aut Beneficiarius: Sacrilegium in personis, in rebus, in locis Sacris commisi *toties.* Quintò circa vitia opposita Religioni fidem præstiti verbis, superstitionibus, vanis obseruantiis, vsus iis ad malum, aut bonum finem *toties.*

§. 2. *Mandati secundi.*

7. *Quótnam lethalia peccata contra secundum præceptum committuntur?* Triplici ratione lethaliter deliqui. Primò circa blasphemiam in Deum, Sanctos, creaturas blasphemando: seu tribuendo Deo, quod non habet, seu auferendo, quod habet: seu tribuendo creaturæ, quod est Dei proprium: seu imprecando Deo aliquod malum, vel turpia membra propria vulgando appellatione. Secundò circa iuramentum, mendacium cum iuramento protuli: dubitans de veritate: sine intentione faciendi iuramentum emisi. Promisi facere quod malum erat grauiter, & non facere quod bonum: indiscretè

&

& sine vlla causa ex temeritate iurauí cum peierandi periculo: aliquid graue iuramento firmatum iustè, non executus sum: alium ad falsò iurandum vel in tribunali, vel extra iudicij occasionem induxi: non respondi verè iudici iustè sub iuramento requirenti, *toties*. Tertiò, circa Votum, Tardus fui in voto implendo: Promisi quod malum; Fregi in graui materia *toties*.

8. *Aperi c ntra tertium præceptum grauia delicta.* Quatuor modis fui transgressor. Primò totam Missam seu partem notabilem sine causa omisi in festis: vel cum magna distractione voluntaria quidem confabulatus sum: vel causa extiti alios ad Missam audiendam non accedere. Secundò opus seruile, vel aliud prohibitum in festis per tempus notabile duarum vel trium horarum per me, vel aliis sum executus. Tertiò, Quadragesimæ diebus, aut Vigiliis, aut quatuor Temporibus non ieiunaui, vel carnem diebus prohibitis absumpsi: Confessionis annuæ, Communionis, & solutionis Decimarum præcepta transgressus sum, *toties*. Quartò, excommunicatus in Diuinis participaui: alicui censuræ lubens grauem subieci occasionem, & Ecclesiæ grauissima quidem flagella contempsi *toties*. §. 3. *Mandati tertij.*

9. *Quot modis quartum præceptum mortaliter læditur?* Sex. Primò, circa proximi dilectionem generalem; inimicis signa communia non exhibui: non remisi iniuriam: pacem negaui *toties*. Secundò, circa beneficentiam corporalem, in necessitate extrema, vel graui eleemosynam non egi. Tertiò circa spiritualem eleemosynam, fratrem de peccato mortali cùm adesset spes emendationis, personæ & temporis opportunitas, corrigere prætermisi. Quartò circa obligationem filiorum erga parentes, non subueni parenti in necessitate: non impleui testamentum, & legata: Maledixi, percussi, optaui mortem: non obediui in rebus grauibus ad gubernationem domus, ad bonos mores, & salutem animi pertinentibus *toties*. Quintò circa obligationem parentum erga filios, non curaui, vt sciant necessaria ad salutem: permisi eos malè viuere, vel malum exemplum præbui ex aduertentia grauis damni exorituri *toties*. Sextò circa obligationem coniugatorum, graui iniuria vxorem affeci, percussi non leuiter, debitum abnegaui, &c. Non obedij viro in spectantibus grauiter ad bonos mores, & familiæ gubernationem. Non reddidi debitum, aut causam malitiosè exhibui, vt vir immoderato impetu blasphemaret, iuraret, malediceret *toties*. §. 4. *Mandati quarti.*

§.5. *Mãdati quinti.*

10. *Contra quintum præceptum quótnam peccandi mortaliter modi?* Quinque modis offendi. Primò enim optaui mihi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, graue malum: Gauisus fui de morte patris, fratrísve ex odio & inuidia: Morosè delectatus sum de vindicta, aut de aliorum prosperitate graui inuidia dolui *toties*. Secundò protuli minas, graues contumelias, conuicia ex iracundia *toties*. Tertiò, occidi iniustè, mutilaui, vulneraui, torsi: Matrem infantem in lecto culpabiliter oppressi, vel causa extiti abortus, vel in me, aut in alia procuraui *toties*. Quartò, ad aliquid prædictorum cooperatus sum. Quintò, aliorum scandali, mortis scilicet spiritualis causam exhibui, v.gr. inducendo ad peccatum, vel publicè delinquendo *toties*.

§.6. *Mãdati sexti.*

11. *Contra sextum præceptum quot modis delinquitur lethaliter?* Septem quidem deliqui. Primò, habui turpes cogitationes cum consensu ex obiectu solutæ, nuptæ, sacræ, consanguineæ, affinis, spiritualis necessitudinis, nefandæ malitiæ, bestialitatis, sine speciali obiecto: aut morosè accepi delectationem, aut verbis simul inhonestis, aspectibus, tactibus, libidinosis intercedentibus cum hoc, aut cum illa, huius, vel illius status *toties*. Secundò, fœminam cognoui solutam, virginem renuentem, coniugatam, consanguineam sacram, aut intra vas, aut extra *toties*. Tertiò, contra naturam fruitus sum voluptate, seu mollitie, seu Sodomia, seu bestialitate, seu impudicitia, seu pollutionem voluntariam patiendo in vigilia cum speciali obiectu iuxta prædicta: aut dedi voluntariè pollutioni nocturnæ causam. Quartò, oscula lasciua, aut amplexus intuli: Tactus sine pollutione mecum, aut cum alio, siue inuicem, siue non, habui: Gulæ grauiter indulsi, ex qua luxuria: Ebrietatem sectatus sum cum notabili futuro damno præuiso, mei scilicet, vel alterius, aut præcepti violatione *toties*. Quintò diu insecutus sum fœminam, perueni ad verba, seu literas amatorias, munera ex prauo fine, tactus; Ornatu, musica, & aliis vsus sum ad finem placendi, & ad carnalem voluptatem prouocandi *toties*. Sextò, lectione librorum impudicorum me prouocaui, optaui ab aliis concupisci: me de huiusmodi peccatis iactaui aut falsò, aut verè cum delectatione *toties*. Septimò petiui à coniuge debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti castitatis, periculo abortus, effundendi semen extra vas *toties*.

§.7. *Mãdati septimi.*

12. *Indica modos grauiter violandi septimum præceptum.* Quinque modis deliqui. Primò circa furtum, in notabili quantitate

quantitate furatus sum, etiam à propriis parentibus inuitis: graue intuli damnum: Iussus, & potens non restitui: bona naufragantium vsurpaui, & apud mare latrocinatus sum *toties*. Secundò circa merces fraudibus in emptione & venditione vsus sum, seu pretio, seu re, seu pondere, seu mensura, seu numero: emi rem alienam scienter *toties*. Tertiò circa vsuras, vsus sum his in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione, in cambiis, societatibus; censibus *toties*. Quartò circa fraudem in ludo, cum personis inhabilibus, inæqualibus, quoad artem lusoriam importunis precibus inductis, aut minis ludum inij *toties*. Quintò circa animum aliena furandi, retinui cum damno domini res alienas, sed cum iniuria proximi concupiui: modis dictis cooperatus sum; rem inuentam pretiosam, non prius facta domini proprij inquisitione, mihi accommodaui *toties*.

§.8. *Mãdat. octaui.*

13. *Quidnam de grauibus delictis contra octauum præceptum adijciendum?* Sex modis hoc præceptum mortaliter violaui. Primò, iniuriam grauem intuli in iudicio iudex, reus, testis, aduocatus, procurator, tabellio, &c. *toties*. Secundò mendacium pernicioſum protuli: detraxi vel ex falsi alicuius impositione, vel veri occulti, quod infamat grauiter manifestatione: infamaui ex loquacitate: retuli aliorum mala animo infamandi: vel audiui, & cooperatus sum infamationi *toties*. Tertiò, releuaui graue secretum absque iusta causa: litteras alienas cum graui inconuenienti aperui *toties*. Quartò, circa susurrationem, seminaui discordias graues, aut irrisi animo confundendi *toties*. Quintò, maledixi, animo quidem, vt graue malum eueniat hominibus seu immediatè ipsos persequerer, siue mediatè in animantibus, &c. *toties*. Sextò, temerarium iudicium in re graui admisi, aut cum graui proximi iniuria suspicatus sum: leuia quidem alterius aperui peccata, sed quæ ob personæ authoritatem grauis detractionis locum obtinuit *toties*. [quorum revelatio.

CAPVT III.

Peccata mortalia Principum supremorum.

14. *IN speciale quidem pœnitentium leuamen, vniuersa preterea Christianæ Reipublicæ lethalia crimina, quæ circa munerum, seu dignitatum, seu officiorum administrationem assolent perpetrari, recensere operæpretium duxi. Quapropter singulare periculum agens ostendas precor quonammodo se debeat Princeps supremus de mortalibus criminibus accusare? Nam Præsulis summi delicta memorabimus?* Profectò suprema Ecclesiæ potestas haud est fragilitatis humanæ inscitianda, qua re nulla Papæ exprimam crimina; Sanctissimus enim Ecclesiæ vertex sanctissimis operibus operam dabit, si autem aliquid humanitati indulserit, sapientissimus ille muneris tanti onera minimè ignorabit.

15. *Regum igitur, ac supremorum Principum accusationem prætende.* Ita propria bona dissipaui, vt aliena aggressus fuerim vsurpare, subditos nimium molestis tributis aggrauando, debita non soluendo: ingentem vim auri & argenti subditorum iniuria accumulaui: ob culpabilem præuisam incuriam imminentem famem retardare non curaui: cum nimia desidia Regni securitati prouidi: leges pœnales non in delictorum repressionem, sed in subditorum expilationem indixi: mihi addicendo subditorum diuitias, tributa sine publica necessitate meis superfluis vsibus deseruitura stabiliui: de nouo subditos seruituti addixi, vt agros excolant sine mercede: morti deputaui, aut graui supplicio ciuem inauditum, grauissima haud intercedente causa: Regni, aut dominij propagandi causa bella iniustè commoui: ob meam voluntariam incuriam vitia ciues commaculant, iustitiæ causa sine patrocinio: leges Ecclesiasticæ immunitati repugnantes præscripsi: Officia muniáque pro tam sublimi pretio commutaui, vt ministri fuerint expilandis ciuibus operam nauaturi: aduertenter iudices indoctos creaui: vel cognita post modum eorum insufficientia, non illicò amoui: priùs quàm fiat inquisitio de domino bonorum naufragij, mihi ea accommodaui: beneficiorum patronus præsentaui indignos. *Toties.*

CAPVT IV.

Peccata mortalia Ecclesiasticorum.

16. *Grauia Episcopi crimina aperias.* Ambiui Episcopatum, cui me penitus ineptum agnoscebam: intra tres menses consecrationem non accepi, longóque temporis interuallo sine ipsa perstiti, vltra tres menses sine iusta causa abfui: (causas iustas Toletus lib. 5. c. 3. expendit:) longo tempore elapso, Sacramenta Ordinis, & Confirmationis non absolui, nec chrisma consecraui: aliquem ad sacros Ordines admisi scanda losum, seu insufficientem, seu ei litteras dimissorias dedi alibi initiando: beneficia indignis prorsus contuli, dignis abiectis: cùm valde necessarium esset Parochorum concilium, ad grauissimas Diœcesis causas, non coëgi: per me, aut per alium idoneum gregem non inuisi: bono spirituali subditorum non prouidi assignando Vicarios, ministróque vtrique foro peritos: Sacros Canones mea in Diœcesi obseruari contra iuramentum neglexi: immoderatis actionibus subditos ad scandalum graue traxi: ex redditibus Ecclesiæ pauperum non vbertim egestati occurri: Ecclesiastica bona profanitati addixi: potens subditos discordes ad pacem allicere, cum graui incommodo Reipublicæ neglexi: iura Capituli vsurpaui: non coëgi Parochos suis in Ecclesiis vltra præscriptum absentiæ terminum residere: impotens à casibus Papæ reseruatis absolui: Ecclesiam à tributorum secularium inuasione non defendi: vitiorum Reipublicæ extirpationi operam non nauaui *toties.* §. 1. *Episcopi praxis.*

17. *Quando Parochus grauiter delinquit?* Sine iusta licentia à grege abfui: Sacramenta petentibus non administraui, præcipuè ægrotis in periculo constitutis: munus indignus suscepi: intra tres menses à possessione non sum professus fidem: aut luxuriei, aut auaritiæ publico affectu ad scandalum graue subditos attuli *toties.* §. 2. *Parochi.*

18. *Confessarius quando nam mortaliter peccet?* Sine facultate Ordinarij munus exercui: me omnino insufficientem agnosco, præcipuè cum mercatores, aut reos plurimis grauatos facinoribus ad tribunal admitto, vel idiotas, quos examinare non norim: à pœnitente non quæsiui quidquid ad plenam conscientiæ disquisitionem erat necessarium: indispositum externa specie ad contritionem antequam absoluerem, non excitaui: dubitans Doctos non adij, per me solummodo §. 3. *Confessarij.*

insuffi

insufficiens: Confessionis sigillum perfregi: notabiliter ac culpabiliter negligens, aut imprudens fui circa imponendam pœnitenti satisfactionem, plus quidem ex affectu, quàm ex causa: in Confessione, aut proximè ante vel post fœminam ad inhonestos actus prouocaui: vel extra Confessionem simulando illam in loco confessionibus audiendis deputato grauia libidinosa verba permiscui: post exauditam confessionis partem, haud perfecto iudicio recessi, pœnitentem sine necessitate cogens rursum alteri confessario crimina manifestare: pœnitentem de restitutionis obligatione, vel de proximæ occasionis dimissione necessaria non monui *toties.*

§. 4. *Clerici.*

19. *Clericigrauia crimina proferas.* Sacros Ordines Latinæ linguæ ignarus suscepi: ad Presbyterarum ascendi sine materiæ saltem & formæ Sacramentorum cognitione: Simoniacè ordinatus sum, aut à Simoniaco Prælato notorio: illegitimus sine dispensatione, publica infamia affectus, aut sine ætate legitima, aut per saltum, & raptim, aut suspensus, aut excommunicatus, aut in mortali existens, aut irregularis Sacris sum initiatus: aliqua alligatus censura Sacrum Ordinis ministerium exercui: mortalis criminis reus feci Sacrum: vestes statui indecentes, vel cum graui scandalo pretiosas indui: despexi tonsuram præferre Clericalem: Medicum, Aduocatum, Procuratorem absque licentia egi: indecens officium exercui, v.g. Mercatoris: Prophanæ Comœdiæ recitandæ prophanè quidem operam adhibui: solemniter obtuli Sacrificium, aut actum Ordinis exercui vestibus indecoris: Canonicum Officium (aut Horas Deiparæ ligatus obligatione ob pensionem) non recitaui, aut integram Horam omisi, aut Horarum, aut totius Officij partem notabilem: consultò attentionem à verbis auerti, vel à verborum abstractus sum expressione: non ieiunus celebraui, aut loco, & tempore non competenti, aut sine ara, vel ea quidem adeò fracta, vt consecrationem amisisset; videlicet parte integra Calicem & hostiam non capiente: plusquam semel in die celebrationi dedi operam cùm dies non esset Natalitius, aut aliqua in Prouincia Defunctorum fidelium solemnè: vino vsus sum non vino ad consecrationem: culpabiliter sanguis profusus, aut particula proiecta est: domi scandalosum ludum foui, aut fœminam, dando iustam scandalo occasionem: nimiæ compotationi indulsi: venationi ferarum prohibito strepitu vacaui, Missarum obligationem diu distuli: duplicem eleemosynam, vna sufficiente, accepi: non debitè applicaui *toties.*

20. Quid

§. 5. *Beneficiarij.*

20. *Quid de Beneficiario?* Muneris graues obligationes neglexi: excommunicatus, aut suspensus fructus Beneficij percepti, dum possem ex patrimonio sustentari: simoniacè Beneficium obtinui: pauperibus non distribui excessus post congruam sustentationem, cùm tenerer subuenire: absens distributiones Ecclesiæ obtinui, licet ex sociorum consensu, cum id à Tridentino prohibeatur: Amasiæ bonorum Ecclesiasticorum feci donationem: elegi, aut præsentaui Beneficio, seu Præbendæ indignum; vel ex oppositoribus haud digniorem designaui: bona Ecclesiastica vsibus prophanis legato addixi *toties*.

CAPVT V.

De Peccatis grauibus Regularium.

§. 1. *Regularium praxis.*

21. *Regularis vir quandonam mortaliter delinquit?* Religionem ingressus fui, parentibus nimium desolatis, magna in egestate constitutis, à qua ipse eripere potui: non aperui ægritudinem habitualem sociis contagium allatura, aut me ministrum minimè idoneum Religioni saltem reddituram ingrediens Religionem, aut ante professionem: aliquod impedimentum à Religione me excludens obticui: professus, omninò Religionis constitutiones obseruare contempsi, nec curaui vim inferre desidiæ ad perfectionem eniten-do: bona contra votum paupertatis in re graui sine facultate retinui: rebus illicitis, (ad quas facultas non valet) impendi: prohibitus meis constitutionibus stipendium pro ministerio admisi, scandalo præcipuè subsecuto: è monasterio, aut socio aliquid in materia graui surripui: aliquid tanquam proprium Prælati dispositioni liberæ non subiiciens possedi: pretio exhibito ad Prælaturam suffragia comparaui: eligendum curaui indignum: sextum præceptum transgressus sum adiiciens voti castitatis circunstantiam aut solemniter, aut simpliciter emissi: obedientiæ præceptum perfregi: ex formali conceptu non obedij, etiamsi præceptum non adhiberetur: ex officio suggestum concionaturus ascendi sine ordinarij licentia: siue sine Prælati expositione: contra expressam Prælati prohibitionem, siue sine ordinarij facultate confessiones audiui: ex propria Religione ad alteram, non obstantibus censuris, transire attentaui: occasionem, seu causam consultò exhibui, vti à

Religione deturbarer, tanquam à correctione alienus: fine causa in Societate IESV dimissorias literas obtinere curam: aliquem casum eorum, qui à iure assignantur Religiosis obseruandi, perfregi: (hosce casus *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 13. quæst. 5.* recensèt:) Professus Choro addictus Canonicum Officium non persolui *toties.*

§. 2. *Monialium.*

22. *Quæ dà autem grauiter Moniales delinquunt?* Cubile aut supellectilia, aut quoduis aliud, quod Prælatus tollere non posset, habui: à Monasterio accipiens necessaria, grauialiquid sine licentia accepi: aut obtenta ad necessaria subsidia facultate, illicitis pecuniam impendi: à socia rem grauis momenti eripui: Abbatissa cùm essem, Monasterij reditus malè distribui, mihi vsurpaui: scandalosè amasium habui: inij vltrò citróque periculosam amicitiam: alterius monialis iniquæ locutioni cum Religioso aut seculari subsidium addixi: libidinem sociæ operui, ei auxilium, aut consilium offerens: inordinatum cum socià moniali, aut seculari foui amorem: Prælatæ procaciter respondi, *Nolo*, cum iustum esset quod imperaret: Prælato inquirente de aliquo delicto, operui illud, cum tenerer exponere: extra Chorum officium Canonicum post professionem non recitaui, vbi ex consuetudine obligata essem: tempore electionis discordiæ iniustæ auxilium exhibui: immeritam elegi discordias inter sorores seminaui: prophanis vestibus vsa sum, & prohibitum, aut indecentem habitum introduxi: clausuræ transilij terminos: Ostiaria alicui illicito cooperata sum: sine necessitate aliquem ad claustra admisi: me facilem agnoscens circa sociarum custodiam, ostij curam admisi, cum mihi adiunctum fuit ministerium ad placitum *toties.*

§. 3. *Religiosorum Militarium.*

23. *Quidnam de Religiosorum Militarium grauibus transgressionibus?* Mediis prohibitis, falsis instrumentis subornatione testium Equestrem Ordinem inij: Professionem emisi sine intentione præstandi promissa: votum violaui, aut voluisse me dolens, vitam omnino secularem statui: probationibus aliquibus incumbens, terminum sine necessitate protuli, plus expensarum accipiens, quàm par erat: sine dispensatione Papæ sacris sum initiatus, Presbyteratu quidem ex sacro Ordine cum Militia non congruente: sine vrgente causa Crucem Equestris Ordinis signum manifestè non protuli: præceptum graue Prælati ad mortale obligans violaui: Ad tribunal iudiciale Equitem aliquem D. Iacobi, aut Alcantaræ, aut Calatrauæ indebitè vocaui, aut à proprio iudice propriam

priam causam alieno tribunali addixi, cum iustè aliquid mihi præcipiebatur, aut iusta animaduersione afficiebar: Priuilegiis grauibus Ordinis renunciaui: Eques vel Sacerdos, seu Commendatarius admonitus defensioni Ordinis contra Obedientiæ præceptum operam non impendi: votum coniugalis castitatis violaui: Religiosus quidem, sed non coniugatus quodlibet graue contra votum perpetraui: vxorem absque licentia, ac sine epikeia duxi, scandalo, aut inconuenienti graui oborto: vouens paupertatem, obseruandi voti non habui intentionem: annis singulis bonorum patrimonialium, quæ possideo, inuentarium Magistro Ordinis non præsentaui, aut præsentari curaui: Prouinciæ Priori mei Commendati decimas non persolui: Frater contra præceptum Obedientiæ processioni Corporis CHRISTI non interfui: (modò non sit vsu abrogatum:) Duellum Eques admisi: violentas manus cuilibet aut Equiti, aut Clerico S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, aut Montesæ imposui: Commendatarius, seu Commendati administrator cùm sim, ex Ordinis intentione ter in anno eleemosynam non feci: Priuilegiorum receptor, aut Commendatarius instrumenta publica non recepi, & custodiui contra Obedientiæ præceptum *toties.*

CAPVT VI.

De Peccatis Mortalibus secularis Communitatis, scilicet Collegij, Vniuersitatis, &c.

§. 1. *Togatorum prauitates.*

24. *Quanam grauia crimina Togatorum, seu Collegij alumnorum secularis?* Cognoscens me statuti Collegij requisitas qualitates non habere, scienter togam consequi curaui, Collegium inij: vt admitterer titulo paupertatis, bonis renũciaui, quæ possidebam cum recuperationis pacto: subornationibus vsus sum iniustè ad cathedræ consecutionem, non quidem ad iniustam vim, seu vexationem propulsandam: graue intuli bonis, quæ administro, damnum: in oppositionibus falsa, aut leuia quidem, queis Cathedram oppositores amiserunt, eis imputaui: vt ad me allicerem auditores, alterius Magistri aut oppositoris defectus falsò euulgaui, aut veros celandos aperui: ex oppositoribus Collegij minus dignum, & idoneum admisi, vt Nationis consulerem affectui,

fectui, eo reiecto, cui ex iustitia toga debebatur: cum scandalo foui Nationum discordias: assectas prouocaui, vt contrariis, eorúmque patronis iniustitiam inferrent: aliquid contra iuramentum præstitum gessi, aut contra statutã periurij pœnam: elegi ad togam indignum planè: in animi præparatione adfui, vt vouerem contra aduersæ ditionis votum iustum, vel iniustum: curaui fieri statuta bono communi aduersantia ob commoditatem propriam: Capellæ secreta contra iuramentum aperui *toties.*

§. 2. *Magistrorum.*

25. *Quid si Magisterio fruantur?* Docturus alios nimis me desidem exhibui circa literarum studium, vnde graue discipulis damnum obortum: in discipulorum conspectu scandalosè degi, prauis quidem actionibus meis in discipulorum effrænationem influentibus *toties.*

§. 3. *Scolasticorum.*

Quandónam Scholasticus grauiter delinquit? Cùm iuramento discursus alterius aut falsò, aut non cum bona fide confirmaui: postquam fui matriculæ addictus, iuramento exhibito Rectori non obtemperaui, cum sub pœna præstiti iuramenti imperaret: omnino ab studio recessi paternorum bonorum dissipator: suffragium vendidi iustum: iniustè suffragium adhibui non merito, aut merito quidem, sed plus merito relicto oppositore *toties.*

CAPVT VII.

De Peccatis grauibus Regiminis Vrbium.

§. 1. *Magistratuum praxis.*

26. *Quænam sunt grauia Prætoris, aut Magistratus crimina?* Publica officia sine auctoritate vendidi: magna munera à ministris Reipublicæ accepi: indignis officia publica in damnum commune contuli: defes nimium fui circa ministrorum correctionem, ne iniustitia pauperibus inferretur: non præcaui aut assistentia, aut commissione, ne officinis publicis scandala, rixæ, homicidia exorirentur: pretia ciborum non moderaui, aut corruptos cibos non reprobaui graue quidem damnum illaturos: carcerem non inuisi, vt grauis vexatio vinctis non adderetur ob lucrum Præpositi, peccatáque propulsarentur, ablegatis mulierculis, &c. Omisi etiam inuisere publica hospitia, vbi mulieres profligatæ assolent habitationem grauissimo incommodo collocare: ex Vrbe non deturbaui vagos inferentes Reipublicæ nocumentum: pec-

cata

cata publica non puniui, ludos prohibitos non propulsaui: non consului vtilitati pauperum, dum curarem militem iustè distribui ita inter ciues, vt pauperes leuamine donarentur: die festo actum iudiciarium feci, pietate, aut necessitate minimè cogente: pœnam ciuilem, aut criminalem, quam debebam imponere, prætermisi: contra iuramentum aliquid graue præstiti, aut omisi: in senatu non repressi eos, qui propriæ passioni, non iustitiæ suffragabantur; nec prohibui senatores propriis Vrbium vtentes, vexantes pauperes, à publicis horreis frumentum auferentes, aut soluentes debitoribus: haud curaui horrei publici triticum pauperibus distribui: aut eos, graui oborto incommodo, non breui temporis interstitio iudicatos emisi; non repressi, aut puniui famulos, seu ministros, qui vel ingressum ad tribunal vendunt litiganti: Aduocatum egi ipsa in causa, cuius fui iudex: reum interrogaui quod non poteram, nec reus debebat respondere: graui dubio oppressus doctos non adij: assessorem adhibui sine graui causa litigantium expensis: prætextu matrimonij exquirendi, fœminam ad domum propriam, ad vsum prauum adduxi, seu ad illius domum diuerti: in sententia ferenda aliquam ambiguam clausulam consultò adieci, vnde graue incommodum alicui prouenit *toties.*

27. *Quosnam Senatores reos grauis criminis æstimas?* Graues ciuitatis leges nec calleo, nec custodio: ad Curiam Regiam ad negotia mihi & Reipublicæ communia contra l. 22. *tit.* 3. *lib.* 7. *rec. p.* Reipublicæ expensis me contuli: curam defensioni communi non impendi, vim potentium non frangens, cum possem; vnde grauia Vrbi incommoda obuenere, suffragium dedi iustitiæ grauiter nocenti: Officia publica graui nocumento oborto, indignis exhiberi curaui: cum tenerer, publica crimina abolere neglexi: consultò à Senatu abfui, cum Reipublicæ causa gereretur, ob huiusmodi quidem absentiam graui malo exorto: communibus in distributionibus sumptuum, aut gabellarum æquitatem non seruaui, grauiter hos aggrauans, vti illos possem subleuare: Reipublicæ bona in graui quantitate vsurpaui, retinui: cum ex officio deberem, non curaui de ponderum, de mensurarum æquitate: pretium accepi pro publicorum munerum assignatione, cum gratis deberem idoneos Reipublicæ ministros addicere: in suffragiis proferendis iniustam in re graui causam defendi, quia aduersarius Senator contrarium asserebat: Magistratum impediui, ne flagitiosos supplicio afficeret, graui inde damno excitato: effeci, aut permisi meos §. 2. *Senatoris.*

famulos potiores fori cibos emere, vt carius vendant, quàm emptores à primo vendente acciperent: Senatus arcanum re in graui violari non fugi, vnde rursum Senatores non audent liberè suam mentem depromere: accepta ad emendum triticum pecunia, non emi: aut ex horreo publico triticum abstuli, nec restitui, cum pauperibus necessarium esset: eleemosynas publicas pauperibus veris non erogaui, sed famulis, aut consanguineis haud pauperie laborantibus: crimine venatorum, aut aliorum officialium grauia quidem dissimulaui, vt gratos mihi tributarios haberem; cum consanguinei, aut amici causa iniusta in Senatu gerentur, consultò à congregatione abstinui, ne contradicere cogerer? munia onerosa iis iniungi curaui: quos odio prosequebar: emi publici muneris occasione pretio minori, quàm æquum erat, & maiori vendidi: greges prohibitis pascuis introduxi, graui damno oborto: aliis propria onera, aut propinquorum graui iniuria imposui *toties.*

§. 3. *Scribæ Senatus.*

28. *Quando delinquit mortaliter Scriba Senatus?* Iuramentum de munere rectè gerendo, arcanóque custodiendo violaui: plus pretij graui soluentium incommodo acquisiui, quàm ex taxa debebatur: ignoraui constitutiones capitulares, regalia instrumenta bonæ negotiorum expeditioni necessaria: mea incuria, seu iniquitate regij reditus, aut Reipublicæ grauiter imminuuntur, cùm traduntur emptoribus: suppressi petitiones inimici, graui damno secuto, vt perlegat amici codicillum: tributarium aliquem aboleui à matricula, regij iniuria patrimonij: non curaui, vt transgressores Constitutionum punirentur, quia amici, aut propinqui; constitutiones quidem operiendo, quas manifestaui, vt inimici supplicio afficerentur *toties.*

CAPVT VIII.

De Peccatis Mortalibus quorundam Ministeriorum Reipu. licæ.

§. 1. *Tutoris praxis.*

29. *Tutorum grauia expende peccata.* In re graui iuramentum factum violaui: inuentarium non illico bonorum pupilli construxi, graui damno accedente: dedi pupillo plus nummorum, quàm ad recreationem iustam opus erat, sine iudicis auctoritate graui patrimonij iniuria: non curaui pupillum bonis moribus educari: decimam accipiens, debito

debito tempore fructus non vendidi, graui incommodo exorto: aut vt proprio commodo consulerem, in tempus importunum fructus reseruaui: (quo tempore debeant venditioni exponi, docet Molina tom. 1. disp. 224.) Reditus patrimonij lucrationi non tradidi, vnde augeri deberent: aut debita liquida non comparaui: bona alumni mihi propria emi auctoritate, aut ad lucrum accepi rectitudine non seruata, iuxta communem æstimationem: bonorum pupilli rationem cum solutione non exhibui graui eius iniuria: exegi ab alumno, dum sub mea potestate, vt mihi donaret graue aliquod bonum: lites iniustas excitaui, ob indebitam bonorum acquisitionem *toties*.

30. *Quid de grauibus Testamentarij culpis?* Post annum distuli testamenti executionem: curaui prius legata gratiosa impleri, deficiente fortasse pecunia ad debita soluenda: legata gratiosa non solui, cum possem, cogens ~~accepturos~~ legatarios iniustè insumere, ob acquisitionem mea notabili negligentia iniustos sumpty facere vendita non fuere bona defuncti: distuli planè emptionem vt postea mihi minori pretio valerem acquirere: mea iniuria fructus perire: viduam & pupillos, cum deberem, ali non curaui: pro Missis offerendis aliquid assignatæ eleemosynæ abstuli, seu Sacerdotis iniuria, seu defuncti, cum adsit periculum ne non integrè satisfiat obligationi: cùm deberem Paschatis v.gr. instantia eleemosynam erogare, nimium distuli proprium curans emolumentum, aut pauperibus graue incommodum afferens *toties*. §. 2. *Testamētarij.*

31. *Præpositi erarij quandonam leuiter delinquant?* Vt soluerem quod debebam, & moneta, qua eram obligatus, pretium exegi pro debito præstando nihil accipere debens, nisi mihi gratuitò, & sine vlla exactione, aut obligationis respectu traderetur: anticipata solutione, ab hoc recepi munus, dum alteri, cui debetur ideo suo tempore non solui: solutionem vili effeci moneta, quam argentea debebam, haud præmij addito excessu: vsuram committens aliquid percepi, vt præstarem inducias debitori, cum ideo specialiter alteri creditori non possem debito tempore satisfacere: cùm nummi non sufficerent singulis creditoribus: haud solui vnicuique pro rata; sed vni, aut alteri solummodo in integrum aliorum iniuria, aut proprio commodo, accipiens scilicet pretio pro beneficio: instrumenta seu litteras decretæ pecuniæ reieci iniustè, aut admittere tardaui, graui incommodo creditoris *toties*. §. 3. *Præpositi erarij.* pretij

32. *De Regalis patrimonij Administratore quid adiicis?* §. 4. *Administratoris Regalis patrimonij.*

Ministros idoneos, ac fideles non assignaui, graui quidem incommodo aut regalium prouentuum, aut agricolarum, vel eorum, à quibus exiguntur: ob assignationem horum ministrorum mercedem accepi, ipsis pauperes expilaturis, vt pretium datum pro munere recipere valeant: ab Ecclesiasticis exegi, haud seruata eorum immunitate.

§. 5. *Præpositi Portus sicci.*

33. *De Portus sic Præpositis adiicio.* Mercium pretium celaui, vt cariores haberentur, accipiens quidem ab asportante pretium latrocinij? vilipendi merces iniustè, vt minori pretio haberentur; aut cariores ostendi contra iustam æstimationem: in alia Regna prohibita asportari permisi, aut ad Regnum hoc transmitti, quod legibus grauibus inhibetur *torres.*

CAPVT IX.

De Peccatis mortalibus circa Medicinam.

§. 1. *Medici praxis.*

34. *Quando Medicus mortaliter peccat?* Sine sufficientia graues tentaui curare ægritudines: non præcedente studio, examine non adhibito, in graue discrimen ægrotantem induxi: oblata grauis insolitæ ægritudinis occasione, haud speciali studio operam impendi: priusquam mihi viderer ægritudinem dignouisse, temerè remedia periculosa adhibui: agnito ægroti periculo, aut non adhibui necessariam curationem, aut non adfui ægrotanti opportunè, aut non permisi alium Medicum adhiberi, seu auaritia, seu iactantia, seu inimicitia: alios Medicos vituperio affeci, vti eorum famam obnubilarem: agnoscens ægroti periculum opportuno tempore non admonui, vt spirituali ille curationi operam impenderet: curationem prolongari procuraui, vti quæstus accresceret: medicamina ignota temerè adhibui, vitæ di crimine manifesto: ægroto suasi, malum aliquod intrinsecè exercere, ad ægritudinem propulsandam: aliquod medicamen dictaui, ad non generandum, & ad fœtum seu interficiendum, seu loco mouendum ante & post animationem: vt pharmacopolam mihi conciliarem, curaui nimium pharmacorum insumi; pharmaca inutilia non reieci, aut pharmacopolium inuisens publica auctoritate, iniustè peregi ministerium: plures ægrotos curandos suscepi, quàm poteram, cùm adesset alius Medicus, qui succurreret, graui inde oborta ægri incommoditate: facilè sine necessitate edendi

carnes,

carnes, aut non ieiunandi veniam dedi, mea culpabili incuria decesſit ægrotus: ægrotantem pauperem præcipuè in periculo conſtitutum contempſi: ex odio aut vindicta ægroto debita medicamina non adhibui: immaturè ab ægroto vno diſceſſi, vt alterum curandum ſuſciperem, priori conſtituto in eo periculo, vt aut diem ſuum obiret, aut diu infirmitas proferretur: ob curationem exegi mercedem immoderatam ſpeciatim à paupere: defendendæ, ac confirmandæ opinionis cauſa, audiens opportunius alterius Medici conſilium, à propria ſententia non cecidi, oborta inde magna ægroti incommoditate: è contra facile me aliorum opinioni accommodaui, quam minimè ſecuram in praxi cognoſcebam: falsò iuraui vulnus aliquod non eſſe lethale, vnde læſo graue redundauit incommodum: iurata ſtatuta Medicorum violaui, aut obſeruanda non agnoui: curaturus fœminas ipſe animo ęgrotaui: corruptas mulierculas proſtitui permiſi, graui iuuentutis læſione *toties.*

§. 2. *Pharmacopolæ.*

35. *Grauia pharmacopolæ delicta recenſe.* Inſcius & non examinatus munus exercui: ſine arte medicamina condiui: melle in potionibus pro ſaccharo vſus ſum: vnum medicamentum pro alio contra Medici præſcriptum, aut ex opinione, aut ex penuria cum damni grauis periculo adhibui: medicamina ad non generandum, aut ad vtero mouendum dedi: ignoto venena cum periculo grauis damni inferendi porrexi: pharmaca damnificata, aut inutilia vendidi: ponderi aut menſura ementi graue intuli nocumentum: Medicum allexi, vt medicamina pretio immoderato taxaret vltra iuſtum valorem: aquam naturalem pro medico herbarum aut florum ſucco ægrotantis incommodo, pretij iniquitate reddidi: aliter infirmos ſeduxi graui iniuria redundante: pecuniam alteri commodaui ex pacto ad meum pharmacopolium accedendi: grauiter feſtos dies ſine neceſſitate violaui *toties.*

§. 3. *Chirurgi*

36. *Chirurgi grauia crimina aperias.* Sine ſcientia, aut practica, aut examine vulneribus curandis dedi operam, grauis erroris periculo: Medicum egi, quando neceſſariò erat ille conſulendus, præcipuè ſi vulneris grauitas exigeret, meo placulo, ſeu lucri prætextu curationem prolongari effeci: me immodeſtum grauiter circa fœminarum curationem exhibui *toties.*

§. 4. *Tonſoris.*

37. *Quid de Tonſoribus?* Fœminæ venam abortus cau'a ſcidi: ſanguinem emitti feci, ſine Medici, aut Chirurgi conſenſu, non exigente angina, aut dolore lateris effrænato, aut

aut alio casu repentino præsentaneam sanguinis emissionem requirente: me immodestum ostendi, dum fœminis remedia adhiberem, vnde grauiter læsi castitatem: Chirurgi munus ausus sum exercere nec examinatus, imò ignorans, haud magna necessitate: pupillum arti ediscendæ deputatum pretio exhibito, non edocui, potiùs aliis ministeriis tanquam merè famulos addixi contra artificum vsum: aliam, quam imperatus sum, venam scidi, dum grauiter obesse curationi scirem, aut timerem: publicè diebus festis aperto ostio, & non occultè, ex necessitate aut vsu, barbam rasi, aut aliud seruile præstiti, seu geri imperaui *toties.*

CAPVT X.

De Peccatis Militiæ.

§. 1. *Ducis praxis.*

38. *Vcis crimina grauia recense.* Militum mortuorum, aut fugitiuorum stipendium mihi applicui: pro mercede effeci, vt milites vno in populo non diuersarentur, onere illo alteri iniustè impositò: duplicatum, triplicatumque hospitium vni militi adscripsi; vt ille vna domo receptus reliqua hospitia pretio redimeret, quod ab ipsis recederet: iniustè ciuitatem, seu populum quemlibet militibus dedi spoliandum: furta, aliasve militum iniustas actiones dissimulaui: plusquam duos famulos habui; qui regali mercede degerent: Chirurgi, cùm non adesset, aut Capellani absentis stipendia accepi *toties.*

§. 2. *Militiæ.*

39. *Quid de militum delictis?* Dans nomen signo, vt mercedem quotidie acciperem, accedente pugnandi occasione, fugi: hospitantibus iniuram intuli, eos expilando, coniugem aut filias ad turpia alliciendo, aut exigendo: à blasphemia graui, & periurio non abstinui: à ludis prohibitis non recessi: permissos peruersè exercui, graui sociorum iniuria: duplicem hospitio domum accepi, vt iniquo quæstui darem operam: bello iniusto operam nauaui: mecum veritus non sum asportare meretrices *toties.*

CAPVT XI.

De Peccatis Mortalibus Agricolæ.

§. 1. *Agricolæ praxis.*

40. *Quonammodo grauiter delinquit Agricola?* Dies festos non custodiui, haud vrgente necessitate: cùm adesset grauis necessitas mala fide ex ignorantia laboraui: non ieiunauí quando Ecclesia imperauit, falsò mihi persuadens, ad ieiunium teneri, etiam si eodem die operi incumberem: confirmationis Sacramentum contempsi: non solui Decimas: Parocho graui in re non obtemperaui: ligna, aut manipulos messis, in graui materia surripui: sine auctoritate animantia gregis alieni necaui, grauiter percutiendo, oborto proximi incommodo: fundi alieni maceriem comminui, vnde fructus graue acciperent nocumentum: fundum proprium propagaui communium bonorum iniuria, aut alienum conductum destruendo: pecora messibus alienis addixi, ex grauis incommodi cognitione: ob temporum incommoda, aut in blasphemiam, aut in stulta verba in elementa Dei opera prorupi: maledictis affeci pecora, reputans falsò semper me lethaliter delinquere: falsum testimonium contra proximum in materia graui protuli, siue simplici verbo, siue addito periurio: alios ex inuidiæ, aut vindictæ affectu iniustè accusaui, vnde præter irrogatam iniuriam, necessum fuit accusato sumptus impendere: superstitionibus operam dedi: non impleui labore meo mercedis quantitatem, graui proximi damno: iustas gabellas, ac tributa non solui *toties.*

§. 2. *Lacus vuarum præpositi.*

41. *Quid si Agricola lacui præsit, vbi vuæ exprimuntur?* Sine vtilitate aquam musto admiscui: mustum deterius, seu aqua admistum, quod ex reliquis vuarum agricolæ famulis assolet elici, musto bono addixi, vt vtrumque vti bonum æquali pretio venderem graui equidem damno emptori oborto: cùm emptorem vino bono potassem, vt eligeret, postea deteriori admisceri curaui, & quæstum iniustum comparandum: mustum acidum, aut debile condimento lædenti præparaui in ementis iniuriam, cui post breue temporis interstitium merces periit, *toties.*

§. 3. *Custodis agrorũ.*

42. *De agrorum custodibus quid adiiciendum?* Muneris mei obligationem communi incommodo nesciui: iuramentum de munere fideliter exequendo violaui: vi pecuniam agricolarum, venatorum, aliorúmve sine iudicis auctoritate exegi: accepi

accepi munera, ne munus rectè exercerem, graui exorta læsione: læsores agrorum non accusaui: accusato reo, pro mercede exhibita, ab accusatione recessi: iniustè ex odij effectu proximum innocentem accusare veritus non sum: communes montes ob quæstus spem commutii dissimulans *toties.*

CAPVT XII.

De Peccatis mortalibus Mercatorum.

§. 1. *Mercatoris praxis.*

43. VNdenam *Mercatores peccato lethali illigantur?* Venenum, aut prohibita quæque ex suspicione praui vsus vendidi: in animi præparatione vixi, vt quodcumque pretium iniustum potuerim exquirere ab emptore, non prætermitterem: anticipata solutione emi, quod tradendum erat posteà infra infimum pretium: vltra supremum vendidi, quod post tempus soluendum esset: hostibus Christicolarum bellica vendendi instrumenta, munitiones, &c. Mercium grauem occultum defectum non aperui: pondus, & mensuram grauiter imminui, in præparatione animi fui leuiter sæpe defraudare, vnde grauis Reipublicæ iniuria resultat: in emptorum iniuriam Monopolium iniustum constitui, non vendendas merces, nisi exhibito pretio: merces cunctas mihi comparaui, immoderato quæstu pro libito vendendas: minori pretio ab eo, qui merces non agnouit, emi, & carioti vendidi ignoranti: versuram feci, vendendo pretio maiori soluendo in futurum, quod mox redemi exhibito pretio minori: aliquid vendidi valoris deterioris pro alio, aut qualitatis, aut durationis & vtilitatis: merces veteres, exhalatas, & inutiles bonis admiscui, vt eodem pretio venderem vtrasque: inita societate, socios grauiter læsi, infideliter gerendo ministerium: societatis fictitiæ inij contractus palliata vsura: iniustè assecurationes capitalis & lucri factæ sunt mea iniquitate: iusta tributa defraudaui: tempore debito non solui graui damno creditoris, qui protestationem incommodi gessit: mercibus solui, quod pecunia soluere debebam, contra creditoris voluntatem: læso iure, aut consuetudine diebus festis emi, & vendidi publicè: Ecclesiam irreuerentia graui domum feci mercaturæ: iuraui falsò, me tanto pretio merces emisse, quam credulus mercator eodem, aut maiori grauiter quidem læsus acquirit: in concursu mercatorum

rum ad aliquas merces comparandas licitatus sum fictè, vt alter affectus ad merces cariori pretio emeret: dubitans de iustitia contractus ausus sum perficere: prauis contractibus operam adhibui: furtiuum comparaui, aut dubius quidem non prius de venditionis iustitia periculum feci: vendens ex commissione cariùs vendidi, quàm imperarer, excessu pretij mihi asseruato: quia iniusto quæstui indulgere curaui, merces non sunt venditæ commissæ, quæ postea aut periere, aut deteriores sunt effectæ *toties.*

§. 2. *Procuratoris mercium.*

44. *Crimina lethalia exprime eorum, qui ad mercium consumptionem emptores quærunt, & alienas merces offerunt.* Contractum vsurarium fieri curaui, eique opem tuli: mercem mihi emi, vnde non requisiui alium emptorem, qui pretio maiori acciperet: affirmaui non adesse emptorem, qui è tanto pretio excederet, mihi graui excessu reseruato: iniustas versuras, quod Hispanicè exposuero *Mohatras*, promoui: cambiorum siccorum contractus excitaui *toties.*

CAPVT XIII.

De Peccatis grauibus Artificum.

§. 1. *Argētarij praxis.*

45. *QVandonam delinquat Argentarius?* Æs vile pro auro, aut argento vendidi: auro aut argento plus vilis æris admiscui, quàm ars exigit: emptoribus non declaraui admixtum, aut pretium non imminui: ex furto mala fide aliquid emi: monetam conflaui; conflatam imminui effeci, ære sublato: communem lapillum pro pretioso vendidi, aut pretiosum emi pro vili: gemmas super aurum non collocaui, sed super æs vile, dum eidem ponderi vtrumque erat addicendum: deauraui, aut argentaui contra legis præscriptum vilioris æris monetam: aurum non debito valore elaborari effeci *toties.*

§. 2. *Bibliopola.*

46. *Bibliopolæ indica graues transgressiones.* Libros alterius Regionis vbi fides non viget, cum periculo suspectæ doctrinæ asportaui, vendidi, aut venales exposui: allatis è Regno extraneo libris, operis auctorem, qui in Hispania edidit, impediui, quo minus volumina vendere valeret, aut imminui pretium effeci: libros prohibitos vendi curaui; aut lasciuos tractatus, qui graue nocumentum afferre assolent; aut sine auctore librum vendendum assumpsi: defectuosum

librum

librum pro integro tradidi graui incommodo legentis: expurgatorium librorum catalogum nec habui, nec emendari libros iuxta illius præscriptum procuraui *toties.*

§. 2. *Typographi.*

47. *Quid de Typographo?* Sine auctoritate indulgentias aut deuotiones excusi: librum mentita vrbe edidi, vnde auctori graue nocumentum exurgit, qui multiplicatis voluminibus sua non potest vendere: mihi contra auctoris voluntatem aliqua volumina retinui, licet papyrum adhibuissem vile atramentum mox periturum adhibui *toties.*

§. 3. *Pictoris.*

48. *De pictoribus quidnam?* Amasiæ formam amanti tradidi: viles colores post paruum interstitium morituros apposui, prauo lino, inutili præparatione: nudas imagines occasionem scandali grauis expressi: dies festos non ediscendi gratia, sed lucrandi seruiliter violaui *toties.*

§. 4. *Ludi chartarũ Ministri*

49. *Quandonam grauiter delinquat, qui Ludo chartarum mensam exponit:* Consultò admisi eos, qui dominium non habebant, vel mortaliter ludendo peccabant, quia amittebant, quod familiæ sumptui erat necessarium: vnde cogor legibus prohibentibus domos lusorias, comprehendi: permisi vestes seu ludentis, seu vxoris adduci, vt nummorum loco deseruirent: immoderatè nimis pro lusoriis chartis, aut lucernis exegi: mulierculas in prauum vsum adduci permisi *toties.*

§. 5. *Histrionis.*

50. *Quid de Histrionibus?* Mecum amasiam aut publico scandalo, aut coniugis specie duxi: permisi vxorem dona accipere cum inordinati affectus, & effectus periculo; aut cum adolescentibus aut viris procaciter admiscere sermones: fœmina vestem virilem immodestè cum scandali grauis occasione prætuli: versus recitaui, qui ex sese ad intemperantiam excitant: cùm recitabam amorum affectus ex corde loquebar: Hospites debita mercede grauiter defraudaui iter agens, aut in vrbibus permanens: sine voluntate parentum huic muneri infami quidem incubui, dum in re tam graui obedire tenerer *toties.*

§. 6. *Obstetricis.*

51. *Obstetricum peccata lethalia recensens.* Sine sufficientia operam impendi: Baptismi formam ignoraui: obortam difficultatem, quæ requirebat medicum, prætermisi: secretum violaui, vnde grauis infamia exorta: puellis integritatis simulationem promittendo, mea securitate facilius illæ se violari permiserunt: falsò iuraui de fœminæ integritate iuridicè interrogata, grauibus inde obortis incommodis, quorum rea exisio: infantem vnum pro altero apposui: pretium, quod ad infantis nutritionem accepi, defraudaui: dissimulaui

simulaui mortuum infantem, quem clam nutriendum acceperam, superstitem esse, vt adhuc ad nutritionem pecuniam acciperem: occasione officij chartas amatorias fœminæ alicui tradidi: ad abortum remedia exhibui seu ante, seu post fœtus animationem; vel ad non concipiendum: infantem communi lapidi, aut alterius portæ cum iniuria apposui, quando proprij parentes eum & poterant, & debebant nutrire *toties.*

§. 7. Reliquarum Artium Mechanicarum.

52. *Debitor cùm sim sapientibus & insipientibus, sapientem quidem confessarium grauia commissa aliarum artium moneo, vt scita recolat; insipientem pœnitentem edoceo, quæ quidem committit ignorans. Quid igitur de aliis mechanicis artibus adiiciendum?* Textor delinquit grauiter, si fila serica, linea, aut lanea cum viliori commutat: si telam pectini contra legem apponit: aut aliquid contra artem, graui oborto incommodo, præstat. Tonsor pannorum non æqualiter tundendo, aut bis tutudisse affirmando, cum non præstiterit; aut cardis pilum extrahendo; gummúmve graui oborto damno adiiciendo. *Latomus* seu Cementarius à mercenariis operis mercedem auferendo, aut partem quidem, quam à domino sibi exigit, ac si esset mercenario impendenda; aut domui exædificandæ materialia vetera corrupta adiiciendo, quorum, vt optimorum, pretium accipiunt; aut mercedis laborem non implendo; aut ruinæ domus causam dando; dum inutiliter reparationi incubuere. *Faber lignarius* vendendo ligna putrida pro sanis; aut opus alienum celsiori, seu viliori, quàm opus est, pretio taxando, iniuria quidem vel domini, vel artificis; aut in domus euersione spolia surripiendo. *Sartor* iurando se tali die opus perfectum daturum, quod scit minimè adimplendum, vel dubitat; aut plus materiæ exigendo, quàm ad opus est necessarium; aut aliquid momenti superans sine voluntate domini retinendo; aut vestem perdendo, vt aliquid materialium sibi vsurparet; aut dies festos sine graui causa violando. *Chordarum, aut funium artifex* stuppam pro canabi adiiciendo, vnde funis illico abrumpitur. *Lucernarum faber* admiscendo linum ceræ excrementis vt ponderosius opus pluris sine iustitia æstimetur; aut seuum vel cicerum farinam ceræ iniiciendo; aut resinam, seu therebentinam ceræ pallidæ apponendo velocius consumendę; aut plus lini quàm ars exigit, in ceræ, aut seui subtractionem adhibendo. *Coriorum curator* extrahendo è lacu corium prius quàm debet ex lege; aut festa non custodiendo sine necessitate, exceptis quidem à solemni omnium Sanctorum vsquo

ad

ad Resurrectionem, ob Solis beneficium; aut lantiscum adhibendo pro nautea. *Faber ferrarius* claues efficiendo iis, quos suspicatur, ad opus iniquum abusuros; aut rubra terra ea operiendo, ne rupturæ vasis appareant. *Spathar ius* vendendo enses fractos, periculo quidem emptoris, dum oborta pugnandi occasione, in partes diuiditur. *Calceat r veterinarius.* Soleas ferreas etiam fractas figendo; aut festos dies sine exigente bestiæ itinere violando grauiter. *Sutor* soleas grossas findendo: corium combustum pro forti dando; festos dies sine causa grauiter transgrediendo. *Custos ostij ciuitatis* permittendo, merces prohibitas asportari, iuramento quidem fidelitatis violato. *Caupo* hircinas carnes pro arietinis tradendo; aut vinum nouum pro vetere, seu aqua immixtum dando; aut consultò famulas lasciuas habendo in hospitum impudicitiam; vel ludos prohibitos permittendo; vel latrones fouendo, vel scienter ebrietate afficiendo vinum propinando. *Cetarius* pisces siccos aspergendo, vt pondus addatur; aut sale rursus pisces madefactos condiendo in alteram hebdomadam; aut recentia aquatilia potiora diuitibus accommodando, pauperi inutilibus ferè fragmentis reseruatis, quæ eodem pretio accipiunt. *Galerorum artifex* vendendo galeros ambustos, aut veteres rursum intinctos pro sanis, & nouis. *Lanificus* pannum perdendo, dum nimium tadit, aut citius finem operi imponit; aut non tot cardi addicit versionibus, quot opus exigit; aut battuario pannum tradendo minus battuandum, quàm oportet; aut gummem adiiciendo pro sapone; aut ex saponis portione detrahendo; vnde panno graue nocumentum obueniat. Hinc reliquos artifices grauia crimina poteris edocere.

CAPVT XIV.

De Peccatis mortalibus Tribunalis iudiciarij.

§. 1. *Iudicis praxis.*

53. *IVdicum denique, qui reliquorum delicta puniunt, grauia crimina recensenda. Quandonam Iudex mortaliter delinquat?* Cognoscens iustitiam vnius manifestam esse recusari curaui ab illo, vt alterum damnare non cogerer: iniquè iudicaui seu quæstus, seu amicitiæ, seu propinquitatis prætextu: sine iurisdictione causam vocaui ad tribunal: iniustè

iustè pœnam corpoream cum pecuniaria commutaui: temerè haud perfectis iudicij actionibus iudicare non renui: sine causa cum graui incommodo litigatoris sententiam protraxi: verba contra litigatores iniuriosa protuli: muneri incubui litium ac legum ignarus, nec doctos adiui consulendos: quia curam studio litis non adhibui, oleum & operam perdidit litigator: iniquo ductus affectu iudicaui, graui incommodo oborto: secretum graue quidem litigatorum violaui: constitutionem, seu legem contra iuramentum graui in materia transgressus sum: tempus informationi necessarium non permisi ante sententiæ prolationem: relationem litis audiens, dum mente diuagarer, non curaui suppleri defectum, Cum litigatori ob meæ defectum attentionis graue nocumentum inferretur: distuli rei comprehensionem, vnde graue incommodum: comprehendendum monui, vt fugam arriperet: permisi vinctos ære pressos alieno solui sine approbatione creditorum, vnde solutio debiti seu differtur, seu impeditur: reum ab Ecclesia contra eius immunitatem extraxi; aut postquam recluſi, ad actiones iudicij processi, priùs quàm Ordinarius declararet, num Ecclesiæ frui deberet immunitate: sine iure confessionem à reo, astu quidem iniquo, exquisiui; vel complices aperiri curaui, quando iura repugnant: scribam indoctum feci confessioni exquirendæ incumbere, quam ipse exquirere debueram: Pontificis Bullis non obediui: interdictum violaui: contra iuris præscriptum admisi appellationem: aliquem vinxi non præmissa summaria probatione; seu etiam informatione summaria præcedente, id est vnius testis depositione processi ad vincula, vnde infamia oboritura esset, scilicet in casu hæresis, Sodomiæ, &c. Torturam iniustè imperaui: vel durius torqueri passus sum reum, quàm ratio, & ius exigebant *toties*.

54. *Auditorum præterea innue lethalia crimina.* Violaui re- §. 2.
in graui iuramentum de munere rectè obeundo: arcanum *Audito-*
Senatus non custodiui, vnde Senatores non liberè mentem *ris.*
aperiunt: magna munera à litigatoribus accepi: causis me ingessi Ecclesiasticis contra Bullam Cœnæ excomm. 14. Ecclesiasticis iudicibus aliquid imperaui, quod rogationis more prodere debueram: non audito Relatore, postea causam non perlegi; aut lectam quidem, litem protraxi, graui litigatorum incommodo: permisi famulos cibos præcipuos emere, vt maiori postea pretio venderent, non sine pauperum iniuria, siquidem vis plerumque infertur: lites Relatoribus æquitate seruata non tradidi, iuxta constitutiones; sed speciali

infertur

affectu

affectu acceptaui personas: præses cùm essem gymnasij non imperaui lites seruato ordine discuti, sed inuerti, graui litigantium iniuria: vinctos sine iustitia, & satisfactione solui, vt pius, ac liberalis haberer: ministros adeò protexi, vt illi hoc munimine insolenter se gererent: violenter sum vsus alicuius famulatu, quem mercedis loco ad commissiones immisi, aut sine necessitate custodem effeci, aut aliquod publicum ministerium iniunxi: Bullas Apostolicas extra casus expressos impediui: Epistolas commendatitias meis litigatoribus contra alios accommodaui, violans *legem 25. tit. 4. lib. 2. Recop.*

§. 3. *Prætoris criminis.*

55. *De criminis Prætoris quid?* Re in graui aut iuramentum emissum, aut Senatus violaui secretum: processum ab Ordinario iudice abstraxi, priùs quàm competentia discutereturve appellationem articuli admisi, seu interlinealis sententiæ, quæ diffinitiuæ vim non habet: iudicem, qui de officio processit ad me redditurum rationem aduocaui: per me testes non vocaui ad examen; nec vinctos inuisi, vnde illis grauis molestia exorta: aliquem torturæ addixi, non præmissa sententia, & eius notificatione; seu exemptum torqueri imperaui: vinciri iussi eum, qui per procuratorem poterat respondere, graui ob id aut infamia, aut scandalo oborto: relatores culpabiliter non audiui, vnde necessum fuit processum ad meam domum cum magna litis suspensione deferri: munera accepi à litigatore contra *l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop.* Vt familiares aut famulos meos alere possem, commissionem eis mercede iniusta permisi: vinctum ab Ecclesia abstraxi sine causa: processique ad probationem, priùs quàm ab Ordinario decerneretur, num Ecclesiæ frui deberet libertate *toties.*

§. 4. *Fiscalis.*

56. *Fiscalis quidnam?* Iuramentum in materia graui transgressus sum: causas vindicta aut contentione persecutus sum, graui incommodo oborto: illicitis mediis vsus sum ad causarum exaggerationem: ex amicitia causam, quam debebam, omisi; vel quam non debebam, accepi: singulis hebdomadibus simul cum Præside & Prætore non perlegi catalogum damnatorum ad triremes, vt eorum causæ concluderentur, ob id graui incommodo reis obuenire viso: haud liter expenden videre curaui, vnde causa excidit efficaciâ: cognoscens literas Apostolicas non esse contra Regalem patronatum curaui retineri: munera, aut subornationem accepi contra *l. 56. tit. 5. lib. 2. Recop.* Aliquid contra Ecclesiasticam petij libertatem *toties.*

§. 5. *Aduocati.*

57. *Quonammodo Aduocatus mortaliter peccet?* Litigatoros seduxi, affirmans iustitiam esse manifestam, cum aut non aderat,

aderat, aut dubia erat: defendi litem iniustam, seu minus probabilem, quando minimè poteram, & debebā de minori probabilitate consulentem admonere: ob studij defectum falsò de probabilitate causę iudicaui, quam improbabilem omnino post studium reiicerem: induxi partem ad pactum, cùm nulla iustitia inniti cognoscerem, & nihil ab altero posse exigi nisi parum aliquid, quod gratis fortasse daretur in vexationis redemptionem: plures causas, quàm discutere poteram, suscepi, vnde lites notabiliter suspensæ fuere graui litigantium incommodo: accepta iusta mercede aliquid vlterius exegi scribenti ministrio contra iustitiam, seu litigatorem coëgi, vt informationem ex iure ille scriberet, quam alius minori pretio exararet: permisi culpabiliter informationes contrariæ parti dari: mercedem iniustam recepi, dum exaggerarem studij laborem; licèt enim contra legem non deliqui nullam certam Aduocato portionem præscribentem, saltem ius naturale violaui: litigatorem meum induxi ad scripturæ alicuius subtractionem, quam debebam manifestare, vel ad veritatis abnegationem; vel ad prolongationis termini petitionem sine necessitate, solummodo in litis suspensionem: pactum cum litigatore feci, mihi dandam partem eorum, quæ accepturus erat ex litis victoria contra *l. 2. tit. 16. lib. 8. Recop.* A pauperibus mercedem exegi, cum deputatus essem eorum causis protegendis: iuraui relationes bene compactas esse, quas minimè viderem: leges, statuta, & ordinationes ignoraui, vnde graue incommodum litigatori: pauperem ob mercedis defectum deseruj, qui à causa iusta sine patrono cecidit: multiplicaui ex quæstus iniusti affectu petitiones: præsentaui falsos testes, aut instrumenta: præuaricationem inij, dum vtrumque defendi litigatorem, aut publicè, aut secretò: arcanum mei litigatoris alteri manifestaui, graui exorto incommodo: suasi contractum vsurarium licitum esse; vel instrumenta huiusmodi dictaui *toties.*

§. 6. *Relatoris.*

58. *Quandonam delinquant grauiter Relatores?* Ob studij defectum, vel incuriam malè recitaui, seu aliquid substantiale prætermisi: mea occasione litigatorum causæ suspensæ: relationes extra domum scribi effeci, vnde contrarius posset perlegere graui alterius incommodo: falsò affirmaui instrumentales facultates originales à processu extractas esse, & in eodem transcriptas remanere: partialis fui, plus conatus impendendo in explicanda vnius iustitia, quàm alterius, seu dicendi modo, seu de vno loquendo, quando iudices confabulabantur; de altero, quando intentis animis aderant: sen-

tentiam meo litigatori manifestaui, priùs quàm euulgaretur; vnde posset iudicem recusare, aut pactum contra alterum inire: munera accepi etiam comestibilia, mercedis loco minimè donata: mercedem pro labore nimiam exegi contra *l.19. tit.17. lib.2. Recop.* Accepta iusta mercede rursum accepi contra *l.24. tit.17. lib.2. Recop.* Foliorum lineas imminui, futuras planè triginta tres vniuscuiusque paginæ *toties.*

§.7. *Secretarij.*

59. *De Secretariis quid adiiciendum?* Iuramentum factum grauiter læsi: arcanum violaui: sententiam nondum euulgatam manifestaui: munera prohibita accepi: plus mercedis exegi, quam debebatur: paginam triginta trium regularum, quarum singulæ decem verba, seu partes habere debent, imminui, graui oborta iniustitia: instrumenta originaria processui addixi, cum transcribere deberem: diligenter processus ac sententias non custodiui, sed litigatoribus sine iudicum præscripto tradidi: negligens grauiter fui circa causarum perfectionem, vnde illatum nocumentum: processus taxatos iam Relatori non commisi, vnde ille posset iniustè plus mercedis pro pagina diminuta exigere: transcriptoribus non solui, vnde à litigatoribus illi rursum exegere: haud frequenter officinæ adfum, testes ipse quæsiturus: testimonia ad vnguem non transcripsi, graui inuersione, aut exaggeratione, aut diminutione superaddita: mercedem exegi ob processorum custodiam, aut propter inquisitionem contra *l.17. tit.20. lib.2. Recop.* Mercedem exquisiui quando ex *l.20.21.25.* & aliis *tit.20. lib.2. Recop.* non poteram: statuta, & leges, quas callere tenebar, ignoraui *toties.*

§.8. *Trebellionis.*

60. *Tabellionis præterea crimina grauia expende.* Iuramentum emissum in re graui transgressus sum: sine sufficienti peritia me causis immisi, clausulis communibus scripturarum minimè cognitis, & sine literati consilio: scripturas summatim accepi, nec postea feci plenas, vt à partibus firmarentur, addidi, aut detraxi aliquid magni ponderis in depositione testium; ministróque transcriptori examinationem commisi erroris periculo: iudici coram tribunali non verè, & sine meditato inuolucro causam manifestaui, graui veritatis læsione culpabiliter non assistens tribunali mercedem exegi, vt processum ad domum iudicis reportarem: diligenter protocolla non custodiui, vnde postea grauia exoriantur incommoda: combussi, comminui, abscondi scripturam aliquam vtilem alicui, graui incommodo obueniente: vexaui differens causarum cursus, vt pecunia iniuria redimeretur: cum Officiali Prætecti egi informationes, aut vinciendi aliquem mandata

confinxi,

confinxi, sine iudicis auctoritate: denunciatorem confinxi, vt portionem subriperem denunciatoris: iudici recens aduentanti, prauo zelo crimina enunciaui, vt nummos exquirerem, non vt delictis medicinam adhiberem muneris titulo iniustitiæ operam nauaui, aut vindictam sumendo, aut illicita perpetrando: præscriptam mei officij taxam grauiter læsi: permisi officiales meos solutionem accipere, quando ipse integram iam acceperam: ob Scripturas quærendas nimium mercedis exquisiui, fingens non comparere, vti maiori pretio illa vexatio redimatur: depositum litis accipiens, non illico suo tempore solui, vnde coactus dominus, superfluo sumptui operam dare: pauperes desolatos non iuui, vnde periit eorum causa: muneris publici occasione fructus meos maiori pretio quàm æquum erat, vendidi; aut accepi minore: extra vrbem egrediens alicuius gratia executionis, alia negotia simul expediui, posteáque vniuscuiusque diei mercedem duplicatam, aut triplicatam accepi; quando proportione seruata debebam sumptus imminuere: prohibitorum contractuum instrumenta confeci: testamentum alicuius scripsi, qui rationis vsu carebat: testes falsos accepi: vnius damno graui alterius prece aliquod testimonium necessarium non exhibui: solemnitates necessarias ad scripturæ valorem ex ignorantia culpabili aut, malitia præterij: necessitate non vrgente solemnem diem iudiciarijs actibus grauiter violaui: ex malitia causarum piarum legata non manifestaui *toties.*

§. 9. *Procuratoris.*

61. *Quid de Procuratore?* Litem iniustam procurauí: de pacto curaui; quando litigator meus à iustitia ceciderat: suscepi plurium causarum procurationem, quàm vtiliter possem: plus mercedis, quàm iustum exquisiui: iniustè reum veritatem suasi abnegare: curaui pacisci de tanta mercede, si victoriam reportarem contra constitutionem: culpabili mea incuria causa destructa est: ad incuriæ correctionem, transacto iam termino, diem inscriptionis immutaui: processum accipiens, debito tempore non reddidi, vnde grauis iniuria alteri obuenit litigatori: exhibente pecuniam litigatore ad iura soluenda, retinui quod Aduocato accommodandum accepi contra *l. 7. tit. 24. lib. 2. Recop.* Retinui pecuniam, quam mihi reus Relatori exhibendam dedit, vnde Relator rursum mercedem à reo exegit: nomine mei litigatoris iuraui sine speciali facultatis instrumento; aut sine particulari eius informatione inscius, & cum periculo peierandi, iuramentum emisi: lis periit, quia ipse culpabiliter tribunali non adfui, futurum incommodum præuidendo, aut debendo timere *toties.*

§. 10. *Receptoris.*

62. *De Receptore quidnam?* Ex Cancellaria pluribus negotiis intentus egressus sum integram pro singulis mercedem accipiens: pluribus implicitus negotiis non potui singulis satisfacere, vnde, tempore elapso, litis probatio destruitur, seu cogitur litigator nouæ probationi operam, opésque impendere: scripturam multiplicaui sine necessitate, vt quæstus accresceret; vnde ex relatore & Tabellione sumptus litigatoris increuit: intra viginti dies probationes non tradidi ex culpabili incuria grauis damni occasione: suborratione negotium aliquod acquisiui, quod alteri receptori debebatur; effeci à litigatore alterum receptorem recusari, vt mihi negotium contingeret: scripturas compulsoriis extraxi, multiplicato sine necessitate litigatoris sumptu: aliquid momenti ex munere, & non loco mercedis accepi: plus mercedis exegi, quàm est legis præscripto taxatum: inuerti testimoniorum substantialem sensum; aut aliquid addidi, quod alteri grauiter poterat obesse: distinctè non interrogaui, sed confusè, vnde testis non potuit veritatem manifestare: secretum euulgaui ante iuridicam publicationem, vnde graue incommodum alteri litigatori causatur *toties.*

§. 11. *Lictoris.*

63 *Quid de Ministro Præfecti adiiciendum?* Iuramentum de rectè obeundo munere in graui materia violaui: accipiens mandatum ad alicuius comprehensionem, eum admonui, vt fugeret. Contra *l. 1. tit. 31 lib. 2. Recop.* Missus taxata mercede ad vnum negotium plura suscepi integris expensis: Ministerij prætextu in hospitiis publicis rerum pretia immiui coëgi: dissimulaui ob quæstum lenones, meretrices, carnifices, aliósque liberè aut scortando, aut furando insolescere; nocturna vigilia domos inuasi, altercationibúsque simulatis finxi me latrones requirere, vt domestici pretio redimant vexationem: prætextu muneris grauem intuli iniuriam: eos qui executione erant afficiẽdi, admonui, vt bona celari curarent: meretrices falsò de lenone accusaui ob spem quæstus; & eam, quæ lenoni addicta erat impunè degere permisi: vinctum grauioribus vinculis illigari feci, vt pretio iniustam redimeret vexationem: cum Tabellione pacisci curaui de aliquo innocenti pro quæstu vexando: pignus iniustè extraxi: auxilium adolescentibus mulierculorum domos ingressuris præstiti: impunè furaturos custodiui; mercedem iniustam aut mihi, aut Tabellionibus extraxi: enses iniustè noctu abstuli: coniuges noctu inueniens conclamaui esse concubinarios, vt nummis exhibitis dimitterentur: executionis iura

accepi,

accepi, antequam creditori fieret satis contra præscriptum *l. 7. tit. 12. lib. 4. Recop.* Citaturus aliquem, finxi non inuenisse, & iniustè exegi solutionem *toties.*

64. *Quid de carceris Præside?* Mercedis nimium exquisiui, vinctos expilans: nummos accepi ex eo officio, quod gratis gerere debebam: gessi quod sine licentia iudicis non poteram, vt vinctos ob debitum soluis, dum ex venia illa solutio impediretur: exquisiui à ministris tributum, quod illi vexationibus illatis à vinctis exigunt: vinctos permisi fugere, falsò probans, quod valida custodia detinerentur: addidi sine necessitate vincula vinctis, eósque ergastulo addixi, vt solutio pro nummis commutari valeret: permisi aliquem ibi fœmina abuti: coëgi vinctos mihi sine mercede famulari: apud carcerem cauponiam statui, vbi cibi, aut vinum prauum pretio immoderato venderetur *toties.* §. 12. *Custodis carceris.*

65. *Reus quandonam lethale peccatum committit?* Veritatem abnegaui, delicto semiplenè probato: complices iniustè euulgaui, seu contra bonum commune abscondi; Instrumenta mendacia præsentaui; seu aliquid eorum graui oborto incommodo immutari feci: dilationibus superfluis vsus sum: Iudicem, Tabellionem vel Relatorem iniustè recusaui, vt temporis interstitia acquirerem præcipuè iurans me haud ex malitia procedere: testes causis mendacibus reprobaui: complices delictum abnegare suasi, quod debebant aperire, vel ad huiusmodi iniustitiam induxi *toties.* §. 13. *Rei.*

66. *Quid denique de Teste?* Affirmaui, quod ignorabam, aut dubium pro certo protuli: veritatem, quam operire tenebar, aperui: me abscondi debens respondere, ne rogarer: Iudici iustè interroganti obedire nolui: sciens propinquum aliquem aliquid surripuisse, ob propinquitatis gratiam, ferre ~~nequiui~~ nolui testimonium quod alius non potest ferre; nec curaui saltem proximo ablatum restitui: cùm tenebar testimonium ferre, pretium accepi, vt proferrem veritatem; nec reddidi acceptum: contra Tridentini præscriptum matrimonio de præsenti non præmissis monitionibus interfui: de contractibus vsurariis reddidi testimonium: etiam ~~non~~ rogatus testimonium non tuli, cum innocentem morti addicendum, aut ab infamiæ, grauisve damni periculo possem liberare *toties.* §. 14. *Testis.*

CAPVT XV.

De Peccatis mortalibus coniugum.

67. *Quænam peccata grauia possint committi, quando Matrimonium contrahitur?* Requisita intentione, seu necessario consensu carui: debitum finem grauiter iniquè non intendi: impedimenta tam dirimentia, quàm impedientia neglexi: sine Ordinarij dispensatione denunciationes prætermisi: tempore prohibito graui scandalo oborto nuptiales benedictiones accepi: Sacramentum Matrimonij accepi peccato lethali pressus; vel non confessus, vel saltem non curans contritionis actum elicere *toties.*

68. *Quænam autem crimina lethalia in vsu Matrimonij committuntur?* Contra naturam habui copulam vel vas immutans, vel extra vas profundens: situm mutaui cum euidenti profusionis feminis periculo: accessi ad coniugem amasiæ affectu: cogitaui me cum extranea tunc copulam inire aut nupta, aut soluta, &c. Rem habui cum fœmina graui abortus periculo: debitum abnegaui, causa minimè iusta intercedente: adulteræ debitum solui, cum ideo à crimine non se expediret: adulterium dissimulaui vxoris, aut consensum expressum exhibui: domicilium commune fugi, à thoróque sine coniugis consensu recessi. Sacro in loco, abstracto periculo incontinentiæ coniugali commistioni operam dedi: ob contemptum diei Communionis mei coniugis copulam inij: pollutionis periculo impudicis tactibus vacaui: sponsus de futuro osculis & amplexibus indulsi cum periculo pollutionis, aut desiderio, ad copulam tam illicitam procedendi *toties.*

TRA

TRACTATVS TERTIVS.

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS,

Iustitia.

Vbi de Iustitia & iure materiæ, scilicet de dominio, de restitutione, de contractibus in communi, de contractibus gratuitis, de lucro ex mutuo, quod est vsura, de emptione & venditione, de censibus, & cambiis, de contractibus onerosis, de contractibus vbi fortuna, & aliis euoluuntur.

PROPECTO *vt iustitiæ & iuris tractationem perficiam, placita meorum Doctorum exprimam præcipuè quidem* Suarij, Molinæ, Lessij, Rebelli, Valentiæ, Meratij, Filliucij, Reginaldi, Gordonij, Salas, Laymani, Toleti, Cardinalis de Lugo, Raymundi, & aliorum. Vtinam duo de Iustitia volumina, mei Ferdinandi de Castro Palao, quæ post Patris obitum diu latitantia mea cura comparuere, & iam prælo tradenda sunt, potuissem ad tractatus huiusce illustrationem euoluere; sed mihi sufficiat vobis prælibasse.

EXAMEN PRIMVM

De Iustitia & iure, circa materiam de Dominio.

CAPVT PRIMVM.

De Iure, Iustitia, & Iniuria.

§. 1. *Ius.*

1. *Vidnam est Ius?* Ius iustitiæ obiectum accipitur tribus modis. Primò pro iusto & æquo. Secundò pro lege. Tertiò pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur vti iure suo. Hic equidem sumitur prout est idem quod æquum, & medium inter excessum, & defectum. Profectò à iure dicta est iustitia, cuius obiectum est ius.

2. *Quotuplex Ius?* Multiplex planè. Diuiditur enim in Ius *Naturale*, & *Positiuum*, Positiuum autem in *Diuinum*, & *Humanum*, Humanum verò in ius *Gentium*, *Ciuile*, & *Canonicum*. Porrò iuris peritis etiam triplex est ius, Generale, & speciale: publicum & priuatum: priuatum verò distinctum in ius naturale, gentium, & ciuile.

§. 2. *Iustitia.*

3. *Quid est Iustitia?* Constans & perfecta voluntas suum ius cuique tribuens, virtus vtique ad alterum, & solum inter æquales, reponitur inter Morales, & specialis virtus est. Hinc colligo inter patrem & filium non emancipatum, inter dominum & seruum, inter virum & vxorem non esse iustitiam.

4. *Circa quas actiones Iustitia versatur?* Circa internas in ordine ad alterum, & secundariò passiones moderatur, in voluntatéque quasi in subiecto posita est, & habet medium rei, cum aliæ virtutes medium rationis habeant.

5. *Quænam Iustitiæ perfectio?* Theologicis virtutibus, & Religione, & prudentia imperfectior est; reliquis verò præstantior.

6. *Quotuplex ex Iustitia?* Diuiditur in distributiuam, & commutatiuam. Iustitiæ distributiuæ materia est distributio præmiorum, munerum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum, cæterorúmque bonorum communium. Commutatiuæ verò iustitiæ materia duplex est, vna comprehendit contractus, qui commutationes voluntariæ sunt: altera delicta

cta & quasi delicta, quæ commutationes inuoluntariæ censentur.

§. 3. Iniuria.

7. *Quid est iniustitia?* Violatio alieni iuris. *Queisnam modis alteri fit iniuria?* Duobus. Primò commissione; secundò omissione. Iniustus est qui sciens, & volens iniustum facit: iniuriam non patitur nisi nolens. Nemo sibi, propriè loquendo, iniuriam facit; & potest quis iniuriam, iniustúmve facere, & non esse qui iniuria afficiatur.

Caput II.

Quid sit Dominium, quotuplex, & in queisnam personis reperiatur.

8. *Quid est Dominium?* Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lex obsistat: vel conuentio prohibeat. Eius titulus est radix & origo, vnde dominium oritur.

9. *Quotuplex dominium, & dominij titulus?* Titulus quidem dominij duplex est, verus scilicet, & præsumptus siue coloratus. Dominium autem triplex est. Primum iurisdictionis. Secundum plenum & non plenum. Tertium directum, & vtile.

10. *Queisnam in personis dominium reperitur?* Solæ res rationales capaces dominij sunt, vt Deus, Angeli respectu suarum operationum, homines etiam pueri, & peccatores. *Filijfamilias?* De peculio castrensi, vel quasi castrensi dominium habent; de aduentitio directum tantùm, de profectitio nullum. *Serui?* Non habent dominium absque consensu domini in quibusdam casibus habent.

11. *Quid de dominio Clericorum?* Eorum bona triplicia, patrimonialia, quasi patrimonialia, & ex re Ecclesiastica. De primis duobus verum dominium habent. De Ecclesiasticis quoad redditus, domini sunt, etiam eius partis, quæ congruæ sustentationi supereſt, sed obligantur sub mortalis peccati reatu eam in pia opera expendere secundùm tutiorem sententiam.

12. *Regulares capaces ne dominij sunt?* Professi minimè. Scio eos, qui beneficiarij sunt, in pias causas fructus posse dispensare. Porrò Superiores Regulares habent bonorum Religionis administrationem: rerum tamẽ stabilium administrationem concedere non possunt, nisi officialibus, ex Trident.

13. *Homi-*

13. *Homo quódnam dominium habet?* Rerum inferiorum dominus est; non quidem naturaliter alterius dominus, sed iure gentium. Nec suæ vitæ est dominus; honoris verò, & famæ dominium habet.

CAPVT III.

De modo acquirendi dominium rerum rationabilium, & irrationabilium.

§. 1. *Dominij acquirẽdi rationabiliũ modus.*

14. *Quotnam modis hominum dominium acquiritur?* Quatuor, iure belli, iusta condemnatione, per emptionem & venditionem, & natiuitatem. Porrò capti in bello iustè fugere possunt, si bellum iniustum fuerit. Capti iure belli etiam possunt fugere rectà ad suos, iure postliminij. Ius dominorum se extendit ad omnes seruorum operas, non ad vitam, nec mutilationem.

15. *Quot modis quis potest à seruitute liberari?* Nouem. 1. Manumissione. 2. Alimentorum negatione. 3. Si ancilla ad fornicationem cogatur. 4. Seruus Iudæi aut Pagani, seu Hæretici liber est. 5. Mancipium à Iudæo circuncisum fit liberum. 6. Solutus suam ancillam habens concubinam vsque ad mortem, & de ea nil statuens liberam facit. 7. Serua fit libera, si eam dominus tradit libero ignoranti eius seruitutem. 8. Eadem est ratio, si quis seruum suum hæredem instituat, vel tutorem relinquat filio suo. 9. Seruus denique adoptione à seruitute liberatur.

ad fidem conversus

§. 2. *Dominij acquirẽdi irrationabilium ratio.*

16. *Quænam res sub dominium veniunt primò occupanti?* Primò feræ nisi sua natura mansuetæ sint. Quæ verò mansuefieri solent, tandiu manent sub potestate dominorum, quandiu consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi. Feræ domino carentes fiunt primò occupantis; tandiu autem retinetur eorum dominium, quandiu sub nostra custodia sunt. *Ab vno percussa, & ab altero capta.* Diuidenda est, si percutiens causa fuit, vt alius capiat. *Quid de venatione?* In publicis locis potest prohiberi in quibusdam casibus; reseruans autem ius venandi caueat damna. Clericis quidem ratione status prohibita est. *Licita ne columbaria?* Licita planè, nisi lege prohibeantur. *Quid de maris diuitiis?* Lapilli in maris littore sunt inuentoris. Derelicta etiam fiunt primò occupantis. Insulæ maris si in medio flumine natæ sint, communes

munes sunt cum habentibus prædia ab vtraque fluminis parte; si autem alteri parti propinquiores, erunt eorum, qui ab ea parte prædium possident. *Vacantia bona cuiusnam?* Ad fiscum deferuntur, nisi tanquam peregrini in hospitalibus moriantur, eorum enim bona mobilia vel hospitalium sunt, vel ab Episcopo in pias causas distribuēda. *Thesaurus?* Equidem arte Magica inuentus ad fiscum pertinet post latam sententiam; bonis autem artibus, est inuentoris, si locus ipsius sit: si locus alienus, dimidium inuentoris est, dimidium domini agri, si casu inuentus sit; si autem ex industria inuentus consensu domini, totus est inuentoris, nisi aliud pactum sit initum. *Quid si agrum emam, in quo Thesaurus adest?* Acquiris tibi. At si publico in loco inueniatur thesaurus? Totus est inuentoris. *Si in loco sacro?* Dimidium inuentoris, & Prælati dimidium. *Quid denique de Sylua cædua?* Fas est communitati sub certis pœnis prohibere, ne cædatur. Si quis cædens deprehensus, pœnam tenetur soluere. Pascuorum quidem idem ius est quod syluæ cæduæ.

CAPVT IV.

De acquirendo Dominio iure ciuili, seu Præscriptione.

17. *QVonámmodo iure ciuili dominium acquiritur?* Præcipuè præscriptione. Porrò præscriptio est acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore à lege definito, bona fide accedente possessori. Certè dubitans, an res sua sit, non habet bonam fidem, si possessionem inchoët cum eo dubio; at si continuet tantum, possessione cum bona fide supposita, simpliciter est in bona fide. §. 1. *Præscriptio.*

18. *Post possessionem existimo mihi non licere rem possidere aliquam: num præscribo?* Non continuas possessionem, neque præscriptionem. *Ignorantia vincibilis sufficit ne ad bonam fidem?* Inepta quidem est. *Requiro tamen ad possidendam rem, num titulus præsumptus sit satis:* Ita planè; qui tamen verus credatur ab eo, qui rem eo titulo possidet.

19. *Quódnam tempus ad præscriptionem requiritur?* Res mobiles corporales, si priuatorum sint, triennio præscribuntur: immobiles decennio, inter præsentes, & duplo inter

ter absentes. Iura, debita, & actiones, quæ inter immobilia computantur, præscribuntur contra priuatos eodem tempore, quo res immobiles, nisi quid contrarium sit peculiari iure sancitum. Immobiles contra Ecclesiam Romana inferiorem spatio quadraginta annorum præscribuntur: contra Romanam annis centum; contra Regulares priuilegiatos annis sexaginta. Bona Principis tanquam priuati eodem tempore quo priuati bona, præscribuntur. Collectæ pro publica necessitate quadraginta annis. Ius imponendi vectigalia quadraginta annis cum titulo; sine titulo, tempore immemoriali. Quæ verò debentur in supremæ potestatis recognitionem, nullo tempore præscribi possunt. Contra leges ciuiles præscribitur annis decem. Contra Canonicas quadraginta, si consuetudo sit contra ius Ecclesiæ.

20. *Quid de Præscriptionis processu, & interruptione?* Procedit planè præscriptio, quando post inchoationem eius bona fide continuatur; dormit cum postquam inchoata est aliquo tempore, cessat; interrumpitur autem cum postquam inchoata est, ita cessat, vt etiam si iursus incipiat, non continuetur cum priore.

§. 2. *Alij modi acquirendi dominium iure ciuili.*

21. *Alios expende modos, quibus dominium iure ciuili acquiritur.* Ministri iusti stipendij dominium acquirunt pro officio, nil autem amplius in pretium accipere possunt, & si accipiant, tenentur restituere. *Quid si plus faciant, quàm pro suo munere teneantur?* Possunt pro eo vltra ptoprium moderatum, & iustum pretium accipere. *Iudices delegati?* Possunt à litigantibus munera accipere in cibo & potu, ita vt intra biduum, aut triduum consumi possint. Id etiam licet iis iudicibus, quibus stipendium constitutum non est. *Episcopi?* Possunt accipere expensas in victualibus, non autem in pecuniis. *Quid de muneribus contra legem datis?* Si solum ad redimendam vexationem collata sunt, tenentur qui ea accepere restituere: si dentur ex amicitia, vel gratitudine, vel gaudio rei bene gestæ, secluſa lege positiua id prohibente, ministri illorum comparant dominium; restituenda verò tantum sunt post sententiam. *Si pretium acceptum esset pro ferenda iusta sententia?* Danti restituendum est. *Quid si dantis animus fuit corrumpere iudicem?* Non conceditur illi actio ad repetendum.

22. *Potest ne quis pro opere virtutis, ad quod tenetur ex religione, vel alio præcepto nullo postulato pretio, pretium accipere?* Minimè. Si autem ratio, vel iustitia postulet, vt pretio recompensetur, sumi potest, vt etiam pro opere supererogationis.

23. *Quid*

23. *Quid de pretio pro re turpi accepto?* Accepta ob turpem causam solo iure naturali spectato illicita non sunt, nec restituenda. Pactio pretij ob rem turpem illicita est, nec obligat; postquam facta est, obligationem inducit: sic accipi pretium potest ob iniustam sententiam datam, ob homicidium factum, ob meretricium, ob occultam etiam fornicationem. In quibusdam verò casibus, tenetur restituere, v.gr. si acceperit meretrix à non potentibus alienare, vel fraude ac dolo quis horum extorserit; quando item occulta fornicatio puniretur in iudicio, actio illi in foro externo non conceditur.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Dominio ex Doctoribus Societatis IESV.

24. *Dixisti quem Dominium famæ habere. Peccat ne sine causa sese infamando?* Etsi quisque dominus est honoris sui, & famæ, non licet tamen hæc sine causa negligere. Ex causa autem hoc cum laude geritur. Vnde cum *Valentia* existimo hominem ex genere lethaliter delinquere se ipsum sine causa rationabili infamando. Valent.

25. *Dominium rei, quæ nullius fuit, acquiritur ne sine apprehensione?* Non acquiri *Saa* affirmat. Addit in rebus spiritualibus sufficere titulum habere. Saa.

26. *Quidnam de præscriptione, & vsucapione?* Præscriptio dicitur immobilium, vsucapio mobilium. Fit vsucapio triennio etiam in rebus Ecclesiæ. Requiritur bona fides etiam in rem tradente. Non potest autem res sacra vsucapi, aut prohibita alienari, nec res Ecclesiæ solemnitatem in alienatione requirens: nec res pupilli, aut minoris, quæ potest seruari, scilicet quæ non consumitur. Non sufficit autem ad vsucapionem inchoandam, si quis rem possidere incipiat cum dubio, an sua sit: sed necessaria est bona fides, qua absque dubio credat rem suam esse. Ex *Molina.* vno vsus actu Molin.

27. *Nocet ne hæredi mala fides defuncti ad præscriptionem?* Nocet planè; non autem nocet habenti ab hærede. *Saa* sic. Saa.

28. *Præsumitur ne titulus consuetudine immemorabili?* Ita quidem. Sufficere autem & iustam credulitatem tituli ex errore facti *Saa* idem affirmat ex *Couarruu.* Saa.

29. *Solvit*

29. *Solut quis tributum aut pensionem per contractum præmissum: quot annis præscribit?* Triginta annis non soluens sine malâ fide. Quod si erat pactum non soluendi nisi petitam, negligente domino petere, præscribit debitor secundùm
Molin. legem communem præscriptionis. *Molinam* sequor.

30. *Eligendi ius quot annis præscribitur?* Quadraginta etiam si vnus solummodo actus interueniat. Idem
Molin. *Molina.*

Molin. 31. *Quid de prohibitis alienari?* Affirmat idem *Doctor*, non præscribi ante triginta, vel quadraginta annos.

32. *Statum tollens præscriptionem tollit ne eam, cuius initij*
Saa. *non est memoria? Saa*, Non tollit.

EXAMEN II.

De Iustitia & iure circa materiam de Restitutione.

CAPVT PRIMVM.

De Restitutionis necessitate.

1. QVidnam *est Restitutio?* Iustitiæ commutatiuæ actus, quo redditur ad æqualitatem alteri, quod iniustè ab eo sublatum est.

2. *Quotuplex Restitutio?* Duplex, vna, qua reuocantur omnia in statum pristinum: altera, qua tantùm in aliquo particulari.

3. *Necessaria ne?* Ad salutem quidem necessaria est, & in præcepto, quod principaliter est negatiuum.

4. *Expende Restitutionis radices.* Tres planè sunt, ex re accepta, ex iniusta acceptione, & ex vtraque. Qui ex re accepta tantùm, tenetur eam restituere si extet; si pretium eius habet, id tantùm restituere debet, quo factus est ditior. Qui ex iniusta acceptione, tenetur in solidum ad totum damnum causatum, v.g. ad fructus rei, valorem eius, si non extaret, & similia. Qui verò ex vtraque, tenetur ad reddendam rem, ad damna secuta ex acceptatione, & retentione iniusta, fructus & lucra, quæ cessassent.

CAP.

Caput II.

De Persona quæ debet restituere.

5. *Quænam Persona restituere tenetur?* Omnis & solus is, qui contra specialem iustitiam commutatiuam peccauit.

6. *Oritur ne ex violatione charitatis obligatio restituendi?* Minimè. Vnde pauper non habet ius in bona diuitis; & quāuis rei debitæ ex charitate æqua sit obligatio, ac rei debitæ ex iustitia, tamen quia defectus charitatis iniuriosus non est, sed officiosus tantùm, ideo eam violans ad damna secuta non tenetur.

7. *Quótnam personarum genera obligata sunt restituitioni?* Decem. Primum qui damnum infert. 2. Iubens. 3. Consultor. 4. Consentiens. 5. Laudator. 6. Acceptator. 7. Participans. 8. Mutus. 9. Non obstans. 10. Non manifestans.

8. *Quandónam damnum inferens ad restitutionem teneatur?* Si non facit ex intentione, neque scienter, nullam subit restituendi obligationem. *Ex serui facto?* Si dominus fuit in culpa, tenetur: secus si absque culpa, saltem in interiori conscientiæ foro.

9. *Supponitur ne mortalis culpa ad obligationem sub mortali restituendi?* Supponitur. Vnde alium occidens in primo vel secundo motu, ad vllam restitutionem non tenetur, Profectò ex dolo, & culpa lata tantùm, tenetur quisque in conscientia; culpa verò lata vt obliget, mortalis esse debet. *Quid culpa lata?* Diuidunt Theologi culpam in latam, latiorem, latissimam, leuem, & leuissimam. *Latissima* est dolus apertus. *Latior* est dolus præsumptus. *Lata* est omissio illius diligentiæ & circunspectionis, quam passim homines eiusdem conditionis adhibere solent. v.gr. si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium. *Leuis* est omissio eius diligentiæ, & circunspectionis, quam solent diligentiores illius artis, vel professionis adhibere. *Leuissima* est omissio diligentiæ, quam diligentissimi & prudentissimi adhibent. *Lessius lib. 2. c. 7. num. 23.*

10. *Quid si occultè infero damnum?* Teneris resarcire. *Expensus verò, quas tertius innocens fecisset in carcere, exilio, &c. tenetur ne verus damnificator resarcire?* Non nisi tempore delicti sciuisset id damnum innocenti illi fore imputandum.

11. *Quid si causa sim damni?* Causa cum qua ad damnum tenetur: qui verò iniusti operis causa non est, minimè tenetur ad damnum.

12. *Quandónam cooperatores tenentur ad restitutionem?* Profectò cooperans minimè excusatur ex eo, quod alius eidem cooperatus erat. At si eodem modo damnum erat inferendum, etiam si nemo cooperatus fuisset ad restitutionem non tenebitur.

13. *Opus ne est vt sit causa sine qua non, ad restitutionis obligationem?* Minimè; satis est, fuisse causam cum qua damnum factum sit. *Tenetur ne in solidum quilibet ex cooperatoribus?* Ita planè, quando totius damni causa est: si partis tantùm, pro parte tenebitur. Vnde milites quando ad idem indiuiduum cooperantur damnum, tenentur in solidum. Profectò principalis in actione iniusta lucratiua est ille, qui lucrum habet, vel mala fide consumpsit. In ea quæ lucratiua non est primo loco restituere debet mandans, deinde mandatarius; tertiò alij suo ordine: hoc probabiliter: at probabilius existimo cum *Filliucio* & aliis ordinem inter secundarios non esse, sed omnes teneri pro rata. Cum autem plures in eodem genere cooperantes sunt, singuli in solidum tenentur.

14. *Quid si vnus restituat?* Si sit is, qui rem mala fide accepit, socij ad nihil tenentur; si principalis, cæteri liberantur. Sic enim si principali remissio fiat, non tenentur cæteri. Cùm plures eiusdem ordinis sunt, cæteri non liberantur; si damnum passus cedat minus principali, non liberantur reliqui.

15. *Quid de Mandante?* Mandans planè efficax causa est damni. Porrò non iubens, sed ratum solummodo habens delictum iam factum, non tenetur ad restitutionem.

16. *Consulens quid?* Si consulens falsum consilium præbeat, satis est illud retractare: si verum, oportet etiam vt remoueat voluntatem eius, cui consuluit: vel efficiat, vt tertius admoneatur: postea si sequatur damnum, consulens non tenetur.

17. *Paratus est quis furari centum aureos, consulo furari solùm quinquaginta: tenetur ne ad restitutionem?* Minimè: quia nulla per meum consilium irrogatur iniuria, potiùs quæ irrogãda erat, imminuitur.

18. *Consentientis obligationem expendit.* Si ab eo pendeat damnum secutum, & consentiat ante damnum illatum, vel in ipso actu, tenetur restituere. Cum multi sunt consentientes, si omnium sententia requiratur, omnes tenentur: secus si tan-

rum

tùm certus numerus illorum; alij enim postea licet peccent, non tenentur.

19. *Laudatoris quanam obligatio?* Laudans quidem seu palpo directè damnum intendens ad restitutionem tenetur: indirectè autem, tunc tantùm; quando culpabiliter non aduertit.

20. *Receptoris adnota iniustitiam.* Receptator formaliter ad restitutionem tenetur, non qui materialiter tantùm sine crimine recipit.

21. *Participans quid?* Si sponte concurrat, etiam obnoxius est restitutioni, secus si iusto metu.

22. *De muto, aut non obstante, vel non manifestante quidnam* Si causa negatiua sunt, tunc obligantur, cum ex officio teneantur, vel ex contractu loqui, obstare, aut manifestare: secus si tantum ex charitate.

23. *Suadeo alteri, vt non impediat proximi damnum: teneor ne ad restitutionem?* Si tantùm ratione & precibus id geras, peccas grauiter, sed ad restitutionem non teneris.

24. *Tenentur ne ad restitutionem custodes non denunciantes?* Tenentur quidem ad damnum secutum, sed non ad pœnam fisco soluendam, si reus denunciatus esset. Idem assero de teste reum in iudicio non manifestante.

25. *Confessarij pœnitentes ad restitutionem debitam non cogentes tenentur ne restituere?* Probabile est non propterea teneri ad restitutionem, etiam non admonentes, quando tenentur.

Caput III.

De circunstantiis Restitutionis.

26. *Quotnam Restitutionis circunstantiæ?* Quatuor præcipuæ. Quid, Cui, Vbi, Quo ordine sit restituendum. *Circunstantiam*, Quid, *expone.* Possessor bonæ fidei statim ac scit rem alienam esse, tenetur illam vero domino restituere. Fructus extantes etiam sunt restituendi: *Si consumpti sunt?* Tantùm restituendum id, in quo factus est ex iis ditior.

27. *Si bona fide emit à fure, & alteri vendidit?* Restituat id, in quo ditior factus est. *Si res deterior fiat, aut destruatur?* ad nihilum tenetur.

28. *Quid de malæ fidei possessore?* Malæ fidei possessor vl-

tra rem ipsam, si extat, tenetur restituere valorem eius si consumpta esset, & periisset etiam casu fortuito; fructus item naturales, & industriales, (non autem si merè industriales fuerint) expensis tamen necessariis detractis.

29. *Dubia autem fidei possessor ad quidnam tenetur?* Si ab initio ea sit, moralem diligentiam adhibere debet; ea facta, si adhuc suspensus manet, restituere debet; si autem probabiliter hæreat parti sibi fauorabili, poterit retinere. Dubitatio autem aduenies post bonæ fidei possessionem, nihil officit.

30. *De circunstantia,* Cui; *differe.* Si dominus certus est & notus, ei restitutio facienda; si ignotus, dandum pauperibus post adhibitam diligentiam. Idem assero, si dominus certus quidem sit, sed absens, & res modica.

31. *Quid quando creditor incertus est, vt multi ex communitate?* Vel augendum tantundem est in pondere, vel descendendum in pretio, vel dandum pauperibus. *Si bona incerta sunt, v.gr. inuenta?* Post diligentiam danda pauperibus sunt. *Possunt ne ab inuentore retineri?* Si pauper sit, non dubium: imò licet pauper non sit probabile est, retinere posse; quia sua vtitur fortuna. *Accepta pro turpi actu faciendo?* Danti restituenda, licet hic actionem repetendi illa non habeat, in pœnam.

32. *Circa circunstantiam,* Vbi, *quidnam?* In loco vbi res est, reddenda est, si bona fide possessa sit; si mala, vbi iniquè est accepta; res autem debita ex contractu, restituenda vbi in ipso designatur.

33. *Quo ordine restituendum est?* Si non adest copia omnia mox restituendi, animus saltem habendus. Profectò ordo restituendi hic est. Si bona debitoris sufficiãt, nullus ordo seruandus. Sin minus, priùs soluenda sunt debita certa, quàm incerta; inter certa autem præferenda res extans in specie aliis. Prius etiam id restituendum, cuius non fuit translatum dominium. Iure communi primò soluendæ sunt moderatæ expensæ funeris, inuentarij, & pro adeunda hæreditate. Secundò, præferendi ij, quibus bona sunt hypothecata. Tertiò, inter hypothecarios creditores præferendi priores tempore. Excipe septem casus, in quibus posterior tempore præfertur priori. 1. Est mutuantis ad refectionem, vel conseruationem rei. 2. Mutuantis pro re custodienda. 3. Hypothecæ dotalis. 4. Empti pecunia pupilli. 5. Mutui ad aliquid emendum. 6. Contrahentis cum fisco. 7. Concedentis pecuniam ad militiam. Quartò Hypothecariis succedunt personales creditores, & inter hos prælationis priuilegium habens, deinde creditor titulo oneroso, postea titulo gratuito, denique hæredes, legatarij.

34. *Inter*

34. *Inter debita ex delicto & contractus est ne vllus ordo?* Probabiliter assero cum *Filliucio*, & aliis nullum ordinem esse. *Habet ne pauper ius prælationis?* Minimè, nisi vel in extrema, vel saltem graui in necessitate constituatur.

CAPVT IV.

Causas excusantes à restitutione recenseo.

35. *QVænam causa excusantes à restituendi obligatione?* Multas subiiciam. Prima sit ex parte rei alienæ. Secunda ex parte debitoris. Tertia ex parte publicæ potestatis.

36. *Quomodo quis ex parte rei alienæ excusatur?* Si res amittatur absque culpa debitoris. Si per tertium fiat restitutio, & hic pro se retineat, non tenetur debitor.

37. *Quonammodo autem ex parte debitoris?* excusat ignorantia facti, & iuris, si probabilis sit. In dubio, an sit aliena, post diligentiam retineri potest. Inopia excusat, dum ea durat. Item impotentia, & necessitas grauis. *Quid in pari creditoris necessitate?* Minimè pressus graui necessitate excusaretur. Damnum animæ etiam præferendum restitutioni. Et detrimentum in rebus propriis non debitis. Notabilis item iactura decentiæ status. Compensatio etiam excusat, vt si solutio fiat creditori. Cessio in foro externo excusat: in conscientia minimè, nisi ex adiuncta necessitate; quod si ad pinguiorem fortunam venerit, tenebitur. *Valet ne professio debitoris?* De iure communi valet, secus de iure particulari Sixti V. Remissio libera creditoris etiam excusat.

38. *Quonammodo denique ex parte publicæ potestatis quis ab obligatione restituendi absoluitur?* Excusatur iuris auctoritate, vt in præscriptione, & iudiciis.

CAPVT V.

De Restitutione in particulari.

39. *AD quidnam tenetur, qui proximum in bonis spiritualibus læsit? Qui fraude ad peccandum induxit?* Retrahat à peccato, fraudem auferendo. *Prælatus subditum ad culpam impellens?* Ex iustitia curare debet emendationem. *Qui fine fraude induxit ad culpam?* Ad nihil ex iustitia tenetur. §. 1. *Læsio in bonis spiritualibus.*

40. *Voluntariè quis deceptus est, vel fraude quidem; sed deinde voluntariè perseuerauit: est ne in decipiente vlla restituendi obligatio?* Nulla inducitur in decipiente obligatio, ad illius emendationem procurandam.

41. *Docere verum teneor, & falsum docui: ad quid obligor?* Teneris veritatem docere. Qui verò tantùm falsam doctrinam docuit, etiamsi ex officio ad id non obligetur, tamen proximum tenetur ab errore reuocare.

42. *Retraxit quis nouitium à Religione ex iusta causa?* Ad nihilum tenetur. Imò etiam cum laude fieri id aliquando posset, v.g. si parentes in extrema necessitate constituti; aut in graui, esset subueniendum.

43. *Qui verò non ex iusta causa, sed citra vim & fraudem, retraxit, debet ne aliquid Religioni?* Ad nihil Religioni tenetur ex iustitia; ex æquitate tamen hortari debet ad habitum resumendum.

44. *Quid si fraus, vel metus interceſſit?* Restituere tenetur in primam libertatem ingressurum, & Religioni spem temporalis commodi ab eo recipiendi.

45. *Si professum retraxit absque fraude?* Reditum ex charitate persuadere debet. *Si autem cum fraude?* Tenetur Religioni restituere emolumentum temporale ad arbitrium boni viri, & damnum professo ipsi secutum ex fraude.

§. 2. *Læsio in bonis naturæ.*

46. *Ad quidnam teneatur qui proximum in bonis naturæ læsit?* Tantùm pro temporali damno tenetur ad restitutionem; pro damno sensuum præcisè ad nihil tenetur; quia nullo est pretio æstimabile.

§. 3. *Læsio in bonis annexis spiritualibus.*

47. *Ad quid autem tenetur, qui proximum læsit in bonis quæ spiritualibus adnexa sunt? Impedit quis, v.g. habentem ius ad beneficium: ad quidnam teneatur?* Tenetur equidem restituere ad iuris æstimationem.

48. *Dignum impediens à beneficio, ad quod ius non habebat; tenetur ne ad aliquid?* Si fraude impediuit, ad æstimationem spei tenebitur; citra fraudem autem tenetur ad nihil. *Procurauit minus dignè.* Digniori teneris ad æstimationem damni, si beneficium in concursu detur.

49. *Quis concurrens ad beneficium, se dignum putat: tenetur ne digniori renunciare?* Tantùm tenetur ex charitate; quia absolutè dignus capax beneficij est. Sed in dubio nũ sit alter dignior, nec ex charitate tenebitur. Quod si beneficium simplex sit, etiam si cognoscat digniorem alterum, tenetur ad nihil.

50. *Quid si Prælatus indignum eligat?* Ecclesiæ restituat æstimationem damni.

51. *Patronatu*

51. *Patronatu fruor : teneor ne digniorem præsentare?* Patrono quidem satis est, si dignum præsentet, instituendus tamen dignior, si Patronus nullas in fundatione conditiones apposuit.

52. *Si adstrinxit ad patriam, consanguinitatem, & huiusmodi?* Satis est, si dignus præsentetur; si plures sint, dignior eligendus. *Quid de resignante?* Debet equidem digno resignare.

53. *A pluribus fit electio, & maior pars eligit indignum: quid tunc?* Satis est omisso digniori, trahere alios ad dignum. *Si maior pars dignum velit, omisso digniori?* Nulla culpa illi adhærere, nisi per concursum facienda est electio; tunc enim obligatio adesset restituendi damni æstimationem. Admonuerim maiorem dignitatem haud ex sola scientia assumi debere, sed ex moribus simul. Vnde quis superans alium scientia minùs dignus potest æstimari; quia alter minor scientia, sed sufficiens, maior est modestia, &c. Colligo hinc ad examinatores spectare gradus scientiæ, ad Prælatum autem, cui spiritualis cura, merita virtutis ponderare, vt digniorem, id est, qui scientia sufficiens virtute excellit, (quando alij scientia superiores : inferiores sunt moribus) beneficiis addicat.

§. 4. *Læsio in bonis corporis.*

54. *Ad quidnam autem obligatur, qui proximum in bonis corporis læsit? v. g. Iudex hominem in vita lædens?* Tenetur ad restitutionem vitæ & damnorum, vitæ inquam, id est, debet id reddere, quo vita ex viri boni assignatione æstimari debet.

55. *Quid de teste lædente suo testimonio?* Si non legitimè interrogatus lædat aliquem, ad vitæ, famæ, & damnorum restitutionem tenetur: secùs si legitimè interrogatus sit; debet enim veritatem aperire.

56. *Proximum cuius læsit in vita : ad quid tenetur?* Ad expensas vulneris, & temporale damnum iuxta æstimationem vtilitatis, quam allaturus fuisset, si vixisset; detractis quidem, quæ pro suo victu, & vestitu consumpsisset; ad expensas funeris, & damnum vitæ naturale non tenetur, si sit homo liber.

57. *Quis erat naturaliter, aut iusta morte perituras, illam hostis præuenit : tenetur ne ad restitutionem?* Minimè; quia paruum illud temporis interstitium vix pretio æstimabile.

58. *Tenetur ne homicida, qui pœna mortis punitur, aliquid aliud restituere?* Minimè. *Quinam homicida tenetur?* Tantùm hæredibus, qui reputantur vna persona cum defuncto, vt sunt parentes, filij, & vxor : aliis non tenetur.

59. *Quinam præterea homicida à restitutione liberatur?* Si occisus morti proximus remittat, vel erat iustè occidendus, prouocauit in duello, vel inuasor fuit, & cum moderamine occisus, ad nihil tenetur homicida.

60. *Ad quidnam tenetur ledens in membrorum integritate, vel summitate?* Ad expensas in curatione vulneris, & ad æstimationem spei lucrandi, & damni secuti. Pro cicatrice relicta nihil restituendum, si sit percussus homo liber.

61. *Læsit qui, in libertate,* Tenetur in primum statum restituere.

62. *Qui virginem violauit?* Si consentientem, ad nihil ex iustitia tenetur, ex charitate, & pietate teneri potest: si vi vel fraude corrupit, tenetur ad damna secuta, vel coniugium si promisit; si verò decenter nupta sit, ad nihil tenetur.

63. *Quid si corruptam violauit?* Tenetur pro iniuria veniam petere, & secuta damna resarcire.

64. *Ad quidnam tenetur adulter?* Si partus non sit secutus, ad nihil tenetur; si sequatur, tenetur, primò alere à tertio anno vsque ad pubertatem; deinde ad restituendam legitimis filiis hæreditatem; multóque magis, si illegitimum marito supponi suasit. Adultera autem tenetur quantum potest, procurare, ne legitimi hæredes aliquo damno afficiantur.

§. 5. *Læsio in bonis famæ.*

65. *Ad quidnam tenetur, qui proximum læsit in bonis famæ & honoris?* Fama quidem per detractionem læditur, quæ est alienæ famæ occulta, & iniusta violatio. *Quot modis læditur fama?* Duobus. Primò imponendo falsum crimen proximo. Secundò occultum crimen quantumuis verum manifestando.

66. *Quanta materia debet esse, ad inducendam restitutionis obligationem?* Grauis quidem, & defectus moralis, hoc est, vitium voluntarium; nam defectus naturalis non inducit. Debet præterea esse speciale peccatum.

67. *Si crimen sit publicum:* Nulla est obligatio restituendi; solùm enim occultum crimen manifestare iniustitia est.

68. *Est ne fama cum periculo vitæ meæ restituenda?* Non, nisi læso idem periculum immineret, aut magnum Reipublicæ damnum.

69. *Si fama verbis non potest restitui, debeo pecuniis compensare?* De iustitia non, ex charitate debes, vel si ad id condemneris à iudice.

70. *Refert quis alterius peccata: quandonam tenetur restituere?* Si ea ratione refert, vt audientes induci meritò possint ad cogitandum malum graue de proximo, tenetur ex iustitia ad restitutionem. Si putet audientes ex propria leuitate, non

ex

ex vi relationis (quæ ad tam graue iudicium non inducit ex se) credituros, ad charitatem pertinet tacere. Si verò prudenter existimet; nullam inde orituram infamiam, nec peccat grauiter; nisi qualitas criminis valde grauis esset, nec ad restitutionem consequenter tenetur.

71. *Obligatur ne detractoris auditor?* Non nisi detrahentem inducat, vel ad prosequendam detractionem excitet. *De infamia proximi delectatur.* Contra charitatem delinquit.

72. *Pluribus quis proximi delictum aut immediatè, aut mediatè manifestauit.* Per se, vel per alium coram omnibus retractare debet. *Qui falsum dixit?* Dicat se esse mentitum.

73. *Qui verum occultum propalauit?* Vel dicat perperam se fuisse locutum, vel mendacem fuisse (cum indirecta affirmatione, quia omnis homo mendax,) vel laudet in iis in quibus detraxit.

74. *Qui retulit ex alijs audita?* Dicat vel se esse mentitum, vel retulisse leuiter, & pro falsis reputare.

75. *Quot sunt causæ, quibus potest quis ab obligatione restitutionis famæ liberari?* Multæ. Prima, quidem, si interueniat remissio. 2. Si sit impossibilis restitutio. 3. Si non potest fieri sine propriæ famæ præstantioris iactura. 4. Si bona fide putauit crimen publicum esse, & verum. 5. Si prudenter iudicet infamiam extinctam esse. 6. Si ex restitutione quod iam est obliuioni traditum rursum reuiuiscere timeatur non sine nouo proximi dedecore.

76. *Quid si honor omissione lædatur?* Restitui debet vel petitione veniæ, vel honorifica salutatione, vel inuitatione ad mensam, honorificum locum exhibendo.

§. 6. *Læsio in bonis externis.*

77. *Iam verò ad quidnam obligatur, qui proximum in bonis læsit externis, v. g. fur?* Hic equidem debet mox reddere, quod furatus est. Quousque alienam rem detinet vno peccato continuo peccat: interrumpitur ratione impotentiæ, & retractionis notabili tempore, & contrarij propositi.

78. *Qui aliena re vtitur?* Continuat vnum peccatum. Augetur culpa per vsum quando dominus ægrè laturus talem vsum censetur.

79. *Potest ne vis debitori inferri?* Minimè, nisi res propria apud illum extaret in propria specie, & aliter non posset recuperari.

80. *Tenetur ne ad restitutionem filius de bonis paternis occultè sumens?* Ita equidem, si sit notabilis materia, & non habeat causam excusantem. Materia prorsus crescit, aut minuitur iuxta paternas diuitias. Communiter tres aureos

Filliuc. *Filliucius* pro notabili materia assignat, quæ filium obliget ad restitutionem. Id quod de vxore surripiente de mariti bonis affirmarim.

81. *Quænam est obligatio inferentis damnum in re in dies crescente, vt in segete, pullisque animalium?* Tenetur ad æstimationem damni, prudentis arbitrio.

82. *Proiecit quis in tempestate alienas merces propriis parcens.* Tenetur pro sua parte ad restitutionem; si autem nullas proprias haberet, ad nihil teneretur.

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Restitutione ex Societatis IESV *Doctoribus.*

83. QVænam in *Restitutione consideranda*; Nouem quidem hisce vulgaribus Carminibus comprehensa:

Quid quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando,
Ordine quóve loco, quæ causa excuset iniquum.

Primo, *quis* teneatur restituere ex triplici radice, iniusta scilicet actione, ex re aut bene accepta, & ex iniquo contractu. Secundo, *quis* non teneatur. Tertio, *quid* restituendum. Quarto *cui*. Quinto, *quantum*. Sexto, *quomodo*. Septimo, *quando*. Octauo, *quo ordine*. Nono denique, *quo loco*.

§. 1. Restitutio ob iniustam actionē.

84. *Scio, fieri deberi restitutionem ex actione iniusta, bella scilicet, furto, vsura, impedimento boni alterius, homicidio, stupro*, &c. *Rogo, quandonam restituere teneatur impediens bonum alterius.* Si quis impedit bonum, ad quod alter ius habebat actione iniusta contra iustitiam, nempe vi, fraude, mendacio &c. tenetur ad restitutionem. Si id faciat actione mala contra charitatem, vel aliam virtutem, nempe precibus, blanditiis, &c. etiam ex odio alterius, non tenetur. Ratio discriminis, quia vi, & fraude violatur libertas collatoris, in qua ius conditionale alterius situm erat: precibus & blanditiis non violatur. *Lessius lib. 2. c. 12. dub. 18. n. 123.*

Lessius.

85. *Fraude & mendacijs impedio, ne quis reus sententia pecuniaria fisco (v.g.) applicanda, afficiatur: rogo, an tenear ad restitutionem?* Non teneris; quia pœna non debetur ante sententiam; quare qui sententiam impedit, efficit quidem ne fiscus, aut alius acquirat ius, non tamen violat acquisitum. *Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 18. num. 134.* Scio *Molinam tom. 1. tract. 2. d. 65. n. 36.* contrarium docuisse.

Lessius.

86. An

86. *An idem dicendum in pœna conuentionali?* Ita planè; quia nisi aliud exprimatur, intentio contrahentium videtur esse, quod non debeat solui nisi post sententiam. *Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 1. d. 37. n. 4.* Sanch.

87. *An hæreticus, qui fraude & mendacijs se defendit, teneatur sua bona restituere fisco, cui aliàs erant applicanda.* Non; quia fiscus nondum ius acquisierat. *Lessius citat.* Less.

88. *An adultera, quæ per fraudem se defendit, aut falsis testibus adulterum probauit virum, teneatur restituere viro dotem, quam ipso iure acquisisset?* Ante sententiam non tenetur ex *Lessij* mente (quidquid *Layman. lib. 3. sect. 5. tractat. 2. capite 7.* obiiciat) sed solum expensas, quas vir in lite impendit. Less. Laym.

89. *Iniusta ne actio homicidij, mutilationis, stupri, damnificationis in corpore, vel fortuna, sit restitutioni obnoxia?* Est planè. Tenetur homicida hæredibus occisi restituere damnum temporale ex homicidio, mutilatione, aut deformitate secutum: minimè verò pro ipsa occisione, & ad compensandam vitam occisi; quia ex iurisprudentia damna corporis liberi non possunt pretio compensari. Vnde si occidatur seruus, aut animal, vel deturpetur, vt minus valeat pro ipsa occisione aut deturpatione, debebitur restitutio. *Lessius ibid. c. 9. dub. 23. num. 141.* Less.

90. *Tenetur ne Petrus, qui inuoluntariè occidit Antonium, aliquid restituere?* Non, sicut nec qui iustè inuasorem interemit; quia sicut non fit irregularis, ita nec restitutioni obnoxius; nisi causa data sit efficax, & mors ex illa præcisè secuta sit. *Lessius dub. 15.* Less.

91. Dedisti operam rei siue licitæ, siue illicitæ; sed sufficiẽtem adhibuisti cautionem, ne aliquod inde proximo damnum sequatur: attamen deinde casu mors secuta est: an tibi sit imputanda, vt restituere damna *tenearis?* Minimè; quia præuia diligentia omne à causa voluntarium abstulit. v. g. Clericus, Chirurgus, venator, si post debitam diligentiam hominem casu interimant, ad nihil teneri: imò nec si culpa leuissima, aut leuis interueniat. Ex *Lessio citato.* Less.

92. *Gestum est in duello homicidium: quinam teneatur ad restitutionem?* Qui prouocauit. *Ambo sese prouocauerunt.* Nullus tenetur; quia tunc adest pactum implicitum, quod occisor ad nihil teneatur: & multo minus si prouocatus fuit; quia volenti non fit iniuria. *Lessius vbi supr.* Less.

93. *Scio ex iniusta actione etiam concausas ad restitutionem teneri hisce Carminibus expressas:*

Iussio,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Rogo igitur, quandonam consulentes damnum alterius ad restitutionem teneantur? Quando damnum secundum substantiam omnino ex eorum consilio secutum sit. Secus si iam determinatum fuerit secuturum, & consilium solum concurrat ad modum, ad circunstantiámque loci, aut temporis. v.g. ascendenti per fenestram scalam tenes, aliàs ascensuro. *Laym. lib. 2. sect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 2.*

Laym.

94. *Dubito, an damnum proximo, ex meo consilio sit secutum: teneor ne restituere?* Asseruit *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 44.* quia possessio stat pro obligatione. Addit *Henriquez lib. 4. cap. 16. num. 3.* ab onere restitutionis consulentem te liberari, si fur, vel homicida dicat, tuo consilio minimè furtum, aut homicidium perpetrasse. *Sanchez* id solum admittit, quando reus esset fidei dignus, aut aliæ coniecturæ confluerent. Profectò alij ex externis probabiliter excusant dubitantem; quia odia debent restringi, & in dubiis melior conditio possidentis.

Sanch. Henriq. Sanch.

94. *Non obstans, & non manifestans, quandonam ad restitutionem teneatur?* Cum damnificationem proximi ex iustitia impedire, aut manifestare tenetur. v. gr. famuli domestici in ordine ad furtum extraneorum; quia eo ipso, quod domestici fiunt, domum aliquo modo custodire, & ab extraneorum iniuriis defendere tenentur. *Quid in ordine ad confamulorum furtum?* Ille solus tenetur, cui penus custodia specialiter est commissa. *Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 5. n. 7.*

Laym.

96. *Tenetur ne teste citatus, & intimatus à iudice ob negatam testificationem, & fugam, restituere parti damnum secutum?* Non; quia non certò constat talem ex officio siue ex iustitia teneri ad procurandum bonum, vel impediendum malum partis actricis. Sic *Tanner. 2. 2. d. 4. q. 6. dub. 2. n. 79.* At *Valent. tom. 2. d. 5. q. 14. p. 1.* contrarium asseruit.

Tann. Valent.

97. *Teneturne testis, aut testimonium negans, aut falsum asserens in fauorem rei: aut ipse reus, qui legitimè interrogatus, abnegauit delictum: restituere fisco, vel parti læsæ damnum ob non inflictam reo pœnam pecuniariam?* Minimè siue arbitraria pœna sit, siue taxata. *Vasq. 1. 2. d. 175. c. 12.* Porrò *Laym. c. 6. num. 4.* probabiliter putat ad taxatam teneri.

Vasq. Laym.

98. An custodes portárum, aut syluarum non manifestantes eos, qui merces, aut ligna asportant: aut publici æstimatores, vulgo *Ficles*, non denunciantes eos, qui res carius vendunt, vel falsis ponderibus vtuntur, aut mensuris: teneantur

ad

ad damna restituenda ? Negatiuè respondet *Lessius lib.2.c.13. dub.10.num.73.*

99. *An iudex non damnans ad talem pœnam ex iure, teneatur?* Non tenetur ex *Tann.* sententia *n.*81. Horum autem resolutionum ratio est, quia hi omnes non delinquunt contra iustitiam commutatiuam, sed contra regalem. Profectò reus, & testes verum dicere, custodes & alij denunciare, iudex pœnam iustam infligere tenentur, vt Reipublicæ pax seruetur, damna impediantur; non verò vt fiscus, & is, qui pœna pecuniaria applicanda esset, huiusmodi accretione dicetur. Tann.

100. *Non impedio quosdam, qui nomine meo alteri damnum sunt illaturi: teneor ne ad restitutionem ?* Si teneris ex officio impedire, restituere debes; si non teneris ex officio, tunc solummodo teneris ad restitutionem, quando damnificatores scirent, te iniquum eorum propositum notum habere, & non contradicere, quod esset tacitè consentire. *Rebellus p.1. lib.2.q.14.sect.3.num.13.* Rebell.

101. *Filius patris, seruus domini nomine damnum intulit, quod post factum pater, aut dominus ratum habuit: tenentur ne pater, aut dominus ad restitutionem ?* Non; quia reuera causa damni non extitere. *Lessius dub.3.n.13.* Less.

102. *De rei bene acceptæ restitutione differamus. Scio, res inuentas si dominum habent, ei restitui debere, si non inueniatur dominus, quid ?* Restitui debent pauperibus ex vsus recepta consuetudine, in domini voluntate rationabiliter fundata. Ast ex aliorum sententia probabiliter retineri possunt ab inuentore diuite, aut mediocris fortunæ; quia in iure idem est, dominum ignorari, ac rem nullius esse. §. 2. *Restitutio ob rem acceptam.*

103. *Possessor fui bonæ fidei, seu dubitare incipio, num res, quam possideo, mea sit: possum ne illam retinere:* Si post adhibitam diligentiam adhuc dubius manes, retinere poteris; quia melior tunc possidentis conditio, nec foro inexterno possessione expoliaberis. *Lessius lib.2.c.14.dub.4.n.23.* Less.

104. *Possem ne rem illam dubiam vendere ?* Posses, sed, adnotante *Lessio*, & dubium emptori exponere, & paratus esse deberes vero domino pretium reddere, si rem esse illius constiterit. Porrò id abnegat *Sanch. Decal.lib.2.c.3.n.187.* quia possessor bonæ fidei, quando non habet rem apud se, solum tenetur ad id, quo est effectus locupletior. Sanch.

105. *Possessor bonæ fidei post adhibitam diligentiam incipio magis inclinare in eam partem, quod res mea non est: teneor ne restituere ?* Docet *Coninch d.34. dub.10.n.93.* teneri, aliquid restituere iuxta inclinationem, & propensionem. At *Palaus* Conin. Pal.

tom.1.d.2.part.2.num.11. putat, ad nihil teneri; quia possessio omnibus contrariis rationibus non conuincentibus præponderat.

Pal. 106. *Quid si bonæ fidei possessor neglexi veritatem vestigare, ex quo impotens agnoscendi veritatem euasi?* Asserit *Palaus* ad nihil teneri te putat, licet negligentiæ piaculo reus extiteris; cùm quia possides, & possidere bona fide cœpisti: tum quia non satis constat, quod tua negligentia alicui damnum intulerit.

Less. Vasq. 107. *Venditor accipit bona fide pecuniam, & cum propria commiscet: tenetur ne comparente domino restituere?* Asserit *Lessius cap. 20. dub. 18. num. 57.* Sed negat *Vasquez de restit. cap. 9. §. 2. dub. vlt.* quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis, qui bona fide accepit; nec ratione rei acceptæ, cum pecuniam acceperit in pretium, & bona fide assumpserit, vel cum sua commiscendo suam effecerit: nec enim in aliquo factus est ditior.

§. 3. *Restitutio ob iniquũ contractum.*

108. *Scio contrahentes cum pueris, seruis, Religiosis, & aliis, qui non habent dominium, vel liberam rerum administrationem: tenere restituere quidquid etiam per contractum oneroſum acquisiere: rogo, an pupillus habens sufficientem ætatem teneatur stare huiusmodi contractui, ita vt contrahens non teneatur restituere?* Profectò sufficiens ætas in mare est decem annorum, in fœmina autem nouem cum dimidio. Si ergo pupillus contractum oneroſum ineat circa res suas mobiles sine tutore aut curatore, probabile est teneri stare contractui de iure naturæ; quamuis vti possit beneficio restitutionis in integrum iuris ciuilis: quia obligatio naturalis oritur ex con-

Tanner. sensu. *Tannerus 2.2. d. 4. q. 6. dub. 11. num. 310.* Qui ergo aliquid à pupillo decem annorum mare, aut nouem cum dimidio fœmina per contractum oneroſum acquisiuit, potest sibi retineri, donec iuris ciuilis beneficio repetatur. At quia contraria sententia probabilis est, pupillus potest palam accepta à contrahente cum ipso abripere, si in iudicio difficulter sint repetenda. *Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 9. n. 7.*

Laym. 109. *Fingit se quis Episcopum expulsum, aut Principem expoliatum, aut pauperem mendicum, vt eleemosynæ titulo pecunias extorqueat: tenetur ne restituere?* Respondeo ex *Granado*

Granad. *2.2. cont. 3. tract. 1. d. 7. num. 4.* non teneri in eleemosynis paruis, quæ dantur mendicantibus ostiatim; quia absque vllo onere impertiuntur. Secus in magnis, in quibus conditio illa mente retenta: *Si es pauper*, quam aliqui interuenire arbitrantur, videtur locum obtinere.

110. *Rogo*

110. *Rogo circa contractum innominatum, (do, vt facias) num si iudex recipiat munera proferenda iusta sententia, teneatur ad restitutionem?* Restitui debet quidquid accipitur pro opere aliàs debito ex iustitia. Secus si sit debitum ex charitate, vel alia virtute. *Tannerus 2. 2. d. 4. quæst. 6. dub. 10. num. 291.* Tanner.

111. *Suppono causam esse æqualem: potest ne aliquid Iudex accipere?* Docet *Fagundez Dec. tom. 2. lib. 8. cap. 26.* aliquid accipi posse non solum ab electoribus ad maioratum, cathedram, capellam; sed etiam à iudice, quando (vt supponis) sententiam profert in causa æquali, secluſa lege positiua in contrarium; quia pro suo arbitratu potest cuilibet parti dare victoriam, quare datur locus gratificationi, quæ est pretio æstimabilis, vt pote quæ plerúmque cum iactura amicitiæ, & gratiæ alterius partis coniuncta est. Fagund.

112. *Iudices ac Ministri publici munera ex mera liberalitate, & gratitudine collata assolent accipere: tenentur ne restituere?* Non nisi lege aliqua positiua prohibita sibi essent; in quo casu non tenentur restituere ante sententiam. *Molina de Iust. tom. 1. d. 88.* Molin.

113. *Scio ab obligatione restituendi excusare creditoris remissionem, seu renunciationem. v. gr. stuprator virginis, qui ab ea illatorum damnorum remissionem obtinuit, ad nihil tenetur: rogo autem an debeat esse expressa remissio huiusmodi?* Sufficit præsumpta. v. g. ex homicidio viri nobilis nulla restituendi oritur obligatio; quia viri nobiles, & diuites ex communi vsu huic iuri videntur renunciasse, solius iniuriæ memores. *Sanchez opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 11. num. 6.* Famuli recipientes pecuniam à lusoribus pro chartis, candelis, aqua frigida, &c. non tenentur restituere excessum, quia colluſores censentur remittere, cum fraus absit. *Saa v. traditio, num. 1.* §. 4. *Quis nõ teneatur restituere.* Sanch. Saa.

114. *Scio à restitutione excusare æquiualentem compensationem: rogo, an pœna capitis, quæ à Iudice pro homicidio imponitur occisori, damnum illatum hæredibus compenset?* Non, quia non est actus iustitiæ commutatiuæ in satisfactionem partis; sed iustitiæ legalis in Reipublicæ satisfactionem. *Sanch. citat. dub. 2. num. 2.* Ast *Beccanus 2. . . quæst. 10. con l. 2.* nullum onus imponit, si hæredes nihil exigerent; quia vt *Lessius* adnotat *lib. 2. cap. 9. dub. 22. num. 139.* tunc solum deberetur parti satisfacere, quando bona damnati ad mortem ad hæredes transeunt, non successione hæreditaria, sed libera donatione. Sanch. Less.

115. *Scio*

115. *Scio excusare à restitutione quocunque ex capite faciendâ grauem necessitatem: rogo, an absoluendus homicida, qui non vult restituere, ad vitandam superuenturam grauem necessitatem?* Non tenetur, nisi hæredes occisi eadem necessi-
Sanch. tate laborarent. *Sanchez dub. 7. n. 2.*

116. *Scio aliquos asseruisse, cessionem bonorum excusare adeo vt quos possit in conscientia retinere suo, & familiæ victui necessaria, etiamsi multa debita ex delicto notorio iniustè contraxisset: quidnam sentiendum?* Porrò *Lessius* probabilem hanc
Less. sententiam docens, contrariæ adhæsit; quia ignominia, quam qui cessit bonis sustinuit, non satisfecit debitis tanquam solutio; sed delicto, quod præsumitur, in accipiendis mutuis cum impotentia solutionis, tanquam pœna. Sic ille *lib. 2. c. 16. dub. 3. n. 63.*

117. *Scio acquisitionem per sponsionem, vulgo* Apuesta, *à restitutione excusare: rogo, an sponsio sit iusta non solum si neuter certitudinem habeat, sed etiamsi alter habeat, & protestatus se habere, alter nihilominus vult spondere?* Iusta est; quia volenti
Sanch. non fit iniuria. *Sanch. c. 8. dub. 13. n. 11.*

§. 5. Quidnã restitui debeat.

118. *Scio, bonæ fidei possessorem, qui rem alterius bonâ fide consumpsit, non teneri restituere valorem, nisi in quantum factus est locupletior. v. g. consumpsit bonâ fide vestem alterius, solum tenetur ad pretium vestis, quam alioqui emisset: rogo si quis in alieno conuiuio cibos furtiuos comedisset, teneretur ne restituere,*
Sanch. *quantum domi expensurus fuisset pro illo cibo? Sanchez* asseruit *summ. tom. 1. lib. 2. cap. 23. num. 34.* quia in illo factus ditior. Ast ex aliorum mente probabile existimo, in iis, quæ vnico actu consumuntur, non adesse onus restituendi, nisi fur ad restitutionem impotens euasisset; quia dominus rei non habet ius ad res ipsas iam absumptas, sed ad personam furis pro æqualium, aut similium restitutione, vel pretio illarum.

119. *Emit quis bonâ fide rem furtiuam, & vendidit eodem pretio: tenetúrne restituere pretium domino comparenti?* Non;
Less. quia totum actum est bonâ fide, & ipse in nihilo factus est ditior. *Lessius lib. 2. c. 14. dub. 5. n. 29.*

120. *Quid si pluris vendidisset?* Non tenetur restituere ex-
Molin. cessum; quia non est fructus rei sed industriæ. *Molina tom. 3. tract. 2. d. 721. n. 10.* Porrò *Lessius n. 134.* contrarium asseruit; quia iam illo excessu factus est ditior.

121. *Rapit quis triticum, aut vini dolium tempore, quo valor eius centum est argenteorum, crescit, aut decrescit pretium: quidnam debet restituere?* Si dominus tritici aut vini venditurus fuisset tempore maioris pretij, tale ei pretium debet
restitui.

restitui. Si verò retenturus fuisset vsque ad id tempus ad quod restitutio dilata est, sufficit soluere pretium temporis acceptationis, vel temporis restitutionis, si non esset deterior, præsertim si valor ex inopia emptorum extrinsecus accreuisset. *Lessius c. 12. dub. 16. n. 109.* Less.

122. *Dubium est, an dominus venditurus esset rem tempore summi valoris, medij, aut infimi: quinam ei valor restituendus?* Ait *Lessius citat.* Summus; quia eo pretio vendere poterat, & in dubiis innocenti fauendum. At *Turrianus 2. 2. tom. 2. disq. 10. dubitat. 2. num. 7.* inquit, in foro externo summum, in interno medium reddendum; quia æqualiter ei contingere potuisset, vendere infirmo, & summo. Less. Turr.

123. *Scio, occisorem, & mutilatorem teneri ad expensas morbi, vel vulneris; non autem ad sepulturam, nec ad damna secuta per accidens: rogo si præuideat occisor innocenti imputandam illam necem, an teneatur ei damna restituere?* Non; quia hoc damnum cum homicidio per accidens est connexum; vnde occisor non ex iustitia, sed ex charitate præcauere tenebitur, *Lessio* authore *dubitat. 16. num. 110.* Qui addit, si quis habeat ius ad aliquam actionem, ex qua plerumque damnum tertio sequitur, teneri ex charitate, si absque æquali incommodo potest ab ea abstinere: non tamen ex iustitia, ita vt ad restitutionem damni secuti teneatur; quia qui vtitur iure suo, nulli facit iniuriam. Sic ille *num. 114.* Less.

124. *Tenetur ne homicida debita occisi debitoribus soluere?* Asserit *Molina tom. 4. tract. 3. disq. 83. num. 8.* quia debita ex iustitia præferri debent emolumentis vxoris, filiorum, &c. Molin.
Ast negat *Lessius dubit. 26. num. 151.* ex vsu; quia damnum creditoris per accidens cum homicidio coniungitur; & quia ius creditorum non erat in personam, nisi quando bona quæ habebat, vel verisimiliter erat habiturus; quare cum bona actualia transeant ad hæredes, & occisor eis restituat lucra cessantia, ad eos transire debet ius creditorum. Less.

125. *Cuinam debetur restitutio ex homicidio titulo expensorum in curatione, &c.* Debetur hæredibus siue necessariis, siue non; quia ad illas habebat ius occisus ante mortem: & in iuribus debitorum realium defuncti succedunt hæredes etiam extranei. *Titulo autem alimentorum, quæ debebantur ab occiso: cuinam facienda restitutio?* Solum hæredibus necessariis, nimirum parentibus, filiis & vxori. §. 6. *Cuinam faciendæ restitutio.*

Beccan. *Becanus 2. 2. q. 14. concl. 3. Vxor postea aquè commodas nuptias iniyt.* Nihil ipsi debetur, authore *Filliucio tom. 2. tract. 31. ca'. 2. num. 207.* At *Tannerus tom. 3. d. 4. q. 6. dub. 4. num. 122.* probabile docet occisorem non teneri ad restitutionem ante iudicis sententiam, si occisor de restitutione facienda non conuenit cum occiso ante mortem, & necessarij eius hæredes alimentis non egent. Porrò *Sanchez opusc. tom. 1. lib. 3. cap. 4. dub. 3. num. 9.* restituendum his asserit, etiam dantibus.

Filliuc. Tann. Sanch.

116. *Cuinam reddenda eleemosyna acquisita ficta paupertate? Granado* putat dantibus restituendas magnas, quas solas (ut vidimus) debere restitui iudicauit. *Molina tom. 1. tract. 2. d. 210. num. 4.* docet multas & paruas pauperibus dandas; quia difficilè possent dantibus reddi: secus magnas. At *Pal. tom. 1. tract. 6. d. 2. p. 14. num. 7.* & dantibus, & pauperibus reddi posse existimat. Ego quidem tam magnas, quam paruas pauperibus erogarem; quia paruæ dantibus parum emolumentum afferrent, magnæ autem iam ab ipsis subleuandæ paupertati sacratæ fuerant.

Molin. Pal.

§. 7. *Quantũ, quomodo, quãdo, quo ordine restituẽdum sit.*

127. *Quantum restituendum in dubij de damno dato, & pro lucris incertis?* Damnificator culpabiliter in seminibus & plantis, si messis erat proxima, omnes fructus debet restituere, ac si maturi essent, expensis deductis; secus si à maturitate multum aberant, sic communiter. *Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 19.* asserit absolutè, satis esse restituere æstimationem temporis, quo damnum est illatum. Homicida opificis restituat hæredibus spem lucri ex ætate, valetudine, & dexteritate, &c. computandam. *Becanus 2. 2. quæs. 8. conclus. 1.* sexaginta annos attribuit ætati. Aliquid tamen detrahendum ratione incertitudinis asseruerim. *Quid si sexagenarius sit artifex?* Iuxta complexionem addendi aliqui anni ad boni viri placitum.

Lessius. Becan.

128. *Rogo an ab artificibus aliquid detrahendum sit pro molestia artis laboribus?* Respondet *Lessius c. 9. dub. 19. n. 125.* negatiuè. v. g. impedis fabrum lignarium ab vnius diei labore, teneris totum lucrum restituere absque laboris deductione; qui opifex voluisset laborare, & agere lucrum. Attamen et *Rebello p. 1. lib. 3. q. 13. n. 2.* probabile puto aliquid posse pro æstimatione laboris arbitrio prudentis detrahi.

Lessius. Rebell.

129. *Fit homicidium casuale etiam cum lata culpa commissum: tota ne summa damnorum restituenda?* Restituatur pars arbitrio prudentis *Fernandez p. 1. c. 14. §. 1. num. 7.* Restituatus dimidium.

Fern.

130. Fit

130. *Fit modus occidendi magis iniurioſus: an ex hoc capite ſit plus reſtituendum?* Negat *Azor. p. 3. lib. 5. c. 3. q. 3.* Azor.

131. *Dubito, an conſilium meum fuerit furti, aut homicidii cauſa teneor ne ad aliquid reſtituendum?* Ad nihil teneri te dixi. At ſi *Molinæ* ſententiæ hærendum, ſufficit reſtituere partem damni pro quantitate dubij manentis poſt factam diligentiam. Sic ille *tom. 3. d. 736. n. 6.* Molin.

132. *Quidnam de reſtitutionis modo?* Ab eo, qui poteſt, debet fieri tota ſimul ſtatim. *Reſtituere quis per partes intendit.* Si inuitus creditor, delinquit grauiter, nec abſoluendus ex multorum ſententia. Aſt alij affirmant abſoluendum, ſi ob aliquod emolumentum differt, qui aliàs vel nunquam reſtitueret, vel non ita vtiliter.

133. *Gero per tertium reſtitutionem, ipſe retinet: debeo ne iterum reſtituere?* Aſſerit *Rebellus part. 1. lib. 2. q. 13. ſect. 3.* non liberari à reſtitutione furem, qui Confeſſario tradidit nummos reſtituendos, ne eius delictum aperiretur, ſi Confeſſarius iniquè retineat; quia creditor non debet damnum pati ob Confeſſarij delictum. Alij probabiliter negant; quia fur non debet reſtituere cum infamia; nec maiorem potuit diligentiam adhibere, quàm per Confeſſarium reſtituendo. Rebell.

134. *Poteſt quis per ſe ipſum reſtituere moribundus, & committit hæredibus: abſoluendus ne?* Non; quia talis voluntas conditionalis eſt, ſcilicet reſtituendi, ſi moritur; & quia teſtatoris hæredes ſæpe in his teſtatoris voluntatem negligunt adimplere. Vnde neganda abſolutio moribundo, qui cum poſſit per ſe, vult poſt mortem reſtituere famam, Confeſſario internuncio. Hoc quidem mei *Poza* venia, qui *in prac. bene moriendi in proœm. mand. 8.* contrarium aſſeruit. Poza.

135. *Tenetur ne reſtituere non impediens damnum alterius?* Teneri aſſerit *Saa*, cum ex officio deberet, v.g. iudex, pater, tutor; niſi ob periculum rerum ſuarum omittat, quas præferre debeat alienis. §. 8. *De reſtitutione varia.*

136. *An Medicus & Aduocatus teneantur ad reſtitutionem ex negligentia, qua cauſa fuit damni grauis ei, quorum ſalutem, aut cauſam agebant?* Proculdubio tenentur; quia illorum incuria iniuriam proximo irrogauit. *Cur ergo aſſeruiſti Confeſſarium non teneri ad reſtitutionem cum damnum dedit ei cui reſtituendum erat, non mmendo pœnitentem reſtituere?* Quia Confeſſor agit pœnitentis cauſam, vti Medicus aut Aduocatus ægri & litigatoris; cauſam autem eius cui reſtituendum erat non agit. Scio Nauarrum Confeſſarium Saa.

obligare ad restitutionem, si ex crassa ignorantia dixit, ne restitueret.

137. *Qui agrum alienum mala fide possedit, tenetur etiam de fructibus, quos dominus alioquin percepisset, deductis expensis: rogo num idem sit de lucro ex aliena pecunia?* Minimè, nisi
Saa. fortè dominus tantundem ex ea fuisset lucraturus. Sic *Saa* ex Salone.

138. *Quis aliquid accepit, vt malum faceret: tenetur ne, si non*
Molin. *fecit restituere?* Tenetur ex *Molina*; secus si fecit.

139. *Sine vi aut fraude impediuit quis liberam donationem, aut collationem beneficij, aut curauit mutari testimentum: num restituere teneatur?* Minimè, si ad beneficium nondum ius ac-
Saa. quisitum erat, nec ad testamenti donationem. Sic *Saa*, adi-
Tolet. ciens alios merito istum teneri affirmare, quia contra iusti-
tiam faciens læsit. *Toletum* lege.

140. *Non potest quis restituere rem minoris ordinis sine damno maioris. v.g. pecuniam sine honoris iactura: tenetur ne?* Minimè
Saa. ex *Saa* & aliis; quia famæ notabilis excessus minimè pecu-
nia comparandus.

141. *An restituere tenetur, qui non potest sine maiori multo*
Tolet. *damno suo, quàm sit damnum creditoris?* Ex *Toleto* negatiuè respondeo.

142. *Quid si apud me debitum sine culpa periit?* Si ob iniu-
Saa. stam moram periit, teneris damna restituere; secus si apud dominum sic fuisset periturum. *Saa*, docet ex Nauarro.

143. *Tulit quis quod si petijsset, ei datum fuisset voluntariè:*
Saa. *tenetur ne restituere?* Idem *Saa* non teneri affirmauit.

144. *Meretrix vsitatis mendacijs multa extorsit: obligatur ad restituendum?* Importunis mulierum blanditiis, non communibus extorta restituenda aiebat *Caiet.* Docet *Nau.* si fraude
Saa. vsa esset, fingens se virginem, aut à viro Principe tantùm cognitam, teneri ad restitutionē. Ego cum *Saa* assero non teneri restituere quod extorsit vsitatis mendaciis; quia si vsitata, iam tam ab omnibus cognita, vt dans, volūtariè dedisse videatur.

145. *Scio me Antonio debere centum aureos, diligenter inquiro, nec inuenio: num possim bona illa pauperibus distribuere?* Si
Tolet. res non magni ponderis fuit, pauperibus debitoris arbitrio distribuatur; si autem magni sit ponderis, existimo cum *Toleto* iudicis auctoritate distribuendam; ne scilicet comparente postmodum creditore reddere cogar.

146. *Dirui domum vicinam, per quam incendium ad meam erat peruenturum: teneor ne restituere?* Non, si aliter occurrere
Saa. propriæ domus damno non poteras. *Saa.*

147. *Scio*

147. *Scio Petrum prodigum quæcunque bona esse dissipaturum: possum ne debitum eius inopiæ, aut hæredibus seruare?* Quidam non admittunt, asserentes omnino restituendum, & cuicunque abutenti rebus suis modò fiat sine proximi iniuria. Ast ego cum *Emanuele* affirmo talem asseruationem eo motiuo iustam & laudabilem. Saa.

148. *Dubito vtri eorum debeam, certus me alteri eorum debere: quidnam mihi præstandum?* Da vtrique dimidium. Sic idem *Saa* ex Soto. Saa.

149. *Misi culpa leui depositum aut commodatum: num teneor reddere?* Ex *Toleto* negatiuè respondendum. Tolet.

150. *In debitis eiusdem ordinis, quodnam prius soluendum?* Respondet *Lessius* cæteris paribus soluenda priora: alioqui maiori damno prius occurrendum. Less.

151. *Mala fide rem furtiuam quis emit: num restituere teneatur?* Licet statutum concedere videatur, vt res sic empta emptoris sit: nullo statuto posse huiusmodi emptorem à restitutione liberari puto.

152. *Præmissa diligentia dubius hæreo, an res mea sit: possum ne ea vti?* Imò & distrahere, paratus quidem ad reddendum pretium domino, si innotuerit. *Sanchez* ita. Sanch.

153. *Negotiationi pecuniam expositam à mercatore furatus quis est: ad quidnam tenetur? Molina* affirmat teneri non solùm pecuniam ablatam, sed etiam lucrum cessans restituere. Molin.

154. *Possessor bonæ fidei inæqualiter dubitat, magisque inclinat in eam partem, vt credat rem, quam possidet, esse alienam: tenetur ne illam restituere?* Non, quia nullæ illi occurrunt rationes, quæ sufficiant ad assensum generandum; quare in illo dubio melior conditio possidentis. Sic *Vasquez. Postea verus dominus comparet: tenetur ne restitutionem facere?* Non tenetur, nisi vel res ipsa adhuc extet, vel in quantum ex ea factus est ditior, sicut quilibet possessor bonæ fidei. Ex eodem *Vasquez*, & aliis. Vasq.

155. *Quis dum cœpit rem possidere titulo emptionis, vel donationis dubitat an esset furtiua: num teneatur?* Restituere tenetur, vel saltem diuidere rem huiusmodi. Sic *Castro Palaus*. Quod si tamen acceperat à possessore bonæ fidei, & adhibuit diligentiam, vt dubium suum deponeret, potest retinere; quia succedit in locum possidentis, à quo illam acceperat venditione, vel donatione. Ab eodem meo *Castro* accepi. Pal.

156. *Dubito, num res furtiua sit, & illam emo, vt postea vero domino restituam: possum ne inde deducere pretium pro ea solutum?* Affirmat *Sanchez* posse, modò fuerit iustum, & Sanch.

dominus rei non fuisset sine expensis recuperaturus; tunc enim vtiliter rem domini gessit.

157. *Possessor bonæ fidei quis est, postea autem dubitans, an res esset aliena, neglexit inquirere, vnde iam factus est impotens verum dominum inuenire: num restituere teneatur?* Ex *Castro Pal.* *Palao* puto probabiliter, non teneri; quia dubitans, an res sit aliena nec ne, dubitat an illa negligentia alicui damnum intulerit.

158. *Impedit quis fraude, aut mendaciis, ne alicuius bona ob crimen fisco addicantur: tenetur ne ad restitutionem?* *Vasq.* *Vasquez* asserit non teneri; quia hæc præscriptio bonorum est pœna criminis; pœna autem non debetur ante sententiam saltem criminis declaratoriam, imò nec ante sententiam constitutiuam pœnæ. Idem dicendum de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem.

159. *Dubitas, an tuo consilio, seu culpa secutum sit damnum teneris ne ad restitutionem?* *Henriq.* Docet *Henriquez* non teneri quia in dubio, præsertim in materia iustitiæ melior est possidentis conditio.

160. *Impedio, ne quis consequatur hæreditatem, officium, aut beneficium: quandonam tenear ad restitutionem?* Teneris ex *Vasq.* *Vasquez* quando vi, vel fraude impedis. Non teneris ex *Lessio*, quando precibus, blanditiis, aut muneribus impedisti; quia preces, blanditiæ, & munera non repugnant libertati, vnde nulli irrogatur iniuria. Hinc qui per mendacium impedivit, ne Petrus eleemosynam Ioanni impenderet, dicens illum non esse pauperem, ad restitutionem tenetur.

161. *Bona fide rem meam furi vendidi, & pecunias illas furtiuas vel cum meis commiscui, vel consumpsi, postea comparet verus pecuniarum furtiuarum dominus: rogo, an ad restitutionem tenear.* *Laym.* Te non teneri *Layman.* asserit; quia neque ratione iniustæ acceptionis (cum bona fide acceperis,) neque ratione rei acceptæ, cùm vel illas furtiuas pecunias consumpsisti, vel bona fide cum tuis commiscendo illarum acquisisti dominium, neque etiam factus es ditior, cùm rem tuam iusto pretio vendideris.

162. *Multis ciuibus illatum est damnum per minutas scilicet venditiones iniustas olei, panis, vini, &c. Cuinam illa restituenda furta minuta?* Danda non pauperibus, sed ipsis ciuibus minoris vendendo, aut maiori mensura, donec ad æqualitatem damni veniatur, docet *Molina.* *Vasq.* Ego autem cum *Vasquez* & aliis affirmo probabiliter posse dari pauperibus, præcipuè si

si eiusdem sint ciuitatis. Tunc equidem etiam Bullæ Compositionis locum esse certum est.

163. *Qui cessit bonis, tenetur, si postea ad pinguiorem fortunam accedat, restituere. Hoc certum: rogo vlterius, an cedens bonis tuta conscientia possit sibi, & familiæ suæ, ne indecore viuat necessaria retinere?* Cum *Lessio* assero posse; quod quidem est verum, licèt debita, pro quibus cedit, sint ex iniustitia, & notorio delicto contracta, quamuis tunc non possit tantum quantum aliàs sibi retinere. Less.

164 *Compositionis Bullæ beneficio debitis incertis satisfeci, comparuit postea verus dominus teneor ne aliquid restituere?* Nihil; quia hæc compositio æquiualet præscriptioni. Addit *Henriquez* Episcopos posse huiusmodi compositionis Bullas pro diœcesibus concedere. Non vidi huiusmodi potestatem mandari exequutioni. Henriq.

165. *Testis legitimè interrogatus tacendo, quod de proximi nobilitate sciebat, causa extitit infamiæ: num teneatur restituere?* Tenetur, vti *Saa* asserit, nisi tacuisset damni proprij timore iusto, qui etiam post occasionem iudicij perseueret. §. 9. *De Restitutione famæ varia.*

166. *Petrus Ioannem infamauit, obijt sine satisfactione adhibita: requiro, num hæres eius teneatur satisfacere? Lessius* putat non quidem famæ restitutionem ab hærede faciendam, sed damnorum tantùm profectorum ex infamia. Saa. Less.

167. *Quis alium falso testimonio in vitæ periculum coniecit tenetur ne eum etiam cum proprio vitæ periculo liberare?* Tenetur, si scienter id gessit; at si sine culpa debet retractare, si possit sine magno sui periculo. Quod si retractatio non esset profutura, non teneretur. Ex *Valentia* collegi. Valent.

168. *Famam quis grauiter alterius læsit, sed grauiter ab eodem fuit læsus in fama: ad quid tenetur?* Si tantumdem est læsus ab eo, quem læsit, tenetur ad nihil; si inæqualitas adest considerabilis, de partis satisfactione curetur. *Toletum* sequor. Tolet.

169. *Videt quis aliquem puniri per errorem, pro eo, quod ipse gessit, & tacet: num ad aliquam famæ proximi deperditæ restitutionem teneatur? Saa* ex Nauarro respondet non tenere. Addiderim, nisi sine graui periculo aut infamiæ, aut corporalis pœnæ possit proximum innocentem liberare. Saa.

170. *Quis accusatorem suum non potentem probare, vocauit calumniatorem: num restituere teneatur?* Ex *eodem* assero non teneri; quia huiusmodi accusatores calumniatores in iure vocantur. Saa.

171. *Qui læsum honorem, aut famam non potest restituere, tenetur ne aliter compensare?* Toletus docet pecunia, aut alia re compensare debere. Ego cum *Saa* & aliis existimo tam pretiosam gemmam haud pecunia compensabilem. Vnde qui non potest restituere famam, tenetur ad nihil. Petat ille veniam, & sufficit. Addiderim tamen virum illustrem, longè inferioris hominis debere pecuniâ ablatum honorem compensare, si aliter nō possit, aut pro Superiori nobilitate nō debeat.

Tolet.

Sa

172. *Num sit peccatum mortale cum onere restituendi quem seipsum infamare?* In re valde graui affirmo, cum falsò sibi delictum imputauit. Imò cùm se verum dicendo infamat, potest mortale esse ex scandalo, vel damno secuto: alioquin solùm veniale est. *Quid si tormentorum timore se & alios infamat, & periculo mortis exponit?* Nec videtur condemnandus peccati, nec obligandus ad restitutionem. *Licet ne peccatum meum prodere, cùm alteri imputari video?* Licet, sed non teneris. Potes etiam tacere, cum crimen tibi imponitur, quod alius gessit. Ex *Molina*, *Saa*, & aliis.

Molin. Saa.

173. *Debetur restitutio famæ cuidam personæ bene de Reipublicæ merita, potest ne hæc huiusmodi restitutionem remittere?* Potest; quia quilibet famæ aut honoris est dominus, dummodo Reipublicæ ipsius fama non lædatur. Si tamen remittat, infamator ab obligatione iustitiæ liberabitur. *Saa.*

Saa.

174. *Qui famam læsit alienam, tenetur ne cum suo maiori damno quàm alteri dedit, restituere?* Tenetur, vti *Valentia* docet. Addit famosi libelli auctorem teneri per contrarium libellum restituere. *Toletus* autem affirmat lædentem famam interdum cum periculo vitæ debere restitutioni operam dare, vt si Regni, aut Reipublicæ fama restituenda.

Tolet.

EXAMEN III.

De Iustitia, circa materiam de Contractibus in communi.

CAPVT PRIMVM.

De Contractuum essentia, & varietate. Vbi de promissione.

§. 1. Contractus.

1. QVid *Contractus*? Est actus externus inter duos vel plures ex consensu ipsarum, vltrò citróque obligationem

gationem pariens saltem in foro conscientiæ, modò non sit irritus iure naturæ vel positiuo.

2. *Quotuplex est Contractus?* Multiplex quidem. Alius *Onerosus*, per quem onus imponitur. Alius *Lucratiuus* seu *Gratuitus*, quo aliquid promittitur, vel traditur absque pretio vel mercede, qualis est Commodatum, Mutuum, Precarium, Depositum, vel Testamentum. Alius fit in gratiam recipientis tantùm, vt Mutuum. Alius in gratiam tradentis tantùm, vt contingit in deposito plerumque. Alius fit in gratiam & bonum vtriusque, vt Emptio, Permutatio, Pignus. Alius est simplex & absolutus, & alius conditionalis. Alius licitus, & alius illicitus. Alius perpetuus, alius temporalis. Alius *Nominatus*, seu qui proprium habet nomen, vt emptio & venditio. Alius *Innominatus*, qui proprio caret nomine. Cuius equidem innominati contractus quatuor sunt species. 1. *Do vt des.* v.gr. si tradas Antonio panem, vt ipse tibi vinum largiatur. *Facio vt des.* v. gr. si seruias Petro, vt ipse te doceat. 3. *Do vt facias.* v.gr. si labores pro Ioanne, vt ipse det tibi panem. 4. *Facio vt facias.* v. gr. si Franciscus laboret pro te, & tu pro illo laborem impendas. Alius dicitur contractus *Bonæ fidei*, in quo iudex iudicat ex æquo & bono, non ex rigore legis, & iuris scripti. Alius dicitur *Stricti iuris*, in quo iudex iudicat ex rigore legis & pactionis adstrictus ad verba, qualis est donatio, assecuratio, &c. Alij contractus perficitur re ipsa, alij verbis, & requirunt certam verborum formam, qualis est stipulatio. Alij solo consensu perficiuntur exterius vtrimque explicato, qualis est venditio. Alius dicitur *Pactum nudum*, quod in sola conuentione consistit; & alius contractus *Vestitus*, qui maiorem habet firmitatem, & robur, quàm habeat nudum pactum. Vestitur autem multipliciter. 1. *Re ipsa* vt si ex altera parte sit adimpletus. 2. *Verbis*, accedente forma stipulationis. 3. *Scriptura*, vt si quis sibi satisfactum esse fatetur. 4. *Iuramento* & specifico nomine contractus, vt sunt contractus nominati in suo genere perfecti. Alij denique *Quasi contractus* nominantur. Hi sunt Tutela, cura, negotia gesta, & alia quæ fiunt ex aliquo officio, sed non consurgunt ex vero contractu.

3. *Quinam consensus ad contractum requiritur?* Necessarius est consensus liber, promissorius expressus externo signo, formalis, vel virtualis. §. 2. *Promissio.*

4. *Quid est promissio, quæ necessaria est contractui?* Deliberata, & spontanea fidei obligatio facta alicui, de re aliqua bona, & possibili.

5. *Sunt ne iure positiuo aliquæ irritæ promissiones?* Ita planè, vt quæ præbent occasionem peccandi, quæ libertatem disponendi de rebus suis tollunt, & similes.

6. *Obligat ne interna promissio?* Deo quidem facta obligat; quia & cognoscit, & acceptat; homini autem minimè; quia non agnoscens non potest acceptare.

7. *Externa autem obligat ne ante acceptationem?* Minimè nec iure naturali, nec positiuo. Excipe aliquas priuilegiatas promissiones, v.gr. factam ciuitati ad reparationem factam vniuersitati, vel Ecclesiæ, aut Hospitali. Hæc enim etiam si non acceptentur obligationem ob commune bonum inducunt.

8. *Obligat ne promissio externa acceptata, sub mortali?* Si sit rei notabilis, obligat; & datur ei de iure Canonico actio.

9. *Obligatur ne, qui non habet propositum promittendi, sed vtitur promissoris verbis ad firmum propositum significandum?* Non obligatur nisi ratione damni.

10. *Obligat promissio acceptata de re illicita?* Minimè; quia nec huiusmodi res potuit promitti, nec acceptari.

11. *Quid si causa ob quam promissio facta est non subsistat: aut si rerum, vel personarum mutetur status?* Si arbitrio prudentis status ille mutatus illum euentum non comprehendat, & si causa non subsit, non obligat acceptata promissio.

12. *Contractus ex graui metu factus est ne irritus?* Non est irritus quidem ipso iure: irritari tamen potest ab eo, qui passus est metum. *Quid si leuis sit metus?* Etiam ex leui, potest in conscientiæ foro irritari. Idem affirmo in distractibus & remissionibus contractuum, & in reuerentiali metu, si minæ coniunctæ sint, aut grauis offensionis timor. Id quod locum habet etiam suo modo in importunis precibus, quæ alia via repelli non possunt.

de dissolutionibus

CAPVT II.

Quinam possint, aut non possint contrahere; & de restitutione ex contractu.

13. *QVinam possunt contrahere?* Contrahere generaliter possunt qui bonorum administrationem habent.

Possunt ne minores? Non possunt sine curatoribus, cum illis possunt sicut & Pupilli cum Tutoribus. Profectò absque curatoribus obligantur naturaliter, & in conscientia, aliquibus

bus casibus exceptis: possunt tamen beneficio restitutionis in integrum obligationem elidere.

14. *Possunt ne contrahere filij-familias?* Possunt de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus; non de aduentitiis, vel profectitiis. Si tamen & contrahant & puberes sint, obligantur, & datur aduersùs eos actio, tanquam minores læsi vtantur restitutionis beneficio. *In seruis?* Non oritur ciuilis obligatio, sed tantùm naturalis.

15. *Num qui ipso iure bonis priuati sunt contrahere possint?* Possunt quidem ante latam sententiam; quia dominium bonorum suorum retinent, sed infectum, & affectum ea qualitate, vt post sententiam omnes contractus rescindantur, à die commissi criminis.

16. *Quid de contrahendi potestate Clericorum dicendum est?* De patrimonialibus, & quasi patrimonialibus contrahere possunt. In Beneficialibus autem de parte necessaria ad congruam sustentationem, possunt: de alia validi quidem contractus sunt, sed delinquunt, si in vsus non pios expenderint. Porrò immobilia Ecclesiæ bona alienare non possunt, vt neque mobilia pretiosa quæ possunt asseruari.

17. *Obligatur ne Monasterium ex contractu Religiosi?* Minimè obligatur ex contractu facto vltra traditam facultatem, & potest illum ratum non habere. Religiosus tamen qui sic contrahit, ob periculum alterius peccat grauiter, si graue periculum sit.

18. *Iam verò queisnam personis restitutio in integrum ex contractibus conceditur?* Porrò restitutio in integrum non habet locum, quando contractus omnino irritus est. Si Minor læsus sit, gaudet priuilegio restitutionis, & durat vsque ad vigesimum nonum annum. Competit autem illi de omnibus contractibus in minoritate factis. Aliis quoque conceditur, scilicet Ecclesiæ, Piis locis, Communitati, Principibus supremis, Vniuersitati studiorum, Rusticis, & Mulieribus.

19. *Quandónam quis læsus dicitur?* Quando res vendita infra iustum pretium vel non debito tempore, vel facta donatio sine rationabili causa est.

20. *Possunt ne fructus percepti repeti?* Possunt quidem in contractu gratuito; in oneroso non, nisi quando iusto pretio res fuisset vendita.

CAP.

CAPVT III.

De Contractus obligatione.

§. 1. *Obligatio contractus.*

21. *Qvidnam est obligatio?* Vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, quæ quidem in honestate morali, & in necessitate fundatur.

22. *Quotuplex obligatio?* Duplex ex charitate, & ex iustitia. Iustitiæ autem obligatio vel est naturalis tantùm, vel ciuilis tantùm, vel mixta ex vtraque. Oritur quidem ex contractu, vel quasi: & ex delicto, vel quasi.

23. *Obligat ne omnis contractus?* Obligat quidem in foro conscientiæ: iure positiuo aliqui irriti esse possunt. Obligatio autem ex contractu vel est in foro ciuili, vel in foro Ecclesiastico.

24. *Pactum ne obligat in vtroque foro?* Obligat; nudum non parit obligationem in ciuili, sed tantùm exceptionem, & ius compensandi in foro conscientiæ; parit autem obligationem in Ecclesiastico; at nudum pactum iuratum etiam in ciuili obligationem parit. Porrò obligatio hæc triplex habet fundamentum veritatem, præsumptionem, & pœnam. *Quando fundatur in præsumptione obligat ne in conscientia?* Non, si à parte rei veritas non respondeat. Præsumptio autem est, vel quod lex non assistat actui, vel quod etiam illi resistat. *Quid si fundetur in pœna?* Non obligat ante sententiam condemnatoriam criminis, & executoriam iudicis, si pœna corporalis sit.

§. 2. *Euictio.*

25. *Quid est actio?* Ius prosequendi aliquid in iudicio, quod sibi debetur. Duplex quidem est, realis, & personalis, illa sequitur ipsam rem, hæc personam non egreditur.

26. *Quid est Euictio?* Ablatio rei habitæ emptione, vel alio contractu, interposito iudicis decreto. Habet locum in contractibus onerosis, vt emptione, permutatione, solutione debiti, diuisione hæreditatis, diuisione rei communis, promissione dotis, & aliis onerosis contractibus. Non in lucratiuis, excepta donatione, quæ à promissione incipiat, modò animus donantis talis fuerit, vt in euentu, quo res non esset sua, tantundem dare voluerit. Conuentio efficere potest, vt locum habeat etiam in lucratiuis, sicut vt locum etiam non habeat in onerosis. Profectò Euictio multis in casibus locum non habet in venditione.

27. *Quandónam igitur non tenetur de Euictione venditor?* Primò

Primò, si mota lite emptori non fiat venditori denunciatio illius ab emptore. 2. Si in contractu contra cautum fuerit. 3. Si emptor lata sententia contra eum, non appellauit ab ea, absente venditore. 4. Quando sententia iniusta. 5. Quando emptor permittit litem motam illi iudici, ad quem non pertinet. 6. Quando emptor sciebat rem esse alienam, nisi aliter conuentum. 7. Quando emptor rem emptam præscribere potuit. 8. Quando sua culpa amisit. 9. Si emptor hæreditatem vendidisset: tunc enim si res aliqua in particulari hæreditate euincatur, non tenebitur hæres de euictione.

CAPVT IV.

De Dolo in contractibus.

28. *Quid est Dolus?* Latè sumptus est executio solertiæ aliquid agendo, vel omittendo, vnde alius rectè, aut non rectè in aliquo decipiatur. Profectò dolus malus est fallacia ad fallendum adhibita.

29. *Quotuplex dolus in contractibus?* Multiplex quidem. Vnus circa substantiam, alter circa accidentia. Alius dans causam contractui, alius incidens in contractum. Vnus ex proposito, alter absque voluntate contrahentium.

30. *Quandónam dolus ladit contractum?* Si fit circa substantiam, iure naturali contractus est irritus; si circa accidentia, validus, modò dolus non det causam contractui. *Quid si det causam?* Non est irritus iure naturæ, quando non est contra substantiam, nec iure positiuo, vt probabilius iudico; irritari tamen potest. Profectò si in contractum incidat, non irritat, sed est in facultate ~~decipientis~~ decepti, an velit stare, & resarcire pretium, an rescindere. Si proueniat à parte, & non sit contra substantiam, irritari potest; si à tertio, absolutè validus est: rescindi tamen potest errore patefacto, si grauitus sit, si onerosus, qui deceptus est, re integra, non tenetur implere: re non integra, tantùm agi potest ad diminutionem pretij iuxta valorem rei cum illo defectu. Idem si dolus à se ipso proueniat. Porrò simulatus etiam multis modis esse potest.

CAP.

CAPVT V.

De Culpa in Contractibus, casu fortuito, & aliis accidentibus.

§.1. *Culpa in contractu.*

31. *Quid est Culpa?* Theologis peccatum, Iurisperitis deuiatio ab æquo & bono, quod communiter fit. Strictè autem sumpta, deuiatio est à bono, quod hominis diligentia prouideri potuit: seu omissio diligentiæ, quæ potuit ab homine adhiberi, ex inconsideratione proueniens.

32. *Quotuplex Culpa hæc?* Triplex, lata, leuis, & leuissima. Prima est omissio diligentiæ communis, secunda hominis diligentis omissio, tertia omissio hominis diligentissimi. Profectò contrahentes, iure naturali tenentur ex dolo, & ex culpa lata: iure positiuo si contractus sint in bonum tantùm recipientis, tenentur ex lata, & leui, & leuissima: si tantùm in bonum dantis, ex lata tantùm: si in bonum vtriusque ex lata, & leui.

§.2. *Casus fortuitus*

33. *Quid est casus fortuitus?* Inopinatus euentus rei, quem humana prouidentia præuidere non potest, aut impedire.

34. *Tenetur ne in contractibus aliquis de casu fortuito?* Nemo tenetur regulariter. Porrò in tribus casibus teneri potest. Primus, quando culpa præcessit casum, debet autem esse talis, vt ea quis obligetur ex contractu, & casus ex illa contingat. Secundus, quando quis esset in mora, & post moram casus contingat. Tertius, si pactum intercedat de casu fortuituto, requiritur autem expressio casus fortuiti, non enim satis est ad omnem casum obligari. Cùm autem expressus est, adhuc teneri non potest, si culpa aduersarij casus contingat, si facto aduersarij incidat quis in casum fortuitum. Cùm denique res traditur alteri æstimata, non propterea sequitur, eum teneri de casu fortuito; nam propter alios fines assolet æstimatio fieri.

§.3. *Alia accidentia in contractu.*

35. *Quænam alia accidentia contractibus assolent accidere, quibus dicuntur non purè celebrari?* Iam aperio. Primum accidens est, si fiant in diem, promittatur videlicet aliquid soluendum in diem, & tempus futurum; siue autem dies apposita certa sit, siue non, mortuo contrahente ante diem, transmittitur creditum ad hæredes. Secundum si addatur conditio, suspensio videlicet dispositionis; & quidem stando in solo

iure

iure naturæ, non impleta conditione vim contractus non habet. Si conditio sit possibilis, & contra substantiam contractus, aliquando illum vitiat, vt cum resistit initio actus impediendo consensum; aliquando habetur pro non adiecta; si verò non sit contra substantiam, seruanda est in vtroque foro. *Conditio nunquam nubendi?* Habetur pro non adiecta, in fauorem matrimonij. *Conditio contrahendi cum aliqua?* Valida est, si modò licitè fieri possit. *Conditio, si Religionem ingrediatur?* Etiam valida est. *Conditio, si castè vixerit?* Si apposita sit à marito, vel consanguineo eius, significat statum viduitatis; si ab extraneo, vel consanguineo viduæ, non prohibet secundas nuptias, significat enim illicitæ libidinis prohibitionem. *Conditio, si nupserit, relinquo ducenta: si non nupserit, & religionem ingrediatur, centum?* Intuitu boni finis, valere potest. Si quid tamen donaretur alicui, vel legaretur simpliciter sub conditione nuptiarum, dato quod Religionem ingrediatur, totum Monasterio debetur. Tertium præterea accidens est modus, qui quidem moderatio quædam est adiecta dispositioni, vel executioni. Si impossibilis sit, habetur pro non adiecto; si possibilis, tunc si censeatur tanquam causa finalis, dispositio nulla est, modo non impleto, si tantùm tanquam causa impulsiua, valet etiam si non impleatur. Quartum, est causa, id scilicet, propter quod tanquam præsens, vel præteritum dispositio fit. Si causa subsistat, & dispositio facta est ob eam finaliter, non valet. Quintum, est demonstratio, hoc est appositio signi alicuius ad rem ostendendam; si constat de voluntate testatoris, in conscientia illi standum est; regulariter tamen valet dispositio, quando constat de re, & persona, cui fit, esto circa alia erretur.

non

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Contractibus in communi ex Societatis IESV *Doctoribus.*

36. ROgo, *an contractus ille vulgariter* Mohatra, *quando quis egens pecunia, emit pecunia credita à mercatore merces pretio summo, & statim ei pecunia numerata pretio infirmo reuendit: licitus sit?* Notat *Rebellus p. 2. lib. 9. q. 7. num. 7.* in legibus Castellæ grauissimis pœnis prohiberi. Attamen iustus est, hisce seruatis: nullum pactum explicitum nec implici

§. 1. *De Contractibus.* Rebell.

implicitum adhibendum. Pretium, quo venduntur merces, non sit maius summo; nec cum reuenduntur, non sit minus infimo; quia tunc iustum pretium tam in venditore, quàm in reuenditore seruatur. At *Molina tom. 2. d.* 310. requirit vlterius, quod merces non vendantur ex intentione, infirmo pretio reemendi. Porrò *Salas tract. de empt. & vend. dub.* 37. *n.* 4. id non obstare asseruit: quia vbi nihil vltra sortem in pactum deducitur, nec speratur in pretium, aut debitum de iustitia pro mutuo, nulla est vsura, etiam si auctorum principaliter intendatur.

Molin.

Salas.

37. *In magna annonæ penuria licet ne à Turcis, & infidelibus emere frumenta aliósque cum illis inire contractus?* Mercibus permutandis, licet; quia tempore necessitatis commercium cum infidelibus non censetur prohibitum, vti *Suarez* asseruit.

Suar.

38. *Pœna conuentionalis contractuum debetur ne in conscientia ante iudicis sententiam?* Non, auctore *Vasquez*, si debitor non sit in mora culpabili, vel si non sit pœna moderata.

Vasq.

39. *Promisit pupillus, vel minor viginti & quinque annis contractu inito, se soluturum: num teneatur?* Minime, sed certè exceptione legis ciuilis se potest defendere, dummodo contractum iuramento non obfirmarit. *Quid si pupillus soluit, non debens, creditori? potest ne creditor in foro conscientiæ rem illam retinere?* Potest, donec beneficio legis ciuilis ab eo repetatur. *Quid si pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè solutam repetere velint, & propter negligentiam iudicis recuperare non possint?* Compensationem aliquam seu clam, seu palam facere non prohibentur. Omnia ex *Laymano.*

Laym.

40. *Est ne validus contractus, in quo ius naturale seruatur, etiam si desit iuris humani solemnitas?* Ita planè, nisi lex ita irritet contractum, vt etiam dominij translationem impediat, vt à pupillo. Cui tamen iudex rem illam attribuerit per sententiam, licitè illam retinebit. *Molina* Sic.

Molin.

41. *Certum est contractum minoris iuramento validari, vt dixisti: rogo, num ad huiusmodi contractum iuramento firmatum ætas pubertatis requiratur?* Quidam requirunt. Ego autem cum *Sanchez* doli capacem esse solummodò requiro.

Sanch.

42. *Maior cum minori contractum init, sine tutoris auctoritate: num vterque obligatur?* Maiorem solummodo obligari docet *Saa*, minorique integrum esse, non velle stare constractui.

Saa.

43. *Contra*

43. *Contractus initur communiter, Reipublicæ quidem vtilis, sed de eius valore ob aliquem defectum dubitatur: num annullandus?* Condemnari, ex eodem *Doctore*, non debet, nisi Saa.
apertè constet esse illicitum; cùm præsertim Respublica ex
potestate, quam habet in bona communia, credenda sit supplere, si quid tali desit contractui.

44. *Cùm quis dolo inducitur ad contractum spiritualem, vt Religionem, vel Matrimonium, tenetur ne implere?* Tenetur:
(vti *Saa* cum Sylvestro affirmat) nisi dolus huiusmodi sit, vt Saa.
eo etiam prudens decipi posset; tunc enim putandum defuisse omnino voluntatem contrahendi. Porrò in temporalibus esse contractum inualidum existimo, si ei dolus causam dedit, vti suprà.

45. *Defuit contractui consensus: potest ne post tempus adhiberi?* Potest, & consequenter contractum validare.

46 *In contractus instrumento non exprimitur omnia necessaria adhibita fuisse contractui: num valitus habenduc?* Profectò tempus longum facit præsumi ei omnia necessaria adhibita.

47. *Pactum contra bonos mores est ne validum?* Minimè
etiam si iuramento muniatur. Imò existimo cum *Saa* pactum Saa.
contrà bonos mores haud iuramento firmari.

48. *Expende quæso, quandónam promissio obliget, quandónam minimè obligare videatur.* Obligat quidem promissio, §. 2.
nisi res sint ita mutatæ, vt si cogitasses ita futurum non pro- *De promissione.*
misisses. Aut si non habuisti animum te obligandi, sed solùm proposuisti facere. Vix autem quis promittentium obligari intendit, nisi iuret aut instrumento stabiliat. Itaque cùm dicunt, *Faciam*, intelligunt, se facturos, nisi mutentur; volunt enim libertate frui. Qui autem animum habet promittendi, hoc ipso se obligat. Si tamen promissionem non implet ex causa, quæ sibi rationabilis videtur, non peccat mortaliter, nisi alioquin sequeretur scandalum, aut graue proximi damnum; tunc enim qui promisit, etiam de damno tenetur, quo solo quidam asserunt promissionem ex iustitia obligare: alioqui solùm ex fidelitate, & sine restituendi obligatione. Potest & quis promissum negare ei, qui quod sibi promisit, non præstat. Item cùm sibi est pernicioſum præstare; aut ei, cui promisit, inutile; aut is per ingratitudinem fiat indignus? aut si est promissio vi extorta, & non firmata iuramento; aut si non est accepta, aut est de re illicita, aut donatio lege prohibita, v.gr. Simoniaca, aut de soluenda vsura; aut si promissum sit (secundùm quosdam) ei,

Molin. qui sit denunciatus excommunicatus. Omnia ex *Molina*, & aliis.

49. *Peccat ne mortaliter, qui promissionem legitimè acceptatam non seruat?* Scio promissionem acceptatam legitimè dici, quando quis, cui aliquid promittitur, vel significat se acceptare: vel præsens tacet; quia in fauoribus qui tacet consentire videtur. Quo in casu respondeo ex Vasquez, Vasq. *part. d. 85. cap. 6. num. 4.* mortaliter delinquere promissionis acceptatæ violatorem; quia lædit iustitiam legalem, quæ ad humanam societatem seruanda esse promissa disponit. At ex Merat. *Meratij* mente *tom. 2. de Iust. d. 19. sect. 10.* probabile puto acceptatam promissionem non seruantem solum venialiter delinquere, si ex non seruata detrimentum aliquod graue tertio non adueniat; quia non seruare in promissis fidem, non contra iustitiam, sed contra fidelitatem est: mendacium quidem est, quod si pernicioſum non sit, veniale erit.

50. *Fidem quis gerit promissionem: quódnam piaculum perpetrauit, non obligat in conscientia?* Secluso damno emergente, minimè, quia promissio est quædam veluti lex, quam sibi promittens imponit; lex autem non obligat, si non vult legislator. Sanch. *Sanchez de Matr. tom. 1. lib. 1. d. 9. num. 5.* At Vasquez Vasq. *d. 6. de Matr. cap. 3.* docet promissionem externam alteri insinuatam naturalem inducere obligationem seruandi promissum.

51. *Obligat ne in conscientia promissio non acceptata, quam* Sanch. *scio à iure ciuili irritam censeri?* Asserit *Sanchez* non obligare. Molin. Ast *Molina de Iust. tom. 2. tract. 2. d. 262. num. 16.* obligare docet ratione iuris naturalis.

52. *Scio aliquid mihi esse promissum, quod in iudicio postulare non possum: rogo an, in Molina præfata sententia, possim* Molin *mihi occultè compensare?* Assertiuè respondendum.

53. *Pauperi Ioanni promisi eleemosynam, possum ne ipsi Petro tribuere?* Asserit *Sanchez summ. tom. 1. lib. 4. cap. 49. num. 6.* Sanch. te posse alteri egentiori dare. *An applicare mihi pauperi?* Non; quia eleemosyna est omnino ad alterum. *Ex eodem Doctore.*

EXA

EXAMEN IV.

De Iustitia & iure, circa materiam de Contractibus gratuitis, scilicet Deposito, Donatione, Testamentis, Commodato, Precario, & Mutuo.

CAPVT PRIMVM.

De Contractu Depositi.

1. *Vid est Depositum?* Quo aliquid alicui traditur custodiendum, vt illud integrum restituat.

2. *Quotuplex Depositum?* Triplex, Iudiciale, Necessitatis, & ad custodiendum. Iudiciale quidem, quando debitor deponit pecuniam, quam creditor recusat acceptare; aut quando lis pendet de re aliqua, & interim ea deponitur apud aliquem, donec liti finis imponatur. Necessitatis autem, & ad custodiendum est, quando res aliqua aut necessitatis casu, vt contingit in domus conflagratione, aut domino rei operante aliquid, apud confidentem hominem deponitur, vt custodiatur. Vnde dominium depositi manet apud deponentem.

3. *Quinam possint deponere?* Omnes rei administrationem aut possessionem habentes. *Quinam autem possunt esse Depositarij?* Omnes qui iudicio rationis pollent. *Num pupilli?* Possunt ex licentia tutoris *An religiosi?* Etiam ex Prælatorum licentia.

4. *Quænam res deponuntur?* Regulariter res mobiles deponi assolent.

5. *Quandónam & vbi reddendum Depositum?* statim ac petitur. Idque in loco, vbi reperitur, nisi culpa depositarij fuisset in alium translatum, tunc enim in suum locum tenetur reducere. Profectò deponentes præferendi sunt aliis creditoribus si depositum penes publicum depositarium factum est. Deponentes autem omnes æqualiter admittuntur.

6. *Potest ne Depositarius vti re deposita?* Aliquando potest. v. g. si pecunia non sit obsignata; si sit ex iis, quæ consistunt in pondere & mensura; si bona fide credat dominum consentire.

CAPVT II.

De Contractu Donationis.

7. *Quid est Donatio?* Contractus, quo gratis, & liberaliter aliquid in alterum confertur, nullo ad id iure cogente Perfecta quidem est, quando res traditur.

8. *Quanam est materia Donationis?* Omnia quæcunque in humanum veniunt commercium. Res aliena donari non potest. Omnia bona simpliciter non possunt donari; debet enim remanere testandi facultas.

9. *Cuinam potest Donatio fieri?* Cuilibet, etiam ignoranti, & absenti.

10. *Quinam verò donare possunt?* Ij soli, qui dominium habent, & administrationem cum alienandi facultate. Non potest quidem prodigus, cui datus sit curator à Magistratu; nec Minor sine curatoris consensu; nec filius-familias nisi de bonis castrensibus. Vxor quidem de paraphernalibus, & propria industria acquisitis potest; de bonis autem communibus minimè, nisi vir irrationabiliter esset inuitus.

11. *Possunt ne serui?* Si propria bona habeant, possunt facere donationem; de aliis non, nisi ex præsumpta dominorum voluntate.

12. *Quid de Clericis?* Beneficiarij quidem de congrua sustentatione liberè possunt donare, de ea, quæ supereſt, minimè, nisi in pios vsus. Id quod de Regularibus beneficiariis affirmo.

13. *Num possunt Regulares donare?* Supremam habentes administrationem eleemosynas facere possunt iuxta consuetudinem, & statuta Religionis, moderatè etiam donare pro administrationis ratione. Inferiorem autem habens administrationem etiam competentes eleemosynas facere potest; si verò dissipet, inualida donatio est. Subditi verò nil donare possunt nisi ex beneplacito indubitatè præsumpto suorum Superiorum. Circa ius nouum Clementis VIII. plura cum de Religioso statu.

14. *Donationis species indica, ac primum de ea quæ fit cum insinuatione: quidnam est insinuatio?* Quædam manifestatio, qua donans declarat iudici in scriptis, liberè tantam summam alteri donare, & iudex suo consensu illam approbat.

15. *Quandonam huiusmodi insinuatio requiritur?* Ad donationem excedentem quingentos solidos, id est quingentos nummos

nummos aureos, alioquin donatio inualida est quoad excessum; etiam si donatio sit tantummodo tacita & præsumpta, nisi firmetur iuramento, vel fiat causæ piæ, vel nisi fiat Principi absoluto.

16. *Si verò ponatur clausula, qua dicat, se tot facere donationes quot fuerint summæ intra quingentos aureos: valet ne?* Non quidem efficit, quò minus donatio inualida sit. Nec remissio debiti vltra prædictam summam valet. In conscientia tamen retineri potest excessus, donec in iudicio reputatur à donatore.

17. *Num in antidotali necessaria insinuatio est?* Minimè sicut nec in reciproca, nec donatione causa mortis, nec ad pias causas, nec in renunciatione iuris sperati, nec donatione facta à Principe.

18. *Quid de donatione remuneratoria?* Multiplex esse potest. Eam potest facere qui suorum bonorum administrationem habet. Prælatus etiam Regularis & Beneficiarius possunt. Nec censetur donatio simpliciter, cùm sit ob causam, seruitia nimirum, & beneficia recepta.

19. *De omnium bonorum donatione quidnam?* Profectò omnium bonorum donatio inualida censetur. Valet autem si reseruetur vsusfructus, aut si causa mortis fiat, aut si iuramento firmetur.

20. *Donationem causa mortis expende.* Pluribus modis fit. Iuxta suum initium potiùs est contractus inter viuos: secundùm effectum & stabilitatem plus ad vltimam voluntatem accedit.

21. *Censetur equidem inter viuos, quænam?* Si ponatur conditio, vt non reuocetur, donatio inter viuos censetur. Inter patrem & filium non emancipatum donatio esse non potest communiter, in quibusdam casibus potest. Inter coniuges autem donatio nulla est, nisi morte aut iuramento confirmetur; in quibusdam tamen casibus non est prohibita.

22. *Quænam est donatio propter nuptias?* Quæ fit cùm ipsæ nuptiæ fiunt. Ante nuptias, quæ donantur, si matrimonium fiat, acquiruntur integrè donatario; si non fiat ex culpa donantis, acquiruntur eodem modo donatario: si ex culpa donatarij, restituenda donanti sunt. *Quid de missis muneribus ab sponso ad sponsam?* Non sunt eius nisi matrimonium sequatur.

23. *Quænam dicitur donatio pura?* Ea in qua nec dies, nec conditio, nec modus apponitur, in quo implenda sit ideóque statim soluenda.

24. *Donatio in diem quæ?* Quæ non inducit obligationem

nisi vt soluatur in diem statutum ; si dies incerta est, habet vim conditionis ; si certa, intelligitur de tali die proximè futuro.

25. *De donatione conditionali quid ?* Si conditio sit impossibilis, habetur pro non adiecta, in reuocabili ~~sit~~ vt in donatione causa mortis : in alia non reuocabili ~~hac~~ efficit eam inualidam.

26. *Donatur mulieri aliquid spe inducendi eam ad malum : num est restituendum, si malum non sequatur ?* Profectò ea conditio non sequuta minimè inducit obligationem restitutionis ; quia etiam ad fœminam alliciendam ad libidinem debebat donans ostentare se sine spe retributionis munera obtulisse.

27. *Quonam modo potest donatio reuocari ?* Porrò ex mera voluntate donatoris reuocari non potest ; potest verò ob donatarij ingratitudinem. Ob causas alias æquè graues potest in foro conscientiæ, at in externo non admitteretur reuocatio.

28. *Quid si clausula apponatur, vt reuocari non possit ob ingratitudinem ?* Non valet, nisi iuramento stabiliatur. Profectò si sit donatio ex causa, ob ingratitudinem non reuocatur.

29. *Non habens liberos donat extraneo, post donationem filij ei nascuntur : valet ne prima donatio ?* Ipso iure rescinditur. Certè si donans cogitasset de filiis, cum donauit, valida esset donatio, saltem viuente patre.

30. *Fit donatio vni filio, & postea alij nascuntur : reuocatur ne ?* Ita planè ; quia inofficiosa est, idque etiam si iuramento obfirmata esset.

31. *Quid de facta extraneo ab habente filios ?* Reuocatur in totum, si re & animo inofficiosa fuit ; si re tantùm, reuocatur solùm quoad incrementum transcendens legitimas filiorum respectu ascendentium etiam potest esse inofficiosa donatio.

Caput III.

De Testamentis & Legatis.

32. *Quid est Testamentum ?* Iusta sententia voluntatis nostræ de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione. *Differt ne à Codicillo ?*

Differt

Differt hac vltima conditione ; quia in Codicillo non instituitur hæres. Præterea in solemnitate, satis enim ad Codicillum quinque testes adhibentur, cùm ad Testamentum septem requirantur.

33. *Quid Legatum?* Legatum planè est donatio quædam à defuncto relicta,& ab hærede præstanda.

34. *Ad Testamentum clausum quotnam testes requiruntur?* Septem, scilicet mares,liberi,rogati, præter alias solemnitates. Iis deficientibus in foro conscientiæ valet, non in exteriori, ideoque hæres ab intestato tenetur restituere hæreditatem, si sciat talem fuisse testatoris voluntatem ; imò cogi posset ad id, si vel fateatur de voluntate testatoris, vel nolit iurare oblato iuramento. Ad pias autem causas valet sine solemnitate,etiam in foro exteriori;satis enim duo testes sunt; in conscientia verò nec testes necessarij. In aliis autem contractibus probabilius est non valere absque debita solemnitate,si irriti à iure decernantur.

35. *Quinam possunt testari?* Omnes, qui prohibiti à iure non sunt, vt impuberes, Religiosi, criminosi intestabiles facti. Filij-familias de Castrensibus & quasi, possunt, non de aliis; nisi de consensu patris. Beneficiarij de patrimonio & aliis sua industria congregatis, vel ex subtractis è congrua sustentatione.

36. *Quinam autem possunt hæredes instituí?* Omnes lege non prohibiti, Communitates etiam, naturales filij,non autem spurij,licèt his alimenta debeantur.

37. *Est ne reuocabile Testamentum?* Ita equidem vsque ad mortem, validúmque secundum, etiam si primum iuratum fuisset non reuocandum.

Caput IV.

De Contractu Commodati.

38. *Quidnam est Commodatum?* Gratuita concessio alicuius rei quoad solum vsum, eúmque certum, ac determinatum.

39. *Quænam sunt Commodati substantiales conditiones?* Hæ quidem. Vt tradatur: vt dominium remaneat penes commodantem: vt reddatur in eadem specie: vt commodetur gratis: vt detur ad aliquem specialem vsum.

40. *Exprime commodati materiam.* Res mobiles,& immobiles,quæ vsu non consumuntur.

41. *Recense commodantis obligationes.* Monere de rei commodatæ vitio : extraordinarias expensas in rei commodatæ reparationem soluere:ante completum tempus non repetere, nisi aliquis grauis casus acciderit.

42. *Iam commodatarij obligationes aperi.* Non debet vi re commodata nisi ad vsum conuentum, restituat suo tempore eandem in specie non factam sua culpa deteriorem seruet ea cura,qua rem suam : damna ex sua culpa secuta compensat. Tenetur verò culpa lata, leui, & leuissima. Denique si commodatarius fuerit in mora, ad omnia damna tenetur.

Caput V.

De Contractu Precarij.

43. *Quid est Precarium ?* Quod precibus petenti conceditur ad vsum tandiu, quandiu qui concessit non reuocauerit.

44. *Recole materiam, & substantialia Precarij.* Materia eadem,quæ Commodati. Substantialia, traditio rei,& libertas reuocandi, quandiu libuerit concedenti. Pactum, ne possit reposcere, nullum est. Obligationes eædem ferè quæ in commodato.

45. *Quandonam finitur ?* Morte eius, cui fuerat concessum : voluntate concedentis : tempore præstituto : & alienatione rei precario concessæ. *Si tempus præfinitum non sit ?* Censetur concessum quousque non reuocetur. *Si concedatur ad beneplacitum ?* Morte concedentis finitur.

46. *Oritur ne ex Precario actio ?* Tantùm oritur, quando datum sit expressa conditione,vt redderetur,quando concedens repeteret. Profectò Precariæ fiunt multis modis, & quinto quoque anno reuocantur.

Cap.

CAPVT VI.

De Contractu Mutui.

47. *Quid Mutuum?* Quo quis alteri rem suam tradit ad vsum, vt statim fiat accipientis, & restituat postea tantundem eiusdem rationis, & qualitatis.

48. *Quænam Mutui materia?* Res vsu consumptibilis, vt pecunia, &c.

49. *Quidnam pertinet ad Mutuum?* Profectò rei traditio: vt sit ex numero rerum, quæ mutuo dari possunt: vt gratis tradatur.

50. *Quonammodo res mutuo accepta reddenda est?* In eadem qualitate, & bonitate intrinseca.

51. *Indica Mutui diuisiones.* Diuiditur multipliciter, tum ex parte rei, quæ traditur, in rem quæ consistat in numero, vel pondere, vel mensura: tum ex parte modi, in expressum, & tacitum: tum aliis modis secundùm Iurisperitos.

52. *Quinam mutuo dare possunt?* Omnes, quibus libera suarum rerum administratio non est interdicta. *Filiusfamilias accipiens mutuum, tenetur ne in foro externo ad restitutionem?* Si accepit absque patris consensu, non tenetur ob *Senat. Consul. Macedonian.* At in foro conscientiæ tenebitur. *Ecclesia aut ciuitas tenentur ne de mutuo?* Ita quidem, quatenus mutuum versum sit in earum vtilitatem. *An minor teneatur soluere mutuum suo nomine à curatore acceptum?* Minimè, nisi creditor probet fuisse in vtilitatem minoris conuersum. *Vitiatur res mutuata, nec vsque ad constitutum tempus redditur est: tenetur ne mutuatarius de vitio monere?* Procul dubio tenetur. Quod si nec moneat, nec suo tempore reddat, tenetur ad damna.

53. *Qualis reddenda res mutuata?* Debet mutuatarius rem eandem in specie reddere, in quantitate, in bonitate saltem intrinseca, & in omni euentu, etiam si casu fortuito periisset,

CAPVT VII.

Praxis circa materiam de Contractibus Gratuitis ex Societatis IESV *Auctoribus.*

§. 1. *De depositio.*

54. *SCio depositarium teneri adhibere diligentiam, ne depositum pereat: rogo, an dubitans, vtrum depositum sua culpa perierit, nec ne, teneatur ad restitutionem?* Non tenetur. Sanch. *Sanchez de Matr. lib. 2. d. 41. n. 18.* affirmat; quia in dubio peccatum non præsumitur, præcipuè cum depositum factum esset in gratiam deponentis.

55. *An depositarius possit re deposita vti, & eam sua expressa, vel præsumpta licentia domini alienare?* Censetur furti reus ex *Institut. de oblig. quæ ex delicto, &c.* Attamen ex Laym. *Laymano lib. 3. sect. 5. tractat. 4. cap. 25. numer. 3.* licere assero depositario oleum, frumentum, vel aliud rei consumptibile alienare, si certus esset, se tantundem eiusdem bonitatis redditurum domino repetenti. Prohibet Magistratus (v.gr.) ne frumentum ex horreo publico absque eius iussu extrahatur: potest custos extrahere, certus, se æquè bona frumenta constitutis temporibus in promptu habiturum.

56. *Debet Petrus Antonio centum aureos, accipit totidem in depositio: potest ne depositum loco debiti retinere?* Prohibitum Less. id est, *cap. bona fides, de deposit.* Attamen cum *Lessio lib. 2. c. 27. dub. 4. num. 16.* censuerim tantum in externo foro legem obligare, quando depositarius alia via debitum sibi compensare non potest.

57. *Depositarius frumenti, vini, seu aliarum rerum usu consumptibilium eas alienat, seu consumit, delinquit ne?* Non peccat saltem grauiter, modò certus sit, se tantundem eiusdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cum dominus repetierit; quia tunc talis alienatio in nullius damnum cedit.

58. *Perit deposita res penes depositarium: tenetur ne in conscientia eam reddere?* Non tenetur nisi ex culpa graui & lata; non autem ex leuissima: & leui, nisi aliter sit inter contrahentes conuentum. Sic Filliuc. *Filliucius*, & Less. *Lessius.*

59. *Potest ne Thesaurarius vel procurator Principis, domino inscio, cum ipsius pecunijs in suum commodum negotiari?* Potest Less. ex doctrina *Lessij*, modò nullum incommodum, aut periculum domino obueniat.

60. *Mittitur*

60. *Mittitur depositum per hominem fidelem habitum, ad dominum, portans sibi retinuit: cuinam perit?* Perit domino; quia depositarius egit, quod dominus rei non poterat rationabiliter impugnare. *Molina* sic. Molin.

61. *Depositarius quonammodo obligatur ad rei depositæ custodiam in periculo?* Si deposita est apud te causa solius deponentis, in periculo postponenda sunt tuis omnibus: si verò causa vtriusque, tuis æqualibus: si autem tua causa solùm, tuis pretiosioribus. Profectò offerre aliena periculo pro tuis non potes: sed tamen seruare tua neglectis alienis, eo modo quo dictum est, potes, si ea simul tuis seruare non potes. *Saa* cum *Syl.* sic asseruit. Saa.

62. *Deponentis omnia bona sunt fisco adiudicata: rogo num depositum dandum fisco, an deponenti?* Dandum deponenti crediderim cum *Saa* quod ad forum attinet conscientiæ, nisi id iudex prohibuisset. Saa.

63. *Depositarius reddit familiari deponentis depositum, quod domini nomine petijt: num rursum teneatur, si familiaris retinuit sibi, restituere?* Non, vti *Saa* idem asserit; quia non leuiter credidit domini nomine repeti. Addit autem non liberari depositarium, si rem pretiosam dedit leuiter credens signum aliquod afferenti. Saa.

64. *An donatio facta per metum ad id incussum valida sit?* Non, nisi iuramento firmetur. Tenetur quidem, quia iurauit dare; sed alter tenetur restituere, quia dare per metum coëgit. Sic ex Lopez *Saa.* §. 2. *De donatione.* Saa.

65. *Valet ne donatio coniugi facta?* Valere respondet *Molina*, si fiat ob causam piam, vel honestam: aut si donans non fit sic pauperior: (non fit autem qui non acquirit cùm possit aut accipiens non fit ditior: aut si remuneratoria: aut fiat in tempus soluti matrimonij: aut causa mortis: aut condonando promissam dotem: aut sit confirmata iuramento de non reuocando: aut post rem datam donans moriatur: aut in Religione nihil possidente profiteatur. *An donatio inter sponsos de futuro valeat?* Valet, asserente *Molina*, nisi fiat in tempus futuri matrimonij: tunc enim potest reuocari. *Quid de donatis vxori à consanguineis viri?* Putat *Saa* vxoris esse in foro conscientiæ. *Facta donatio propter nuptias, scilicet facta ab sponso, dum contrahitur, aut quasi contrahitur matrimonium, cuiusnam est matrimonio soluto?* Ad virum redit, authore *Molina*, cuius etiam sunt fructus matrimonio durante. Molin. Molin. Saa. Molin.

66. *Quænam in casibus pater potest donare filio?* Respondet idem *Molina* donare posse propter nuptias, & eũti ad bellum.

&

& mancipato, & remunerando, & ad alimenta, & ad honorem acquirendum, & studij causa, & vsumfructum bonorum filij ipsius, & aliis in casibus. Addit *Doctor* patris donationem conualescere emancipatione, & patris morte; vnde fructus percepti à tempore donationis filij sunt.

Saa. 67. *Potest ne donatio ante acceptationem reuocari?* Potest (authore *Saa*) etiamsi facta fuerit cum scriptura & testibus. Addo posse Notarium pro absente acceptare, & quemque idem posse in donatione pro causa pia. Oportet verò vt donans indicet absenti, & non sufficit, vt alius faciat sine eius mandato. *Quid si ille præsens tacet?* Censetur procul dubio acceptare.

Saa. 68. *Donatio quæ non fit causa mortis, potest ne reuocari?* Si non fiat causa mortis, censetur facta inter viuos, nec potest reuocari nisi ob donatarij ingratitudinem, vti *Saa* et Couarr. asseruit.

Saa. 69. *Potest ne Rex donationem suam, aut prædecessoris reuocare?* Potest, si Regnum insigniter, seu enormiter læsum. Sic *Saa.*

Molin. 70. *Facta est donatio cum damno creditorum, & intra annum creditores non petunt illius donationis rescissionem: rogo, num donatarius ad restitutionem teneatur?* Respondeo ex *Molina* non teneri, nisi sciens & prudens impulisset donatorem ad donationem in fraudem creditorum faciendam.

§. 3. *De Testamentis, & Legatis.* Laym. 71. *Testaturus ad pias causas Petrus, potest ne alteri testamentum committere hac voluntatis expressione: Committo omnia bona mea arbitrio, & dispositione Antonij?* Potest ex *Layman lib. 3. sect. 4. tract. 5. c. 2. n. 6. & 7.* Quo in casu Antonius omnia testatoris bona in pias causas debet expendere, nudoque nomine hæredem existere.

Fagund. 72. *Quodnam dicitur ad pias causas Testamentum?* Quando hæres est causa pia: non verò si esset alius hæres, & essent plura legata pia. *Fagund. de iust. lib. 6. c. 3. n. 18.* Exprimas precor causarum piarum Catalogum. 1. Paulus relinquit Agnetem filiam hæredem cum onere soluendi Mariæ sanctimoniali sorori, aut propinquæ suæ centum aureos. 2. Quod meretricibus pœnitentibus relinquitur ad victum. 3. Legata ad Monumenti constructionem. 4. Relicta ad publicam vtilitatem, v.g. ad pontium ædificationem, &c. 5. Manumissio mancipij. 6. Ecclesia, vel Monasterium, imò quilibet Religiosus, si illi pietatis intuitu, non consanguinitatis aut amicitiæ, relinquatur. 7. Hospitalia. 8. Confraternitates. 9. Pauperes etiam consanguinei, vel amici, præcipuè causa pietatis.

pietatis expressa. 10. Viduæ, pupilli, & similes. 11. Quod pro anima relinquitur. 12. Captiuorum redemptio. 13. Alimenta relicta iis, qui non habent vnde viuant secundum personæ qualitatem. 14. Dos, & quod pro colligandis matrimonio virginibus relinquitur. 15. Relicta ad studium Theologiæ.

73. *Necessaria ne testamento ad pias causas haredis institutio?* Non, quia hæc non est necessaria ex iure Canonico, sed ciuili. *Cardin. Lugo de Iust. tom. 2. d. 22. sect. 9.* Lugo.

74. *Valet ne testamentum quoad pias causas, etiam quoad profana legata, deficientibus iuris solemnitatibus?* Negat *Lugo tom. 2. disq. 12. sect. 9.* At alij probabiliter affirmant; Lugo. quia æquum non est, vt idem testamentum, quod pia causa iudicat, & vult haberi verum in vno, nolit esse firmum in alio.

75. *An testamentum, aut codicillum inceptum, & ob mortem non finitum sit validum, quoad legata pia?* Validum est licèt secundum alia legata irritum esset. *Molina d. 134.* Molin.

76. *Quinam possint ad pias causas testari?* Omnes, qui iure communi possunt testari, & plures alij, v. gr. prodigus, & vsurarius publicus, si præstitit prius cautionem, vel si non potest præstare, cum contritionis signis moriatur. Licet hoc impertinens putet *Lugo citat.* contra *Molinam* asserentem scio, te- Lugo. stamentum à seruo factum, licet iam libertate tunc fuerit donatus, si tamen ipse suam libertatem ignoret, nullum esse. Attamen si sit ad pias causas, validum erit.

77. *Validum ne captiuorum Christianorum apud Turcas testamentum ad quæcumque velint, etiam in loco captiuitatis?* Affirmat *Amicus.* Amic.

78. *Validum ne testamentum ad pias causas à surdo & muto factum quocumque nutu, & signo?* Validum erit (inquit *Card. de Lugo.*) quia iure naturali vim habet, & quando est ad pias Lugo. causas, à iure ciuili non potest inualidari.

79. *Scio militibus circa testamentorum conditionem ius suffragari: rogo, an priuilegiis iure militari testandi, gaudeant non solum ipsi milites, verum etiam omnes in castris existentes?* Ita quidem, dummodo in loco hostili adsint, *Lugo de Iust.* Lugo. *tom. 2. d. 24. sect. 1. n. 12.*

80. Scio Religiosos non posse executores testamentorum nominari: rogo tamen, an testator possit nominationem executorum alicui Religioso committere? Potest etiam ex minoribus, qui quidem postea cum superioris licentia poterit eos nominare. *Sanchez sum. tom. 2. lib. 6. c. 11. n. 41.* Sanch.

81. *Potest*

81. *Potest ne quis cogi acceptare officium executoris à testatore relictum?* Non, etiam si sit testatoris consanguineus; nec
Sanch. peccabit non acceptando, aut renunciando. *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 42. n. 4.*

82. *Scio beneficiarium non posse de fructibus beneficij ad prophanos vsus disponere: Rogo, an si Episcopi, & Clerici beneficiati habeant à summo Pontifice facultatem disponendi de bonis Ecclesiasticis in quoscunque vsus voluerint, possint ad vsus prophanos applicare?* Porrò *Molina tom. 1. d. 147. num. 33.* facultatem testandi asserit intelligendam pro piis vsibus, quando
Molin. nulla ratio apparet cõcedendi huiusmodi licentiam ad vsus prophanos, aut aliunde res est dubia; quia alioqui Pontifex potest concedere beneficiariis etiam Episcopi facultatem testandi ad vsus prophanos, ex iusta causa remunerationis pro munere. (v.gr.) optimè administrato, obsequiis Ecclesiæ impensis, &c.

83. *Prohibetur ne testari ad mortem damnatus?* Ita quidem *l. deportati, l. in metallum,* & alibi. Quia tamen ius Codicis non seruatur vbique, attendi debet locorum consuetudo. Certè quando bona damnati non publicantur, ferè vbique testari permittitur, & testamentum prius conditum firmum
Laym. manet; & si non testatur, ab intestato habet successores. *Layman. lib. 3. sect. 5. cap. 3. n. 3.*

84. *Scio spurijs filijs nihil posse relinqui, præter alimenta, quæ de iure naturæ sunt: rogo an statui debeant esse huiusmodi ali-*
Sanch. *menta?* Asserit *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 4. c. 3. dub. 34. num. 2. & 3.* Ex cuius doctrina alimenta assignanda non solùm filiorum sed & personis, quas ipse alere debet.

85. *An mater illustris possit hæredem instituere filium spurium, si legitimos non habeat?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 19.*
Lessius. *dub. 6.*

86. *Pater hæredem instituit extraneum, rogans, vt hæreditatem relinquat spurio: hæres ille hæreditatem acceptans cum promissione implendi petitionem, delinquit ne?* Mortaliter planè; quia talis promissio in lege & prohibetur graviter, & punitur. *Tenetur ne spurio restituere?* Non; quia promissio fuit
Beccan. nulla. *Beccanus p. 3. tom. 3. c. 7. q. 6. n. 2.*

87. *Potest ne testator reuocare testamentum iuramento firmatum?* Si non adest iusta causa, non potest: secus si adest; quia aut censetur sibi huiusmodi potestatem reseruasse in hoc casu, aut iuramentum fuit iniquum, & proinde non obligat.
Beccan. *Beccanus citat. q. 8.*

88. *Licitum ne legatum annuum Fratribus Minoribus relictum?*

sum: Licitum pro fabrica Templi, Sacelli, & pro vestimentis, ornamentísque Ecclesiæ, & Sacristiæ. Addit *Sanch. sum. tom. 2.* Sanch. *lib. 7. c. 26. n. 46.* & pro studio, seu pro libris emendis, & pro infirmaria. *Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 10. num. 4.* licitum docet esse legatum temporarium, si spatium decem annorum non attingat; quia tempus infra decennium est modicum. Secus autem legatum ad vitam fratris iuuenis, & bonæ valetudinis; quia vita hominis communiter maior assolet æstimari, quam decennium. At *Sanchez summ. tom. 2.* Sanch. *lib. 7. cap. 26. num. 40.* licitum esse putat. Laym.

89. *Legatum orphanis relictum est: potest ne eo frui puella, quæ matrem habet?* Quamuis orphanus dicatur, qui vtroque parente orbatus est, tamen legatum pro colligandis matrimonio orphanis acquiritur à puella matrem habente, si patris præsidio destruitur; quia mulieres non habent prudentiam pro gubernatione filiorum. *Sanchez ita opusc. tom. 2. lib. 4. c. 2.* Sanch. *dub. 63. n. 4.*

90. *Potest ne reputari orphana puella habens parentes pauperes?* Negat *Sanchez lib. 13. num. 2.* quia in dispositionibus Sanch. testamentorum verba propriè sumenda sunt. Profectò contrariam opinionem probabilem existimo; quia difficilius nuptiis traditur puella pauperes habens parentes, & vtiles, quàm eisdem orbata.

91. *Legatum naturalibus alicuius ciuitatis relinquitur: potest ne dari ijs, qui quamuis naturales non sint, ea in ciuitate decennio habitarunt?* Potest, dummodo de animo mutandi domicilium non constet. *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 4. cap. 2.* Sanch. *dub. 19. num. 1.*

92. *Legatum pro liberandis incarceratis, potest ne applicari cuidam, ne in carcerem detrudatur?* Asserit *Sanchez citat. n. 2.* Sanch. quia propriè ille à carcere liberatur.

93. *An hæres ab intestato teneatur in conscientia soluere legata in testamento minus solemni?* Tenetur; quia lex exigens solemnitates in testamento condita fuit ad fraudes, quæ si non adsunt, non est, cur testamentum in foro conscientiæ non teneat. *Comitolus lib. 7. quæst. 8.*

94. *Hæres ab intestato est dubius, an testator hæredem alium nominasset: tenetur ne ad aliquid?* Ex *Becano par. 2. tom. 3.* Becan. *cap. 7. quæst. 3. concl. 1.* tenetur cum illo pro qualitate dubij componere; quia par est in dubio vtriusque conditio.

95. *Legatum relinquitur quolibet anno pauperibus distribuendum hæredum arbitrio: potest ne simul, & semel attribui Monasterio, aut Hospitali, vt illo in perpetuum fruatur?* Potest auctore

Sanct. auctore *Sanctio opusc. tom. 2. lib. 4. dub. 12. num. 4.* qui testatoris voluntas impletur, pauperibus datum. Quod autem semel & simul detur, substantiam legati non attingit.

96. *Annus, qui testamentarijs à iure pro soluendis legatis conceditur, elapsus est inutiliter: cuinam competit iudicium?* Episcopus est Iudex vltimarum voluntatum, executor etiam quo ad prophana; quia impletio voluntatis defuncti in ipsius bonum, est commissa Episcopis ex officio, qualemcunque bonorum dispositionem fecerit. Molin. *Molina tom. 1. tract. d. 205. num. 5.*

97. *An Episcopus possit aliquod legatum in aliud aquale vel melius commutare?* Asserit Vasq. *Vasquez opusc. de test. cap. 9. §. 5. dub. 3. num. 104.* posse cum consensu hæredum, quo in casu minimè voluntate testatoris violat, sed interpretatur.

98. *Relinquitur Antonio legatum sub conditione hac, si non nupserit, vel si Religionem non ingrediatur: potest ne legatarius in foro interiori, & exteriori legatum accipere, etiam si hæ non impleat conditiones?* Potest ex Sanch. *Sanchez* sententia. Cùm enim hæ conditiones meritò à iure reprobentur, & pro non appositis habeantur: non tenetur Antonius eas in conscientia seruare; quippe voluntas testatoris secundùm ius est accipienda, & vbi ab eo deficit, non seruanda.

99. *Sunt ne legata in rigore literæ interpretanda?* Locus ex Sanch. *Sanchez* auctoritate, ampliationi datur. Vnde legatum pro fabrica templi potest expendi pro ornamentis, & aliis cultui diuino necessariis. Legatum distribuendum quotannis, potest simul totum dari. v. gr. alicui hospitali, vel Monasterio. Legatum dandum ~~naturalibus~~ indigenis alicuius loci, potest dari iis, qui ibi decennio habitarunt, licet aliunde sint oriundi, nisi de animo inibi non manendi perpetuò, constet.

100. *Expone quandónam testamentum sine iuris apposita solemnitate validum sit?* Respondeo ex Molin. *Molina, Saa* & aliis, in testamento parentum etiam cœcorum inter liberos & horum descendentes etiam per fœminam sufficere suam voluntatem declarare coram duobus testibus, etiam non rogatis, etiam fœminis; in testamento autem apertè scripto quinque testes, vel tres cum Notario sufficere; matris testamentum inter filios naturales & spurios minùs solemne valere; patris testamentum inter liberos ab eo solo scriptum, aut subscriptum validum esse etiam quoad pia legata; cùm difficile est in testamento clauso habere septem testes, sufficere quinque; item si fiat ab eo qui communiter ruri habitat; sufficere testari coram Principe & duobus testibus; sufficere duos testes, si

cor. m

coram eis hæres promisit testatori, se eius voluntatem seruaturum; testamentum coram Prælato, & duobus testibus validum esse saltem in terris Ecclesiæ subiectis, & rebus fori Ecclesiastici, & ad pias causas; testamentum minùs solemne valere vt codicillum, si habet requisita ad codicillum, & testator dixit se velle, vt valeret meliori modo quo posset quod omnes etsi non dicant; communiter tamen volunt: ad codicillum autem quinque testes sufficere etiam non rogatos, etiam fœminas, quod si fiat inter liberos, aut milites in bello sufficere duos; in codicillo autem cæci sicut in testamento septem testes cum Tabellione, vel altero eius loco requiri; codicillum denique etiam factum ante testamentum valere.

101. *Quinam non possunt esse testes in testamento?* Nec seruus, nec hæres, nec is, in cuius hæres est potestate, vt pater, auus. Nec incapax testamenti testatoris, vt spurius: nec hæreticus, nec intestabilis iure: nec fœmina nisi in quibusdam casibus, vt tempore pestis. Ex *Saa* & aliis. Saa.

102. *Iurauit quis non reuocaturum testamentum, quod nihilominus reuocauit: rogo num valeat reuocatio, & an periurij crimine sit reus?* Valere reuocationem certum est: esse periurium etiam assero communiter, nisi testamentum esset iniquum. Scio *Saa* ex Salone docere etiam testamentum iustum, Saa. sed tamen imperfectum, dum iusta causa reuocandi intercedit, sine periurio posse reuocari.

103. *Potest ne commodatum ad certum vsum repeti?* Non posse ait *Molina*, etiam superueniente necessitate, si commodatarius aliunde fuisset habiturus, nisi tu commodasses. §. 4. *De commodato, aut Precario.*

104. *Commodo rem vitiosam: teneor ne de damno secuto?* Teneris si scienter commodasti, & commodatarium non admonuisti. Sic. *Molina.* Molin.

105. *An commodatarius teneatur de culpa leui, an solùm de graui?* Quidam aiunt non teneri in conscientia nisi de culpa mortali. Ego existimo teneri in totum de graui culpa, in partem de leui. Molin.

106. *An licitum commodato vti ad alium vsum, aut diutius quàm voluit commodans?* Furtum esse *Molina* asserit. §. 5. *De mutuo.*

107. *Circa mutuum denique, qui dat mutuum potest ne paciscì cum mutuatario, vt statim sibi lucrum reddat ex illo mutuo?* Posse *Lessio* fauente, affirmo duobus modis. Primò, mutuando, v.g. centum aureos ea lege, vt statim mutuatarius reddat nonem ratione lucri cessantis ex nonaginta vno, quos ipse retinet; quod facere potest sine vsura; quia nihil est aliud, quam Molin. Less.

mutare nonaginta vnum cum lucro, & alios nouem sine lucro, qui tamen statim sunt reddendi ad soluendum lucrum proueniens ex nonaginta vno, quos mutuatarius mutuos accepit. In quo quidem contractu mutuatarius non magis grauatur, quàm si solutio lucri differretur. Secundus modus est, si mutuans non accipiat illud lucrum cessans ex illa pecuniæ summa, sed in oleo, frumento, hordeo, &c. vti *Salas* & *Azor.* adnotarunt.

Salas. Azor.

108. *Potest ne mutuans aliquid amplius propter verum, & graue periculum amittendi debiti exigere?* Posse *Salas* docet, quia hoc ad indemnitatem mutuantis pertinet.

Salas.

109. *Mutuanti notabile aliquod damnum emergit ex mutuo dato, antequam mutuatarius sit in mora soluendi: rogo, num teneatur mutuatarius illud damnum resarcire?* Non tenetur asserit *Lessius*; qui mutuum cum hoc onere, & pacto non accepit.

Less.

110. *An possit mutuans percipere lucrum cessans ex mutuo, si aliunde alio lucro compensatur?* Non posse *Molina* ait. Ego addiderim, nisi aliud lucrum aliunde proueniens mutuæ mutuantis industriæ magis deberetur, quàm mutui occasioni.

Molin.

111. *Nouit quis pecuniæ valorem breui minuendum: potest ne illam alteri mutuare cum pacto, vt eam sibi restituat iuxta præsentem illius pecuniæ valorem?* Potest ex *Reginaldo*; quia mutuo tantum do, quantum postea sum accepturus.

Regin.

112. *Licet ne aliquid accipere pro obligatione mutuandi?* Licere *Toletus* ait, non tamen ratione periculi, cui pecunia mutuò data exponitur. At *Lessius* etiam huiusmodi periculi ratione licitum esse affirmat.

Tolet. Less.

113. *An mutuare liceat cum pacto remutuandi?* Affirmo cum *Saa* non licere; obligare enim ad aliquid pecunia æstimabile ob mutuum, vsura est.

Saa.

114. *Licitum ne mutuare alteri cum pacto, vt priuatam iniuriam tibi condonet?* Licitum docet *Lessius*. Item si exigas iustam aliquam satisfactionem pro fama, vel honore violato, potes eum obligare ratione mutui, vt condonet, pacto quidem amicitiæ, iustitiæ minimè.

Less.

115. *Quod tibi à mutuatario gratis donatur, etiam cum protesti, potes ne retinere?* Possum; solùm enim prohibetur, quod ratione mutui velut debitum datur. *Molina* sic.

Molin.

116. *Quonam modo mutuatum frumentum, aut pecunia reddenda?* Ex *Molina* respondeo frumentum mutuatum eadem mensura reddendum, aut pretium, quo valet tempore

Molin.

gio redditur: etiam si reddatur in loco, vbi plus valet, aut tempore, quo plus valet, repetatur; quando scilicet non est tempus redditioni præfixum. At mutuatæ pecuniæ debet recipi valor temporis, quo data est, scilicet tot nummi, quot v.g. aureus acceptus tunc valebat. Porrò pactum de recipiendo pro frumento quantum valet tempore, quo datur, est non mutui, sed venditionis. *Lessius* addit, si certum est, vel probabilius rem tempore traditionis valituram pluris quàm modo valeat, non posse te obligare ad parem mensuram reddendam, sed ad eam tantùm, quæ adæquat pretium rei à te traditæ. Posse autem te id facere, si dubium sit vtrum valebit pluris, an minoris; quin & maiorem te posse exigere, si certum, vel saltem probabilius valiturum minoris. Plura mox Vberior Exam. sequenti sermo redibit.

EXAMEN V.

De Iustitia & iure, circa eandem materiam de contractibus Gratuitis, nempe de Vsura ex mutui contractu.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Vsura?

1. *Vidnam est Vsura?* Lucrum proueniens ex mutuo, vi mutui. Ob amicitiam enim vel gratitudinem mutuo dare non est vsura, nec etiam ob turpem amicitiã, nec vt soluatur debitum. Porrò hæresis esset dicere Vsuram non esse peccatum. Iure naturali prohibita quidem est: in veteri lege permissa in recompensationem bonorum, quæ iustè poterant Iudæi à Gentibus vicinis auferre: in nouo Testamento iure diuino prohibetur: & quamuis iure ciuili permissa fuerit, iure tamen Canonico prohibita est.

2. *Quotuplex vsura?* Triplex. Prima distinguitur in Pactionalem, & Exactionalem. Secunda in formalem siue apertam, & virtualem, siue palliatam. Tertia in Realem, & Mentalem. Realis quidem est lucrum, quod accipitur ex pacto expresso, vel tacito; Mentalis, lucrum ex mutuo absque expresso, vel tacito pacto.

3. *Intenditur (vt de vsura mentali ordiamur) lucrum ex mutuo tanquam debitum ex iustitia: est ne vsura?* Ita planè; at si tanquam ex beneuolentia, seu gratitudine, nequaquam. Porrò ex mutuo immediatè lucrum intendere non licèt nec principaliter, nec minùs principaliter: at verò lucrum intendere media beneuolentia, non est vsura.

4. *Datur à mutuatario lucrum, ad quod mutuans allum excitauit, ad remunerationem lucri: num sit vsura?* Fateor cum *Filliucio* periculosam rem esse. Si tamen solùm intendat mutuans lucrum ex liberalitate mutuatarij, non esset vsura.

5. *Venio ad vsuram Realem, ac primò expende, quæso, quænam sentiendum de pactis in mutuo ratione ipsius actionis mutuandi.* Hæ regulæ seruandæ sunt. 1. Obligationes, quæ à mutuatore requiruntur pro assecuratione rei mutuatæ, nec continent lucrum, licitæ sunt. 2. ~~Vbi intercessit mutuum~~ lucrum ex illo, & pactum illud recipiendi ~~ex mutuo sibi est~~ vsura formalis. 3. Pacta obligantia, ex iustitia ad dandum aliquid pecunia æstimabile vltra sortem, ex vi mutui, sunt illicita. Hinc pactum, vt mutuatarius teneatur facere aliquem contractum cum mutuante, vel præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu, vel facere aliquid turpe pretio æstimabile: vel dare officium, priuilegium, exemptionem ab aliquo onere, vel vt dimidium recipiat in mercibus, vel vt tempore messis reddat triticum pretio currenti, & similia, vsuraria sunt. 4. Pactum vt remittatur iniuria licitum est, quando iniusta vindicta exigeretur: secus si iusta: sicut etiam illicitum, vt remittat pœnam à iudice, ob iniuriam, imponendam. 5. Idem affirmo de pacto vt remutuet, vel emat in officina mutuantis, nisi inducatur tantùm obligatio gratitudinis, vel pactum fiat, vt reddatur mutuum, quando desinet officinam frequentare. 6. Idem etiam de pacto vt conferat officium vel beneficium; si enim inducat solam obligationem ex amicitia, vel gratitudine, licitum est; secus si ex iustitia obligationem addat. 7. Pactum, vt restituatur in eadem mensura etiamsi pretium creuerit, licitum est, quando æquè dubium erat; si probabilius autem erat, quod plus valiturum, non liceret, nisi eò vsque fuisset seruaturus: si probabilius quod minus, exigere etiam potest.

6. *Quid dicendum de Pactis in mutuo ratione damni emergentis, aut lucri cessantis? Damnum emergens quidnam?* Est detrimentum, quod quis patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur, idque ob mutuum alteri factum. De

pac

plex est, Immediatum, & Mediatum: Intrinsecum, & Extrinsecum.

7. *Potest ne solui aliquid vltra sortem vi damni emergentis?* Potest planè, siue cogatur mutuare, siue sponte det, siue sit in mora mutuatarius, siue non sit.

8. *Quanam, vt iustè fiat, conditiones requiruntur?* Tres. Prima, vt mutuum sit verè causa damni. Secunda, vt de illo mutuatarius moneatur. Tertia, vt relinquatur in sua potestate facere pactum de periculo damni, vel de damno. *Licitum ne pactum, vt soluatur lucrum, si suo tempore mutuum non fuerit restitutum?* Licitum est.

9. *Quid est lucrum cessans?* Vtilitas vel æstimatio vtilitatis acquirendæ, si mutuum factum non esset. Pactúmque de eo est licitum modò adsint hæ conditiones: vt mutuum sit verè causa cessationis lucri: vt exigatur tantum, quantum valet illa spes lucri, deductis expensis: vt conuenienti tempore exigatur, non autem statim dato mutuo; nisi in casu Examine 4. apposito.

10. *Tenetur ne mutuatarius ante moram ad damnum emergens, aut lucrum cessans?* Minimè, nisi pactum fiat; post moram autem ad vtrumque tenetur: idque etiam si mutuans accipiat ad vsuram, ob ~~negotiationem~~ *dilationem*.

11. *Expendas, obsecro, num sint alij tituli connexi cum actione mutuandi, ex quibus accipi possit aliquid vltra sortem?* Plures sunt. Primus, ratione donationis, si vera ea interueniat; neque enim præsumenda est, nisi constet. Secundus, ratione eius quod aliàs erat debitum, modò debitum fuerit ex iustitia, non ex sola charitate. Tertius, ratione oneris mutuandi. Quartus, ratione periculi, sortis, & molestiæ, in pecunia recuperanda. Quintus ratione carentiæ pecuniæ, modò simul cum ea cesset mutuando aliquod lucrum, vel aliquod damnum impendeat. Sextus, ratione fideiussionis. Septimus, ratione pœnæ conuentionalis, modò non imponatur in fraudem vsuræ, si moderata, & mora notabilis sit. *Quid si bona fide contractum vsurarium feci?* Ratione lucri cessantis retinere potes tantùm, quantum lucratus fuisses iusto contractu, modò intenderis dare omni eo meliori titulo quo potes: siue expressè talem intentionem habueris, siue virtute & implicitè.

CAPVT II.

De Vsurarum constitutione.

12. *NVm vsura mentalis restituenda est?* Etiam restitui debet, si ex parte vtriusque animus deprauatus sit, vel ex parte mutuatarij dantis inuoluntariè; si mutuans accipiat vsuraria intentione, dum putat ita dedisse mutuatarium, tenetur restituere; at vt cognouerit ex gratitudine dedisse, potest retinere.

13. *Quid de vsura reali?* Restituendum equidem multò magis acceptum per realem vsuram, quæcumque res sit, siue in se, si extet; siue in valore si non extet; damnum item illatum, & lucrum cessans; expensæ etiam, quas mutuans in recuperanda re sua fecisset; officium præterea temporis receptum ex mutuo.

14. *Num bona empta ex vsuris possint alienari?* Possunt quidem, si habeat vsurarius alia, vnde restituat; si non habeat, & alienauit cum rei propriæ diminutione, restitutioni obnoxia sunt.

15. *Bona ex vsura perierunt: num ex bonis propriis debeat fieri restitutio?* Bona quidem propria, deficientibus aliis, & remanente obligatione restituendi, etiam restituenda sunt. Potiò immediatum lucrum, quod accipitur vltra sortem sine controuersia reddendum: mediatum autem nequaquam, nisi ex re fructifera factum esset.

16. *Num sint vsurarij inualidi contractus?* Inualidi sunt contractus facti ex vsuris, ita vt qui scienter acceperunt, restituere teneantur. Validi autem sunt facti ex rebus emptis per vsuras, modò eo tempore vsurarius non maneat impotens; si maneat, tunc si is, qui accepit, vsurarium induxit, tenetur ad restitutionem: si non induxit, non tenetur, nisi res titulo gratuito esset alienata. Contractus per vltimam voluntatem inualidi sunt, si testator non sit soluendo: validi verò contractus circa res vitæ necessarias.

17. *Num hæres ad defuncti vsuras teneatur?* Tenetur planè, si relicta sibi satis sint ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam. Si verò hæres succedat etiam in crimine vsurarij, tenetur in solidum ex persona etiam propria tanquam cooperator vsurarum, quæ ab ipso essent acceptæ post mortem. *Quid si cooperator non sit?* Tenetur solum pro portionibus hæreditariis, non autem vltra hæreditatis vires.

18. *Ad*

18. *Ad quidnam cooperatores vsuræ tenentur?* Profectò cooperatores, qui se tenent ex parte mutuatarij, non tenentur ad restitutionem: secus qui se tenent ex parte mutuantis, & sunt efficax vsurarum causa, vt consultores: dantes pecunias illi ad vsuras exercendas: conficientes instrumenta, suppressa vsura. Ministri principales vsurarij tenentur in eius defectum minùs principales autem, vt famuli recipientes pignora, numerantes pecuniam, referentes in libros, non tenentur. Proxenetæ etiam, qui se ex parte vsurarij tenent Aduocati consulentes vsuras etiam tenentur. Famuli verò pecunias custodientes regulariter non tenentur ad restitutionem.

19. *Quidnam de accipientibus ad vsuras dicendum?* Mutuum petere ab vsurario ex causa, non est peccatum. Porrò ille nec tempore necessitatis induci potest ad vsuras exercendas; sed tantùm à peiori malo auerti, proponendo quod minus est. Soluens vsuras non delinquit, nec indirectè præbendo materiam ad vsuram. *Ergo petere licet.* Minimè licet petere absque necessitate. Imò vtilitas, & commoditas etiam excusant à peccato in petendo. Mutuum verò petere pro illicito opere probabilius tantùm esse peccatum veniale.

20. *Quænam pœnis vsurarij subduntur?* Notorij tantùm subiiciuntur pœnis; siue sint tales per euidentiam facti, siue per euidentiam iuris, siue per propriam confessionem extra iudicium coram Sacerdote & testibus. Non autem satis est vt notorius quis habeatur, vt laboret infamia.

21. *Pœnas recense vsuraiorum.* Prima est infamia, quæ quidem per pœnitentiam tollitur. Secunda, irregularitas, Tertia, suspensio ferenda. Quarta depositio ab officio & beneficio item ferenda. Quinta, amissio vsurarum. Sexta, exclusio ab Eucharistia. Septima obligatione vsurarij minimè recipiendæ. Octaua, priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Prohibentur etiam domus alienigenis vsurariis locari. Communitates item non facere statuta, quibus vsuræ permittantur, sub excommunicatione ipso iure lata prohibentur.

22. *Quonammodo sese Confessarius cum vsurario gerere debeat?* Cum notorio se gerat sicuti cum aliis publicis peccatoribus; nisi enim restituat, si potest: vel cautionem det, non est absoluendus, si mors vrgeat, nec possit aliud agere, satis est propositum faciendi, cum soluendi promissione. Cum occulto autem, satis est si promittat restituere, vti possit absolui: nisi aliàs promisisset, & non soluisset, tunc enim, si potest, restitutio præmittenda.

CAPVT III.

De Montibus pietatis.

23. *Quidnam Mons pietatis?* Summa est pecuniæ, vel alterius rei mutabilis deputatæ ad subueniendum per mutuum necessitatibus pauperum.

24. *Eius leges expende?* Tres sunt. Prima, vt pecunia data indigentibus sit in determinata quantitate, & ad certum tempus. Secunda, vt si non reddatur suo tempore, pignora vendantur. Tertia, vt mutuatarius aliquid det in singulos menses vel annos pro Montis expensis.

25. *Licitus ne est pietatis Mons?* Imò & laudabilis ita, vt contrarium dicere, esset erroneum, vti præcipuè ex Bulla Leonis X. constat, licitus etiam est cum tribus illis conditionibus. Attamen laudabiliorem illum Montem asserо ita institutum, vt aliunde & non à mutuatario soluantur expensæ.

26. *Montis pietatis mixti conditiones & iustitiam assere.* Mons pietatis mixtus continet pecuniam partim ex eleemosynis, partim ex contributionibus particularium, qui deponunt pecunias suas in Monte, ad augendum illum, & recipiunt quinque, vel sex pro centum in singulos annos.

27. *Potest ne aliquid ex illo recipi?* Si solus depositi intercedat contractus, clarum est, nihil posse ex illo recipi. Si transeat in mutuum, aliquid recipi poterit ratione damni emergentis, aut lucri cessantis. Ex parte verò Montis, si expensæ moderatę sint, nec superent eas, ipse Mons facit, non est Mons propterea vsurarius. Nec etiam ex parte eius, quod à mutuatariis recipit, vt seruet indemnem.

28. *De Montibus Romæ constitutis disserе.* Alij sunt montes Romæ ad instar censuum fundati in redditibus, distributi in multa loca, quorum singula constant centum aureis. Duplices sunt; quidam vacabiles, alij non vacabiles. Porrò vtrique liciti, cum sint census quidam.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de vsuris ex Societatis IESV *Doctoribus.*

29. *DIxisti, ad rationem vsuræ requiri, vt aliquid exigatur vltra sortem. Vnde quoties exigitur sola sors, quamuis mutetur valor rei non erit vsura: rogo igitur, an sciens pecuniæ valorem breui diminuendum, possim illam alicui mutuare cum pacto, vt mihi iuxta valorem præsentem reddatur?* Negat *Azorius.* Azor. Sed alij licitum esse docent, quemadmodum qui sciret rem aliquam sibi perituram, nisi vendat potest illam licitè vendere. Ego autem *Azorio* sub scribo, nisi mercium qualitas & pecuniæ periculum proximum aduertatur; quia genus furti est pecunia tradere, quod breui aut peribit omnino, aut eius pretium est imminuendum.

30. *Scio ad vsuram requiri, vt res quæ pro mutuo accipitur, sit pretio æstimabilis: rogo, an dare aliquid mutuo cum pacto, quod mutuatarius statim remutuet, aut aliquid iusto pretio vendat, prædium locet,* &c. *erit vsura?* Minimè; quia illa obligatio non est pretio æstimabilis. *Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 11. n. 198.* Regin. Attamen *Rebellus p. 2. lib. 8. q. 4. n. 20.* contrarium asseruit. Rebell.

31. Mutuat Antonius Petro cum pacto, vt statim conferatur à mutuatario beneficium, non in pretium, sed in gratitudinem: an sit vsura? Non; quia talis obligatio breui durat; ac proinde non est pretio æstimabilis. Ex mente *Salas de vsur. dub. 9. num. 4.* Salas.

32. *Vsura ne, mutuare cum pacto, vt mutuatarius remutet, cum mutuans indigebit, aut ad suum molendinum frumenta mittat, aut suas frequentet scholas?* Respondet Salas citat. non esse vsuram, si à mutuataria absque vllo incommodo præstari possunt.

33. *Est ne vsura aliquid sperare ex mutuo, non ex iustitia, sed ex amicitia, aut gratitudine?* Dixi non esse vsuram, nisi expectetur aliquid ex mutuo vi mutui, & cum ciuili obligatione. Vnde sperare per mutuum, amicitiam, vel aliquod donum ex gratitudine mutuatarij, non est vsura mentalis: nec tale donum ex tali obligatione exigere, est vsura realis, quia actus internus & externus sunt eiusdem bonitatis, aut malitiæ. *Molina tom. 2. d. 305. n. 6.*

34. *Potest ne mutuans aliquid accipere pro lucro cessante?* Potest; quia non accipit vi mutui. At vt licitè possit accipi lucrum cessans, pecunia debet esse negotiationi exposita ab eo, qui non habet aliam, cum qua negotientur, & quod probabiliter acquirendum sit lucrum. Profectò *Lessius lib. 2. c. 20. dub. 11. num. 97.* hanc mutuantibus regulam præscripsit: mutuans tantum remittat mutuatario ex lucro cessante, quantum ipse dedisset pro contractu assecurationis talis lucri. Vnde qui lucratus esset quindecim, pro quorum assecuratione solueret quinque potest à mutuatario exigere decem.

Less.

35. *Mutuam aliquid accipit vi mutui ex ignorantia, existimans licitum esse accipere, cum alioqui non mutuasset, sed aliam contractum licitum celebrasset: potest ne, re cognita, acceptum retinere in compensationem lucri cessantis ex tali contractu illicito, quem alias celebrasset?* Ait *Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 10.* non licere, nisi expressisset, se velle contrahere omni meliori bono, quo posset; quia bona fides non potest contractum iniquum iustificare. Verùm *Tannerus 2. 2. d. 4. quæst. 7. dub. 3. num. 99.* & *Saa verbo vsura*, licitum esse docent; quia præsumitur mutuans omni meliori modo lucrum accipere voluisse: & mutuatarius consensisse saltem implicitè ad præstandum lucrum, & seruandum mutuantem indemnem, dum aliunde non constat oppositum.

Lessius. Tanner. Saa.

36. *Accipine potest aliquid à mutuante, ea quod se priuat facultate repetendi mutuatam pecuniam vsque ad certum tempus?* Negat *Molina tom. 2. tract. 2. d. 308. n. 8.* quia huiusmodi priuatio est beneficium meræ liberalitatis, vnde mutuans non inducit super se obligationem aliquam, quæ aliquo lucro debeat compensari. At alij contrarium asseuerant, quia omnis obligatio ciuilis est pretio æstimabilis, nec tale onus indebitum debet mutuans gratis subire.

Molin.

Saa.

37. *An sit vsura crimen mixti fori?* Asserit *Saa* ad vtrumque iudicem Ecclesiasticum & secularem pertinere: siue quæstio sit de facto, v.g. an contractus celebratus sit, vel ne, siue de iure, v.g. an contractus celebratus sit vsurarius, vel ne. Alij affirmarunt, ad solum Ecclesiasticum iudicem attinere, quando de iure est quæstio.

38. *Quódnam peccatum est vsura?* Aliqui asserunt mortale, non admittit enim vsura materiæ paruitatem. Profectò venia Doctorum, non credidero vsuram in quauis materia, vt hæresis, ac Magia, computandam.

39. *Bona fide quis celebrauit vsurarium contractum quem cum cognouit iniquum, alium iustum celebrauit: potest ne aliquid*

quid lucri retinere? Quidam probabile ex *Saa* affirmat posse illum tantum lucri retinere quantum per contractum licitum acquisiissent si licitè ab initio contractus iniretur. Saa.

40. *An Chirographa immatura minori pretio possint emi? v.gr. ius ad centum aureos soluendos intra annum possit nunc emi nonaginta & sex aureis?* Probabile asserо posse; quia pecunia præsens pluris æstimatur, quàm futura. Scio tamen probabiliorem contrariam *Lessij* sententiam. Less.

41. *Est ne vsurarius contractus, quo quis rei venditæ fructus sibi seruat, donec soluatur pretium?* Ex sententia *Sanchez* asserо vsurarium non esse, quamuis neque emptor sit in mora soluendi neque venditor ex pretio statim soluto aliquid esset lucraturus. Sanch.

42. *Est ne hic contractus vsurarius? Do tibi mutuo centum aureos, vt mihi vicissim mutues centum modios tritici.* Affirmat *Laymanus* vsurarium non esse; quia hæc obligatio imposita mutuatario parum est onerosa. Laym.

43. *Erit ne vsura, si mutuans deducat in pactum: vt mutuatarius statim emat, vendat, remutuet,* &c. Idem *Layman* liberat ab vsura; quia ita mutuans nullam, causa mutui, imponit obligationem pretio æstimabilem, cum mutuatarius non maneat in posterum ad aliquid obligatus, neq; amittat suam libertatem vendendi, emendi, vel mutuandi in posterum. Ego quidem si libertas adstringatur vsurarium esse pactum affirmo; si non illigatur cum *Laymano* sentio. Laym.

44. *An sit vsura aliquod donum, vel munus à mutuatario accipere, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante?* Ex *Molina* placito negatiuè respondeo; quia illud munus vi mutui non exigitur, neque ex debito iustitiæ, cum nullum interuenerit pactum, sed tantùm ex gratitudine. Molin.

45. *Potest ne quis sumere mutuum ab vsurario sub vsuris non tantùm ad necessaria, sed etiam ad superflua, v.gr. conuiuia, torneamenta,* &c. *iuxta exigentiam status?* Potest; (vti asserit *Sanchez*) quia non videtur malitiæ vsurarij cooperari. Imò etiam si ad vana, & omnino inutilia dictam pecuniam peteret, solùm veniali crimine fœdaretur. Sanch.

46. *Vsurarius qui nulla alia habet bona nisi restitutioni obnoxia, si donet, aut in dotem det, est ne obligatus soluere? Toletus* asserit non teneri; quia vsurarum non transfertur dominium. Tolet.

47. *Bonâ fide quis accepit aliquid tanquam donatum, comperit autem postea esse datum pro mutuo: quid præstandum?* Ex *Toleto* respondeo teneri restituere, quantum factus est locupletior, nisi præscripsisset. Tolet.

48. *Tenetur*

48. *Tenetur ne restituere Notarius, qui facit instrumentum vsurarij manifesti contra formam cap. Quanquam, de vsuris, in 6.*

Molin. Respondet *Molina* negatiuè; quia huiusmodi instrumentum est ipso iure nullum. Addit neque ad restitutionem teneri inducentem fœnerarium ad fœnerandum in gratiam fœneratarij indigentis.

49. *Plures hæredes vsurarij tenentur ne in integrum restituere?*

Molin. Ex *Molina* respondeo solùm pro rata teneri, scilicet qui est ex dimidio hæres, dimidium debiti: qui ex tertio, tertiam partem; etiam si alij non restituant. Si quæ tamen res mutuatarij eadem supersit, eam restituere tenetur quicunque habet, ex eiusdem *Doctoris* sententia.

50. *Iurauit quis non repetere vsuras: tenetur ne?* Potest Ecclesiæ denunciare, & ipsa cogere restitui. *Quid si iurauit non denunciare?* Non tenet iuramentum; quia de re illicita.

Saa. Sic *Saa.*

EXAMEN VI.

De Iustitia & iure, circa materiam primam de Contractibus onerosis, scilicet de Emptione & Venditione.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Venditio, & circa quas res versetur.

1. *Contractuum onerosorum primus est emptio. Quidnam est?* Permutatio quædam, hoc est, vicaria præstatio vnius pro alio; quæ in iis consistit, quæ vendi possunt: & tunc perfecta censetur, quando vtraque ex parte facta est traditio.

2. *Quinam igitur contractus est emptio & venditio?* Emptio quidem contractus est, qui consensu perficitur pretij pro mercede; venditio autem mercis pro pretio. Est in vtriusque contrahentis bonum, & per illum dominium transfertur. Si duobus vendatur, debetur primo; nisi secundo tradatur.

3. *Quid arrha operatur?* Si descendit emptor à contractu, illam amittit venditori. Si venditor, eam reddit, & tantumdem de suis bonis amittit emptori.

4. Quæ

4. *Quotuplex venditio?* Multiplex. Prima Naturalis, qua necessaria ad sustentationem sui, familiæque emuntur; quæ quidem licita est. Secunda Artificialis, qua res per industriam commutata venditur; etiam hæc ex se bona, & licita Ecclesiasticis. Tertia negotiatio, qua res emuntur eo animo, vt non mutatæ, cariùs vendantur ob lucrum; res est ex se indifferens, & si debitè fiat, moraliter bona, & Reipublicæ vtilis. Ex circunstantiis potest vitiari, & Clericis prohibita est, si sint in sacris vt Beneficiarij: Religiosis verò, etiam si in Sacris non sint, vetita est, vt quæ personam tantam minimè deceat. Per alios equidem probabile est, Clericos scandalo excluso posse negotiari; alioqui Clericus negotiator immunitatis à tributis, & vectigalibuss amittit priuilegium.

5. *Ex queisnam rebus emptio & venditio potest illicita reddi?* Ex multis. Primò, ex rebus, quæ vendi non possunt, vt sunt spiritualia, sacra quædam, publicæ res, homo liber, & similia. *Potest ne vendi res aliena?* Potest inter ignorantes; secus inter scientes. Porrò nec inter ignorantes vendi potest ad effectum, vt eam dominus vindicare non possit: ideóque consultum est venditori, vt inuento emptore contractum rescindant.

6. *Dubitat emptor rem esse furtiuam.* Tenetur non emere. *Si bona fide emit, & postea resciat esse furtiuam?* Tenetur domino reddere, aut venditori ad pretium recuperandum. *Officia temporalia?* Ex natura rei vendi possunt: iure tamen humano prohibentur tum Ciuili, tum Canonico; nec quidem expedit huiusmodi officia vendi ob plurima mala, quæ inde possunt oriri.

7. *Res propria amentis vendi ne potest?* Minimè, & venditio est nulla, vbi vel non est conuentio in pretio, vel non in re vendita, vel si error sit in substantia rei venditæ. Secundò, illicita redditur venditio ex personis, vel quia iis prohibita est; vt Ecclesiasticis: vel quia malè vendant, tum ex affectu inordinato ad lucrum, tum ex mendaciis & periuriis in re vendenda; vel quia iure communi prohibentur, v. gr. Iudicibus emere ~~præter necessaria~~ tutoribus res minorum, &c. Tertiò denique illicita fit ex loco sacro, vt si in Ecclesia fiat.

CAP.

CAPVT II.

De Naturali, ac legali iusto pretio rerum.

8. *Quotuplex rei pretium.* Duplex, naturale, & legale. Naturale quidem est pretium quod res habet lege secluſa positiua, dependenter quidem ex hominum æstimatione.

9. *Quotuplex est naturale pretium?* Triplex, supremum, medium, & infimum. Omnia quidem iusta.

10. *Vndenam eius iustitia desumitur?* Ex hominum æstimatione. Ex variis circunstantiis: v.g. penuria, vel copia mercium, emptorum, aut venditorum, & pecuniæ. Ex modo vendendi, sub hasta, in officina, in discessu, minutatim. Non æstimatur autem ex rei nobilitate, & præstantia: ex vsu tantùm, v.g. quanti res empta sit, & vbi vendatur, & quot labores insumpti.

11. *Sunt res quæ nec naturale nec legale pretium habent: quanti vendendæ?* Vendi possunt quanti dominus volet, & inter contrahentes conuenerit ex probabili sententia; probabilius tamen ex Filliucio, & aliis affero id æstimandum esse ex hominum peritorum arbitrio.

12. *Quænam efficere possunt maius pretium?* Officium mercatoris, lucrum cessans, aut damnum emergens, admista donatio, & temporis instantia.

13. *Quænam minus?* Vilius quidem, quàm alioqui valeret res, emi potest, si parum vtilis emptori sit, si emptor quæratur, si merces multæ multique venditores, si donatio miscetur.

14. *Licet ne mercatori occultè diminutione mercis exussum pretij, quo vendere poterat supra infimum, compensare?* Minimè; quia iam iusto pretio emptor ius in rem acquisiuit.

15. *Quandonam pretium æstimandum est iustum?* Profectò contractus tempore. Vnde sciens ex futura mercium copia eas viliores futuras, currenti pretio vendere potest. Econtra autem præuidens annonæ penuriam emere potest tempore abundantiæ currenti pretio: vti deinde penuriæ tempore multo minori pretio diuendat.

16. *Quid si venditor legem diminuendo pretio sciret, ante eius promulgationem?* Non posset cum aliorum damno plus frumenti vendere, quàm alioqui fuisset venditurus.

17. *Quodnam*

17. *Quodnam legale pretium?* Quod publica lege taxatur. Quod quidem ita ſtatui debet, vt rationabile ſit, & intra iuſti naturalis limites. *Num illud tranſgredi liceat?* Minimè, eodem manente rerum ſtatu, & ſuppoſito, quod iuſtum ſit.

18. *Quid ſi iniuſtum eſſet?* Liceret v.gr. artifici vendenti res, quæ in pondere vel menſura conſiſtunt, tantum de pondere, vel menſura detrahere, quantum ſatis eſt ad iuſtum pretium.

19. *Poteſt ne Reſpublica, aut Princeps minori pretio triticum taxare, quàm eſſet infimum naturale?* Poteſt, ante eius pretij conſtitutionem; non tamen minori, quàm naturale iuſtum ſit in ipſa conſtitutione. Non autem debet Princeps pretium taxans iuſtum naturale tranſgredi. Triticum certè taxari poteſt, non reliqua, ex quibus eius pretium minimè pendet. *Si triticum melius ſit, quàm commune?* Legale pretium tranſgredi licet, modò exceſſus in bonitate notabilis ſit. *Si defectus in bonitate ſit etiam notabilis?* Tenetur in pretio deſcendere, ſi pretium naturale non attingat pretium lege taxatum.

20. *Num tempore ſterilitatis taxa ſeruanda ſit?* Ita planè, ſi eo tempore facta ſit; ſi verò tempore abundantiæ, aſſero probabile, poſſe non ſeruari.

21. *Naturale pretium non attingit pretium lege taxatum, aut merx vendenda, v.g. ſi frumentum carioſum eſſet, aut putridum: rogo, num tunc lex eſſet ſeruanda?* Legale pretium ſeruandum non eſt, ſed deſcendendum quidem iuſti naturalis proportione.

22. *An externi ad taxam teneantur?* Non ſolent teneri; quia pro iis taxari non ſolet.

23. *Num Clerici teneantur?* Ita planè, communis boni gratia.

24. *Diuerſa pretia taxata ſunt: an liceat vendere in vno loco iuxta taxum alterius?* Non, niſi eò tranſportanda merx eſſet.

Caput III.

De venditione in particulari.

25. *Quid dicendum de venditione, quæ anticipata, vel dilata ſolutione fit?* Certum quidem eſt, licere vilius emere

emere anticipatè: intra iustum saltem infimum; & carius rendere credito, modò supremum seu rigorosum non exced Item ob lucrum cessans, vel damnum emergens licitum affirmo emere infra iustum, & vendere plus iusto, prudenti arbitrio. Necnon ratione fraudis, v.g. si venditor merces, emptor pecuniam non tradat. Idem dicendum ratione mo vendendi: iuxta quæ anticipata lanarum emptio in Hispania, & alibi similium rerum, dijudicanda erit.

26. *Num minus emi possit debitum acerbum, seu non maturum?* Potest, ob periculum illud non habendi: sicut ob lucrum cessans, vel damnum emergens. Si hæc desint, absolutè non licet.

27. *Possunt ne chirographa minus emi, quàm id quod debetur?* Possunt ex variis causis. Illam seligo, quia pretio illo æstimabilis est carentia præsens pecuniæ. Vnde qui gratia apud Principem valet, emere creditum priuati hominis potest dimidio minoris. Item mercator à paupere milite credita minoris emit, quàm sunt ea, quæ debentur.

28. *An debitor requisitus à creditore, vt anticipatè solua possit soluere minus?* Ita planè. Non tamen vendi creditum potest, cùm debitor soluendo non esset.

29. *Creditum vendi ne potest maiori pretio, quàm sit de presenti, si tempore solutionis credatur plus valiturum?* Potest, si venditor in id tempus seruaturus esset. Item ob lucrum cessans, damnum emergens, ob periculum, & molestias potest minùs soluere, qui anticipatè pecuniam exhibet.

30. *Disseras, quæso, de venditione rei aliquo vitio affecta.* Vitium hoc triplex esse potest. In substantia: in quantitate: in qualitate. Idque vitium aut patens, aut occultum. *Vitium quidem occultum est, cognitum à venditore, & ab emptore ignoratum.* Redditur nullus contractus, vel venditor debet reddere emptori, quantum erat minùs rem empturus. *Vterque occultum vitium rei ignorauit.* Validus est contractus; sed emptor habet actionem aduersùs venditorem quanto minoris. *Vterque cognouit.* Valida venditio est in foro conscientiæ, sed venditor tenetur excessum vltra iustum rigorosum reddere. *Venditor ignorat, & dicit, se nolle de illo teneri.* Validus est contractus, & ad nihil venditor tenetur. *Vitium rei constat, nec venditor scit emptorem ignorare tale vitium.* Venditio est valida, & si pretium æquale sit rei ad nihil venditor obligatur. *Occultum est vitium, sed tamen non reddit rem notabiliter minus vtilem ad vsum, propter quem emitur.* Satis est minuere pretium. v. g. si seruus duræ tantùm sit conditionis: si furor imbecillis complexionis calceos

talceos ex debiliori parte conficiat: si mercator pannum venderet non admodum bene contextum, sed tamen qui dutatu is conuenienti sit tempore. *Res vitiosa manifestè est, nec eo vitio notabiliter inutilis futura.* Potest vitium, quod ob incuriam ignorat emptor, non manifestari: etiamsi emptor non esset empturus, si sciuisset. *Res cum aliis admixta est, v.gr. hordeum cum modica portione auenæ.* Si minus bona non sit ad vsum propter quem emitur, & vel diminutio valoris tam exigua sit, vt homines communiter parum de ea curent, potest admixtio non manifestari. Idem asserò, si admixtio ea tantùm de causa fiat, vt venditor se indemnem seruet absque emptoris damno. *Multa res simul venduntur, & vna earum vitiosa est; sed adeo ita sunt omnes inter se connexæ, vt non possint à vi iosa separari?* Quoad omnes quidem contractus soluitur. Si tamen ita non sint connexæ, redhibenda tantùm est illa, quæ reperitur vitiosa, reddito pretio. *Si mixtio nocere potest?* Facienda non est, alioqui venditor & peccat, & tenetur restituere damna secuta.

31. *De venditione sub hasta quid?* Fit quidem sub hasta venditio earum rerum, quæ certum pretium taxatum non habent. Iustum autem illud est, quod tali modo vendendi reperitur, quodque medietatem iusti non excedat, vel deficiat ab ea. Fraude omnes vitandæ tum ex parte venditorum, tum ex parte emptorum, tum ex parte iudicum. Si quæ fiant, restitutionis sequitur obligatio.

32. *De Proxeneta, siue mediatore tuum placitum exprome.* Vendens ille rem vltra certum pretium æstimatum à domino mercium, tenetur excessum etiam ei reddere: nisi in pacto sit, vt vltra acceptum pretium sibi retineat: tunc enim potest retinere si excessus rigorosum pretium non excedat. *Quid in dubio?* Non licet nisi de voluntate domini interpretatiua, modò sit coniectura probabilis. Porrò pretium laboris Proxeneta non nisi ex pacto potest recipere. *Mediator iussus vendere aliquo loco, vbi non possit accipere pro merce nisi decem, v.g. morali adhibita diligentia: si alio loco distantiori vendat duodecim, potest ne lucrum illud sibi retinere?* Potest planè; quia lucrum industriæ est.

33. *De nonnullis aliis venditionibus disseramus. Quidnam venditio ad corpus?* Venditio quidem ad corpus dicitur, cùm fit simul mentio rei, & quantitatis illius tanquam signi, & demonstrationis: v. gr. vendo tale prædium, quod est decem iugerum. Eius id proprium, vt censeatur vendita, etiam si mensuram esse maiorem reperiatur: solui tamen

incrementum pretij debet, pro maioris quantitatis ratione.

34. *An licita sit venditio cum pacto de retrouendendi?* Licita est, tam si fiat in fauorem venditoris, quàm si in emptoris fauorem, si sola rei natura spectetur: & si ob periculum palliandi vsuras, vitanda sit; vtrobique iustum pretium intercedere debet, quod minus iusto debet esse, cùm pactum est in fauorem venditoris: & maius iusto, cùm est in emptoris fauorem. *In fauorem vtriusque licitum ne?* Ita quidem; sed varium esse potest eiusmodi pactum, nam & idem pretium solui potest in retractu, vt accidit in censibus, & diuersum ab eo: fructus medij temporis, quando dissoluitur, pertinent ad emptorem, si retractus fiat pro eodem pretio: si diuerso ad venditorem, qui rem redimit.

35. *De pactis fieri solitis in venditione aliquid annecti.* Pactum legis commissoriæ venditioni apponi solet: per quod, si intra certum tempus emptor pretium non soluerit, res inempta est. Pactum autem adiectionis in diem est, quando ea ratione aliquid venditur, vt si alius intra definitum tempus maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res nata vendita sit. Venditio denique cum pacto conditionali tunc est, quando ita res venditur, vt si conditio impleta non fuerit irrita sit venditio; quo in casu fructus ante conditionem ad venditorem pertinent: ea impleta, ad emptorem.

CAPVT IV.

De alijs pertinentibus ad venditionem.

36. *DE periculo & commodo rei venditæ quid?* Post traditionem quidem res vendita perit emptori. Venditione facta, non tradita re, fructus pendentes debentur emptori. Qui nascuntur, vel crescunt post venditionem sunt etiam emptoris, si hic soluit, & obtulit pretium, & venditor est in mora. Si autem pretium solutum non sit fructus sunt venditoris, iure communi; at probabilius repuro esse emptoris soluto interesse venditori ob pretium non solutum, nisi venditor habuisset fidem de pretio, & concessisset dilationem.

aut si

37. *Hinc requiro: cuinam debeantur naturales, aut industriales rei venditæ nondum collecti?* Debentur emptori etiam si venditor dominium pro maiori anni parte habuerit. In

fructy

parte venditio

venditione cum pacto de retrouendendo, pendentes fructus ad quemnam pertinent? Debentur venditori retrahenti, quando ad rem redimendam pretium offert.

39. *Quid in censibus cum pacto de retrouendendo?* Si venditor redimat ante tempus destinatum solutioni census soluet pro rata temporis.

40. *Fructus nati post venditionem cuinam?* Soluto pretio debentur emptori: etiam si res non sit tradita. *Fructus autem percepti post venditionem, qua iuris beneficio rescindi potest?* Si rescinditur, restituendi, nisi bona fide consumpti, & inde consumens non sit factus ditior.

41. *Venditio vltra vel circa dimidium iusti pretij valida est ita vt in potestate emptoris sit, vel rescindere contractum, vel supplere defectum pretij: eligit stare: quid tunc?* Supplebit defectum, & fructus retinebit.

42. *Quid si venditio irrita sit propter dolum dantem causam contractui?* Tunc electio esset venditoris, & tenetur emptor omnes fructus restituere etiam consumptos propter malam fidem. *Venditur res cum pacto legis commissoriæ, aut adiectionis in diem.* Resoluta venditione, ex pactis illis fructus omnes restituendi sunt venditori; non resoluta autem emptori. *Fructus rei venditæ sub conditione?* Si conditio non existat, emptori non debentur: imo si pendente conditione res ei tradita fuerit, tenetur fructus perceptos restituere.

43. *Emptio & venditio eiusdem rei reciproca, diuerso pretio, est ne contra iustitiam?* Non, si venditio & emptio semper intra latitudinem iusti pretij sit facta. At si mercator eo fine vendat, vt statim emat minoris ab eo, cui vendiderat, sapit vsuram, sæpéque potest contra charitatem accidere, vnde meritò reprehendendam duxi.

44. *Vendidit quis rem alienam bona fide.* Si factus esset ex ea ditior, tenetur domino lucrum reddere; si non est factus ditior, & mala fide vendidit, tunc ad restitutionem pretij, vel eius æstimationem tenetur, si domino restituere eam poterat; si non poterat, & res per alienationem non est difficilioris recuperationis, ad nihil tenetur.

45. *Quenam res simul vendi censentur?* Hæc planè. Venditio castro aut villa, etiam ius patronatus vendi cēsetur. Idem censeo de hæreditate, in qua patronatus ius est. Vēdito fundo, venditur simul oratorium, si ad illud per solum fundum ducat via. In venditione castri eius includitur iurisdictio. Vendito fundo, fructus pendentes simul vendi censentur. Venditis iumentis, aut nauibus, lucrum inde emptori præstabitur.

Vendita silua cæduæ, glandes ~~solum~~ si qui pendentes veneunt. Vendita equa, venditus censetur pullus, si à matre non possit sine interitu separari.

46. *Quid si res vna duobus in solidum vendatur?* Secundus emptor priori præferatur, si illi res tradita; neque obstat, quod Ecclesia, vel persona Ecclesiastica sit, vel prior contractus iuramento firmatus. Si emptor secundus mala fide agat contra eum, res euinci potest. Emptor primus præferendus illi, qui rem postea dono accepit. Primus emptor cum hypotheca præfertur secundo, non obstante traditione.

47. *Quidnam est Monopolium?* Cum vnus vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod genus mercium vendant eo pretio, quo ipsi voluerint. *Num contra iustitiam Monopolium?* Si fiat conuentio, & non vendatur minùs, pretium tamen intra iustum sit, non est contra iustitiam, nisi fraude vel minis alios impediret: at est contra charitatem. Si pretium sit contra iustum, peccant etiam contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem augmenti supra iustum.

48. *Quid si supprimant merces, donec pretium accrescat?* Excusari possunt quidem ab iniustitia speciali, non tamen à legali & contra publicam vtilitatem, sicuti neque à peccato contra charitatem. *Si autem impediant, ne aliunde asportentur merces?* Si id faciant fraude, vel minis, ad restitutionem tenentur tum Reipublicæ, tum aliis mercatoribus.

49. *Quænam sunt venditoris obligationes?* Rem debet tradere emptori, si ipse dominus fuerit rei quam vendit; si non est dominus, tradat causam, & ius vsucapionis. titulum Debet monere de vitio occulto, quando tale est, vt eius vsus noxius & periculosus sit, vel reddat rem inutilem ad eum vsum ob quem emitur; si est manifestum, non cogitur venditor emptorem admonere. Debet rescindere venditionem vi factam. Pretium debet esse iustum. De euictione tenetur.

50. *Quænam autem emptoris obligationes sunt?* Integrum pretium præfinito tempore soluere debet. Qui emit prædium in quo scit latere thesaurum, iustum pretium soluit, si tantum det, quanti à nescientibus æstimatur. Supplere debet pretium, si dedit minus infimo iusto. Venditorem debet admonere de iusto pretio, si fortè ob ignorantiam minoris vendat. Damna item venditoris resarciere ob moram vel culpam in facienda pretij solutione tenetur.

51. *Quidnam est Retractus?* Quando quis priuilegio, aut alia ratione legitima extraxit rem alteri venditam pretio, quo empta est. Habet locum in Emptione & Venditione, in

censu,

censu, locatione, & conductione, in Emphyteusi, & similibus. Fructus, ab emptione perfecta retrahentis sunt.

52. *Quid de dissolutione ?* Dissolui potest contrario consensu contrahentium etiam post traditionem. Porrò in dissolutione non debetur gabella.

53. *Si venditio fiat animo donandi ?* Donatio erit, si fiat animo non recipiendi pretium ; si animo remittendi pretium emptori, & vendendi, erit venditio.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de emptione, & venditione ex Societatis IESV *Auctoribus.*

54. *ROgat quis sub hasta adstantes, ne plus offerant, vt ipse emat pretio infimo : peccatnè ?* Si iustum est pretium, non peccat, secus si cogeret vi, aut metu. Id quod etiam in vectigalium, officiorúmque emptione procedit. *Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 22. num. 379.* §. 1. *De Emptione.* Regin.

55. *Possunt ne res emi minoris anticipata solutione ?* Negat *Valentia tom. 3. d. 5. quæst. 20. part. 2. §. 8.* Sed alij asseruere probabiliter admodum ; tum ob periculum non habendi merces, aut non sine expensis, tum ob lucrum cessans, aut damnum emergens, tum quia sic numerus emptorum minuitur, & venditorum augetur. Valent.

56. *Olera, & gramina vendi solent ad vsum ordinarium assis : si ad vsum meum speciale magni aliquod inibi latens gramen æstimatur, debétne emere pluris ?* Potes emere fascem pretio currenti ; *Molina tom. 2. tract. 2. d. 353.* sic ; quia communis illius rei valor. Molin.

57. *Latitat in fundo thesaurus, me cognoscente : emere ne possum pro simplici fundo ?* Potes ; quia sic simpliciter æstimatur. *Salas de emp. dub. 26. num. 5.* idem asserit de re pretiosa in iis Regionibus, in quibus non æstimatur ; & de lapide pretioso, cuius qualitatem lapidarius ignorat. Salas.

58. *Creditum difficilis solutionis est : possum ne minoris emere ?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 9. n. 6. & 7.* Si cui Turcarum Princeps deberet mille aureos, quos vix esset recuperaturus, emi posse centum ab alio, qui facile exacturus foret. Less.

59. *Credita immatura aliàs facilis, & certæ solutionis, possunt ne minoris emi ?* Secluso damno emergente, aut lucro

ceſſante ob ſolam anticipationem ſolutionis, non poſſe.
Regin. *Reginaldus tom.2.lib.25.cap.18. num.312.* affirmat; quia ſola
Leſſ. temporis expectatio non minuit rei valorem. At *Leſſius lib.2. c.21.dub.8.n.66.* ait contrariam ſententiam Bellarminum publicè Louanij docuiſſe. Probabilem admodum exiſtimo; quia pecunia præſens pluris quàm abſens æſtimatur: & minus eſt, ius habere ad rem, quàm re ipſa potiri.

60. *Sartor, cui cura emendi pannos & ſerica pro veſtibus conficiendis committi aſſolet: ſi vnius mercatoris officinam frequentans, inuenit pretia mitiora: poteſt ne pretij illius exceſſum*
Salas. *ſibi remiſſum retinere?* Negat *Salas dub.45. num.6.* quia mer-
Filliuc. cator re vera nihil ei dimittit, ſed dimittere mentitur, ad eum alliciendum. Porrò *Filliucius tom.2. tract.35. c.6.n.149.* affirmat, quia re vera mercator aſſolet ſartori aliquid remittere, ob officinæ frequentationem.

61. *Scio mercimonium cum Sarracenis prohibitum c. quod olim, Extrau. Nicolai IV. & Clem. V. Multa mentis: rogo tamen an id in caſu neceſſitatis obſeruando iura?* Minimè. Vnde deficiente frumento in Hiſpania, aut Gallia, licet à Mauris
Regin. emere, & cum illis aliàs merces commutare. *Reginald.tom.1. lib.9.cap.18. num.301.* Porrò iura citata ſolum prohibent ferri ad Sarracenos Ægypti mercimonias. At licet generalis eſſet prohibitio in caſu neceſſitatis non obligaret.

62. *Vehemens ſuſpicio eſt, quem res furtiuas vendere: emit ne mala fide, qui ſine ſufficienti examine emit?* Ita planè, ſi de tali venditore talis infamia rationibus efficacibus, & moraliter conuincentibus probaretur; non aliter; quia nemo
Pal. præſumitur malus, niſi probetur. *l.merito ff. pro ſocio.*

Pal. 63. *Quid ſi in dubio, quòd res eſt furtiua, quis illam emat?* Reſpondet *Palaus tom.1.d.3.p.3. num.5.* Tenetur diligenter inueſtigare, & ſi dubius adhuc manet, cum eo, cuius eſſe dubitat, rem diuidere, ſi dominus compareat, reſtituat totum, & pretium amittat; quia mala fide dedit. *Si verò emit à poſſeſſore bonæ fidei, & poſt adhibitam diligentiam remanet dubius?* Ad nihil (ait ille) tenetur; quia ſuccedit iuri illius, pro quo ſtat poſſeſſio.

64. *Quis à fure mala fide emit: cuinam tenetur reſtituere?*
Turr. *furi ne, an vero domino? Turrianus in ſelect. cent.4. dubitat.* 36. vero domino ait reſtituendum; quia qui mala fide emit, ſibi imputet, quod pretium amittat. Profectò immeritò contrariam ſententiam improbabilem vocita-
Saa. uit. *Saa* enim *v. Furtum, num.* 11. aſſerit poſſe (alij debere) reddere eidem furi; quia fur rem iuſtè repetit, vt reſtituat

restituat; ergo emptor iustè reddet, vt restituatur vero domino.

65. *An pragmatica facta tempore abundantiæ, tempore sterilitatis obseruari debeat?* Asserit *Salas dub.7. num.3.* seruandam sub pœna peccati mortalis, & onere restituendi; quia cum multi id Doctores asserant, & res sit dubia, obediendum Principi, cui in causis dubiis fauendum. At *Molina apud Ledesmam tom.2.tract.8.cap.32.diffic.19.* docet non esse seruandam in conscientia: sed tunc frumentum posse diuendi iuxta pretium commune, & vulgare; quia talis præsumi debet intentio Principis. §.2. *De venditione.* Salas. Molin.

66. *Vendi ne debent pretio taxatoris, cuiuscumque bonitatis & excellentiæ sint?* Asserit *Salas dub.12.num.9.* quia Princeps potest, & vult, propter commune bonum rebus valde inæqualibus æquale pretium imponere: alioqui omnes dicerent, merces suas esse alienis notabiliter meliores. Profectò in modico excessu verum id reputo; quia parum pro nihilo. At in excessu notabili probabiliorem existimo *Molinæ tom.2. d.364. num.11.* sententiam asserentis vendi posse supra pretium taxatum quia quemadmodum vendens triticum corrosum & peius notabiliter eo, quod communiter venditur, non potest totum pretium taxatum accipere: ita vendens notabiliter melius potest aliquid accipere vltra taxam. Salas. Molin.

67. *Merci vitium occultum adest, scio venditorem debere pretium imminuere: rogo autem, an debeat defectum reuelare?* Negat *Turrianus 2.2. d.58. dub.6. num.1.* dummodo huiusmodi merces sæpius non diuendantur; quia vendente aliquo vinum (v.g.) dilutum pretio viliori, emptores existimarent, pretium decreuisse, & ab aliis purum eodem pretio emere vellent. Limitat *Salas* adhuc *dub.34.n.5.* nisi emptor emat rem illam ad reuendendum, in quo casu venditio esset iniqua; quia emptor posset vendere maiori pretio, quàm cum illo vitio valeret, & nisi explicet emptor, se velle emere rem vitij expertem. Ratio horum est, quia venditur res vtilis pretio iusto. Turr. Salas.

68. Hinc quæsierim, an excusentur pharmacopolæ vnam medicinam dantes pro alia altioris pretij, sed vtili æquè, aut ferè; Ita planè, si pretio iusto tradant. *Salas vbi supr.* Salas.

69. *Tenetur ne sutor emptori manifestare, calceos è corio debiliori?* Non, dummodo pretium imminuat. *Filliucius* in praxi adnotat seruari non posse? quia omnes eodem pretio vendi assolent; nisi corium esset adustum. Sic *tom.2.tract.35. cap.6.num.129.* Filliuc.

70. *Venditur merum communiter viginti assibus, habet quis generosum merum altioris quidem pretij: potest ne aqua diluere quantum sufficiat, ad æquiparandum illud ordinario?* Negat Rebellius *p.2.lib.9.q.9.n.17.* quia pretia imponuntur rebus puris, & naturalibus. Subscribit *Azorius part.3.lib.8.cap.23.q.3.* quia qui vendit vinum dilutum, vendit plus vini, quàm habeat; si enim habet tres amphoras, vendit quatuor. Attamen *Lessius lib.2.c.21. dub.11. num.82.* posse dilui affirmat; quia nulla iniuria irrogatur emptori; cui quidem venditor non tenetur melioris conditionis vinum tradere eo, quod communiter venditur.

Rebell. Azor. Less.

71. *E carnibus, aut fructibus taxatis assolent macellarij, aut pomarij electam portionem diuidere à deterioribus, & hasce pretio taxato vendere, electam autem maiori: num liceat?* Peccant, & tenentur ad restitutionem; quia taxa facta est pro carnibus, & fructibus permistim, etiamsi sit modicus in bonitate excessus. *Filliucius tom.2.tract.35.c.4.n.88.*

Filliuc.

72. Scio posse te vendentem accipere supra pretium iustum, quod tibi ex liberalitate datur: rogo speciatim circa ludum, an pro chartis, &c. possit quis accipere, ac retinere excessum? Potest planè; quia dantes sciunt valere minus, nec petunt excessum, nec vlla fraus interuenit. Porrò *Lessius lib.2.c.21. dub.4.n.37.* asserit non præsumi donationem, nisi inter vendentes, & ementes aliqua coniunctio sanguinis intercedat. In ludo autem solummodo attendenda ludentium liberalitas, & ludi consuetudo.

Less.

73. *Scit senator, aut Consiliarius Regis breui minuendam esse frumenti taxam publico edicto: possunt ne suam vendere anticipatè iuxta præsentem taxam?* Negat *Molina tom.2. tractat 2.disq. 354.* quia ratione officij vtilitati illorum emptorum debet consulere. At *Turrianus 2.2. tom.2. disq. 18. dubitat. 3. numer.7.* posse ait, dummodo absque vlla fraude venditioni exponat, nec legis publicationem malitiosè differat, vt interim suum triticum vendat; quia vendit pretio communi, & ratione officij non obligatur; pretio communi tempore illo non vendere, aut futuram legis promulgationem antè tempus manifestare.

Molin. Turr.

74. *Tenetur ne venditor rogatus, de futura copia mercium de monetæ accretione, aut diminutione, conscius aperire veritatem?* Potest innuere se nescire, aut negatiuè respondere, læsa quidem veritate, non iustitia; quia non tenetur veritatem aperire. *Salas dub.23.num.2.*

Salas.

75. *Dubium*

75. *Dubium est, num taxa imponenda erit maior, aut minor: licitum ne vendere res anticipatè certo pretio inter contrahentes statuto, vel pretio currente tempore contractus?* Ita quidem; quia emptor, & venditor sunt paris conditionis: vtérque enim & perdere potest, & lucrari. *Azor. part. 3. lib. 8. cap. 9. q. 4.* Azor.

76. *Crescit pretium mercium ex monopolio quatuor (v. gr.) mercatorum: possunt ne alij eo pretio vendere?* Putat *Rebellus part. 2. lib. 9. qu. s. 7. num. 5.* nec monopolas, nec alios posse; quia non potest idem pretium simul & semel esse iniustum pro monopolij authoribus, & iustum pro aliis. Ast posse asserit *Reginaldus tom. 2. lib. 25. cap. 22. num. 330.* quia mercator, qui non fuit author monopolij, vendit pretio communi, quod iustum ideo est, licet fraudibus aliorum creuerit. Rebell. Regin.

77. *Rogo, an merces pretio credito, etiam secluso periculo, pluris possint diuendi?* Posse *Saa v. venditio num. 7.* ait cùm ratione lucri cessantis, ac damni emergentis, tum quia ex communi vendentium & ementium consuetudine illud est pretium iustum. Saa.

78. *Ad quid teneatur venditor qui non tradit emptori merces tempore statuto?* In foro externo solum de damno emergente intrinseco, v. gr. si res deterior sit facta. At in foro conscientiæ etiam de damno extrinseco, & accidentali tenebitur; v. g. si ex defectu illius tritici, aut hordei, mortua fuerint mancipia, equus, &c. quia venditor est causa damni ob iniustam retentionem, si culpabiliter tradere emisit: & si adest pactum, etiam si absque culpa. *Lessius lib. 2. c. 21. dub. 13. num. 102.* Less.

79. *Emptor pretio credito, tempore statuto non soluit: ad quidnam tenetur?* In conscientia tenetur ad lucrum cessans, & damnum emergens. *Potest ne venditor ab eo pretij fructus exigere?* Non; quia esset vsura. *Lessius lib. 2. cap. 21. dubit. 13. num. 109.* At *Rebellus part. 2. lib. 4. q. 16. sect. 1. num. 11.* docet posse exigere venditorem aliquid, in pœnam culpabilis morę ex *l. curabit, ff. de action. empt.* At is non tenetur in conscientia ante sententiam iudicis. Less. Rebell.

80. *Possunt ne vendi officia secularia?* Negat *Turrianus disq. 32. dub. 2. num. 5.* quia Principi ius est ad distribuenda dignioribus, aut dignis officia, non ad vendenda, Sic enim præsumitur à Republica accepisse, Ad *Lessius lib. 2. cap. 32. dub. 3. num. 29.* vendi posse docet, ob Reipublicæ necessitatem, vel vtilitatem, quum (v. g.) summa conflanda esset ad belli subsidia, quæ aliunde sine communi incommodo Turr. Lessius.

haberi non posset. Monet vendenda dignis,& pretio mode-
Azor. rato. *Azorius* autem *tom.3. lib.8.cap.7.q.3.* etiam extra ne-
cessitatem huiusmodi venditionem non damnat, si fiat di-
gnis, moderato pretio, taxentúrque ementibus pretia pro
laboribus, & operibus, & metus amittendi officium indi-
cantur.

De emptione, & venditione varia.

81. *Alios impedit quis, ne merces ab iis emat, qui eas portant, sed eas ipse emit anticipatè ita vt alij postea cogantur eas de manibus ipsius cariùs emere: obligatur ne is ad restitutionem?* Rebellus obligari docet,licet *Molina* & alij eum posse excusari affirmet.

Molin. Less. 82. *Emit quis rogatus à venditore potest ne emere minoris?* Imò multò minoris; quia (vti *Lessius*) merces vltronea pro tertia Parte,aut etiam pro medietate vilescunt. Est enim
Salas. (cum *Salas* loquor) signum copiæ mercium, & paucitatis emptorum.

Molin. 83. *Hæc Chirographa spem habent exiguam solutionis: possunt ne exiguo pretio emi?* Possunt(ait *Molina*,) tametsi emptor integram sit obtenturus solutionem; hoc enim industriæ,& bonæ fortunæ dandum.

Laym. 84. *Bona fide à fure rem emi, quam maiori deinde pretio vendidi: teneor ne domino restituere illud plus,quo factus sum ditior?* Cum *Laymano* sentio, non teneri; quia fructu fruor industriæ; modò pretium quo ipse emeras, iustum, etsi infimum,fuerit.

Molin. 85. *Quid minoris iusto pretio emptum est: restituendum ne totum?* Solùm teste *Molina* restituendum quod defuit iusto pretio,non autem res ipsa vel fructus.

Molin. 86. *Emis res pretio vilissimo: præsumendum ne falli venditorem?* Minimè(ait *Molina*)sed potius præsumendum venditorem donare quod iusto pretio deest.

Molin. 87. *Vilius emi, quia à venditore necessitate coacto: teneor ne restituere? Molina* asserit licitè vilius emere qui emit in gratiam venditoris, aut merces expositas à coacto aliqua necessitate; quia iniuria non est, quod hic & nunc gratia reputatur.

Saa. 88. *Possum ne caram venditionem mihi factam ante solutionem in alium transferre?* Potes; quia volenti tali damnum pati non fit iniuria. Sic *Saa.*

Saa. Tolet. 89. *Bona fide alienum & emi,& vendidi: teneor ne illi,apparente vero domino?* Nec domino te, emptoremve teneri ad satisfactionem, nisi in quantum facti estis ditiores, *Saa* ex quibusdam affirmant. Ast ego cum *Toleto* affero dominum rei

debere

debere indemnem seruari. Vnde æquum esse, vt tu & emptor tuus domino dimidium pretium soluatis.

90. *Gemmæ, canes, falcones, picturæ, multáque ijs similia non habent pretium taxatum: quanti igitur vendi poterunt?* Quanti venditor voluerit, & quantum emptor sciens, & prudens dare consenserit; quia cum hæc tantùm ad curiositatem, & delicias comparentur, iustum eorum pretium non aliter determinatur, quàm ementis & vendentis æstimatione, modò fraus non adsit. Sic *Reginaldus.* Regin.

91. *Sub hasta quis vendidit duplo maiori pretio, quàm valebat: vel pretium factum est ad dimidium iusto minus: tenetur aut venditor aut emptor ad vllam restitutionem?* Negatiuè *Gordonus* asserit; quia in primo casu nulla fraus, aut necessitas subest: in secundo autem in his sub hasta venditionibus tenet prouerbium: res tanti valet, quanti vendi potest. R. Gord.

92. *Frumentum est taxatum pretio rationabili, & moderato: tenetur ne tempore magnæ sterilitatis quis suum frumentum vendere pretio, quod abundantiæ tempore fuerat taxatum?* Non teneri *Molina* docet; quia taxa non tempus magnæ, sed mediocris inopiæ, ac sterilitatis respicit. Molin.

93. *Licet ne aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis cui exponitur is, qui credito vendit?* Ex *Lessio* assero licere; quia exponere sese huic periculo est pretio æstimabile. Less.

94. *Potest ne quis Matriti vendere domum pretio currenti, licet sciat Aulam, & Regem breui alìò migraturum?* Licitum esse *Molina* testatur. Molin.

95. *Licet ne vendere triticum pretio, quo nunc appretiatur, cum pacto, vt venditor tunc cùm fiet solutio, possit accipere triticum, aut pecunias prout libuerit?* Non licet; quia venditor sic suum assecurat negotium, nec vllum periculum subit. Sic *Rebellus.* Rebell.

96. *Potest ne quis res indifferentes vendere ijs, quos nouerit his ad peccatum abusuros?* Posse *Sanchez* & *Salas* aiunt, modò adsit rationabilis causa, nempe necessitas, vel vtilitas. *Quid in dubio de malo vsu ementis?* Possunt vendi nulla iusta causa concurrente ex *Sanchez* doctrina; quia in dubio nemo præsumitur delictum commissurus. Sanch. Salas.

97. *An possum rem cariùs vendere, quia tantum mihi valet ad vtilitatem, quantum inde capio?* Posse *Molina* affirmat. Molin.

98. *Assolent artifices quam ligam vocant simul cum argento ponderare, & pro argento vendere: num iustè?* Docet *Saa* condemnandum non esse, modò insolitam non addant in fraudem. Saa.

99. *An*

99. *An liceat cariùs vendere hospitibus quàm indigenis?* Negat aptè *Molina.*

100. *Ager aut domus loci sacri constructioni necessaria; potest ne iudex cogere vendi?* Posse ait *Molina* parvo domini detrimento. *Quid si non sit necessaria, sed vtilis?* Potest cogere non iudex, sed Princeps.

EXAMEN VII.

De Iustitia & iure, circa materiam secundam de Contractibus onerosis, scilicet, de Censibus.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Census?

Census. 1. *QVid Census?* Census quidem nomine intelligitur pensio soluenda annuatim alteri: seu potiùs ius illam accipiendi. Hinc definio censum: Census est ius percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.

2. *Quotuplex Census?* Quadruplex. Primò ex modo alius est Reseruatiuus, alius Consignatiuus. Secundò ex re super qua fundatur, alius est Realis, alius Personalis. Tertiò ex pensione soluenda alius est Pecuniarius, alius Fructuarius. Quartò ex tempore alius est Perpetuus, alius Temporalis; hic redimi potest, ille minimè.

3. *Duplicis illius census Consignatiui, & Reseruatiui nomine exprime. Quid Reseruatiuus?* Contractus quo quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, vel vtile, reseruata sibi annua pensione. *Quid Consignatiuus?* Est contractus quo quis alteri vendit ius percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona. Hic autem triplex est, Realis, Personalis, & Mixtus. Realis quidem fundatur in re ipsa, vt in agro, vinea, &c. Personalis in persona, quatenus talis persona potest aliquid acquirere proprio labore, industriáque. Census verò mixtus super re & persona fundatur.

CAP.

CAPVT II.

De iustitia & conditionibus censuum.

1. *Vnt ne liciti census prædicti?* Liciti quidem sunt iure naturæ, & Realis quidem iure Pontificio. Eius proprium est, vt re pereunte census quoque pereat. *Si Temporalis est?* Licitus est, etiam si minori pretio ematur, quàm sint pensiones ex eo soluendæ, siue sit ad certum numerum annorum, siue ad incertum, qui vitalitius dicitur. *Quid de Personali?* Si tantum in debitore ponat obligationem personalem soluendæ pensionis, & obligationem hypothecæ in bonis, licitus est; persona tamen, super qua fundatur, debet esse fructifera per suam industriam & laborem. Patet ex his etiam mixtum ex licitis licitum esse.

5. *Quidnam iustum pretium census?* Si perpetuus sit, maius esse debet, quàm Redimibilis, & à communi pendet æstimatione, si taxatum non sit, vel aliter consuetudine loci receptum. Eodémque modo census temporalis pretium erit æstimandum minùs quidem quàm perpetui.

6. *Quænam conditiones ad censum requiruntur ex natura rei?* Tres præcipuæ. Prima, vt ius quod venditur, in re vendibili sit fundatum. Secunda, vt pretium iustum sit. Tertia, vt consensus vtriusque intercedat. Cætera accidentalia sunt, & de iure humano requiri poterunt. *Est ne æquum pactum vt eadem moneta redimatur?* Iniquum est, nisi huiusmodi onus in venditore pretio compensetur.

7. *Quænam autem conditiones de iure positiuo ad censum consignatiuum requiruntur?* Tres Bullæ recognoscendæ Martini V. Nicolai V. Pij V. *Exprime Pij V. conditiones.* Ad quatuor capita reuocantur. Primum caput continet fundamentum census. Vbi requiritur. 1. Vt fundus aliqua. 2. Vt immobilis. 3. Natura fructifera. 4. Certis finibus nominatim designata. 5. Ea pereunte, aut reddita infructifera, pro rata perit census. Secundum caput requirit ex parte pretij. 1. Vt sit iustum. 2. Vt solùm in pecunia soluatur. 3. Vt ea numeretur in ipso actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus. 4. Vt eodem pretio redimatur. 5. Vt pretium non mutetur pro varietate temporum, aut contrahentium. Tertium caput ex parte pensionis soluendæ postulat. 1. Ne pensio sit anticipata. 2. Vt non augeatur, neque nouus census constituatur super eadem re, aut alia pro censibus decursis temporis præteriti,

præteriti, vel futuri. Quartum caput ex parte pactorum continet has conditiones. 1. Vt non apponatur pactum obligans ad casus fortuitos eum, qui de iure non tenetur. 2. Non valet pactum adimens facultatem venditori, rem censui subiectam alienandi; cùm tamen res vendenda sit, id domino census intimetur, eiúsque voluntas per mensem expectetur, si forte emere velit. 3. Irritantur omnia pacta, quibus morosus debitor census obligatur ad interesse lucri cessantis, vel cambium, vel alias expensas, vel pœnas. 4. Pactum onerosum illi, ad quem de iure non pertinet, reiicitur. 5. Cauetur pactum de pretio census, ab invito extorquendo, in pœnam neglectæ solutionis, vel etiam ob aliam causam. 6. Irritantur omnia pacta adimentia venditori facultatem censum quandóque redimendi, non obstante etiam immemorabili præscriptione. Quando census redimendus est, id bimestri ante denunciandum est illi, cui pretium numerandum. Post denunciationem abinuito intra annum repeti pretium potest. Sine his conditionibus census reprobatur, siue is de nouo creetur, siue alienetur.

8. *Bullæ Martini V. quænam sunt conditiones?* Relinquit illa rem in terminis iuris naturalis, nec reddit irritos census deficientes in conditionibus à se positis, saluo iure naturali. Conditiones autem Martini inter superiùs enumeratas continentur.

9. *Conditiones Bullæ Nicolai V. recense.* Prohibet 1. Censum super omnibus bonis. 2. Pactum retrouenditionis eodem pretio. 3. Annuam pensionem vetat excedere decimam partem pretij. 4. Pro securitate contractus apponi possunt pacta, & pœnæ.

10. *Adnota ex his, quæ notatu digna videbuntur.* Assero 1. Censum personalem videri prohibitum per Bullam Pij V. non autem Vitalitium, vt quidam contractus sponsionis est, vel innominatus fundatus in æquali periculo. 2. Super aliis censibus fundari posse, modo in casu redemptionis obligetur venditor ad substituendum alium fundum. 3. Rem ita debere esse fructiferam, vt eius fructus vel excedant, vel adæquent pensionem, ex quibus æstimanda ratio fructiferi, non autem ex pretio & valore rei. Debere rem esse certis finibus designatam, & si res vna capax non sit, duas constituendas. 4. Non minui censum ob temporalem sterilitatem, secus si absolutè infrugifera dici possit. 5. Minuendam esse pensionem, si domus ampliùs non reddat tantam. 6. Ex pecunia in credito non posse emi censum, supposito iure Bullæ, nec emi pro

pecunia

pecunia ante debita, nec rem tradi pro pretio, quæ illud valeat. 7. Fraude cessante necessarium non esse totam pecuniam numerari in conscientia: probabilius tamen videri requiri numerationem. 8. Redemptionem faciendam pro eodem pretio; solui tamen posse in alia re, ex reuendentis consensu. 9. Non posse redimi minoris, quàm emptus fit, si res omnes sint in eodem statu. 10. Pensionem non soluendam anticipatè ex obligatione: si sponte soluatur, non esse in conscientia contra Bullam. 11. Ex pensionibus decursis censum augendum non esse. 12. Reperiunte, ad pensiones soluendas venditorem non teneri; quod si aliquo anno res fructus non ferat, deberi pensionem, modò res non sit reddita infructifera. 13. Liberè posse venditorem rem subiectam censui alienare; censualistam tamen in eius emptione esse præferendum. 14. Ob pensionem non solutam nullam pœnam censuarium incurrere, nec grauandum onerib. esse, quæ ad eum minimè spectant. 15. Venditorem haud cogi redimere censum: semper tamen posse pro libito redimere. 16. Non prohiberi per Bullam census irredimibiles, qui altiori pretio emuntur. 17. Denunciationem extinctionis faciendam, postquam bimestre expectandum. 18. Census factos sub alia forma in constitutione Pij V. fœneratitios iudicari præsumptione iuris: & authorem tanquam vsurarium puniendum.

CAPVT III.

Praxis circa materiam de Censibus ex Societatis IESV *Doctoribus.*

11. REquiritur *ne æqualitas inter Censum & pretium?* Id planè in contractu censuali de iure naturæ requiritur. Vnde si aliqua grauamina hinc inde per pacta accessoria imponuntur, prudentis arbitrio sunt debitè compensanda. *Lessius lib. 2. c. 22. dub. 12. n. 74.*

Less.

12. *Requiritur ne in contractu census de iure naturæ, vt non apponatur pactum de redimendo in fauorem emptoris, ne sit vsurarium?* Secluſa lege positiua existimat *Valentia tom. 4. d. 5. quæst. 22. part. 6.* talem circunstantiam non requiri, & pactum redimendi apponi posse, dummodo hoc grauamen debitè ab emptore compensetur.

Valent.

13. *Si venditor census non soluit fructus, potest ne ex his census*

Salas. *sus augeri, aut nouus constitui?* Posse *Salas de cens. dub. 8. n. 3.* affirmat.

14. *Potest ne de pecunia credita constitui?* Aliqui asserunt

Less. alij negant. Existimo posse probabiliter, Pij V. Bulla expresè id prohibens, non est recepta. Lege *Lessium lib. 2. cap. 21. dub. 13. n. 99.*

15. *Est ne licitum pactum de retrouendendo in fauorem emptoris census?* Licitum est. Id est, potest obligari venditor census ab emptore, vt quando is voluerit teneatur reëmere censum quem vendiderat, reddito eodem pretio, vel eo quod postea valebit census, provt inter se conuenerint. Neque debet tunc emptor census computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori; ad arbi-

Mald. trium boni viri ab emptore compensetur. Hæc *Maldonatus.* Ta-

Tolet. men ob periculum vsuræ pacta huiusmodi fugienda.

16. *Quandónam soluendus est census?* Respondet *Toletus* in fine anni, nisi aliud ferat consuetudo, aut pactum.

17. *Est necessarium fructum loci non esse minorem reddita*

Tolet. *census?* Communis opinio est oportere non esse minorem. *Toletus* tamen negat id esse necessarium.

Saa. 18. *Potest ne fructus aliquis ex pacto solui pro censu, vt potest solui pecunia?* Asserit *Saa* posse, etiam si locus censui subiectus talem fructum non ferat.

Saa. 19. *Licet ne census ex vtraque contrahentium parte redimibilis?* Ex doctrina *Saa* existimo non licere.

Saa. 20. *Inter quænam bona census numerantur?* Inter immobilia adnumerari ex eodem *Saa* affirmo.

EXAMEN VIII.

De Iustitia & iure, circa materiam tertiam de contractibus onerosis, scilicet de Cambiis.

CAPVT PRIMVM.

De Cambij essentia, & speciebus.

1. negotiatoria QVid est *Cambium?* Permutatio negotiationis numismatis pro numismate. Non quælibet permutatio Cambium

Cambium hîc est. *Quotuplex permutatio?* Triplex. Prima, qua res rebus permutantur. Secunda, qua res pecunia. Tertia, qua numisma numismate. Igitur permutatio numorum negotiatoria cum spe lucri Cambium dicitur.

2. *Quot sunt Cambij species?* Quatuor. Prima, Cambium minutum, cum maiores pecuniæ pro minoribus, vel minores pro maioribus dantur cum aliquo lucro. Secunda, Cambium siccum, cum campsor dat alicui pecuniam, vt eam cum lucro in eodem loco post aliquod tempus restituat, prout valebit in loco alio remoto tempore solutionis. Tertia, Cambium per literas, cum quis dat campsori pecunias, vt eas in alio loco verè accipiat, prout ibi statuto tempore valebunt, à campsoris socio. Quarta, Cambium reale, cum campsor dat pecunias alicui in vno loco, vt eas in alio loco restituat. Porrò *Filliuci* sententiam præpono, qui duplicem tantùm Cambij speciem statuit: vnum, inquit, Cambium est, quod fit in eodem loco ratione diuersæ materiæ, quod dicitur minutum: alterum in diuerso per literas, quod appellatur Cambium per literas. In cuius expositionem præmitto tria esse in pecunia, materiam, figuram impressam, & valorem in ordine ad res venales. Filliuc.

3. *Num campsoria ars licita?* Ita planè, periculosa quidem, si tamen debitè fiat; Reipublicæ valde vtilis, & necessaria: at Ecclesiasticis prohibita est.

4. *De prima igitur Cambij specie ex materiali orta diuersitate pecuniæ disseramus.* Cambium minutum illud assero cum pecuniæ minores (vt dixi) commutantur cum maioribus eiusdem, vel alterius materiæ; siue quæ sunt vnius Prouinciæ commutentur cum iis quæ currunt in alia: siue pecuniæ publicæ & antiquæ commutentur cum deformibus vel nouis. Eadem lex de maiori pecunia pro minore.

5. *Recipi ne potest pro hoc Cambio minuto pretium?* Potest planè iustum, & obsequio commensuratum. Mensura si taxata non sit, à communi æstimatione pensanda est.

6. *Possunt ne priuatæ personæ cambientes hoc pretium accipere?* Possunt, modò minus sit ob minora incommoda & obsequia præstita.

7. *Quid si pecuniæ pretium firmum sit?* Potest tamen pro Cambio aliquid accipi. *Famulus commutans pecunias soluendas creditori sui domini, potest ne Cambij pretium lucrari?* Aliquando potest. v.g. si tacitus adsit domini consensus, vel nullum detrimentum creditori propter hoc sequatur.

8. *Iam verò secundæ speciei Cambij recole iustitiam.* Cambium

bium locale siue de loco ad locum per literas valde vtile Reipublicæ duobus modis fit. Primus est, cùm mercator in vno loco accipit, vt in alio reddat. Secundus cùm prius dat, quàm accipiat. In vtroque licitè lucrum accipit mercator ob virtualem transportationem.

9. *Praxim horumce Cambiorum expende.* His ferè modis continetur. Primò, vt statim acceptis literis pecunia soluatur. Secundò, aliquando non statim, sed rariùs, aut citiùs pro loci consuetudine. Tertiò, aliquando certus præfigitur terminus, v. gr. Vallisoleti, vel alibi futurarum nundinarum. *Si fiat Cambium intra eandem Prouinciam, accipi ne ex eo lucrum potest?* Ita planè, nisi esset lege humana prohibitum. *Augetur ne lucrum ex distantia?* Augetur, modò notabilis sit, quamuis hæc inter mercatores in consideratione non habeantur. *Possunt ne priuatæ personæ in eadem mensura lucrum accipere?* Profectò non deberent; quia tamen ad alia omnia mercatores respiciunt potiùs quàm ad operas & labores, ideo etiam ipsæ currens fori pretium sequi possunt. *Lucratur ne iustè campsor siue prius det, vt alibi accipiat: siue prius accipiat, vt deinde reddat?* Iustè lucratur; quia vtrobique virtualis adest translatio, seu asportatio. *Quid si campsor egeat pecunia in loco ad quem cambitur?* Nihil referre assero; quia id totum eius industriæ tribuitur, & res ipsa pretio est æstimabilis.

10. *Obsecro causas lucri in Cambio assignes.* Quatuor esse possunt. Virtualis translatio: maior æstimatio pecuniæ: lucrum cessans campsori: carentia pecuniæ cum qua sunt coniuncta pericula.

11. *Quid de Cambio ad Nundinas?* Cambium hoc non differt à locali nisi accidentariè. Seruatis debitis conditionibus est licitum. Tres præcipuæ: vt iustum pretium seruetur secundum communem fori æstimationem: vt realis permutatio fiat ex vno loco in alium: vt in æstimatione pretij per se ratio temporis non habeatur.

12. *Est ne licitum Cambium pro secundis nundinis, vel pro duplicibus?* Vsurarium censetur, nisi gratis id campsor concederet. *Potest ne certum interesse à principio in pactum deduci.* Non potest.

13. *Vsus dandi ad Cambium initio cum maiori lucro, quàm in medio aut fine nundinarum potest iustificari?* Etiam, si per se temporis solius ratio non habeatur.

14. *Quid de monopolijs in Cambijs huiusmodi, vnde pretium directè augeatur?* Contra iustitiam est, quam violant etiam positiuè

positiuè cooperatores. Nec pretio per monopolium inducto possunt vt ij, qui fuerunt eius causa in principio saltem; secus postquam communiter receptum erit.

CAPVT II.

De nonnullis aliis ad Cambia pertinentibus.

15. *Possunt ne campsores à campsariis fideiussores exigere?* Possunt; etsi campsor sit fideiussor, potest aliquid pro eo accipere.

16. *Est ne licitum pactum de interesse, si campsarius in mora sit?* Ita quidem, modò mercator certus moraliter sit tantundem lucri sibi ex mora cessaturum.

17. *Campsor non vult dare Cambium nisi pro loco vbi plus lucratur: peccat ne?* Si obligatus est pro officio, iniustè facit; si persona priuata est, ad summum contra charitatem ageret; quamuis si illi esset incommodum, nec etiam debitam proximo charitatem læderet.

18. *In Bulla Cambiorum quænam conditiones continentur?* Prima, Cambia sicca, in quibus videlicet solutio fit in eodem loco, damnatur. Secunda, ne Cambium reale fiat cum aliquo ob dilationem statuti termini lucro: ne ab initio de certo interesse ob moram contrahentes paciscantur: ne fiat Cambium nisi ad proximas nundinas, vel proximos terminos iuxta loci vsum: vt in terminis solutionum ratio habeatur maioris, vel minoris distantiæ locorum.

19. *Si mutetur pecuniæ valor, licebit ne exigere eandem?* Minimè, sed ad æqualitatem. *Potest ne vlla in ordine ad solutionem reiutari?* Minimè si publico sigillo munita sit, nisi de certo eius genere pactum fuisset.

20. *Suppono pecuniæ valorem mutari à Principe: quidnam circa Cambia obseruandum?* Multa obseruari debent. Primò ratio habenda est pacti prius initi, videlicet soluendi in auro, vel argento duplici, & sic de aliis cautionibus inter contrahentes appositis. 2. Si pecunia promissa mutetur quoad valorem intrinsecum, hoc est materiæ, vel ponderis, soluenda erit secundùm valorem antiquum tempore contractus. Si etiam secundum valorem extrinsecum, hoc est, legalem, & publicum pretium, solutio fiet secundum æstimationem. 3. Variatio pecuniæ post culpabilem moram in soluendo,

nocet moroso debitori. 4. Si nullum pactum tacitum, vel expressum factum est circa incrementum, vel decrementum, soluendáque sit certa nummorum species: ea facienda erit secundùm æstimationem tempore solutionis. 5. Si ab initio nihil expressum est de pecunia certæ materiæ, & formæ, nec de incremento, vel decremento, solui debet valor, quem pecunia habuerit tempore contractus, siue valor postea mutetur, siue non.

21. *Licitum ne erit Cambium ad incertam solutionem?* In planè. Si periculum augmenti, aut decrementi æquale sit. Sic etiam Cambium ad creditum, & Cambium ratione officij nullam continet iniustitiam.

22. *Si pecunia sit rarior, aut maior quantitas pecuniæ cambienda, plus ne mercedis à campsore exigi potest?* Quis dubitet?

CAPVT III.

Praxis circa materiam de Cambijs ex Societatis IESV *schola.*

23. *QVando campsarius differt solutionem prouisionum, potest ne campsor illas adijcere sorti principali, & cambium augere?* Asserit *Lessius lib. 2. cap. 23. dubitat. 9. num. 85.* quia campsores moraliter certi sunt, se illum lucrum potuisse statim ad cambium dare, & per illud lucrari, quod lucrum iam cessat. Less.

24. *Campsor, qui bona fide dat pecuniam Matriti Lugduni soluendam, putans campsarium illam Lugduni habere: potest ne certior factus, ordinarium lucrum accipere?* Asserit *Molina tom. 2. tract. 2. disput. 404. num. 7.* quia cum campsor bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur quoque campsarius ex sua parte implere, quantum potest; vel soluere campsori, quod ex impletionis defectu amisit. Ast *Salas de Cambijs dubitat. 13. num. 2.* contrarium asseruit; quia campsarius fictè, & sine animo se obligandi promisit, vnde ad illud non tenetur. Molinæ subscribo. Molin. Salas.

25. *Scio Pium V. in Bulla prohibuisse pactum de certo ac determinato lucro in cambijs à principio. At quia hæc prohibitio fundata est in fraudis vsurariæ præsumptione: rogis nam,*

num, fraude ablata, huiusmodi pactum obliget in conscientia? Obligat, si moraliter certum sit, illud esse iustum, sine vlla fraudis suspicione, *Lessius lib.2.cap.23.dub.11.num.90.* Contrarium asseruit *Filliucius tom.2.tract.35.p.2.c.7.num.424.* & *Rebellus p.2.lib.11.q.3.num.5.* Less. Filliuc. Rebell.

26. *Est ne licitum Cambium, cum pro campsario respondet procurator campsoris de ipsius campsoris pecuniis?* Licitum esse videtur, (ait *Lessius*) modò campsor non habeat peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis. Less.

27. *Debetur ne aliquid pro Cambij prouisione?* Affirmat *Lessius* ex consuetudine inueterata deberi tertiam partem scuti pro singulis ~~contentis~~ *Centenis* scutis: idémque sumi posse pro prouisionibus recambiorum, & continuationum toties quoties. Ego quidem assero non debere campsores à campsariis sumere integrum interesse Cambij in continuationibus. Less.

28. *Peccat ne mortaliter campsor, si à principio paciscatur cum campsario certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis?* Non peccare asserit *Reginaldus*, modò moraliter constet illud esse iustum. Regin.

29. *Quonammodo crescit valor pecuniæ ad Cambium?* Ex *Toleto* & aliis respondeo plus valere præsentem loco, quàm absentem: item cùm multi accipiunt ad Cambium, & pauci dant: item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasionem, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum. Tolet.

30. *Quædam lex prohibet Cambium per litteras in eodem Regno: est ne tamen licitum?* Ex Nauarro *Saa* docet legem illam fraudem præsumere, quæ si absit, non intendere prohibere. Idem consequenter affirmo de Cambiis omnibus alioquin licitis, aut Cambiorum licitis conditionibus, lege si aliqua prohibeantur; cessante enim fraude, quam lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine oppositum constet. Saa.

EXAMEN IX.

De Iustitia & iure, circa materiam quartam de contractibus oneroſis, nempe de locatione, & conductione.

CAPVT PRIMVM.

Quid, quotuplex, & ad quos tranſeat Locatio, ac quibus pereat.

1. *Vid eſt Locatio?* Contractus, quo res, vel perſona aliqua ad vſum, vel fructum conceditur pro pretio. Conductio, quo recipitur, eodem modo definitur.

2. *Quotuplex Locatio?* Multiplex quidem tum ex re locata, tum ex vſu, tum ex tempore.

3. *Quinam poſſunt locare?* Qui poſſunt vendere. Prohibentur milites, curiales, Eccleſiaſtici. Conducunt autem omnes non prohibiti. Conductor ſublocare poteſt etiam inuitis cohabitantibus.

4. *Quænam locanturres?* Quæ vendi poſſunt; conduci verò non poſſunt propriæ res; ſed bona dotalia poſſunt conduci, non autem vendi. Vſu conſumptibilia non locantur, niſi forte ad pompam. Res aliena ſublocari poteſt, & locari ſi bona fide putetur tua.

5. *Quænam ſunt ad locationem ſubſtantialia?* Tria quidem, Conſenſus, Res, & Pretium. Cùm plures communem rem habent, omnium conſenſus requiritur. Iuſta profectò merces deſumitur ex conuentione, conſuetudine aliarum locationum, & Prouinciæ, & arbitrio boni viri: idem de tempore eam ſoluendi.

6. *Indica mihi ad quos tranſeat obligatio locationis iam factæ?* Hæres tenetur ei, niſi facta eſſet ad beneplacitum locantis. Non tenetur emptor, aut alius particularis ſucceſſor, niſi locator cederet in particularem ſucceſſorem ius, & actionem. Fiſcus non tenetur, ſi determinata bona ſint confiſcata, ſecus ſi omnia, aut aliqua pars. Vxor locationi factæ à viro, poſtquam vidua facta eſt minimè tenetur. Vir tenetur locationi rerum dotalium, ſi ſciebat eas eſſe locatas. Non tenetur

netur succedens in maioratus bonis. Nec Beneficiarius de redditibus, secus de bonis si debita seruata est solemnitas.

7. *Quandónam res locata perit domino, quandónam autem conductori?* Perit quidem domino, si casu fortuito pereat, nec conductor tenetur. Cessante autem periculo ex bello, peste, aut alia re, habitandi domum, tenetur conductor continuare. Si verò conductor non vtatur operis conductis ob impedimentum sibi superueniens, tenetur ad pensionem integrè soluendam. Si res verò locata locantis culpa perit, hic tenebitur ad omnia damna. Locans operam & non laborans, tenetur reddere stipendium. Ex culpa autem lata, & leui obligatur. Conductor verò non tenetur de leuissima, nec de casu fortuito, nisi pactum de illo esset.

CAPVT II.

De mutuis locatoris, & conductoris obligationibus.

8. *Quandónam locatoris, pensio soluenda?* In fine anni de iure communi, nisi aliter conuentum esset, aut ferret consuetudo. Pro ea autem censentur obligati fructus separati in prædio, & res in prædium inductæ animo, vt ibi sint; quandiu durauerit conductio: si extrahantur, etiam tacitè hypothecatæ censentur.

9. *Quid de pensione in sterilitate?* Si conductor nihil colligat remittenda pensio est, secluſa alia conuentione. Si magna sterilitas, aliquid remittendum, non si modica. *Magna autem quandónam censebitur?* Cum detracto semine, & expensis, non supereſt quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni. *Augenda ne, si extraordinaria vbertas?* Ita equidem, nisi ex proprio statuto aliud haberetur.

10. *Potest ne conductor expelli tempore locationis finito?* Potest. Censetur verò terminus prorogatus, si sciente locatore conductor in locatione perseueret. *Potest ne expelli ante tempus?* In nonnullis casibus potest. v.gr. si pensionem non soluat; si causa superueniat locatori ob quam res locata necessaria sit; si egeat necessaria refectione, si conductor re locata abutatur.

11. *A quónam faciendæ rei locatæ expensæ necessariæ?* A locatore. Quod si fecerit conductor, potest illas in soluendæ pensione compensare.

12. *Quótnam verò sunt locatoris obligationes?* Quinque. 1.

Vt det rem locatam conductori ad vsum, & fructum. 2. Vt soluat impensas necessarias. 3. Vt vitium occultum, aduersans scilicet rei, ob cuius gratiam res conducta est, patefaciat. 4. Vt damna sua culpa secuta resarciat. 5. Ne rem locatam ante tempus repetat.

13. *Quótnam item conductoris obligationes?* Etiam quinque. 1. Vt suo tempore mercedem soluat. 2. Vt re locata non vtatur, nisi prout conuentum fuerit. 3. Vt restituat finito tempore. 4. Ne deserat absque causa rem locatam ante tempus. 5. Vt reddat integram, sicut accepit.

14. *Quótnam denique ex locatione actiones?* Duæ sunt. Prima dicitur actio ex locato competens locatori aduersùs conductorem, vt soluat mercedem; quod si non faciat, soluat etiam vsuras. Secunda est actio ex conducto conueniens conductori aduersùs locatorem, vt det rem locatam, & quidquid interest conductori, si per locatorem steterit.

15. *Tempore finito potest ne conductor inuitus retineri?* Minimè. *Quónam autem modo finitur tempus locationis?* Triplici ratione finitur, & mutuo consensu, & temporis lapsu, & si res locata pereat.

16. *Sola ne taciturnitate locatoris, tempore finito, renouatur locatio?* Aliquando quidem sola patientia & taciturnitate locatoris potest renouari.

Caput III.

De famulorum Mercede.

17. *Vstum famulorum stipendium assigna.* Illud quidem iustum est stipendium, quod passim eò loci iis tribui assolet, ita vt non sit minus infimo, nec maius supremo.

18. *Vti ne famulus occultâ compensatione potest?* Non, nisi constaret mercedem constitutam esse iusta infima minorem; vel aliter integram non valeat recuperare.

19. *Potest ne minus infima aliquando esse, & tamen iusta?* Ita quidem, v. gr. si solùm ad preces famuli herus conduxit, vel famulus sponte remittat ad herum alliciendum.

20. *Quanam famulo debita sustentatio?* Ea quidem, quæ similibus famulis assolet conferri.

21. *Quid de opifice famulum ad artem ediscendam suscipiente?* Tenetur illum non impedire, & occupare in aliis operibus.

22. Quis

22. *Quis operam suam locat, sed non integrè laborat culpa conductoris: tenetur ad partem mercedis restituendam?* Si per ipsum non stat, quominus inseruiat, iure integram accipit pensionem.

23. *Conducitur famulus ad seruiendum marito, v. gr. & vxori crescit familia: augenda ne merces?* Si crescat notabiliter, augeri quoque famulo debet inseruienti omnibus stipendium.

24. *Ægrotante famulo, imminuendáne merces?* Potest quidem pro rata subtrahi, nisi aliud consuetudo suadeat; non debent autem alimenta negari, nec aliæ expensæ necessariæ.

25. *Famulus mihi obsequium præstat nulla mercede constitutâ.* Remunerandus ille est, vel iusta mercede persoluta, si obsequia talia sint, vt eis regulariter constituta sit merces: vel aliis honorum gradibus exhibitis, quibus valeant compensari.

26. *Aufert famulus secretò de bonis domini: debet ne restituere?* Malè equidem agit, sed tamen nisi iustam mercedem excedat, non tenetur restituere: modò bis merces non soluatur.

27. *Tenetur ne famulus ad bonorum domini custodiam?* Tenetur in rebus ad officium suum pertinentibus. *Si damnum alijs inferat, qui tenetur?* Si sit in negotio à domino constitutus, dominus resarciat: si non sit constitutus, ipse debet resarcire.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de locatione, ac conductione ex Societatis IESV *Auctoribus.*

28. *NVm liceat locare meretrici, aut vsurario domum.* Aliqui negarunt; quia est ministrare contra castitatem & iustitiam materiam. At *Petrus Hurtado de Mendoza* 2.2. *d.*173. *sect.*30. §.394. limitat, in casu quo domus alteri locari possit; quia vnusquisque tenetur actus illicitos suæ domi vitare, quoties potest absque incommodo. Imò si prudenter existimes, fœminam alibi prudenter victuram, debes domum vacuam relinquere, amisso lucro. Hæc Magister meus. Ast *Valentia tom.*3. *d.*5. *quæst.*21. *part.*4. docet locari posse, etiamsi alteri commodè posset locari, nisi loci circunstantia datura esset occasionem sæpius delinquendi, aut nisi vicinia

§.vltim. *De locatione, conductione, & salario varia.*

Valent.

vicinia meretricis fœminis pudentibus multum noceret. Quo in casu, si potest alteri eodem pretio locari, non debet meretrici; si verò non potest, licitè ait posse impudenti fœminæ locari; quia locatio domus est remota à peccato, nec est impudicitiæ cooperari.

29. *Debetúrne famulo salarium tempore infirmitatis?* Minimè, imò potest ab eo dominus expensas exigere curationis, nisi sit pauper tantæ necessitatis, vt ex charitatis regula ministrare ei medicinas, & alimenta teneatur. *Filliucius tom. 1. tract. 28. part. 2. cap. 2. num. 84.* Filliuc.

30. *Si famulus de pretio iusto infimo conuenit cum hero, scit, non posse facere compensationem; quia nulla ipsi iniuria irrogatur: rogo, an si de pretio minore iusto infimo conuenisset, possit procurandæ compensationi studere?* Asserit *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 86. sect. 4.* famulum, qui de pretio iniusto conuenit paupertate coactum, posse sibi damnum resarcire. Profectò si damnum est, si iniuria est, etiam (tanti Doctoris venia dixerim) si paupertate non cogatur, poterit agere compensationem. Suar.

31. *Potest ne filius salarium exigere à patre mercatore, aut agricola pro opera à se illo in officio impensa?* Non posse *Molina tom. 2. tract. 2. d. 234.* asseruit; quia dum filium paterna adest in domo, videtur ad obsequij actiones obligari. At *Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 8. num. 6.* probabiliter posse exigere censet; quia illud lucrum quatenus ex bonis patris, ex filij opera simul proueniens, videtur, partim inter profectitia, partim inter aduentitia adnumerandum. Si ergo pater totum sibi lucrum retineat, nec aliquid filio velut Societatis iure relinquat, tenetur illi salarium, quod præberet extraneo, exhibere, saltem exigente filio. Molin. Laym.

32. *Duo habent domum, vel fundum communem, & vnus vult vni locare, alter verò non vult: aut vnus vult locari ad vnum vsum, alter ad alterum: aut vnus vult locari personæ honestæ, alter inhonestæ: quinam contractus præualet?* Præualet ex *Salas* contractus illius qui in re ius maius habet, seu partem maiorem; vel qui vult honestæ personæ locare, etiam si fortè persona inhonesta plus mercedis offerat. Hoc quidem, quando ius vtriusque æquale. Salas.

33. *Expellit dominus famulum domo, nondum elapso constituto tempore: tenetur ne ad integram mercedis solutionem?* Tenetur, authore *Lessio*, nisi fortè grauissima causa, ad ipsum expellendum adducatur. Lessius.

34. *Famulus qui lapsus est in morbum, tenebitur ne transacto*

alio morbo, simúlque elapso termino ad inseruiendum, tandiu inseruire vlterius, quandiu praua vsus est valetudine? Non tenebitur: (vti *Lessius*) quia lapso termino constituto, cessat obligatio: cùm terminus equidem censeatur appositus ad finiendam, non ad sollicitandam obligationem. Less.

35. *Expello è mea domo conductorem inhonestè agentem, ante tempus locationis absolutũ: teneor ne de pensione pro rata remittere?* *Saa* affirmat ex Nauar. nil esse de pensione remittendum. Saa.

36. *Conductor domo discedit: potest ne suo loco alium relinquere?* Non posse inuitis sociis *Saa* cum Sylu. asserit. Ego addiderim, nisi irrationabiliter fuerint inuiti; assolent enim leuiter aduersus aliquem affici, præcipuè vulgares. Saa. Saa.

37. *Potest ne conductor non soluens statim expelli?* Posse docet *Saa* nisi ad decennium conduxisset; tunc enim per biennium expectandum. *Quid si locator non expellere promisisset?* Intelligitur: si soluat pensionem. Saa. Saa.

38. *Timetur res negligentia conductoris peritura: poterit ne is cogi periculum in se suscipere?* Poterit eodem *Emanuele* authore; sed minuendum aliquantulum esse pretium ob talem obligationem docet. Saa.

39. *Valent ne locationes Beneficiorum anticipata solutione?* Non valent quidem in præiudicium successorum, ex Trident. Sic *Tolet.* Addit *Molina* si conductor soluisset, debere successorem ratum habere, si est conuersum in Ecclesiæ vtilitatem. Tolet. Molin.

40. *Dixisti in sterilitate magna fortuita remittendam pensionem agri pro rata: rogo, an debeat fieri remissio, si res sit locata ad plures annos pro parua pensione?* Ex *Molina* respondeo, si res locata sit, v.g. ad decem annos, remissionem non fieri. Admonuerim non dici sterilitatem si fructus collecti pereunt: nec fertilitatem, si fructus collecti multum valeant. Molin.

41. *Dixisti auctis fructibus casu fortuito, vt in magna admodum fertilitate, augendam pensionem pro rata: num id sit vsu receptum?* In Regnis quidem Hispaniæ minime receptum assero, in aliis *Saa* affirmat receptum etiam non esse Imò nec fructu imminuto imminui pensionem pro rata. Quod si casu fortuito auctis fructibus, conductor non auget pensionem, non video cur minutis illis ea minui debeat. Standum prorsùs aut pacto, aut consuetudini. Saa.

42. *Potest ne Beneficiatus locare redditus beneficij ad annos plures?* Potest quidem ex *Toleto* ad annos nouem, quando fructus non nisi tertio quoque anno recipiuntur: sed tamen illo mortuo expirat locatio. Porrò locatio rei Ecclesiæ facta à Rectore nomine Ecclesiæ, eo mortuo durat. Tolet.

43. Si

43. *Si vxor se obligasset, tenetur ne post mortem viri stare locationi per virum factæ?* Tenetur auctore Molina, non autem si sese non obligasset specialiter post viri obitum.

44. *Potest ne res spiritualis conduci?* Ipso iure esse nullam
Tolet. *Toletus* affirmat.

EXAMEN X.

De Iustitia & iure, circa materiam quintam de Contractibus onerosis, scilicet, de Emphyteusi.

CAPVT PRIMVM.

De Emphyteusis conditionibus.

1. *Quid significat hoc vocabulum, Emphyteusis?* Significat *institutionem*, propterea quod res, quæ in Emphyteusim datur, melior reddenda sit arborum insitione, & cultura.

insitionem

2. *Quid est igitur Emphyteusis?* Contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium, cum obligatione soluendi pensionem statutis temporibus domino hæreditatis, ea de causa.

vtile proprietatis

3. *Quotuplex est?* Multiplex quidem, Noua & Vetus: hæreditaria, & non hæreditaria: Ecclesiastica, & secularis.

4. *Quinam possunt in Emphyteusim dare?* Generatim possunt omnes qui possunt alienare. *Pupillus ne?* Absque tutore non potest, vt neque absque curatore minor. *An Emphyteuta Ecclesiæve Prælatus?* Ille minimè, hic autem etiam prohibetur nisi ab antiquo dari solita, interueniente iusta causa, & debita solemnitate.

5. *Quinam autem possunt in Emphyteusim accipere?* Omnes quidem possunt, nisi iure sint impediti.

6. *Quænam res in Emphyteusim non dantur?* Nec mobilia, nec annui redditus, nec res aliena, nec pertinentia ad mensam Episcopi.

7. *Emphyteusis exprime substantialia?* Duo quidem sunt. Vnum, vt rei proprietas manet penes dominum, translato vtili in Emphyteutam. Alterum, vt res, in qua constituitur Emphyteusis, immobilis sit, & res solita.

solida

8. *Quotnam*

8. *Quótnam requiruntur conditiones?* Octo ex meis Doctoribus collegi. 1. Vt in re immobili constituatur,& fructifera. 2. Vt dominium directum,& ciuilis possessio maneat apud priorem dominum,vtile autem (vt dixi) transferatur in Emphyteutam. 3. Vt soluatur pensio provt conuentum.4.Vt non soluens pensionem per duorum annorum spatium si res Ecclesiastica sit: vel trium annorum, si sit secularis, amittat rem Emphyteuticam cum omnibus meliorationibus & operibus, quæ in ea fecit: eáque ad directum dominum redeat. 5.Vt pereunte re sine culpa Emphyteutæ, à solutione pensionis liberetur. 6.Vt rem notabiliter deteriorem reddens amittat. 7. Vt Emphyteuta non vendat Emphyteuticum ius, & melioramenta à se facta,nisi directum dominum præmoneat aliàs cadit in commissum, & redit res ad directum dominum. 8. Vt quoties res venditur,vel alienatur,is qui eam accipit,directo domino soluat laudemium,nisi vel hæres necessarius titulo hæreditatis, vel filia dotis titulo,eam recipiat.

9. *Quot denique Emphyteusis obligationes?* Tres præcipuas ex multis indicabo.Prima,vt Emphyteuta pensionem soluat. Secunda,vt rem non alienet,nisi domino admonito. Tertia, vt eam non faciat deteriorem.Præterea de dolo tenetur culpa lata,& leui.

10. *Expende pensionis soluendæ obligationem.* Si res in totum perierit,nulla pensio debetur. Si tantum in parte soluenda si modica sit,non soluenda si magna. Propter sterilitatem autem pensio non remittititur. In fine anni solui assolet,collectis fructibus, & debet tota solui alioquin in commissi pœnam incurritur.

Caput II.

De successionibus in Emphyteusi.

11. *De successionibus in Emphyteusi cupio Doctorum placita expendas.* In Emphyteusi seculari succedunt etiam naturales filij, non in Ecclesiastica. *Si facti sunt huiusmodi naturales filij legitimi à Principe, vel per subsequens matrimonium?* Succedunt quidem in seculari facti à Principe sicut ante legitimationem; at verò facti legitimi per subsequens matrimonium, succedunt in Ecclesiastica. Fœminæ nomine filiorum non veniunt in Emphyteusi.

12. *Si Emphyteusis non facta hæredum mentione data sit?* Filij

Filij veniunt etiam si hæredes non sint; si verò fiat mentio, non transit ad filios, nisi hæredes sint. *Veniunt ne cuncti nepotes?* Ex filia non veniunt, si dicatur dari sibi, & descendentibus suis masculis; secùs si dicatur, vt accipiat sibi, & filiis vsque in tertiam generationem.

13. *Transmittit ne pater cui maluerit filio?* Non, nisi sit hæreditaria. *Transit Emphyteuta in Religionem.* Succedit Religio, si capax sit, & Emphyteusis sit hæreditaria ita vt ad extraneos transire possit; sed nominari debet aliquis, cuius obitu finiatur, & reuertatur ad dominum. *Transit ne ad fiscum?* Transit, si secularis sit hæreditaria, non si Ecclesiastica. *Transit ne ad extraneos?* Ex verbis planè desumendum est.

14. *Sumptus facti in re Emphyteutica ad quemnam pertinent?* Pertinent ad Emphyteutam quoad æstimationem; quoad proprietatem domini sunt, nisi aliud ex conuentione habeatur.

Caput III.

Praxis circa materiam de Emphyteusi ex Societatis Iesv Doctoribus.

15. *Qvidnam sit laudemium, & quandonam soluendum domino possessionis?* Laudemium est quinquagesima pars. Porrò quando res emphyteutica ad alium Emphyteutam per venditionem, vel donationem, vel permutationem, vel locationem decennalem transit, soluendum est à secundo Emphyteuta laudemium, seu quinquagesima pars domino directo propter inuestituram seu laborem, quem dominus directus subit inuestiendo, seu mittendo nouum Emphyteutam in possessionem.

16. *Si Ecclesia, vel persona priuilegiata concedat domum, vel agrum in censum emphyteuticum redimibilem, emphyteuta ne gaudebit priuilegio exemptioni?* Filliuc. Non gaudebit; (ait *Filliucius*) quia tunc dominium non remanet penes Ecclesiasticum sed solùm ius recipiendi annuam pensionem. Secus est de aliis Emphyteutis Ecclesiæ.

17. *Dixisti Emphyteutam rem perdere, si per biennium non soluit pensionem: rogo, num opus sit iudicis condemnatione?* Molin. Asserit *Molina* opus esse; iudicem tamen nihil facere nisi parte petente

petente. Quidam dicunt (ait *Saa*) posse dominum rem propria authoritate accipere. Addo ex eodem *Molina* non perdere eum, qui moram purgat, soluendo statim, nec qui legitimè impeditus non soluit. Saa.

18. *Renuncians hæreditatem censetur ne Emphyteusim renunciare?* Respondeo negatiuè cum *Saa*, qui à Sylvest. accepit. Adiicit ille Emphyteusim Ecclesiæ non præsumi datam esse nisi in tertiam generationem, nec transire nisi in filios veros, quale non est Monasterium, nec illegitimos, vt innuimus. Saa.

EXAMEN XI.

De Iustitia & Iure, circa materiam sextam de Contractibus onerosis, scilicet de Feudo.

CAPVT PRIMVM.

De substantia, & conditionibus Feudi.

1. *Quid est Feudum?* Contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium vtile pro fidelitate seruitióque personali exhibendo, retenta proprietate.

2. *Quotuplex?* Multiplex quidem est. Præcipua autem diuisio in Antiquum, Paternum, & Nouum; & Hæreditarium, & non Hæreditarium. In eo ab aliis differt, quod obsequium personale esse debeat.

3. *Quinam possunt in Feudum dare?* Qui suorum bonorum liberam habent administrationem, & non sunt aliquo iure prohibiti. *In particulari?* Dare possunt Papa, Episcopi, Abbates. Domini item temporales, vt Imperator, Rex, Princeps.

4. *Quinam possunt accipere?* Omnes quidem possunt à principalibus dominis, secus si vasalli & domini minores in feudum dent.

5. *Quænam res dari in feudum possunt;* Generatim dari possunt res immobiles, liberæ, propriæ, & alteri non obligatæ. Res prohibita alienari in feudum dari non potest, nec in feudum nouum res Ecclesiæ.

6. *Exprime*

6. *Exprime feudi conditiones?* Septem ex meis collegi Doctoribus. 1. Vt sit de re immobili, vel pro tali habita. 2. Vt dominium directum, & possessio ciuilis apud dominum remaneat; vtile verò in vasallum transferatur. 3. Vt non teneatur feudatarius ad pensionem, si est feudum purum, sed tantùm ad personale obsequium. 4. Vt si obsequium non præstiterit, feudum amittat. 5. Non potest illud inuito domino alienare, aliàs amittit. 6. A domino inuestiendus, & in possessionem mittendus est, iurata fidelitate. 7. Inuito domino non potest feudum donare, oppignerare, vel alteri in feudum concedere.

CAPVT II.

De domino & feudatario plura.

7. *Scio iura multa habere feudatarium & dominum in feudo. Itaque ius feudatarij recole.* Primò, vtile dominium non licet alienare, domino inuito. Secundò, non potest rem feudalem oppignerare. Tertiò, potest fundo feudali seruitutem imponere, sibi soli noxiam. Quartò, dare alteri in feudum potest seruatis hisce conditionibus, vt fiat sine fraude: vt detur pari: vt iisdem pactis, quibus ipse accepit, detur. Quintò, de feudo testari non potest, potest tamen ei sine consensu domini renunciare. Sextò, dominum non potest offendere, nec contra eum militare. Septimò, non potest feudum diuidere inter consortes, si feudum ab Imperatore. Octauò, in alienatione feudi noui sufficit solius domini consensus. Nonò, si pater alienare voluerit, requiritur consensus filiorum, si ius illis sit acquisitum; at si hæreditarium sit ius, non requiritur consensus filiorum.

8. *De iure domini in feudo, & obligatione feudatarij quid?* Primò quidem feudatarius domino fidelitatem iurat. Secundò, si plures feudatarij hæredes, omnes iurare debent; si communitas feudataria, vnus, qui feudum accipit, nomine illius iuramentum præstabit. Tertiò, vasallus tenetur per seipsum domino inseruire, nisi dominus in alium eius vicarium consentiat. Quartò, actio competens vasallo, vt post inuestituram tradatur possessio, quæ dicitur actio ex lege, & stipulatu.

9. *Quidnam præterea vasallo competit?* Primò, post possessionem dominium vtile. Secundò, in nouo feudo post

inuestituram agit vasallus ad possessionem ; at in antiquo agit tantùm, vt inuestitura renouetur. Tertiò, eiusmodi actio competit etiam hæredi vasalli contra hæredem domini, si laicus fuerit, qui inuestitur ; at si Ecclesiasticus fuerit, non cogitur successor in Ecclesia confirmare. Quartò, si feudale prædium euictum fuerit, liberum est vasallo, agere contra dominum, ac si feudum traditum non fuisset. Quintò, vasallus graui iniuria à domino suo affectus, actionem habet, qua petet immunitatem ab omni obsequio.

10. *Actiones domini contra vasallum exprimas precor.* Primò, est ei directa rei vendicatio. Secundò, vt debitum præstetur obsequium. Tertiò, si feudum sit apertum, hoc est deuolutum ad dominum, culpa vasalli, aget contra ipsum repetendo feudum, & dicitur traditio rei ob causam. Quartò si vasallus vendidisset feudum, inuito domino, competit ei contra emptorem rei vendicatio.

Caput III.

Quinam in Feudo succedant.

11. *Quinam sunt inhabiles feudi successioni ?* Inhabiles sunt capti aliquâ membro. *Fœminæ ?* Regulariter non admittuntur nisi exprimantur, aut nisi feudum fœmineum sit, vel omnino francum, & liberum. Nec admittuntur descendentes ex fœminis. Masculus natus ex linea fœminea fœminam excludit, & fœmina semel excluſa semper excluſa est. *Vterini fratres ?* Non succedunt.

12. *Quinam autem habiles sunt ?* Masculi filij succedunt in feudo cæteris excluſis. *Filij adsunt ex duobus matrimonijs.* Præferendi in feudo sunt ij, qui sunt ex priori, nisi qualitas feudi aliud suaderet. *Nepotes ?* Succedunt cum filiis in stirpes.

13. *An succedant illegitimi?* Minimè ; sed naturales facti legitimi per subsequens matrimonium, succedunt.

14. *Succedunt ne filij æqualiter in feudo ?* Ita planè, nec ascendentes deficientibus descendentibus succedunt; nisi fuerit expressum in inuestitura. *Lateralesne ?* Deficientibus liberis, succedunt, modò feudum paternum sit, & antiquum.

15. *Germanus ne excludit consanguineum ?* Non excludit. *Quid de Clerico ?* Iam ordinatus in sacris, vel beneficiarius potest feudum paternum retinere. Si non erat ordinatus, eo ipso repudiare videtur quod transit ad statum, in quo personaliter seruire non potest.

16. *De Religioso autem quidnam?* Post professionem feudum amittit agnatis propinquioribus, nisi seruitium, quod feudum requirit, præstari posset à Monacho, vel Monasterio decenter. *Succedunt ne extranei?* Ex verbis quidem, quibus inuestitura concipitur, cognoscendum est.

17. *Quandónam feudum finiatur?* Finitur quidem tum culpa vasalli in dominum: tum culpa vasalli in alium: tum absque vasalli culpa, v. gr. morte sine legitimis filiis, renunciatione, professione Religionis, vel præscriptione alterius per annos triginta.

18. *Ad quemnam deuoluitur feudum?* Deuoluitur ad dominum si vasalli culpa finiatur in dominum, vel in alium. Deuoluitur autem ad fiscum quando ob culpam vasalli in alium bona illius ipso iure confiscata essent.

vasallus delinquat contra dominū

19. *Melioramenta autem facta ad quemnam pertinent?* Si vasalli industria facta sunt, reuerso prædio ad dominum pertinent ad vasallum. Est tamen liberum domino soluere æstimationem. Incrementum autem quod non industria vasalli accessit ad feudum, pertinet ad dominum. *Fructus verò ex feudalis?* Pertinent ad vasallum.

20. *Quinam iudex competens in feudalibus causis? Si lis sit inter duos vasallos de feudo, quinam iudex?* Erit dominus. *Si lis inter vasallum & dominum?* Curiæ pares litem dirimunt ex vtriusque placito.

21. *Si lis inter vasallum & alium non vasallum?* Ordinarius loci iudicabit iudex. *Si dominus sit suspectus, dum lis est inter vasallos?* Pares Curiæ iudicant, nisi etiam hi suspecti sint, tunc enim ordinarius loci iudex est.

22. *Quid si vasalli inuestiti sint ab Imperatore, Rege, aut Principe?* Ab ipsis iudicantur. *Lis est inter vasallos Clericos vel vnum Clericum & alium laïcum: vel inter vasallum Clericum & dominum.* Iudex est dominus; iura enim feudorum per Romanum Pontificem sic sunt approbata.

23. *Quæstio possessoria est de feudo inter vasallos, vel inter dominum & vasallum.* Iudex competens dominus feudi est.

24. *Dominus feudi, vel pares Curiæ recusant, seu iudicare non possunt.* Tunc equidem penes loci Ordinarium est iudicium. *Dominus feudi est Clericus, & non vult inter vasallos laicos iudicare.* Iudicium ad Ecclesiasticum superiorem deuoluatur. *Quid de appellatione in feudali controuersia?* Ad dominum superiorem facienda est.

CAP.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Feudo ex Societatis IESV *Doctoribus.*

25. *Amisso Feudo, amittuntur ne pendentes fructus?* Si feudum amittatur non per mortem, sed ob aliam causam, amittuntur fructus pendentes. Si verò per mortem, post Kalendas Maij vsque ad finem Augusti fructus pertinent ad hæredes; at anteriores ad dominum. Sic *Emanuel Saa.* Saa.

26. *Potest ne quis priuari feudo à Principe sine causa?* Minimè posse idem *Doctor* affirmat. Saa.

27. *Ligant ne feudales consuetudines etiam Ecclesiam, & Ecclesiasticos?* Adhuc *Saa* ligare quidem docet. Saa.

28. *Feudum ad nullum seruitium datum est: succedit ne fœmina?* Ita planè; solum enim impotentia seruitij peragendi poterat incapacem successionis reddere. Sic *Molina.* Molin.

29. *Vasallus vasalli alicuius domini, est ne ipsius domini vasallus?* Non esse *Saa* ex Sylu. asseruit. Saa.

30. *Episcopus Regis feudatarius cuinam potius tenetur obedire, Pontificine, an Regi?* Pontifici quidem, supremæ scilicet potestati.

EXAMEN XII.

De Iustitia & iure, circa materiam de Ludo, ex Fortunæ contractu.

CAPVT PRIMVM.

Quid Ludus, quonammodo licitus, & vitiosus?

1. *Quid est Ludus?* Contractus, quo victori certaminis res ab vtroque apposita tribuitur. Porrò contractus hic mixtus est ex duobus: vno quidem innominato, quo vnus ludentium periculo exponit aliquod interesse in alterius commodum: vt alter simili modo aliud interesse in illius commodum exponat; altero autem nominato ludo, quo

vterque propria industria cooperans ad euentum intendit, vel intendere potest aliquam oblectationem.

2. *Est ne ludus licitus?* Sua natura licitus quidem est, & ex se res indifferens; si verò ob honestos fines appetatur, bonus, & honestus erit. *Si nimius appetitus lucri?* Erit auaritiæ peccatum, & ex suo genere veniale.

3. *Est ne mortale crimen prohibito ludo operam dare?* Ludi aleæ iure Cæsareo ac Canonico prohibentur, non tamen sub crimine lethali.

4. *An Clericus mortaliter delinquat?* Nimia frequentia in Clerico, si scandalum coniunctum sit, absque mortali crimine non assolet esse.

5. *Quotnam sunt conditiones ad ludi iustitiam requisitæ?* Tres. Prima quidem, vt colludentes habiles sint ad alienandum. Secunda, vt vnus alterum minis non trahat, fraude, aut conuitiis. Tertia, vt fraudibus contra leges ludi non vtantur.

6. *Num ludus ex huiusmodi conditionibus iustus aliunde possit vitiari?* Ex circunstantiis vitiosus reddi potest, vt ratione temporis diuturni, ratione Clericatus, aut Religiosi habitus, scandali, periuriorum.

Caput II.

De solutione eorum, quæ in ludo amittuntur.

7. *Acquiris nummos per ludum humano iure prohibitum debes ne restituere?* Ante sententiam iudicis non debeo; quia ludus ex legibus irritus non redditur. Porrò si victor fraudibus iudicis sententiam impediat, restituere tenetur; secus si precibus rogando victum, ne petat in iudicio, eum ab huiusmodi petitione amoueat.

8. *Potest ne victus occulta vti compensatione?* Minimè, potest tamen victori accusationem comminari, & repetitionem in iudicio, & ita pacisci vt partem restituat.

9. *Victus ne potest non soluere id, quod prohibito ludo amisit?* Potest, si recurrat ad iudicium. Filliucius asserit non satis esse vti velle huiusmodi recursu: sed debere eo vti. Ast ego probabile admodum arbitror cum *Salas* & aliis in foro conscientiæ satis esse verum animum habere recurrendi, & vtendi legis beneficio.

10. *Tenetur ne soluere quis quod credito amisit?* Tenetur quidem,

quidem, etiam si ludo prohibito lusisset, modò nolit Vti beneficio legis. Profectò quando ludus etiam irritus esset redditus, non tenetur soluere.

11. *An qui accepit (si quod non debebat ob irritationem ludi quis solueret) restituere teneatur?* Ex iure communi non tenetur; secus iure Castellæ, nisi dans donare voluisset, vel receptum non fuisset ius in eo sensu.

12. *Quid si aliquis cum iuramento legi renunciasset?* Tenetur soluere, nisi ante relaxationem iuramenti petat.

13. *Paciscine potest victus, vt reddat victor dimidiam, v. g. partem, ne repetat totum in iudicio?* Potest planè.

Caput III.

De Ludo cum specialibus personis.

14. *Ad quidnam tenetur qui cum fure ludit?* Si sciebat rem esse furtiuam, lucrari eam non potest: nisi res esset vsu consumptibilis, & victus in ludo alia habuisset bona, ex quibus amissam Pecuniam soluere posset. Idem dixero de ludente cum vsurario.

15. *Exprime decipientis qui apud nostrates appellatur*, fullero, *obligationem.* Si decipit quidem contra leges ludi, tenetur ad restitutionem: secus si iuxta leges ludi decipiat. *Dicens se habere maiora puncta, quàm verè habet?* Regulariter ad restitutionem tenetur, si propterea vincat. *Aduerto collusorem errare.* Teneris eum admonere. *Primum locum alteri debitum accipio.* Teneris ad restitutionem æstimationis illius iuris.

16. *Surripio colludenti pecuniam, & deinde cum ea ludo: lucrari ne possum?* Si non habes aliam, vnde eam redderes, quam surripuisti, irritus est ludi contractus; si habes, lucrari potes.

17. *Traxi alium vi aut metu ad ludum.* Teneris restituere; secus si precibus, & modis humanis traxisti. *Metus leuis est?* Incutiens, ad restitutionem minimè obligaris. Profectò arnactus violenter potest lucrari, licet attrahens non possit.

18. *An collusores æquales esse debent?* Ita quidem, hoc est, æqualem pecuniæ summam vno iactu expositam habere. Qui maiorem summam pecuniæ exponit, quàm alius, lucrari potest totam alterius, si fiat titulo expensionis.

19. *De ludente cum filio familias exprime obligationem?*

De bonis castrensibus ludere potest absque patris consensu, non de aduentitiis, nisi à patre ei vsusfructus concedatur. Qui tamen lucratur, restituere non tenetur, vt neque ipse filius exalienans. *De profectitijs ne ludere potest?* Non potest contra iustam patris voluntatem: cum patris consensu licitè ludit. Profectò victor si de iis bonis lucratus sit, retinere non potest, nisi patre tacitè consentiente, vel nisi prudenter censeatur patrem nolle ea sibi restitui. *Ipse verò filius delinquit ludens de bonis aduentitijs & profectitijs:* Ita planè; de castrensibus, aut quasi, non peccat, nec ad restitutionem tenetur. *Filius sine patris beneplacito bona eius ludo exponit non quidem in magna quantitate.* Vix condemnandus; quia aliquid dandum filio, si patris substantia patitur. *Data est à patre pecunia filio, vt pro libito insumat, & sibi de ornatu prouideat*, &c. *Parcè viuit, & ex ea pecunia aliquid reseruat, vt ludo exponat: num condemnandus?* Potest quidem ludo exponere, quod subtraxit. Idem affirmo de recipiente à patre alimenta plus quàm necesse sit; excessum enim ludo potest exponere. *Abest à domo filius.* Potest ludere quod eius ætas & personæ qualitas postulat, v. g. quatuor vel quinque pro centum. Vnde qui ludo licito, (imò illicito secundùm Filliucium) eiusmodi partem à filio absente lucratur, restituere non tenetur. Profectò idem asserendum de minore, quod de filiofamilias affirmaui.

20. *Potest ne quis aliquibus in casibus lucrari, sed non perdere?* Potest. v. gr. Si graui metu cogatur ludere. Si minis ad ludendum pertrahatur. Si ludat filiusfamilias de bonis aduentitiis, vel profectitiis sine patris consensu cum scientе talia.

21. *Num potest quis in aliquibus casibus plus lucrari, quàm perdere?* Ita quidem. v. g. si capitale suum minus sit capitali alterius, & vno iactu exponatur cum maiori.

22. *An restituere teneatur qui cum viro, aut fœmina coniugata ludit?* Ludens cum viro coniugato non tenetur, si coniugatus de propriis bonis ludat; si de bonis communibus ludit quantum spectata conditione satis sit, non debet restituere qui lucratur: secus, si ludo exponit de communibus plus quàm deberet. At ludens cum coniugata, nil restituit, si cum licentia viri expressa vel tacita vxor ludat: vel quantum aliæ eiusdem conditionis, & status ludere solent, ludo exponat; verùm restituere tenetur, si vxor plus quàm per conditionem possit, si bona dotalia, vel communia ludis fortunæ dedit.

23. *Quid*

23. *Quid ludens cum seruo?* Liber est à restitutione, si id ex scientia domini fiat. *Pactum cum seruo adest, vt quotidie certam pecuniam det domino, reliquum sibi retinendo.* De iis quæ licitè retinet, liberè potest ludere. In aliis ferè restituere tenebitur qui cum seruo ludit.

24. *Potest ne Religiosus aliquid licitè ludo exponere?* De consensu Prælati ludere aliquid potest; non si excedat, vel ludus etiam laicis sit illicitus. *De bonis monasterijs?* Non potest ludere nisi quantum intra terminos administrationis posset Prælatus in alios similes contractus exponere; si excedat, irritus erit contractus. *De aliis bonis?* Paulò liberior esse potest Prælatus in concedenda licentia. *Degit Religiosus extra claustrum.* Ludere potest modicum quiddam, v.gr. quatuor, aut quinque in centum, quasi familiæ filius.

25. *Ludentis cum imperito causam euolue.* Porrò cum imperito ludum texens, & moraliter de victoria certus non potest lucrari. *Peritia maior melioribus ludi conditionibus compensatur.* Lucrari poterit. *Dicit imperitior, se velle lucrum donare.* Donatio censebitur. *Probabiliter tantùm te peritiorem iudicas.* Ludere, & lucrari potero, etiamsi cum imperitiori ludum inire contigerit.

Caput IV.

Praxis circa materiam de Ludo ex Societatis Iesv *Doctoribus.*

26. *Scio ludum merè fortuitum prohibitum Clericis c. Clericus 2. laicis verò l. alearum vsus, de Relig. & l. solet, ff. de aleat. rogo autem, an Clerici minoribus prohibeantur?* De Clericis in sacris constitutis, vel beneficiariis. *Sanchez opusc.* Sanch. *tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 26. n. 8.* intelligendum censet.

27. *An Religiosi non Clerici comprehendantur?* Negat *Salas de Ludo dub. 24. n. 3.* Asserit autem *Sanchez ibid.* quia ludi Sanch. aleæ, & taxillorum sunt statui Religioso valde indecentes. Addit Doctor Clericum his ludis semel, aut iterum sine scandalo operam dantem non peccare mortaliter: secus verò si sæpe etiam si recreationis causa luderet.

28. *An laici frequentantes, ex vi legis lethaliter delinquant?* Minimè, quia ludi huiusmodi ex iure natura non sunt prohibiti, *Molina* auctore *tom. 2. tract. 2. d. 510.* Iura verò Molin.

positiua citata per contrariam consuetudinem sunt abrogata,
Salas. *Salas dub.3. n.5.* asserente.

29. *Petrus notabili tempore ludis prohibitis dantes operam inspicit Clericos: peccat ne mortaliter?* Non, nisi ludi sit causa,
Sanch. aut corrigere teneretur, aut adesset scandalum; quia leuis materia. *Sanchez dub.28. n.9.*

30. *An amissa ex ludo sint debita in conscientia?* Asserit
Valent. *Valentia tom.3. d.5. q.6. p.5. dub.8.* quia sic obligat promissio mutua de iure naturæ: neque iure positiuo irritatur; quamuis
Less. *l. aleatum, C. de Relig.* detur actio ad repetendum. At *Lessius lib.2. cap.26. dub.4.* negauit probabiliùs; quia cui datur actio ad repetendum, à fortiori ad non soluendum exceptio conceditur, iuxta iuris regulas.

31. *Quid si alicubi perdenti non concedatur repetitio, aut ludentes beneficio legis repetitionem concedentis renunciauerint?*
Saa. Perdens in conscientia soluere tenebitur. *Saa v. ludus num.9.*

32. *Accipit quis pecuniam ex ludo: tenetur ne restituere in conscientia, licet qui soluit habeat ius ad repetendum?* Non; quia iura aut non intendunt pecuniæ semel solutæ repeti-
Salas. tionem; aut si intendunt, non fuere in hoc sensu recepta. *Salas de contr. dub.20. n.6.*

33. *Tenetur ne quis restituere, quod per fraudem lucratus est?* Etiam si de fraude dubitet, tenetur; quia nec in dubio
Regin. potest acquirere. *Reginaldus apud Bonac. de Restit. d.2. q.3. p.2. num.7.*

34. *Scio, minorem beneficium restitutionis in integrum à lege habere: rogo, an qui ab eo lucratus esset, teneatur in con-*
Tanner. *scientia restituere, donec repetatur?* Asserit *Tannerus 2.2. d.4. q.6. dub.11. n.310.* non teneri.

35. *Quantum ne filiusfamilias potest in ludo alienare?* Vigesimam partem alimentorum, quotannis sibi suppeditantur.
Valent. *Valentia tom.3. d.5. q.6. p.6.*

36. *Potest ne filiusfamilias multum lucrari, qui non potest multum perdere?* Potest, quia æqualitas, quæ in hoc contractu exigitur, non consistit in eo, quod æqualem pecuniæ summam exponant; sed quod vterque sit dominus illius pecu-
Sanch. niæ, quam exponit. Scio *Sanctium in sum. tom.2. lib.7. cap.19. n.87.* contrarium asseruisse, sed immeritò quidem, quando qui summam illam maiorem amisit, sciebat colluſorem suum filiumfamilias non posse æqualem amittere; quia iuri suo cessisse præsumitur.

37. *Quis ludo capitale maius, vulgo* Resto, *sciens colludentis capitale*

capitale minus esse : potest ne acceptare hic, & se plus lucro, quàm iacturæ exponere? Potest, ex *Salas de ludo d. 13. num. 3.* quia scienti & volenti non fit iniuria, & multi, ait, vendunt libertatem ad remigandum in triremibus, quæ longè superior est pecunia. Salas.

38. *Ludit Ioannes notabiliter dexterius Antonio, qui vult colludere : potest ne Ioannes acceptare, & lucrari?* Si protestetur Ioannes, nullam Antonio temerariè ludenti fit iniuria. *Azorius tom. 3. lib. 5. c. 25. q. 4.* Azor.

39. *Excedit quidem Ioannes peritia ludendi, sed Antonius colludens huiusmodi peritiam ignorat : tenetur ne Ioannes ad restitutionem?* Scio *Tolet.* negasse. Sed probabilius (tanti viri venia) crediderim teneri ad partem quidem restituendum iuxta periculi proportionem. At si adeò peritus, vt nullum subiret perdendi periculum, ad totum obligarem. Tolet.

40. *Cogit Ioannes Antonium stare ludo, lucratur : debet in conscientia restituere? Comit. lib. 3. q. 9. n. 2.* affirmat; quia Antonius inuoluntariè ludit, & quia contractus graui metu factus irritus est iure naturæ, & dominium non transfert. At *Less. lib. 2. c. 26. dub. 2. n. 9.* negauit, quando Ioannes precibus importunis cogit, obiiciens se non soluturum nisi perseueret, &c. Vnde Antonius ex verecundia, aut timore pecuniæ non soluendæ ludum prosequitur, non coactè amittit, potest enim lucrari. Alias rationes congerit *Molina tractat. 2. d. 516. n. 2.* *Sanchez de Matr. lib. 4. d. 10. n. 10.* probabilem hanc sententiam iudicauit. Comit. Less. Molin. Sanch.

41. *Quid si Ioannes Antonium vero metu, vtraque coactione ludo cogeret stare?* Lucrum teneretur restituere. Si autem perderet, nulla ab Antonio coacto restitutio facienda esset. Sic *Card. Lugo.* Scio Gasparem Hurtado asseruisse nec Ioannem cogentem, ad restitutionem obligari. Lugo.

42. *Vouit Ioannes, aut iurauit, se non lusurum : datur ne materia paruitas?* Datur authore *Sanctio sum. tom. 1. lib. 3. c. 18. n. 2. & 3.* quæ quidem materiæ paruitas sumi debet in ordine ad id, quod vouens, aut iurans primario vitare intendit. *Intendit se priuare delectatione ludi?* Parua materia erit parua recreatio. *Intendit non consumere inaniter tempus.* Parua materia erit parua mora. *Intendit pecuniæ iacturam vitare.* Parua materia parua pecuniæ iactura erit. *Intendit vitare cum domesticis, cum colludentibus rixas, blasphemias, &c.* Parua materia desumenda est ex occasione data huiusmodi peccatorum. Suar.

43. *Votum de non ludendo indistincte emisi : nullum ne*

ludum possum inire? Si non constat te voluisse ab omni ludo priuare, poteris ludo honesto, & in parua quantitate operam dare, ob animi recreationem. *Possum ne per alios ludere, & sponsiones facere, vulgo.* A trauesar nel Iuego? Asserit *Sanchez.* Addiderim, posse ludere nomine alterius, quando non constat ex coniecturis, an votum, seu iuramentum non ludendi obliget iurantem ad non ludendum alterius nomine.

Sanch.

44. *Ludo studeo intentione lucrandi solummodo: pecco ne mortaliter?* Non nisi affectus lucrandi adeò esset immodertus, vt grauem iniuriam proximo efficere paratus esses. *An venialiter delinquam?* Docet *Card. Lugo* dare operam ludo principaliter propter lucrum non esse veniale, quando reliquæ concurrunt circunstantiæ.

Lugo.

45. *Ludo animo non soluendi, aut repetendi solutum in ludo prohibito valido: si lucrum egero, tenebor ne restituere?* Non, nisi dicas, soluturum, & non repetiturum. Gaspar. *Hurtado de contract. d. 8. diffic. 5.*

Hurt.

46. *Ob fraudem in ludo commissam teneor restituere Petro centum dragmas, colludens cum eodem altera die perdo ipsis centum, teneor ne ad restitutionem lucri proximi?* Teneris; quia quælibet sors est diuersus contractus à præcedentibus independens. *Sanchez* sic; qui quidem contrariæ sententiæ auctores allegat, & eorum placitum probabile adiudicat.

Sanch.

47. *Teneor ne etiam restituere, quod adstantibus dedi plausu victoriæ, vulgo, de variato?* Ita planè; secus si bona fide lucratus fuerit; quia bona fide expendisti. An nummos desumptos ad chartas, candelas, domum, &c. teneat restituere iniustè dum lucratus fui? Non, quia omnibus ex communi pecunia sumptus ille assolet deseruire, accidentaliter autem soli deseruit iniusto lucratori. *Lugo.*

Lugo.

48. *Spondet Paulus cum Antonio se illum saltando victurum, postea autem Petrus currere noluit: tenetur ne soluere, quod est in sponsione depositum?* Porrò *Card. Lugo tom. 2. de iust. d. 31. sect. 6.* distinguit inter ludum & sponsionem, vulgo *Apuesta.* In ludo quidem non debet soluere, secus in sponsione facta, & acceptata; quia sponsio solo videtur consensu perfici.

Lugo.

49. *Sum certus de euentu, possum ne cum Antonio eam certitudinem ignorante spondere?* Potes ex *Hurtado* sententia *de contr. d. 8. diff. 7.* Præcipuè si post talem certitudinem de euentu, aut de veritate, postea incipias addubitare.

Hurtad.

50. *Postquam*

50. *Postquam ludo prohibito lucratus sum, per vim, seu fraudem impedio iudicem, ne me ad restitutionem cogat: teneor restituere? Rogo, num tenear si absque dolo vel fraude?* Non teneris; quia iure tuo vteris, v. g. si abneges, te ludo quidquàm lucratum, quando est occultum, neque est vllus testis, quo probetur. Nam cum criminaliter examinaris, vt priuatione lucri in pœnam criminis afficiaris, profiteri non teneris, etiam si rogeris sub iuramento, antequam sit semiplenè probatum vno teste omni exceptione maiori. *Molina* Molin. *tom. 2. tract. 2. d. 514.*

51. *Pro me & pro Francisco ludo cum pactione, vt si perdidero, soluat dimidium perditi Franciscus, pro quo ludo; si verò Franciscus lucretur, tantùm referat tertiam lucri partem: an sum iniustitiæ reus? Cardin. Lugo citat.* te à reatu liberat; Lugo. quia in societate qui operam, & industriam apponit, & dimidium capitalis, plus debet de lucro participare, & minus de dando sentire.

52. *Ludens aduerto, colluſorem pauciora exponere puncta, quam habet, & ob id lucrum ago: teneor ne ad restitutionem?* Non; quia non euenit ex natura rei, sed ex consuetudine non admonendi alterum de suo errore. *Hurtado dubit. 8. diffic. 7.* Hurt. Certè alij probabilius asseruere; quia habens punctorum illum excessum, quem ignorant, victor verè est, & iniustè occultasti victoriam.

53. *Quid de videntibus colluſoris chartas?* Qui videt absque fraude, se ex sola negligentia socij, non tenetur ad restitutionem lucri: secus si affectatè curat inspicere. Si chartæ ita sint nimio vsu signatæ, vt facile ab vtroque possint agnosci, non tenetur; nisi alter eorum prius chartas nouerit, quia aliàs ludo eius altero inseruierint. Ex *Lugo*, & Lugo. *Sanctio.*

54. *Ad quidnam tenetur, qui contra ludi leges fraudem committit?* Cum *Filliucio* asserо teneri ad restitutionem spei, quam Filliuc. alter habuisset lucrandi, vel non amittendi.

55. *Solitus quis fraudes adhibere, & dubitat an adhibuerit: tenetur ne restituere?* Non, si bona fide iam possidebat; secus si dubium accidat in ipsa acquisitione. Ex eodem *Filliucio.* Filliuc.

56. *Domum suam quis exponit omnibus ad ludendum alea: num delinquat mortaliter?* Ex *Sanchez* & *Molina* sententia de- Sanch. linquit grauiter; quia talis ludus, vt plurimum ad malum Molin. vsum destinatur, & rarissimè absque mortali crimine exercetur: quare ex lege naturali oritur obligatio non ministrandi ludentibus

ludentibus peccandi materiam. Hinc infero exponentes demum eiusmodi ludo non solùm peccare mortaliter, sed etiam, si lusores ad restitutionem teneantur & non restituant; ipsos teneri satisfacere.

57. *Multum perdens cogo alterum adhuc ludere, atque ita & mea recupero, & alia lucror: num hæc tenear restituere?* Te-

Molin. non teneri *Molina* docet; quia remanet in altero sufficiens voluntarium.

58. *Per fraudem quis in ludo lucratus est, & dubitat an alter esset lucraturus nisi ipse fraudem fecisset; quid debet?* Re-

Less. spondeo ex *Lessio* non teneri rem suam restituere, quam fortè perdidisset; quia est in illius possessione: sed illam solam, quam fraude lucratus est.

59. *Qui verò dubitat, an per fraudem sit lucratus?* Aptè al-

Filliuc. serit *Filliucius* teneri ad restitutionem; quia in dubio non potest acquirere, & melior sit alterius conditio possidentis.

Saa. 60. *Num mortaliter delinquat spectator ludi qui cum peccato mortali peragitur?* Ex Tabien. & Armil. respondet *Saa* non peccare, si peccato ipso non delectetur, nec illi cooperetur, & cesset scandalum. De scandalo memoriam gero ob Monachos, aut Clericos perspicuæ dignitatis, qui tenentur ab huiuscemodi spectaculis vnde scandalum oboritur abstinere.

61. *Valde excedit quis ludendi peritia: tenetur ne lucrum*

Molin. *restituere id nescienti?* Teneri sentio cum *Molina*, nisi vterque de altero ignorans se periculo commisisset.

62. *Rogo, num licitus ludus funambulorum sit?* Illici-

Tolet. tum quidam asserunt ob mortis periculum. Licitum affirmo cum *Toleto*, si adeò periti, vt periculum timendum plerumque non sit, licet accidentaliter aliquando præcipites agantur.

63. *An ludus agitationis taurorum liceat?* Licitum puto

Saa. cum *Saa* & aliis, non obstante Pij V. prohibitione, si sic fiat, vt non sit probabile periculum grauis incommodi; quia cessat ratio legis. Scio ab illa prohibitione Gregorium XIII. censuras contra permittentes, & congredientes abstuliſſe.

64. *Quid de Histrionum ludis?* Mei doctissimi Magistri *Puente Hurtado de Mendoza* venia, non condemnandos puto, si modestè agantur, si vti D. Thom. ait iniuriæ Dei, & proximi vitentur, nec verbis, aut actionibus aliquid inducens probabiliter scandalum geratur. Licet alicui accidentaliter nocumento sint. Vnde colligo licitè posse Histriones mode-

ratum

nium suæ artis lucrum quærere ad victum. Scio quidem non posse promoueri; quia infames; neque eis dandam Eucharistiam dum in arte sua cum peccato mortali gesta perseuerant. Alibi vberiùs.

EXAMEN XIII.

De Iustitia & iure, circa materiam de contractu Societatum.

CAPVT PRIMVM.

De Societatibus in genere.

1. *Quid Societas?* Conuentio duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vsum, vel quæstum communem.

2. *Quænam ad Societatem requiruntur?* Quatuor requiri asserо potissimum. Primum, vt singuli socij aliquid conferant. Secundum, vt quod confertur animo vt sit commune, statim in dominium singulorum cedat. Tertium, vt lucrum & damnum commune sit. Quartum, vt fiat diuisio lucri secundùm proportionem sortis collatæ à singulis.

3. *Quid de conferente suum capitale?* Conferens capitale non amittit dominium eius in Societate. Capitale vnius commune efficitur cum aliis sociis. Dominium autem eorum, quæ ex capitali, post contractam Societatem acquiruntur, omnibus sociis est commune.

4. *Quotnam modi Societatem contrahendi?* Multi planè vsu comperiendi. Simpliciter quidem contracta Societas, intelligitur omnium bonorum, quæ titulo oneroso acquisierint, siue locando operas suas, siue emendo, aut vendendo, siue quocunque alio titulo oneroso.

5. *Quidnàm de Sociorum obligatione?* Socij quidem tenentur de dolo, culpa lata, & leui, tam in conscientia, quàm in foro exteriori. Leuis autem culpa ea est in Societate, qua Socius omittit eam diligentiam, quam suis in rebus adhibuisset. Non tenetur Socius vltra quàm potest facere: quod etiam habet locum in Societate simul habitantium. *Qui dolo malo causa fuit, vt non posset soluere debitum?* Priuilegio non gaudet:

gaudet: tenetur autem præstare cautionem, quando socius ex priuilegio integrè debitum non soluit. Profectò socius tenetur partem suam contribuere, donec omnes æqualiter portiones suas habeant.

6. *Quot modis soluitur Societas?* Quatuor. Primò, morte naturali cuiusuis ex sociis. Deinde morte ciuili. Tertiò, cessione bonorum facta ab aliquo. Quartò, completo fine, ad quem instituta erat.

7. *Quónam modo quis potest Societati renunciare?* Conditiones hasce si habuerit. Vt alios de sua renunciatione moneat: vt tempestiuè Societati renunciet: vt non renunciet cum dolo.

8. *Transit ne Societas ad hæredes?* Regulariter non transit, aliquando transit ex pacto.

9. *Potest ne solui Societas etiam tacito Sociorum consensu, & per procuratorem?* Ita planè.

CAPVT II.

De Societatibus in specie.

§. 1. *Societas negotiationis.*

10. *De Societate negotiationis differas precor. Quótnam modis fieri Societas ad lucrum potest?* Tribus. Primò, singulis conferentibus capitale, ex quo expensæ, & operæ soluantur. Secundò, apponente præterea vno, vel pluribus ex iis operam. Tertiò, vno vel pluribus ex sociis conferentibus capitale: altero verò vel aliis operam, & industriam.

11. *Regulas exhibeas, quæso ad Societatum huiusmodi iustitiam dignoscendam.* Prima regula: computatis omnibus, quæ socij conferunt, & habita ratione periculi, damni, industriæ, in lucri diuisione accuratè proportio seruetur. Secunda, si in Societate de lucro diuidendo nihil expressum fuit, intelligenda diuisio est in partes æquales proportione scilicet habita Geometrica, iuxta proportionem partis appositæ capitalis. Tertia, eadem seruanda est proportio quo ad damni diuisionem, etiam si id pacto expressum non fuisset.

12. *Contrahi ne licitè potest Societas contracta quidem cum parte lucri, & damni inæqualiter?* Potest quidem; quia ad vtrumque socium damnum & lucrum spectat. Ea verò quæ damna ad vnum tantùm socium spectare videntur, iniusta omnino censenda est. *Cùm vnus capitale, & alter operas apponit?* Lucrum diuidendum est non capitale, quod de iure, & de

de consuetudine seruatur. Ex pacto autem tam lucrum quàm capitale diuidi potest. *Lucrum quonammodo æstimandum?* Non solùm æstimandum est ex periculo, cui capitale exponitur; sed etiam quantum tale lucrum à negotiatione dependeat. *Potest ne periculum capitalis pertinere ad eum qui operas apponit?* Potest quidem ex pacto addito, non ex vi Societatis; quomodo intelligenda est Sixti V. constitutio. Quæ quidem potuisset omne tale pactum prohibere, sed ex probabiliori sententia non prohibuit. *Est ne licitum pactum, vt æquè patiatur socius si capitale pereat, ac ipse conferens illud?* Licitum est, modò cum damno etiam lucrum sit commune. *Pactum autem, vt capitale sit quocunque in casu saluum?* Non quidem est contra naturam Societatis.

13. *Modos indica, quibus in fine Societatis lucrum diuidi potest.* Tres præcipuè expromam. Primum, Conferens operam solam aliquam lucri quotam habeat. Secundum, Capiat ille lucrum iuxta operæ æstimationem. Tertium, Talis ex sorte nihil accipiat. *Quid si etiam capitale diuidendum sit inter socios?* Tunc conferens operam? solam, in partem lucri & sortis pro æstimatione operæ veniet. v. gr. si opera æstimetur centum, alter verò conferat mille, & lucrum in fine sit 500. ille qui contulit operam, extrahet vndecimam partem, tum ex lucro, tum ex sorte. Vnde cùm tota sit 600. facilis erit diuisio.

14. *Vndenam soluenda damna, & expensæ Societatis?* Vel huiusmodi expensæ fiunt circa merces ipsas, vel à negotiante circa victum, vestitum, & itinera. Illæ quidem ex bonis Societatis faciendæ sunt; hæ verò ex bonis communibus Societatis. Admonuerim tamen competentes, & rationabiles esse debere. *Expensæ eius qui operas apponit, vndenam soluuntur?* Ex propriis bonis faciendæ, si fiant ob negotiationem, & in propria domo habitet, aliæ autem extra domicilium, ex bonis communibus Societatis. *Si damnum socio eueniat?* Non tenentur alij socij si causa Societatis huiusmodi damnum non aduenit: secus si causa Societatis. Profectò expensæ communes solæ sunt illæ quæ causa Societatis fiunt seu necessariæ, seu vtiles. Cùm denique soluitur Societas, expensæ omnes detrahendæ, & quod debetur ex Societate soluendum.

15. *De Societatibus rusticorum & animalium differas.* Animalia tribus præcipuè modis ad lucrum traduntur. Primò, conductione, conductis operis rustici ad pastum suorum animalium. Deinde, censu vitalitio traditis. v. gr. monasterio alicui

§. 2. *Societas rusticorum.*

alicui animalibus pro certa annua pensione soluenda. Tertiò, Societate, ad percipiendum lucrum ex fructibus animalium, & venditione eorum.

16. *Quandónam in huiusmodi Societate committitur iniustitia, aut vsura?* Tunc committitur iniustitia, quando est inæqualitas pretij; vt si non soluatur iustum pretium saltem infimum; vsura verò, quando adest mutuum palliatum nomine Societatis, vel locationis.

17. *Periculum casus fortuiti ad quemnam pertinet?* Si celebretur locatio, pertinet ad dominum; si fiat per censum vitalitium, pertinet ad accipientem animalia; si celebretur Societas, pertinet ad omnes socios.

18. *Est ne licitum pactum, vt conductor suscipiat in se periculum?* Sua natura licitum est; vbi consuetudo illud introduxit; improbandum non est, vbi non introduxit, dissuadendum, ob vsuræ periculum.

19. *Quandónam censebuntur animalia data in locationem, quando in mutuum, & quando in Societatem?* Tunc censentur data in locationem quando ad certum vsum dantur, & ad breue tempus, & accipiens ad curam adhibendam obligatur. In mutuum autem, quando ea accipienti libera facultas datur, vt iis vtatur sicut libuerit, ita vt possit distrahere, modò reddatur tantum, quantum fuerint æstimata. Denique censentur data in Societatem, quando socij ad capitale contribuunt, vno vel pluribus operam apponentibus.

20. *Licitum ne pactum, vt apponens operas, animalia deperdita restauret?* Ita planè, vt etiam illud, quo æqualiter pereunt vtrique: & si salua multiplicentur, in diuisione prius datur capitale ei, qui illud apposuit: deinde reliqua æqualiter diuiduntur.

§. 2. *Societas officiorũ Romanæ Curiæ.*

21. *Quid de Romanæ Curiæ officiorum Societatibus?* Multas huiusmodi Societas conditiones ex Pontificum Bullis exigit, tres præcipuas expendo. Prima, vt officium, supra quod Societas fundata sit, extet. Secunda, ne plures socios officialis adsciscat, quàm postulet officij valor. Tertia, vt soluat ad rationem duodecim pro centum. Aliæ quinque ex instrumento, quod conscribi solet, adduntur conditiones. Prima, vt officialis post sex menses pecuniam restituat, si socius vixerit, & soluat certam lucri partem. Secunda, & tertia, vt officialis soluat sex pro centum ad sex menses; eáque anticipatè. Quarta, vt officialis soluat sex ad semestre, etiam si mittat, vel dimittat officium. Porrò in ea miscetur contractus sponsionis, vi cuius & officium commodatum excusatur, etiam si

plures

plures socios admittat, quàm æstimatio eius patiatur, & solutio ad rationem sex pro centum, etiam si officium non tantum redderet; & solutio fructus anticipata. Scio statutum Pauli IV. à Pio IV. abrogatum, ita vt modò satis sit, pacta contra bonos mores non esse, & verè officium esse, in quo Societas subsistat.

22. *Est ne licita Societas super officio commodato ab alio officiali?* Licitè quidem constituitur, nec id in legis est fraudem.

23. *Quot modis huiusmodi Romanæ Curiæ officiorum Societas dissoluitur?* Sex. 1. Aduentu temporis, pro quo est constituta. 2. Morte naturali socij. 3. Morte eius, quem socius loco sui nominasset. 4. Morte officialis. 5. Morte eiusdem ciuili. 6. Venditione officij ab officiali.

§. 4. *Societas omnium bonorũ.*

24. *De Societate omnium bonorum differe.* In huiusmodi Societate communicantur omnia, quæ ex causa qualibet acquiruntur: & omnia debita contracta, lucra, damna, & impensæ; communicantur autem statim post contractam Societatem, etiam si traditio non fiat.

25. *Socius vti potest re communi in bonum priuatum?* Potest in conscientiæ foro; si tamen aliquod damnum inferret, debet compensare. Et si quidem proprio nomine administret, totum lucrum ipsius est: at totum etiam damnum resarcire tenetur, quod Societas propter hoc passa esset.

26. *Quid de Societate inter coniuges?* Iure communi est tantùm ad habitandum simul, ad familiam gubernandam, generandam prolem, & educandam: at iure Castellæ, est etiam Societas omnium bonorum, quæ stante matrimonio comparant.

27. *Si vir vsumfructum acquirat eius rei, cuius ante coniugium habebat proprietatem?* Non tenetur illum cum vxore communicare; quia à nullo iure vxoris dependet.

CAPVT III.

Praxis circa materiam de Societatibus ex Societatis IESV *Auctoribus.*

28. *QVantum lucri potest habere qui Societatem cum aliquo quæstuosam init?* Qui plus in Societate ponit (respondeo ex *Molina*) plus lucri debet habere; qui autem positæ pecuniæ solum partis periculum subit, eius tantùm Molin.

debet habere lucrum ; reliquum enim mutuatum intelligitur.

29. *Quid si Societas in dubio sit ; id est, non constet, ex tali vel tali conditione fuerit contracta?* Tali in casu intelli-
Molin. gitur authore eodem *Molina*, contracta secundùm consuetudinem.

30. *Pactum est, quod sit commune damnum capitalis, sed de lucro pactum nullum expressum est : quidnam igitur intelligendum circa lucrum?* Ex eodem adhuc *Molina* respondeo im-
Molin. pacto, quod sit commune damnum capitalis, intelligi, quod etiam lucrum sit commune. Itaque quod capitali supersit, in fine diuidendum.

31. *Dissoluitur Societas, vel ob vnius socij mortem, aut pacto fere toto capitali : quidnam faciendum de lucro?* Nisi aliud
Saa. sit conuentum, docet *Saa* ex Lopez, lucrum pro rata diuidendum, reddito prius capitali ei, qui posuit, solutisque debitis factis ab aliquo, Societatis nomine.

32. *Vnam Societatem ineam, meque ad operas in ea obligem: deliquone, aut ad restitutionem teneor, altas Societates ineundo, measque in eis operas impendendo?* Respondeo ex *Toleti* doctri-
Tolet. na non peccare, nec ad restitutionem teneri, quoties id præstare possis, absque prioris Societatis præiudicio.

33. *Celebrari ne potest Societas inter patrem & filium, ac inter fratres?* Regulariter quidem potest contractus Societatis celebrari ab iis qui potestatem habent disponendi ad suum libitum de rebus, quas conferunt ad Societatem. Vnde colligo iniri posse inter patrem & filium, quando filius confert ad Societatem bona castrensia, vel quasi : aut quando pater ponit pecuniam, & filius operam, & industriam. Item assero celebra-
Rebell. ri posse inter fratres. Saluo tamen patris iure. Ex *Rebello.*

34. *Quinam ex iure non possunt validè Societatem inire?* Neque pupillus, neque minor absque tutoris licentia : neque rationis vsu carentes : neque Religiosus, cùm non sit sui iuris : neque medicus cum infirmo : aduocatus cum clien-
Rebell. te : nec tutor aut curator cum pupillo, & minore. Ex eodem *Rebello.*

35. *Si res Societatis furto sublata fuerit, cuiusnam est damnum?* Debere esse commune, si absque culpa sociorum sublata
Tolet. est, docet *Toletus.*

36. *Facit eleemosynam socius, qui ponit industriam : soluenda ne ex communibus?* Si moderata sit, & discreta, fiatque in-
Molin. tuitu felicis exitus Societatis rationabiliter soluendam ex communibus lucris Societatis *Molina* docet.

37. *Aliqua*

37. *Aliquæ expensæ in vtilitatem Societatis faciendæ sunt, ad quas non potest socius pecunias ex Societate extrahere: quid faciendum?* Socius tenetur eas ex propria pecunia facere, aut curare (si non habeat) vt mutuo petatur ex aliis. Ipsi tamen competit ius repetendi à sociis, quod insumpsit, cum vtiliter gesserit negotium Societatis, non secus ac si negotio proprio curam impenderet. Sic *Molina.* Molin.

38. *Exprime quæso iura Societatis inter fratres.* Ex *Molina,* Molin. *Filliucio, Rebello, Toleto,* & aliis respondeo, fratres functis vita parentibus, habere solent bona indiuisa per modum Societatis, ita vt lucra & damna sint communia: quanquam hæc Societas extendit se tantùm ad bona hæreditaria, & ad lucra ex illis prouenientia, nisi aliter deductum sit in pactum. Propterea si vnus negotietur, altero nihil conferente, non dicitur cum altero Societatem iniisse; imò si vterque negotietur, non videntur Societatis contractum celebrasse si nihil conferant ad negotiationem. Quare Societas inter fratres extenditur tantùm ad ea, quæ inter se fratres communicant, & in commune conferunt, animo conferendi in commune; non verò se extendit ad bona aliunde à fratribus acquisita, Filliuc. Rebell. Tolet.

39. *Quosnam sumptus possunt fratres indiuisi facere?* Ordinarios, & competentes; extraordinarios verò non possunt. Quare si vnus fratrum v. g. propter aliquod delictum pœnam cogatur soluere, non potest hos sumptus de communibus Societatis bonis facere.

40. *Quænam bona sunt à fratribus ad partitionem adducenda, secluſa societate?* Bona tantummodo profectitia, quæ filius à patre, vel auo accepit: bona verò castrensia, vel quasi non sunt conferenda, quia dominium eorum pleno iure pertinet ad filium. Præterea bona aduentitia quoad proprietatem similiter non conferuntur, cum pertineant ad filium quoad proprietatem.

41. *Tenetur ne filius cum aliis fratribus conferre, quæ à patre causa dotis accepit, vel ab ordines, vel titulo legati,* &c. Non tenetur, si velit ab hæreditate abstinere, & sibi tradita contentus, modò hoc non noceat legitimæ aliis debitæ: sicut neque tenetur conferre, quæ pater in ipsius studio consumpsit; quia hæc censentur condonata, nisi forte filius habuerit, vnde se possit sustentare. Idem assero de iis, quæ pater illi tradidit præ aliis ad cibum, vestitum, equitatum, & ludum; imò & de libris viuente patre traditis: & expensis conuiuij à patre facti occasione sacri à filio celebrati, vel Doctoratus adepti

occasione, vel professione in Religione; secus de vestibus pretiosis, torquibus, arrhis, & aliis largitionibus sponsalitiis propter nuptias effectis, aut propter filij à captiuitate redemptionem; hæc enim in paternæ hæreditatis diuisione adducenda sunt. Omnia *ex citatis.*

EXAMEN XIV.

De Iustitia & iure, circa materiam de contractibus, in quibus admiscetur fortuna: de contractibus, qui aliis contractibus sunt adminiculo: de quasi contractibus: & de nonnullis contractibus innominatis.

CAPVT PRIMVM.

De contractibus, in quibus fortuna admiscetur.

§. 1. *Assecuratio.*

1. SCis *contractus in quibus admiscetur fortuna, præter ludum tres esse, scilicet Assecurationem, Sponsionem, & Sortem. Requiro quidnam Assecuratio?* Contractus est, quo alienæ rei periculum suspicitur pro pretio, aut alio interesse. Reducitur ad emptionem & venditionem, vendente assecuratore periculi susceptionem, pro certo pretio.

2. *Quotnam ad eius iustitiam requiruntur?* Tria præcipuè Primum æqualitas ex vtraque parte. Secundum incertus euentus rei, quæ assecuratur. Tertium sufficientia bona in assecurante. Si quid horum deesset, iniustus esset contractus.

3. *Sciens ex Astrologia fore securum tempus, potest ne recipere pretium pro assecuratione?* Potest planè; quia non ita infailibiliter quis ex Astrologia coniicit, vt non adsit periculi timor.

4. *Quodnam assecurationis pretium commune?* Iustum eius pretium ex communi æstimatione petendum, si taxatum non est.

5. *Quenam res solent assecurari?* Quatuor præcipuè. Merces, Pecuniæ, Libertas, Vita.

6. *Indica vtriusque contrahentis obligationes.* Assecurans æstima

æstimationem mercis soluat, si pereat: assecuratus soluat etiam assecurationis pretium: fraudes autem omnino removendæ.

7. *Quid est sponsio?* Contractus, in quo duo de veritate, vel eventu alicuius rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assecutus. §. 2. *Sponsio.*

8. *Num licita?* Ex sua natura licita est dummodo semper super dubiam rem fiat. *Eius exprime conditiones.* Tres sunt. Prima æqualitas in re, quæ spondetur cum æquali incertitudine. Secunda dubius euentus rei in vtroque. Tertia vt vterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur.

9. *Spondeo cum eo, de quo scio veritatem scire.* Si adhuc id cognoscens velis spondere, tibi imputa.

10. *Decipi alterum existimo, cùm tamen re vera alter certus sit.* Probabile est posse spondere, probabilius tamen & æquius est, quòd non possit alter spondere, nisi priùs de- de ceptione te commoneat.

11. *Dubito in præsenti de re, de qua antea certum me putabam.* Poteris spondere.

12. *Sunt sponsiones cum conditione illicita, v.gr. quod alterum potando superabit quis; quod bimestri spatio alter morietur: num lucrum ex his restituendum?* Iure quidem ciuili damnatæ sunt, attamen lucrum restituendum non est.

13. *Quid de sponsione super vita aut morte Papæ, aut superfutura Cardinalium electione?* Ex se res licita esset, iure tamen positiuo Pontificum prohibitæ, & irritæ redditæ huiusmodi sponsiones.

14. *Quid est Sors?* Scio sortes triplices esse; Diuinatorias, Consultatorias, & Diuisorias. De postremis requiris; Contractus est, quo aliqui ius habentes in aliqua re conueniunt, vt mittantur sortes, quisnam illam debeat obtinere. §. 3. *Sors.*

15. *Num licitus contractus?* Ita planè, si fraudes absint, in temporalibus quidem, non in electionibus Ecclesiasticis.

Caput II.

De contractibus, qui aliis contractibus sunt adminiculo.

16. *Iam de Societatibus disseruimus, solum de Fideiussione, Pignore, aut Hypotheca agendum nobis est. Quidnam*

est fideiussio? Alienæ susceptio obligationis, per quam obligat se quis ad eam implendam, si debitor principalis non soluerit.

17. *Quis est fideiussor?* Is, qui pro alio fidem suam obligat, & fide sua iubet esse, quod alius debet creditori. Duplex quidem est, iudicialis, & extraiudicialis.

18. *Quænam conditiones ad fideiussionem requiruntur?* Debet esse contractus accessorius: debet obligari fideiussor non plus quàm principalis debitor: si obligatio principalis inualida est, inualida erit etiam fideiussoris obligatio: non potest fideiussor conueniri, nisi in defectum principalis.

ante

19. *Potest ne conueniri fideiussor principalem in aliquibus casibus?* Potest quidem in tribus. 1. Si renunciasset beneficio Authenth. Præsente, cap. de fideiuss. 2. Quando constaret principalem non esse soluendo. 3. Quando fideiussor conuentus negasset se esse fideiussorem.

20. *Quinam fideiubere possunt?* Qui liberam habet suorum bonorum administrationem, & principaliter possunt obligari. *Mulier ne pro viro?* Minimè fideiubere potest. *Quid de Clericis, & Religiosis?* Clerici in proprium damnum possunt, Religiosi sine sui Superioris consensu non possunt fideiussores esse.

21. *Exigi ne potest pro fideiussione pretium?* Regulariter potest: aliquando tamen illicitum esse potest.

22. *Quandonam tenebitur fideiussor?* Quando debitor soluendo non esset: quando esset absens. Quando suo iuri renunciasset. *Quid si plures sint?* Omnes tenentur.

§. 2. *Pignus.*

23. *Quidnam Pignus?* Latè sumptum res est subiecta, vel obligata pro debito. Strictè autem, addit traditionem eius creditori, vel alteri loco illius.

24. *Quidnam autem est Hypotheca?* Latè sumpta idem est quod pignus latè sumptum; strictè autem est res subiecta modo dicto, non facta traditione rei ita obligatæ.

25. *Quotuplex illa?* Quadruplex. Expressa & Tacita, Conuentionalis, Prætoria, & iudicialis. Profectò Tacita, & Conuentionalis in vniuersalem & particularem subdiuiditur.

26. *Quænam res subiici possunt?* Res quæ subiici possunt, duplices sunt, corporales, & incorporales, vt iura. Subdi non possunt hypothecæ res sacræ, publicæ, liber homo, publica stipendia, instrumenta aratoria, & spes præmiorum pro colonis, & athletis, neque res aliena.

27. *Quinam dare possunt pignori? aut hypothecæ?* Generatim qui

qui possunt alienare, & habent liberam suorum bonorum administrationem.

28. *Mutatur res, v. gr. exuritur domus: quidnam remanet loco pignoris, aut hypothecæ?* Id quod remanet eius rei, v. gr. solum.

29. *Indica pignoris, aut hypothecæ substantialia.* 1. Vt aliqua præcedat obligatio. 2. Vt adsit res certa. 3. Vt creditor in sortem computet fructus. 4. Vt teneatur de dolo, culpa lata, & levi. 5. Vt pignus pro vno datum, pro alio debito retineri possit. Solent ne pacta aliqua apponi? Solent planè. Primum est, vt omne pactum turpe prohibeatur, quale (inter alia) legis commissoriæ, vt si suo tempore non fiat solutio, pignus cadat in ius & dominium creditoris. Secundum vt creditor propria authoritate possit pignus occupare pro debito non soluto, idque tanquam iusto pretio emptum sumere licitum est. Tertium denique, ne liceat debitori pignus vendere, omnino pactum illicitum est.

CAPVT III.

De quasi contractibus, & nonnullis contractibus innominatis.

§. 1. *Mandatum.*

30. *Quid est mandatum?* Gratuita susceptio aliquid exequendi, quod alius formaliter, aut virtualiter iniungit. Transit in locationem, si merces pro eo sumatur; non autem, si tantùm sit spes remunerationis habendæ, imò etiam cum promissione remunerationis non tollitur ratio mandati. Est contractus innominatus, & quasi contractus.

31. *Quotnam sunt mandati genera?* Multa planè. Porrò de re illicita inualidum est, & damna ex iniquo mandato restituenda. Mandans percuti quem, non occidi, si sequatur occisio, non punitur pœna ordinaria homicidij, sed mitiori.

32. *Indica mandati substantialia.* Adesse debet consensus vtriusque, præcessio obligationis alicuius, de re bona debet esse, & mandans in eo dando certam formam præscribere.

33. *Obligationes exorime mandati.* Qui mandatum recipiunt, tenentur regulariter de dolo, & culpa lata. De casu fortuito, qui poterat præuideri, & cogitari, tenetur qui mandat, non de alio. Obligatio præcipua mandatarij est seruare fines mandati: si excedat, non est ratum quod egerit.

§. 2. *Negotia gesta.*

34. *Quidnam negotia gesta?* Negotia gesta dicuntur, cum absque mandato formaliter, aut virtute negotium alterius vtiliter geritur. Is qui hæc agit, negotiorum gestor nuncupatur. Geritur autem alterius negotium quatuor modis. Cura & officio, re ipsa, ratihabitione, & ipso negotio gesto.

35. *Quænam obligatio negotium gerentis?* Obligatur ad reddendam rationem eorum, quæ gessit, & ad soluendum si aliquid peruenit ad ipsum ex negotio gesto.

36. *Quænam autem obligatio eius, pro quo negotium geritur?* Obligatur ad soluendas expensas in ipsius bonum factas.

37. *Relinquens negotium imperfectum ad quid tenetur?* Tenetur de damno ea de causa subsecuto.

38. *Quænam expensæ soluendæ à mandante?* Quæ ante admonitionem, ne ipsius negotium gereretur, factæ essent in vtilitatem eius; si monitio non præcedat, ad omnes tenebitur, modò maiores non sint, quàm rei vtilitas postulet.

39. *Quid si negotium gessit animo gratuito?* Non potes expensas petere; secus si animo petendi compensationem. *In dubio?* Iudicandum ex circunstantiis. Est quasi contractus.

§. 3. *Tutela, & Cura.*

40. *Quid Tutela & Cura?* Numeratur inter quasi contractus. Tutor quidem is est, qui pupillum vel pupillam morte patris, vel emancipatione sui iuris factum vel factam tuetur.

41. *Quotuplex Tutela?* Triplex, Testamentaria, Legitima, & Datiua. *Quinam Tutores esse possunt?* Quilibet nisi propria animi vel corporis imbecillitate à tutela impediatur, v. gr. furiosus, morbo perpetuo laborans, & mulier, nisi speciali beneficio iudicis ex iure communi: sed iure Authenticorum potest cum quibusdam conditionibus.

42. *Clericus ne cogi potest ad tutelam?* Minimè, nisi sit personæ miserabilis. *Ad quænam Tutor tenetur?* Ad tria, Vt pupillum seruet intactum à crimine. Vt res eius præseruet ab iniuria. Vt pecuniam eius, vel mobilia conuertat in prædia, & census, ex quibus fructus percipiat. Inuentarium facere etiam tenetur, quamprimum poterit, coram publicis personis; debet autem fieri id omnium rerum corporalium, & instrumentorum.

§. 4. *Stipulatio.*

43. *Quidnam stipulatio?* Est contractus, qui verbis perficitur, præcedente interrogatione vnius, qua ab altero petit, an promittat; & subsecuta responsione, ac sponsione alterius, qua promittat id se facturum.

44. *Si diuersis idiomate interrogatio fiat, & responsio?* Valida stipulatio est, modò se inuicem intelligant.

45. *Respon*

45. *Responsione potest differri?* Continuò subsequi debet stipulationem.

46. *Quidnam de stipulatione scitu dignum obseruasti?* Affirmatim primò non posse quempiam alteri pro altero stipulari, nisi sit eius seruus, aut filius. Secundò non valere stipulationem, aut legatum factum in genere, de aliqua re, nulla demonstrata. Tertiò obligationem stipulatam sine conditione, neque ad certum diem, deberi die præsenti: sed non posse peti illo die, quo stipulata est. Quartò denique stipulationem transire ad hæredes, quando per alium impleri potest.

§. 5. *Acceptilatio.*

47. *Acceptilatio quid?* Contractus est, quo interrogante debitore creditorem suum, acceptum ne, seu solutum habeat debitum, aut velit illud remittere, creditor respondet, acceptum habeo, seu remitto. Est contractus, qui verbis perficitur. Porrò obligatio ciuilis per eam extinguitur, ac si quod debebatur ex stipulatione, solutum esset. Vnde in iure vim habet solutionis, & pacti de non petendo, tollítque actionem realem, personalem, & mixtam.

§. 6. *Compromissum.*

48. *Quid est compromissum?* Contractus quidam, quo aliqui mutuo consensu in sententiam arbitri, seu arbitratoris reiiciunt controuersiam aliquam dirimendam, spondentes illi se parituros. Onerosus contractus est, & innominatus, & solo consensu perficitur. Antequam fiat, liberum est, vt fiat, vel non ex parte compromittentium: & ex parte arbitrorum, antequam acceptent arbitrium.

49. *Quinam iudex Arbiter strictè?* Is est, quem partes ex conuentione sibi eligunt, vt eius definitioni acquiescant.

§. 7. *Transactio.*

50. *Quidnam transactio?* Transactio est de re dubia, lite aut controuersia iam mota, pactio non gratuita. Præter rei dubietatem requiritur, vt non sit circa rem, de qua iam lata sententia sit, quæque in rem transierit iudicatam.

§. 8. *Compositio.*

51. *Quid compositio?* Pactio est de aliqua re, vel circa quam nulla controuersia sit, vel circa quam sit, aut esse possit. Innominatus contractus est, & reducitur ad locationem.

§. 9. *Nouatio, Delegatio, Compensatio.*

52. *Quid Nouatio, Delegatio, Compensatio?* Nouatio quidem est prioris debiti, seu obligationis in aliam transfusio, ita vt prior perimatur. Delegatio, cum sua vice, dat alium reum creditori, vel cui iusserit creditor. Compensatio est debiti vtrimque, & crediti inter se contributio. Reconuentio autem est, cum vno creditore conueniente creditorem in iudicio, pro eo, quod ei debet, alter illum reconuenit, vt sibi soluat, quod debet.

53. *Exprime queisnam in casibus habeat locum exceptio compensationis, & queisnam in casibus non habeat.* Habet locum. 1. Quando id, quod actor debet reo conuento, est debitum naturale, & non ciuile; tunc actor id tenetur compensare cum debito ciuili naturali, quod exigit. 2. Contra executionem sententiæ transeuntis in rem iudicatam, videlicet, valet compensationis exceptio. 3. Quando vtrimque debetur aliquid consistens in numero, pondere, & mensura, modò rei functionem suscipiant, id est, pro se inuicem substitui possint. 4. Locum etiam habet inter socios in contractu Societatis. 5. Fideiussor soluens pro alio, eo ipso compensat, si quid illi debeat. Porrò non habet locum. 1. Si quid debeatur fisco, vel Principi, vel communitati ad reparationem murorum, fontium, pontium, &c. 2. Cùm quis condemnatur, vt aliquid debeat alicui ob vim illatam, furtum, aut maleficium, non valet compensatio, nisi debitum esset ex simili maleficio. 3. In depositio. 4. Quando alimenta debentur. 5. Quando duo debita concurrunt, & vtrumque contra compensationem priuilegiatum est; verum in hoc casu contrarium verius est.

TRACTA

TRACTATVS QVARTVS
LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS,

Censuræ.

Vbi de censuris in communi, & in particulari, & de Ecclesiæ pœnis, scilicet irregularitate, Degradatione.

SEQVOR *præcipuè huiusce materiæ Doctores*, Auilam, Gasparem Hurtadum, Toletum, Henriquez, Suarium, Laymanum, Filliucium, Reginaldum, Præpositum, Turrianum, Coninch, Tannerum.

EXA

EXAMEN PRIMVM.

Circa materiam de Censuris in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Censura?

1. *Vid est Censura?* Pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium, in ordine ad salutem.

2. *Quotuplex est Censura?* Triplex, Excommunicatio, suspensio, interdictum; irregularitas enim non est censura, cum incurri absque delicto possit.

3. *Seu censura Excommunicationis sit, seu suspensionis, seu interdicti, species adhuc diuide.* Multipliciter diuiditur. Alia enim est censura à iure, alia ab homine. Censura à *Iure* dicitur illa, quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem, seu statutum generale perpetuum, iniuncta hac pœna transgressoribus. Censura autem ab *Homine* est ea, quæ fertur à Superiore aliquid præcipiente intentione ferendi præceptum temporale, & transitorium sub pœna censuræ. Rursum censura alia est *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur absque iudicis sententia; alia est *sententiæ ferendæ*, quæ tantùm est comminatoria in futurum, nec ipso facto incurritur.

4. *Quandonam dignosces censuram esse latæ sententiæ?* Quando in lege ponuntur hæ particulæ: *Ipso facto, ipso iure*; aut quando hæc adduntur aduerbia: *Confestim, statim, illico*; aut quando censura fertur per verbum præsentis temporis, aut imperantis modi. Quando verò fertur per verbum futuri, argumentum est, tantum ferendæ sententiæ esse censuram. *Quid si dubium, num latæ, num ferendæ sententiæ sit?* Iudicandum esse ferendæ; quia odia restringenda.

CAPVT II.

De Ferente censuram.

5. *Quisnam Censuram ferre possit?* Efficiens causa principalis Christus est, qui ferendæ Censuræ potestatem concessit Ecclesiæ. Porrò hæc potestas in Pontifice summo residens diuina est. In aliis Ecclesiæ Prælatis est etiam suo modo diuina, sed homine mediante & dependenter à Summo Pontifice recepta. Forma verò, & modus illius ferendæ in Ecclesiæ potestate, rectus est. Vnde eius institutionem, impositionem, & obligationem de iure potiùs humano, quàm diuino dicendam esse affirmo.

6. *Quanam in ferente Censuras conditiones requiruntur?* Sex equidem. 1. Vt sit homo viator. 2. Vt sit vtens ratione. 3. Vt sit baptizatus. 4. Vt non sit laicus, quia hic non habet iurisdictionem Ecclesiasticam. 5. Vt non habeat iurisdictionis vsum impeditum, vti accidit, quando iudex est excommunicatus vitandus, aut quando interposita est legitima appellatio. 6. Vt censuram in causa propria non ferat; quia nullus potest esse actor, & iudex. Excipio casum defensionis; potest enim per censuram vis, & iniuria propulsari.

7. *Vt censura valida sit, & iusta, quidnam considerandum?* Præter ea quæ assignaui, vt valida sit, libera voluntate infligenda est; quæ enim ex metu, si perturbaret rationis vsum vel internam voluntatem auferret, esset inualida. Vt autem iusta sit, neque contra charitatem, neque contra obedientiam esse debet, sed conformis legali iustitiæ (seruata forma quæ requiritur) distributiuæ habito respectu non ad personas, sed ad causam: & commutatiuæ rei ad rem æqualitate seruata.

8. *Præter Summum Pontificem, qui ius habet in omnes Christianos, competit ne alijs censuras ferendi potestas.* Competit Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis respectu subditorum. Capitulum Sede vacante habet, & Vicarius Capituli, iisque, quibus ex officio, & statuto Ecclesiæ hæc potestas addicitur, vt Abbates, Priores Ecclesiarum habentes iurisdictionem in foro externo. Prælati Religionum, Prouinciales scilicet, & Priores, Rectores, Guardiani, &c. Cardinales in Ecclesiis, in quibus quoad forum externum habent iurisdictionem. Parochus verò hanc potestatem non habet, cùm non habeat in foro externo iurisdictionem; potest tamen per consue

consuetudinem, aut præscriptionem acquirere potestatem ferendi vnam, aut alteram Censuram in subditos.

9. *Num necessariò Clericus debeat esse, qui ferat Censuras?* Qui non est Clericus, licet sit Religiosus, non potest, nisi de Pontificis facultate extraordinario iure, ferre Censuram. Verùm de huiusmodi potestate Pontificis absoluta non solum laicus potest, sed & fœmina; quia Censura ordinis potestati nullo necessario vinculo copulatur.

10. *Collegium ne capax iurisdictionis, ad censuras ferendas?* Ecclesiasticum Collegium ita planè, laicum minimè. Illud certè Collegium Ecclesiasticum censetur, in quo plures Ecclesiastici, quàm laici commorantur. *Quid si numeri sint æquales?* Ecclesiasticum censebo; quia nobilius minus dignum ad se trahit.

CAPVT III.

De eo, in quem Censura ferenda est.

11. *Quinam possit censuræ vulnere percutine?* Qui hasce quinque habuerit conditiones. 1. Vt sit viator, seu hoc in corpore mortali degens; nam in defunctum nulla est Ecclesiastica iurisdictio, nisi indirecta. 2. Vt sit baptizatus, quia *de iis, qui foris sunt, nihil ad nos*, authore Paulo III. Vt sit adultus, & doli capax; quia censura supponit peccatum. Non tamen licitè impubes doli capaces censura afficiuntur vsque ad annos quatuordecim si sit masculus: vsque ad duodecim, si sit fœmina. 4. Vt sit homo determinatus; tota enim vniuersitas, vel Collegium excommunicari nequit. Aliæ tamen censuræ, suspensionis scilicet, & interdicti in communitatem, Capitulum, aut Collegium ferri possunt. 5. Vt sit inferior & subditus ferentis censuram; quia iurisdictio coërcitiua non potest nisi in inferiores, & subditos exerceri.

12. *Potest ne eadem persona censura diuersa rationis adstringi?* Potest, siue distinctæ causæ, sint, siue eadem. Censuris etiam eiusdem rationis potest illigari ob diuersas causas, vel ob eandem à diuersis iudicibus.

13. *Quosnam obligat censura à iure lata: quosnam ab homine?* Censura à iure lata omnes fideles obligare potest, si eius conditor in omnes habeat potestatem: quæ verò ab homine eos solùm ligat, qui sunt in sententia designati.

14. *Legi*

14. *Legi vnius Episcopi latæ adiuncta censura est: rogo, num subditus huius Episcopi extra territorium contra huiusmodi legem delinquens, censuram legi adiunctam incurrat?* Minimè, sicut neque is, qui in exempto loco eiusdem territorij delinqueret. Porrò ibi delictum committi dicitur, vbi exterius consummatur. At si delinquat contra generalem sententiam pro præterito peccato latam cum ordine ad satisfactionem faciendam, etiam in aliena diœcesi potest contumax censura ligari.

15. *Censura lata à Pontifice generaliter, ligat ne Episcopos?* Excommunicatio ligat, suspensio, & interdictum minimè, nisi expressa illorum mentio fiat.

16. *Potest ne aliquis propria potestate in se ipsum censuram ferre?* Minimè; quia nemo se ipso inferior est, nec potest incurrere pœnas à se latas. *Interdicens aliquem locum, tenetur ipse interdictum seruare, & subiacet pœnis à iure communi latis contra interdicti violatores; ergo pœnas incurrit à se latas.* Fateor illum pœnis à iure latis subiacere, sed non incurrit eas quasi à se latas, sed quasi latas à iure communi.

17. *Potest ne æqualis in æqualem ferre censuram?* Authoritate propria minime; quia par in parem non habet imperium. Ex commissione verò delegata potest Episcopus alium Episcopum excommunicare; quia per delegationem Superior est factus.

18. *Quonam modo vnus plures censuras incurrere possit?* Quando committit delictum habens plures circunstantias mutantes actus moralis speciem, si singulæ sint sub censuris prohibitæ: secus quando circunstantiæ speciem non mutant; tunc enim est vnica moraliter actio, vnica transgressio, & consequenter vnica censura. v. g. percutis Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus: non ideo incurris plures excommunicationes; quia hæ circunstantiæ speciem non mutant. At qui percutis Sacerdotem Monachum duplicem irreuerentiam committis, alteram in statum Clericalem, alteram in Religiosum, ex duplici transgressione duplicem censuram incurris. Sepeliens item in loco sacro vsurarium excommunicatum, & nominatim interdictum tres excommunicationes incurrit; quia triplicem inobedientiam committit contra tres prohibitiones diuersas sub excommunicatione factas. Hinc probabiliter affirmo eum qui occidit, aut percutit vno actu plures Clericos, vnam tantùm excommunicationem incurrere; quia est tantùm vnum numero peccatum, & vna transgressio.

19. *Cùm*

19. *Cùm censura fertur contra alicuius criminis patratores, ligantur ne mandantes, ac consulentes?* Minimè, nisi sententia exprimat ipsos. Quando autem in sententia exprimuntur, non tamen ligantur ideo semper, sed solummodo quando influxum verè in effectum. v.g. Mandasti Clericum aliquem occidi, reuocasti mandatum, ita vt tua reuocatio ei innotesceret, cui mandasti: non ligaris excommunicatione, licet sequatur effectus. At consulentes licet reuocent consilium, & innotescat ei, cui fuerat datum, adhuc, secuto effectu, excommunicationi subiacent; quia non censentur influxum reuocasse.

CAPVT IV.

De causa ob quam censura ferenda est.

20. *PRopter quemnam actum censura ferri potest?* Propter exterius peccatum; quia de internis actibus Deus solus iudicat. *An actum externum gerens sine interno, censuram incurrat?* Ita quidem, quando actus internus est de actus externi præcepti substantia; v.g. attentio respectu Officij diuini recitandi, aut Missæ exaudiendæ. Secus, si substantia actus externi possit absque actu interno subsistere; tunc enim non incurritur censura, si omittatur internus. Vnde communicans indignè in Paschate satisfacit Ecclesiæ præcepto; qui autem Missam sine attentione audit, non satisfacit; quia Missam verè non audit.

21. *Peccatum, ob quod censura fertur, debet ne esse proprium, an sufficit alienum?* Proprium esse debet, si censura sit excommunicationis. Ob id cautum, ne excommunicatio in communitatem feratur. *Idem ne dicendum de censura suspensionis, & interdicti?* Non; fertur enim ob peccatum alienum in totam Communitatem ob vnius socij delictum.

22. *Quanta debet esse delicti grauitas?* Delictum mortale esse debet; vti pœna grauis graui sit delicto proportionata. Vnde excommunicatio maior lata ob peccatum veniale est nulla. Fateor posse Superiorem sub censura aliquid prohibere, quod licet secundùm se leue sit, aut indifferens, nihilominus fit graue ob circunstantiam, seu finem à Superiore intentum. v. g. præcipitur Clerico, ne arma deferat, aut ne eo-mam nutriat, quæ leuia quidem spectata in se, ratione tamen status, & scandali grauia fiunt.

23. *Sufficit*

23. *Sufficit ne peccatum mortale, ad lationem censuræ, an requiritur etiam contumacia?* Requiritur hæc, vt validè censura feratur; quia censura percutit solummodo rebelles.

24. *Incurritur ne censura, quando effectus prohibitus intentus non sequitur?* Minimè, nisi sub censura principaliter ipsa actio & conatus prohibeatur. Addo, eum, qui actionem aliquam exercet de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura, eam non incurrere. v.g. lata est excommunicatio contra homicidas: Petrus, qui Ioannem haud lethali vulnere percussit, censuram non incurrit, licèt aliàs contingat mori vulneratum; quia sub censura prohibetur actio lethalis, non autem quælibet vulneratio.

Caput V.

De modo quo censura ferenda est.

25. *Quonam modo sit censura ferenda?* Minimè incurritur antequam lata sit à iudice per signa externa, & non per solam internam voluntatem. Porrò ad ferendam censuram quæcunque verba sufficiunt, modò sint ad aliquam particularem censuram determinata: vel quælibet scriptura, quæ iudicis sufficienter exprimat intentionem. At verba, quèis fertur censura, debent etiam determinata esse ad aliquam personam eam nominando, vel designando in ordine ad delictum. v.g. si dicatur: *Clericus, qui arma gestauerit, incidat in excommunicationem*; quia si nullam personam determinatè assignant, nullam vulnerabunt.

26. *Debet ne præcedere admonitio fraterna?* Debet quidem, facta authoritate illius, qui censuram laturus est; quia non potest adesse contumacia, nisi admonitio supponatur. *Insto, quia censura lata pro delictis futuris distinctam non requirit admonitionem.* Lex tunc ipsa non ignorata sufficienter admonet delinquentem.

27. *Declarandus est aliquis in censuram incidisse: rogo, sit ne citandus prius?* Ita planè; quia nemo inauditus condemnandus est.

28. *Quotnam admonitiones?* Tres quidem aut formaliter, aut virtualiter. Porrò vrgente necessitate, vna sufficiens. *Quid si quis absque necessitate censuram ferat sine præmissa triplici*

admonitione? Grauiter delinquet, validè autem delinquentem flagellabit.

29. *Quonammodo triplex hæc admonitio facienda?* Inter singulas admonitiones duorum saltem dierum adsit interstitium. Profectò quando censura ferenda est contra aliquam particularem personam, admonitio coram illa peragatur. Quando generaliter fertur, admonitio sufficienter loco in publico fiet. Si suspensio, vel interdictum ferendum est contra communitatem, admonitio facienda est delinquenti, ob cuius scilicet iniquitatem censuræ flagellum præparatur.

30. *Potest ne huiusmodi admonitio fieri non ipsi personæ, (quando ferenda est censura in particularem) aliquo in casu?* Potest planè fieri ad domum illius, vel quando reus se per dolum abscondit, vel per vim impedit, ne moneatur, vel quando semel facta est personalis admonitio, vel quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti, vel quando quis malè absolutus est ab excommunicatione, & agitur de ipso rursum percutiendo.

31. *Est ne tempus spectandum ad censuram ferendam?* Ita planè. Deo enim dicato die nequit ritè ferri. At valida esset, dummodo non fiat causæ cognitio, quam censura necessaria non postulat.

CAPVT VI.

De causis excusantibus à censura incurrenda.

32. *QVotnam causæ ab incursu censuræ excusant?* Septem scilicet nullitas, iniustitia, innocentia, impotentia, ignorantia, metus, & necessitas.

33. *Differe de Nullitate.* Excusat Nullitas siue quia lex, cui censura adiungitur, nulla sit. Siue quia iurisdictio desit. Siue quia iuridicus ordo substantialis in ea seruatus non sit. Siue quia legitima desit causa tam vera, quàm præsumpta.

34. *Quonammodo excusat iniustitia?* Si censura tantùm iniusta sit ex ordine iuridico accidentali non seruato, non excusat; si ex ordine substantiali, excusat; quia etiam inualida est. Si verò sit iniusta ex defectu legitimæ causæ, si quidem eius probatio desit, vtique excusat. Item si causa verè subsit, sed legitimè probata non sit. Quod si dubia sit, & iudex in fauorem vnius partis censuram ferat, valida est. Si præsump-

ta,

ta,& in iudicio probata,etiam si vera non sit, absolutè valida censenda est,& aliquos effectus inducet. Probabile tamen iudico non esse intentionem Ecclesiæ innocentem spiritualibus bonis priuare, neque temporalibus, nisi quatenus ad externam censuræ obedientiam necesse sit.

35. *Quid de innocentiæ excusatione dicendum?* Qui certus est,se lethaliter hac in causa non deliquisse à censura propter tam lata excusabitur; quia grauis censura pro veniali culpa lata vires non exerit.

36. *De impotentia quidnam?* Impotentia quidem saltem in conscientia excusat. Porrò si cum in excommunicationem incidit, erat potens, per superuenientem impotentiam non liberatur. Si autem impotens ex malitia, & si probabile sit excusari, probabilius tamen, quod non excuset in censuram incursum. Cæterùm ad tempus excusatus, si deinde habeat, vnde soluat totum,aut partem debiti,tenetur; aliàs reincidet in censuram, modò nihil ex parte iudicis desit.

37. *Quid autem de ignorantiæ excusatione adijcies?* Si inuincibilis sit ignorantia siue facti, siue iuris,siue antecedens, siue comitans, siue legis cui censura adiuncta est, siue ipsius censuræ tantum adiunctæ non legis,quæcumque lex sit,Pontificia, vel Episcopalis, semper excusat. Si vincibilis, & in lege contineatur particula requirens scientiam excusabit, modò affectata non sit; secus si nulla adsit particula scientiam exigens: tunc enim neque si crassa, aut supina sit, excusationem afferet; quod quidem de ignorantia vincibili mortaliter intelligendum est, non de ea,quæ venialiter tantum vincibilis esset: hæc enim siue facti,siue iuris esset, excusaret.

38. *Quando metus excusat?* Si talis sit, vt excuset à culpa, etiam à censura excusabit.

39. *Quid denique de necessitate?* Eodem modo necessitas si à peccato mortali in lege humana excuset etiam excusationem affert à censura.

CAPVT VII.

De Censuræ effectibus.

40. *Quinam sunt effectus Censuræ?* Quidam sunt proximi & immediati,quidam accidentales.

41. *De proximis, ac immediatis effectibus dicere.* Generaliter

est censuræ effectus priuatio bonorum spiritualium, & temporalium quidem quatenus iis adnexa sunt. Sacramenta, communia suffragia, & cum fidelibus communicatio. Horum priuatio statim ac censura incurritur, consequitur. *Iusta est, sed valida censura.* Etiam eos effectus secum affert. *Est occulta.* Etiamsi occulta sit qui censura est affectus, hisce bonis priuatur. Attamen non eodem modo se habet respectu aliorum, qui quidem cum eo agere possunt.

42. *Exprime effectus accidentales.* Generatim quinque effectus accidentaliter consequentes censuram adscribunt. Primus est culpa, & quidem mortalis, si is, qui censura veneratus sit, aliquid agat eorum, quæ principaliter prohibentur. Secundus, irregularitas, si diuina celebrentur, vel aliquos actus ordinis ex officio exerceatur. Tertius, irriti quidam actus, vt sententia à denunciato. Quartus, pœnæ aliquæ ipso iure incurrendæ. Quintus denique pœnæ aliæ inferendæ à iudicibus.

43. *Sunt ne effectus perpetui?* Minimè, sed tandiu permanent, donec, recedente contumacia, per absolutionem à censura, auferantur.

44. *Possunt ne hi effectus à censurato impediri?* Effectus immediati non possunt; necessarij enim sunt censuræ comites. Accidentales autem, qui in libera censurati voluntate positi, si à prohibitis abstineat, possunt impediri, modò vt effectum eorum, peccatum scilicet excipias, quod censuram necessariò præcedit, licet ante absolutionem censuræ vitari ablegari.

45. *Possunt ne per dispensationem hi omnes effectus suspendi?* Possunt à Summo quidem Pontifice, non autem à Prælatis inferioribus.

CAPVT VIII.

De absolutione à Censura.

46. *Est ne absolutio necessaria ad Censuræ ablationem?* Imo planè; nec enim satis est mors authoris, ne pœnitentia rei, nec satisfactio.

47. *Quisnam à Censura iuris nemini reseruata soluit?* Episcopus, & quicumque à mortalibus absoluit.

48. *Et à reseruata quisnam?* Is solus potest soluere, qui vel author censuræ est, vel ab eo delegatus.

49. Pœ

49. *Petit quis absolutionem à censura, vel in Sacramento Confessionis; vel extra Sacramentum, ab eo qui potest absoluere: per oblitionem censuram reseruatam omisit: rogo, num ab ea maneat absolutus?* Si id accidat in Sacramentali Confessione regulariter à censura manet absolutus; si extra illam, etiam liber euadit, modo non solum absolutionem earum censurarum quas pœnitens agnoscit, sed etiam omnium aliarum, quis abstringi contigisset, obtinerit

50. *Poterit ne in foro externo à censura absoluere, qui priuilegium absolutè habet absoluendi à censuris?* In foro quidem externo absoluere poterit, si facultas expressè, aut ex circumstantiis ad forum interius non limitatur; secus si in ordine ad Sacramentalem Confessionem, aut audita diligenter Confessione peccatorum concedi tantum intelligatur. Id quod ad facultatem in Iubilæis concedi solitam potest accommodari; quia regulariter Confessionem exigit, & ad conscientiæ forum arctatur.

51. *Quinam à censura ab homine absoluit?* Is solus, qui eam tulit, successor in munere, Superior eius, & ab iis delegatus. Quod quidem in censura speciali indubitatum est: at in generali, etsi probabile sit eum posse absoluere, qui à censura iuris non reseruata absoluere valet: probabilius tamen arbitror eum tantum posse absoluere, qui ab eadem specialiter lata absoluere valet.

52. *Varias absoluendi à censura formas recense.* Quatuor adnotabo. 1. Alia absoluendi forma à iure, alia ab homine ferri potest. 2. Alia conditionata; & quidem si conditio sit de præsenti, vel de præterito, valet: si de futuro, etiam valet, etsi non liceat. 3. Absolutio simplex alia, quæ absolutè fertur, quando constat censuram incursam esse; & ad cautelam, cum vel ignoratur, vel est dubia, ad maiorem certitudinem petitur. 4. Alia est absolutio simpliciter, cum tollitur in perpetuum; & ad reincidentiam, cùm ita tollitur, vt post certum tempus sit reditura; siue ita ad intentionem concedentis accidat, siue pendeat à conditione satisfaciendi, vel se præsentandi in pœnitente.

53. *Quanam in absoluente requiruntur conditiones?* 1. Absoluens à censura Clericus debet esse. In articulo mortis probabile est, Clericum, qui potestatem habet excommunicandi, & absoluendi, posse etiam à censura moribundum extra Sacramentum absoluere. 2. Requiritur sufficiens scientia censuræ. 3. Libera voluntas necessaria est, alioquin si per vim, aut metum absolutio extorqueretur, nulla esset.

54. *Quænam autem in eo, qui absoluendus est, conditiones sunt necessariæ?* Debet esse subditus absoluentis. Item alius ab eo, qui absoluit; nemo enim seipsum potest absoluere. Porrò præsentia & voluntas non est necessaria ad absolutionis valorem; tamen ad vsum licitum necessaria est.

55. *Qui pluribus est censuris illigatus, potest ne ab vno, an ab aliis absolui?* Potest quidem; quia nulla inter eas connexio necessaria est.

56. *Quænam absoluendi est forma seruanda?* Iure quidem certa forma præscripta non est seruanda necessariò. Profectò absolutio verbo debet impendi, aut sensibili aliquo signo, quod sufficienter absoluentis exprimat intentionem. Certè inferiores Prælati per consuetam verborum formam absoluere à censuris debent; summus autem Pontifex aliquo tantùm facto, vel sola communicatione cum censurato absoluere à censura posset.

57. *Quinam ritus seruandus?* Ante absolutionem extra sacramentum rei petitio intercedat; & in foro externo se Ecclesiæ mandatis pariturum iuret. Præmittenda etiam satisfactio, si ob manifestam offensam censura contorta; si autem ob dubiam, sufficiens cautio satis erit. In ipsa præterea absolutione recepta consuetudo seruanda. Post absolutionem denique publicanda est absolutio, si denunciata censura fuit: secus si tantùm occulta; tunc enim occulta sufficiet absolutio.

CAPVT IX.

Praxis circa materiam de Censuris ex Societatis IESV *schola.*

58. *Vtrò, an censura sit lata an ferendæ sententiæ quidnam?* Ferendæ censeri debet; quia odia sunt restringenda. *Auila p. 2. c. 3. dub. 2.* Auila.

69. *Scis habentem potestatem ferendi censuras non posse illas ferre, dum extra territorium adest; quia iurisdictio caret: rogo tamen, an Episcopus possit ferre censuras extra diœcesim in delictos populos, & quando causæ cognitio non præquiritur?* Non posse *Præpositus* asserit *in 3. p. 1. dub 5. n. 3.* Alij probabiliter contrarium asseruere. Præp.

60. *Ligat ne aliqua censura pueros ante annos pubertatis?* Nulla

Nulla illigat præter illam, quæ fertur in Can. *Si quis suadente. Palaus tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 24. §. 2. *num.* 8. quia odia sunt restringenda. Pal.

61. *Censuræ locorum comprehendunt ne peregrinos?* Non, siue per modum sententiæ latæ sint, siue per modum statuti. *Layman. lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 5. Laym.

62. *Si latæ sunt per modum statuti, comprehendunt ne subditos delinquentes extra diœcesim?* Non quia iurisdictio Episcopi extra diœcesim non extenditur. *Auila part.* 2. *cap.* 3. *d.* 2. *dub.* 2. Auila.

63. *Quid si delictum sit intra diœcesim inchoatum?* Non sufficit, sed debet esse consummatum. *Suario* auctore *d.* 5. *sect.* 4. *n.* 7. v. g. si quis in diœcesi raperet virginem, & extra diœcesim violaret, censuram ex statuto diœcesis contra stupratores non incurreret. Suar.

64. *Censuræ latæ per modum sententiæ ligant ne subditos extra diœcesim existentes?* Asserit *Auila citatus*, non ligare, quia iurisdictio Episcopi extra diœcesim extendenda non est. At *Suarius d.* 5. *sect.* 5. *num.* 9. docet ligare; quia præceptum in hoc differt à statuto, quòd hoc dirigitur ad territorium, illud verò immediatè ad personas. Auila. Suar.

65. *Dixisti, causam materialem proximam censuræ esse peccatum: an debeat esse consummatum?* Ita plane. Vnde censura lata propter hæresim (v. g.) non incurritur nisi ab eo, qui est perfectè hæreticus. Est lata propter homicidium, non incurritur à lethaliter percutiente, si mors, (vel per miraculum) non sequatur. *Præpositus in* 3. *p. q.* 1. *dub.* 6. *n.* 45. Præp.

66. *Censura ne vlla incurritur ob veniale peccatum?* Non; quia piissima mater Ecclesia non vult culpam leuem tam graui pœna vindicare. *Suarius d.* 4. *sect.* 20. *num.* 8. De irregularitate etiam *Suarius* affirmat. De suspensione, & interdicto *Conine. d* 13. *dub.* 8. *n.* 68. Suar. Conin.

67. Dixisti, peccatum censuræ obnoxium debere esse externum; quia Ecclesia de occultis non iudicat: rogo, an si actus internus aliquo externo signo indicetur, censura incurri possit. Affirmat *Hurtado*, & *Suarius d.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. docet Ecclesiam ferre posse censuram in actionem externam per se malam, & illam prohibere, vt procedentem à peculiari affectu, & non ab alio. v. g. pœnas imponit hæresi, facto hæreticali, prout procedit ab errore intellectus. Addit, incurri censuram ob defectum actus interni, etiam si exterius nullum signum talis defectus appareat. At *Turrianus de cens. lib.* 1. *disp.* 4. *dubitat.* 2. abnegat meritò; quia si vellet Hurt. Suar. Turr.

Ecclesia huiusmodi defectum internum punire pœna aliqua distincta à censura, non posset; non enim posset ipsa constare.

68. *Quid si actus externus sit bonus, & ex mala intentione procedat?* Asserit *Suarius* 18. non esse censuræ obnoxium; quid si omnino incognitum Ecclesiæ.

Suar.

69. *Actus internus est mortalis, externus autem venialis: potest ferri censura?* Non; quia Ecclesia actum externum pœna illa flagellat, & ideo debet esse mortalis. *Sanchez apud Portlium v. excommunicatio in add. n. 11.*

Sanch.

70. *Censura fertur contra facientes: illigat ne mandantes, consulentes?* Non; quia hi non faciunt, & quando Pontifices intendunt illos comprehendere, claris verbis exponunt. *Auila p. 2. c. 5. d. 3. dub. 2. concl. 1.*

Auila.

71. *Dixisti, reum prius admonendum, nec enim potest quis censura ligari, nisi Ecclesiam non audierit, contumacia laborans: rogo, an admonitio debeat fieri censura communicatione?* Ita quidem, vt censura ipsa contemnatur, prius quàm incurri possit. *Coninch d. 13. dub. 9. n. 82.*

Conin.

72. *An quando iudex non vt iudex, sed vt persona privata ad defensionem iuris proprij fert censuram, possit excommunicare absque præmissa admonitione?* Aliqui asseruere, sed probabilius *Turrianus lib. 2. d. 18. dub. 5.* negauit.

Turr.

73. *Fertur (v. g.) Censura sub disiunctione:* Præcipio hoc sub pœna excommunicationis, vel suspensionis; *arbitrio rei relinquens electionem: quandonam ligabit?* Si reus eligit vnam, aut alteram, ligabit ex intentione ferentis, qui voluit, vt illa ligaret, quam reus eligeret. *Quid si ferens nollet eam obligare, nisi reus expressè eligat?* Nulla ligaret; quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. *Turrianus lib. 1. disp. 4. dub. 1.* Scio *Gordonum tom. 2. lib. 7. quæst. 5. cap. 1. num. 5.* contrarium asseruisse.

Turr. Gord.

74. *Fertur censura sub conditione de futuro: habet ne locum appellatio?* Habet, etiam si iudex dicat. *ex nunc sis excommunicatus, nisi, &c.* quia illud, *ex nunc* designat in præsenti, effectum futurum. *Hurtado.* Et licet ab aliis sententiis appellandum sit intra decem dies; à censura tamen licet appellare infra totum tempus propositæ conditionis; quia ad eam contumacia requiritur. Certè sententia censuræ sub conditione non est propriè sententia, donec conditio impleatur. *Auila p. 2. c. 5. d. 5. dub. 11. concl. 3.*

Hurtad. Auila.

75. *Dubius sum, an censuram incurrerim: debeo ne ad cautelam absolui?* Consultè absolutionem procurabis; sed, scan-

dalo

dalo cessante, non teneris. *Tannerus tom.4. d.6.q.10. dub.4.* Tann.
num.60. At *Molina tom.4.tract.3.d.67.n.7.* docet in dubio fa- Molin.
cti, censeri te debere censura irretitum.

76. *Potest ne ferri censura ob peccatum præteritum emendatum?* Non; quia est medicinalis pœna. Sic *Laymanus.* Imò Laym.
cum eodem affirmo per absolutionem tolli debere censuram, cùm primum reus à contumacia recesserit; quia magis contumaciæ, quàm criminis hæresci censura, siquidem post delictum adhuc accedunt admonitiones, vt delinquens à contumacia abstrahatur.

77. *Cur Depositio, Degradatio, & irregularitas non sint propriè censuræ?* Quia sine spe restitutionis ordinariæ homini inferuntur, sæpè ob peccatum merè præteritum; quare nec per absolutionem tolluntur, sed per dispensationem, seu relaxationem legis, aut sententiæ. Sic *Laymanus.* Laym.

78. *Excusat ne à censuris, & pœnis ignorantia mortaliter culpabilis siue iuris, siue facti?* Ex *Suario* excusare asse- Suar.
to, modò non sit crassa, quæ ex malitia, vel nimia negligentia procedit. Excipiendam hinc admoneo homicidij irregularitatem.

79. *Potest quis à censuris, & irregularitate extra Sacramentum pœnitentiæ absolui?* Affirmat *Sanchez* posse Cruciatæ vir- Sanch.
ture. Addit *Coninch.* per priuilegia Regularium. Colligo hinc Conin.
non repugnare, talem absolutionem, vel dispensationem posse absenti conferri, vt *Sanchez* admonuit.

80. *Furiosus, qui ante furorem contumaciter delinquit, potest ne iuris incurrere censuram?* Posse assero cum *Laymano*; sed Laym.
ab homine excommunicari non debere sentio, quin potiùs absolui, si amentia perpetua iudicetur.

81. *Subditus, commisso delicto, fugit: potest ne percuti censura?* Laym.
Etiam absens (ait *Layman*) per nuncium, vel litteras citari potest: isque comparere debet; quod si contumax sit potest excommunicari.

82. *Potest ne incurri censura ob peccatum, quod iuri naturali, aut diuino tantum repugnat?* Non posse asserit *Layman.* Laym.
sed requiri præceptum Ecclesiæ, quod reus contumaciter spernat, saltem interpretatiuo contemptu.

83. *Dixisti, censuram interdum iniustè ferri, sed validè, vt si forma accidentalis procedendi prætermittatur, v. gr. trina monitio: est ne aliquis casus, in quo censura irrita sit, nisi trina admonitio præcesserit?* Vnicum quidem ex *Laymani* do- Laym.
ctrina casum animaduerti, videlicet si Episcopus iis inferat, qui cum excommunicatis participant ea participatione,

quæ communi iure minorem tantùm excommunicationem inducit.

84. *Quinam gaudent facultate absoluendi à censuris, & irregularitate occulta?* Episcopis directè concessa est, (ait *Suarez*) ea tamen fruuntur Prælati inferiores habentes iurisdi-
Molin. ctionem quasi Episcopalem. Et proindo (loquor cum *Molina*) Superiores Regularium respectu suorum subditorum. Et Ca-
Sanch. pitulum (addo ex *Sanchez*) Sede vacante.

85. *Potestas ne absoluendi à censuris per Cruciatam, aut privilegia Regularium, est ne vniuersalis?* Affirmat *Henriq.* quoad
Henriq. omnes suspensiones siue à iure, siue ab homine sine vlla exceptione; quoad alias censuras proprio in loco disputabimus.

86. *Episcopo quis subditus ratione domicilij, vel commissi delicti, ab illo particulatim excommunicatus fuit, & postea ab profectus, vel Religionem ingressus est: potest ne iam ab alio Prælato, aut Episcopo consequi absolutionem?* Cum *Laymano*
Laym. non posse respondeo; quia præuentus à iudice fuit, & forum ipsius in ipsa causa declinare non valet.

87. *Quidnam est, in foro conscientiæ absolui reum?* Non dicitur absolutio in foro conscientiæ, quod fieri debeat in secreta Confessione: sed quod fiat sine iudicij strepitu, & sine iuris alterius derogatione, ac denique dumtaxat, vt anima
Laym. eius Deo absoluta sit. Sic *Laymanus*. Adiicio autem priuilegiatum absque Ordinarij consensu absolui facilè non debere à censuris notoriis, si eæ ad forum iudiciale deductæ, aut probabiliter deducendæ sint; quia absolutus in conscientiæ foro non ita efficaciter postea, ad præstandam satisfactionem potest vrgeri.

EXAMEN II.

Circa materiam de Excommunicationis Censura.

CAPVT PRIMVM.

De essentia, & diuisione Excommunicationis maioris.

1. *Excommunicatio quid est?* Ecclesiastica censura qua homo baptizatus priuatur spiritualibus bonis, & communicatione ciuili.

2. *Quotuplex est Excommunicatio?* Diuiditur primò in Maiorem,

Maiorem,& Minorem.Maior non incurritur nisi ob mortale peccatum,Minor verò aliquando ob veniale. Quando fertur Excommunicatio absque Maioris, vel Minoris restrictione, sermo est de Maiori, quæ absolutè & simpliciter est Excommunicatio. Secundò,diuido in Comminatoriam,seu ferendæ sententiæ,& in ipso facto , seu latæ sententiæ. Tertiò diuidenda in Excommunicationem latam à iure,& latam ab homine. Hæc autem alia est per generalem sententiam,alia per sententiam particularem.

3. *Quænam Excommunicationis efficiens causa?* Ecclesiasticus homo cum potestate iurisdictionis exterioris fori Ordinaria quidem , vel Delegata.v.g. Parochus excommunicandi potestate caret,quia externa iurisdictione priuatus est.

4. *Quænam forma in Excommunicatione seruanda est?* Tria obseruanda quæ dixi in censuræ communi materia. Præcedet admonitio,denunciatio subsequatur , & ritus ipse qui verborum formam comitatur. Porrò in Excommunicationibus iuris essentialis illa forma est eadem,quæ in constituendo iure requiritur ; vt nimirum sufficienter pœnam imponi per eam ipso facto incurrendam declaretur. At in Excommunicationibus ab homine verba,aut signa externa sunt,quibus actualiter excommunicationem imponi sufficienter exprimatur. Accidentalis verò solemnitas est, qua ex Ecclesiæ instituto Excommunicatio fertur.

5. *Vidimus subiectum censuræ esse hominem subditum baptizatum:rogo,num Vniuersit is possit esse Excommunicationis subiectum?* Ab inferioribus Papa minimè ferri potest Excommunicatio in Communitatem ; imò etiam respectu nocentium irrita esset.Si ferret Pontifex ipse,probabiliter reputo validam. Tunc tamen innocentes, si qui essent, non incurrere affirmo saltem in interno foro;nam in externo tanquam censura affecti sese gerere deberent.

6. *Quænam Excommunicationis occasio?* De iure ordinario non debet infligi nisi ob lethalem culpam adiuncta contra Ecclesiam inobedientia. Imò de absoluta potestate aliter infligi non posse affirmo. Vnde si pro leui culpa ferretur,si quidem in sententia causa ipsa exprimatur,nulla esset ; si autem causa reticeatur , etiam eodem modo non valeret in conscientiæ foro;in externo autem seruanda esset,donec de causa insufficienti constiterit.

Caput II.

De effectibus spiritualibus Excommunicationis Maioris.

7. *Quinam sunt Excommunicationis Maioris effectus?* Plures planè, & spirituales, & temporarij. Spirituales quidem sunt, Priuatio communium suffragiorum, Priuatio item actiua, & passiua Sacramentorum, Priuatio diuinorum Officiorum & sacrarum rerum.

8. *Quid est Excommunicatum communibus priuari suffragiis?* Ecclesia suis ministris præcipit, ne publicè pro excommunicatis orent, aut communia eis applicent suffragia, excepta feria sexta Paraseeues. *An hisce bonis occultus etiam excommunicatus priuatus sit?* Ita planè. *Et qui iniustè ex defectu legitimæ causæ, vel iurisdictionis substantialis excommunicatus est?* Non videtur his suffragiis priuatus: secus si tantùm accidentarius iuridicus ordo defuerit.

9. *Contritus ne gaudet suffragiorum beneficio?* Probabilius reputo non gaudere, donec ab excommunicatione absoluatur; quia per absolutionem communi fidelium addicitur.

10. *Sacerdos Sacrificium Missæ pro excommunicato offert: proderit ne illi suffragium?* Malè equidem agit, sed suffragium proderit; quia id in persona præstitit Christi: fructus enim ex opere operato virtute Missæ Sacrificij confertur. Si autem in persona Ecclesiæ agat, nihil proderit, quoad impetrationem. Si quatenus priuata persona est, & licet agere, & proderit ex opere operantis, dummodo id secretò fiat.

11. *Quidnam de passiua Sacramentorum participatione dicendum?* Hæc quidem non solum excommunicato denunciato verùm etiam occulto prohibita est, nisi inuincibilis ignorantia, vel vrgens necessitas excuset.

12. *Valent ne recepta Sacramenta?* Valent etiam Pœnitentia, si in eius receptione nullum interuenit peccatum; quia excommunicatio non reddit hominem Sacramentorum incapacem sed prohibitum.

13. *Peccant ne ministri, qui excommunicato Sacramenta conferunt?* Si conferant excommunicato vitando, mortaliter delinquunt; si autem rogati non vitando, non peccant. At sese sine necessitate ingerentes, lethaliter delinquere affirmo.

14. *Prohibita ne etiam actiua participatio Sacramentorum?* Prohibita planè, si fauor, aut partes ipsius excommunicati atten

attendantur; at si ius & fauor non excommunicatorum spectetur, vt hi petere Sacramenta ab excommunicato non vitando possunt, ita & ille vicissim rogatus potest ministrare.

15. *Quid si vitandus sit?* Nec rogatus potest ministrare, nisi extrema sit recepturi necessitas, v. gr. in mortis articulo Pœnitentiæ, & Eucharistiæ solummodò Sacramenta; nec enim alia à vitando conferendà, cùm moraliter non sint necessaria.

16. *Quid si extra necessitatem excommunicatus vitandus illicitè ministret?* Non ideò inualidè confert Sacramenta, Pœnitentiam si demas, quæ quidem ad sui valorem iurisdictionem exigit à vitando ablatam. Cæterùm quotiescunque vel à vitando, vel à non vitando Sacramenta ministrantur illicitè, vltra mortalis culpæ reatum, etiam pœna irregularitatis incurritur, nisi probabilis ignorantia, vel ingens necessitas excusare videatur.

17. *Quidnam est, excommunicatum diuinis Officiis, & Sacris rebus priuari?* Priuatur quidem Missa, Officio Canonico, publica processione, omni oratione publica, vel solemni benedictione, quæ aut Ecclesiæ, aut Christi institutione solemniter fit, & alicui ordini coniuncta est. Et quidem ex vi excommunicationis directè prohibetur excommunicato, ne Missæ assistat officio, ne celebret, ne cooperetur ad illud eleemosynam Sacerdoti dando propter id: ne coram excommunicato vitando celebretur, nec cum eodem audiatur. Diuinum autem Officium, si solemniter, & publicè recitetur, excommunicato prohibitum est, non autem priuatim; imò ad id tenetur priuatim, si antea vel Beneficio, vel ex ordine obligatus erat. Alia officia ita prohibentur, vt neque illa celebrare, neque iis interesse debeat, siue aliquem actum proprium ordinis exerceat, siue tantùm assistat, aut cooperetur.

18. *Clerici ne aliquo in Ordine ministrantes incurrunt irregularitatem?* Incurrunt planè. Si verò tantum in diuinis Officiis laicorum more communicent, minorem solummodo excommunicationem contrahunt.

19. *Potest ne excommunicatus Ecclesiastica sepulturæ mandari?* Si ex vitandis non sit, ita equidem, nec funebri honore priuatur, qui proprius est fidelium. Porrò qui vitandum sepeliunt in cœmeteriis, sacrisque aliis locis, pœnam etiam excommunicationis incurrunt.

CAP.

CAPVT III.

De temporariis emolumentis, queis Excommunicatio Maior priuat.

20. *Alios Excommunicationis Maioris recte effectus.* Inhabilem reddit quem ad Ecclesiastica Beneficia priuat iurisdictione,& communicatione forensi,ac ciuili.

21. *Quonammodo excommunicatus inhabilis ad Beneficia reddatur?* Ecclesiastica Beneficia, quæ durante excommunitione conferuntur,non obtinentur ab excommunicato,etiam occulto. At quæ ante excommunicationem recepta essent, retinere potest.

22. *Quid si non recepta fuissent, ante excommunicationem, sed solùm collata?* Sola acceptatio eorum valida esset,etiamsi iam excommunicatus maneret, modò fuerit ante excommuni-cationem collata. Idem affirmo in Pensionibus,siue requirentibus Clericatum, siue non; quia sunt semper Ecclesiastici Beneficij fructus.

23. *Quænam conferentes, & recipientes pœna corripit?* Tam hi,quàm illi peccant mortaliter,& pœnam suspensionis à iudice inferendam incurrunt.

24. *Priuatur ne etiam excommunicatus Beneficiorum fructibus?* Siue ex vitandis sit, siue non vitandis,priuatur fructibus Beneficiorum. Necnon distributionibus quotidianis,quæ iuxta Ecclesiæ institutionem, & consuetudinem aliò erunt applicandæ. Administratione Ecclesiastica temporalium rerum etiam priuatur,~~quoad excommunicationem~~. Valebunt tamen ab eo facta,si sunt simplicis facti.

25. *Tenetur ne Superior, aut iudex ex Beneficij fructibus excommunicatum alere?* Dum ille in contumacia persistit, non tenetur, etiam si citra necessitatem extremam indigeret. *Petit ille,& quærit absolutionem?* Tum potest iudex, si absolutionem differendam iudicet, applicare sustentationi excommunicati Beneficij fructus; imò ipse excommunicatus,si indigeat,sibi potest succurrere. Minister tamen,quem Ecclesiæ seruitium requirit, ex beneficij fructibus est prouidendus.

26. *Recuperat post absolutionem Beneficij fructus non perceptos?* Non recuperat,si iusta fuit excommunicatio; si verò iniusta, iuxta qualitatem iniustitiæ eos magis, minúsque poterit recuperare.

27. *Quonam*

27. *Quonam modo excommunicatus iurisdictione Ecclesiastica priuatur?* Etiam occultus vsu licito, eius prohibetur quoad se, & in fauorem suum. At in fauorem aliorum, si ab iis rogatus sit, & non sit ex vitandis, non est priuatus: ita vt & licitè sua vtatur iurisdictione, & ratione publici officij ipsius acta valeant. Eadémque ratione, siue iurisdictio pro potestate ad præcipiendum, & iudicandum sumatur, siue pro facultate Beneficij conferendi, non vitandus vsu tantùm priuatus est, si actus eius exerceat in fauorem suum: vitandus autem etiam iure est priuatus, ita vt acta non valeant.

28. *Nunc eadem resolutione in electione ad Beneficia accommodanda est?* Ita planè, irrita enim electio est si fiat à vitando; si à non vitando. ~~ab aliis irrita~~ non est, licet irritari potest. In præsentatione illud est proprium, vt si patronus Clericus sit, etiam sit inualida: si laicus, repelli quidem potest: at si consensus accedat Episcopi, conualidatur.

29. *Quid de possessionis collatione?* Si cum aliquo actu iuridico fiat, prohibita, & inualida est, facta quidem ab excommunicato vitando; at si mera receptio sit alicuius in possessionem Beneficij, valet.

30. *Erit ne valida Resignatio?* Si simpliciter fiat, valida erit; si in fauorem tertij, non valet. *Priuatus ne iurisdictione seculari excommunicatus?* Quoad vsum planè priuatus est, imò iurisdictione ipsa, & valore eius priuatur.

31. *Quo modo autem excommunicatus priuatus est forensi communicatione?* Omnis actio ad iudiciale forum pertinens excommunicato est interdicta, eodemque modo aliis respectu excommunicati. *Agit ne licitè in particulari?* In particulari etiam iudicio seculari illicitè agit: & si vitandus sit, sententia eius irrita est. *Quid si in iudicem eligatur?* Probabilius reputo sententiam non esse irritam, sed irritandam. *Potest ne actor esse?* Minimè extra causam suæ excommunicationis siue in Ecclesiastico, siue in temporali iudicio; nec reactor, aut reconuentor sui actoris, nisi in propriam defensionem. Profectò si non sit vitandus, non tenetur ex officio iudex illum repellere, etsi possit; at si vitandus sit, tenetur. *Potest ne esse reus?* Non nisi inuoluntarius, ac necessarius. At defensio nemini denegatur. *Quid de Tabellione?* Grauiter peccat si sese ingerat non rogatus. Et si vitandus sit, etiam acta rescinduntur saltem in externo foro. *Potest ne esse testis?* Minimè, etiamsi nullitatem excommunicationis prætendat, nisi prius ad cautelam absoluatur. Attamen valet eius testimonium, etiamsi ex vitandis sit, donec contra eum exceptio fiat. *Aduocatus potest*

ne

ne munus exercere? Licitè patrocinari non potest, valent tamen acta ab eo, etiam si vitandus sit, si à iudice fuerit admissus: omnino tamen repellendus esset. *Quid de Procuratore?* Admitti in iudicio non debet, si autem admittatur, etiam repelli semper potest, & excipi contra ipsum. At si vitandus sit, omnino repellendum assero.

32. *De tutore denique quidnam?* Excommunicatus tutoris munus non debet accipere; acta nihilominus valent, donec per exceptionem repellatur.

33. *Quonam modo excommunicatus priuatus est communicatione ciuili?* Hæc quidem semper excommunicato est interdicta, aliis non nisi quando ex vitandis esset. At si secus ab ipso, vel ab aliis fiat, culpa tantùm venialis committitur.

34. *Quid si creditor, aut debitor sit excommunicatus?* Si debitor, licitum est creditori cum illo communicare, ad suum creditum recuperandum, etiam si ille vitandus esset. Si autem est creditor, suo iure per excommunicationem non priuatur; at actione petendi in iudicio debitum, priuatus videtur, etsi priuatim petere, & recipere debitum possit.

35. *Licet ne cum excommunicato contractus celebrare?* Cùm vitando non licet: validi tamen sunt, exceptis quibusdam casibus à *Filliucio* hîc expressis.

36. *Possunt ne fieri ab excommunicato Testamenta?* Licitè confici non possunt. At si fiant, valida sunt. Idêmque dicendum de personis, quæ Testamentis intersunt, ob prohibitam sanè communicationem. Porrò hæredi instituendo, licitum est excommunicatum ad condendum Testamentum inducere, etiam vitandum, ob communes excusandi causas, temporalem scilicet vtilitatem. Hæres etiam excommunicatus institui potest si non sit ex vitandis. Tamen hæreditatem adire non valet, nisi priùs excommunicatione expediatur. Cæterùm de quotidiano conuictu infrà.

CAPVT IV.

De alijs accidentalibus excommunicationis Maioris effectibus, déque communicatione cum excommunicato.

37. *SVnt ne alij excommunicationis Maioris effectus?* Sunt quidem alij effectus, quos accidentales appellarim, qui scilicet non nisi ex malitia excommunicati agere volen-

tis, ea quæ per censuram prohibita sunt, assolent incurri. Primus quidem effectus est mortalis culpæ reatus, si agat prohibita directè per censuram, vt est communicatio in diuinis rebus. Irregularitatem autem excommunicatus incurrit, cùm actionem aliquam ordini sacro deputatam exercet. Secundus est præsumptio suspicionis de hæresi. Tertius, priuatio Ecclesiastici Beneficij, vel ipso facto, vel per sententiam. Quartus nullitas absolutionis generalis in rescriptis, si per annum insor descat.

38. *Quid est cum excommunicato communicare?* Vt quis dicatur cum excommunicato participare, primò supponi debet, iam illum in excommuincationem incidisse. Secundò debet esse prohibita participatio cum vitando. Tertiò, nulla adesse necessitas, quæ posset excusare. Et quidem omnes fideles Ecclesiastico præcepto prohibentur, ne cum excommunicato participent, cooperando ad eius contumaciam in crimine. Qui autem præterea cum excommunicato participarent in crimine, excommunicationem Maiorem incurrerent. Debet autem communicatio in crimine eo esse, ob quod excommunicatus est. Qui denique cum excommunicato in diuinis communicaret, vltra mortalem culpam, etiam Minorem excommunicationem incurreret; nam is, qui tantùm in humanis communicaret, etsi in eandem Minorem excommunicationem incideret, venialiter dumtaxat delinqueret.

CAPVT V.

De Absolutione ab excommunicatione Minori.

39. QVonammodo *excommunicatio Maior tollitur?* Profectò contumacia sublata semper auferri posset excommunicatio; tamen ordinario iure per solam absolutionem tollitur.

40. *Quinam absoluit ab excommunicatione iuris non reseruata?* Episcopus proprius, Parochus, & quiuis proprius Sacerdos. *Est ab homine specialis excommunicatio.* Is tantùm absoluit, qui eam tulit, Superior, & ab iis delegatus. Dixi specialem; nam generalis ex probabili opinione cum excommunicatione iuris non reseruata concurrit; quamuis in rigore leges sequatur excommunicationis ab homine specialis.

41. *Si reseruata sit excommunicatio, à quonam est accipienda absolutio?* Siue sit iuris, siue hominis, is solus absoluit, qui tulit, successor, Superior, & ab iis delegati.

42. *In mortis articulo absolutus ab eo, qui aliàs non posset, ad quidnam tenetur ab ægritudine liber?* Etsi quoad effectum recipiendi absolutionem directam obligatus non manes; obligaris tamen ad te præsentandum Superiori legitimo.

43. *Alibi censuras contraxi, sed alia in diœcesi nunc fortior domicilium, à quonam absoluendus?* Episcopus diœcesis huius est proprius tuus Sacerdos respectu censurarum, quas alibi contraxisti.

44. *In aliena vagor diœcesi, à quonam sum excommunicatione absoluendus?* Si ad breue tempus vagas, non potes à loci Episcopo absolui: secus si mora esset diuturna. Fateor eos qui vagi propriè dicuntur, etsi ad breue tempus, ab Episcopo loci, in quo morantur, absolui posse; quia hi nulli speciali Episcopo addicuntur.

45. *Habet ne forma absolutionis ab excommunicatione aliquid peculiare?* Forma substantialis nil habet peculiare vltra ea, quæ de absolutione à censura in communi respondi. Accidentalis autem à iure præscribitur, vt præstito à pœnitente solito obedientiæ iuramento, & iuratoria saltem cautione, nudatis humeris flagello cædatur cum Pœnitentiali Psalmo, & solitis orationibus, inde absoluatur, & absolutus dimittetur. Hæc quidem fieri debent in solemni ac publica absolutione; nam in priuata fori conscientiæ iuramentum satis est, & iuratoria cautio, & recitatio Psalmi secreta forma solita absolutionis adiuncta. *Quid si in publica, aut secreta huiusmodi accidentalis forma non obseruetur?* Non ideo irrita erit absolutio.

CAPVT VI.

De Excommunicatione Minori.

46. *Quid est Excommunicatio Minor?* Priuatio quædam participationis passiuæ Sacramentorum, & Ecclesiastici Beneficij. Differt planè ab excommunicatione Maiori, aliisque censuris, vt patet, cum tamen ipsa vera censura sit, vtpote vera pœna Ecclesiastica fori contentioſi requirens iurisdictionem externam, & instituta sit ad correctionem.

47. *Quanam*

47. *Quænam eius causa efficiens?* Eadem, quæ Maioris. Et potest & à iure, & ab homine ferri, tum per generalem, tum per specialem sententiam.

48. *Causa dispositiua quænam est?* Peccatum externum siue mortale, siue veniale; aliqua etiam contumacia illi adiungenda.

49. *Quando incurritur?* Vnico in casu, videlicet indebitæ participationis cum excommunicato Maioris excommunicationis.

50. *Effectus excommunicationis Minoris exhibe.* Duo sunt. Primus quidem priuatio receptionis Sacramentorum, ita vt licitè ea recipi ab excommunicato Minoris excommunicationis non possint; valida tamen erunt, si sumantur omnia, Pœntentiam si excipias. Alias communicationes siue in Diuinis, siue in humanis non prohibet; vnde sic excommunicatus licitè Sacramenta administrat. *Si celebrat?* Grauiter quidem peccat; quia Sacramentum in communione recipit; sed nullius notam irregularitatis incurrit. Secundus effectus est priuatio passiuæ electionis ad Beneficium: non ita vt electio ipso iure sit irrita, sed vt debeat irritari, etsi Beneficium ad quod eligitur, simplex esset. *Quid de actiua electione?* Non modò valida, imò & licicita est. *Electores ne committunt culpam ob communicationem cum electo excommunicato?* Non committunt, nisi denunciatus esset. At quia personam inhabilem eligunt, ex suo genere grauiter delinquunt, etsi leuis ex materia culpa esse posset.

51. *Quonam modo ab excommunicatione Minori fertur absolutio?* Si lata illa sit per sententiam particularem, vel nominatim, etiam si reseruata non esset, solus author Superior, vel ab his delegatus absoluet. Si autem per generalem, etsi neque hoc, neque illo modo ferri soleat, probabile est eum posse, qui potest ab eâdem, si sit à iure, absoluere, modò reseruata non sit. Igitur ab excommunicatione Minori à iure lata quicunque Sacerdos, qui absoluere potest à culpa mortali, absoluere valet; non tamen qui potest à veniali culpa, potent etiam ab eo ob venialem culpam incursa; quia censuræ absolutio proprium exigit Sacerdotem, vel alium ipsius vice. Vnde simplex Sacerdos, qui alienus quidem est non posset, nec alienus Parochus. Quique autem Religiosi ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum admissi, etiam possunt absoluere ab ea in Sacramento pœnitentiæ, Extra ve- ro quicumque Clericus posset habens ordinariam iurisdictionem, vel ab eo delegatam.

52. *Num ligatus etiam Minori excommunicatione possit alium eadem illigatum absoluere?* Quò ad valorem potest, non tamen quò ad licitum vsum: nam venialiter peccaret, si Sacramentalis esset absolutio; secus si extra Sacramentum censura remitteretur.

CAPVT VII.

De Excommunicato vitando, ob cuius communicationem Minor excommunicatio incurritur: quibus in casibus vitandus sit, & quibus cum eo participans excusari possit?

53. *QVænam obligatio est vitandi excommunicatum, ob cuius communicationem excommunicatio Minor incurritur?* Peccatum aut mortale, aut veniale inducit iuxta materiæ, & directæ prohibitionis grauitatem, vel leuitatem. Si enim cum excommunicato communices in diuinis, mortalem culpam admittis; venialem, si in humanis exceptis quibusdam casibus, in quibus ad culpæ lethalis grauitatem potest accedi: & aliis, in quibus, nec venialis culpâ commissa potest quis cum excommunicato communicare.

54. *Quinam est excommunicatus vitandus nouo ac antiquo iure?* Antiquo quidem quilibet excommunicatus erat vitandus: si occultus, occultè: si publicè cognoscentibus. At nouo Extrauagantis *ad euitandum* iure duo tantùm vitandi sunt, denunciatus, & notorius Clerici percussor, in quo quidem Constantiensis, non Basilienſis Concilij constitutioni standum. Vnde non quilibet notorius excommunicatus, sed is tantùm, qui percussor est Clerici, vitandus erit.

55. *Quis autem dicitur notorius Clerici percussor?* Qui per euidentiam facti ita percussit, vt nulla tergiuersatione celari possit. Requiritur, me authore, vt delictum coram multis testibus factum sit, & deinde ex eorum testimonio publicum actum. *Effectum.*

56. *Quidnam autem ad denunciationem requiritur?* Non satis est sententiam excommunicationis à iudice latam esse, sed affixio eius per loca publica ciuitatis adiungenda.

57. *Quandonam occultus excommunicatus participans peccat?*

peccat? Semper quò ad se, hoc est, si sua tantùm voluntate, & causa, non rogatus participet, At si rogetur ab aliis, in eorum fauorem non peccat; vnde multò magis in eorum saltem fauorem in vtroque foro retinet iurisdictionem. Itaque publicus excommunicatus vitandus non est, nisi denunciatus sit, nec in publico, nec in secreto: notorius autem Clerici percussor vitandus planè etiam ante denunciationem. Nec solùm excommunicatus denunciatus, verùm etiam suspensus, & interdictus denuncietur, eodem modo sunt vitandi. Si

58. *Enim verò quibusnam in casibus excommunicatus est ab aliis vitandus?* In quibus ipse tenetur alios vitare, specialiter tamen in quinque vulgari carmine comprehensis.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Et quidem nomine *Os* osculum pacis, oris locutio, scripta, munerum missio, & receptio prohibentur. Voce *Orare* omnis participatio in suffragiis, oratione, Sacramentis & Officiis diuinis interdicitur. Per *Vale* omnis honorifica salutatio verbo, vel scripto, vel alio externo signo prohibetur. Per verbum *Communio* quælibet humana communicatio per cooperationem in eodem exercitio, vel negotio intelligitur, vt esset cohabitatio, celebratio contractus, deambulatio, & Societas in itinere per modum communicationis. Per *Mensa* denique participatio omnis in cibo, & potu comprehenditur. Vnde nec simul in eadem mensa, eodemque conuiuio comedere, nec in eodem diuersorio esse, aut hospitari ratione eiusdem lecti poterit quis cum excommunicato.

59. *Num aliqua communicatio ex dictis lethali crimine perficitur?* Cunctæ hæ communicationes, excepta illa vocis *Orare*, non excedunt peccatum veniale per se loquendo, tam respectu aliorum cum excommunicato, quàm respectu ipsius excommunicati cum aliis agentis.

60. *Sunt ne aliqui casus, in quibus etiam peccatum mortale possit impertingere?* Ita planè. v.gr. si fiat in Clauium contemptum. Si frequenter cum animo perseuerandi, quod sapit contemptum. Si specialiter declaratum sit talem communicationem esse vitandam, vt cum contra participantes excommunicatio fertur.

61. *Quisnam in casibus participans cum excommunicato excusetur?* Aliis quinque in casibus Carmine etiam vulgari expensis.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Singulas expende particulas. *Vtile*, idest vtilitas vera, non

ficta tam spiritualis, quàm temporaria, tam propria eius qui agit non excommunicato, quàm ipsius excommunicati, cum quo agendum esset. *Lex* matrimonium significat; nam & viro excommunicato, licet vxori cum eo habitare, petendo, & reddendo debitum: imò ad id tenetur, si matrimonium iam contractum est: & vicissim excommunicata vxore, licet viro cum ea eodem modo cohabitare. Per *Humile* intelliguntur omnes alteri subiecti, siue tanquam filij, etiam emancipati, & illegitimi; siue tanquam serui, & ancillæ; siue tanquam familiares, vel rustici; siue tanquam subiecti spiritualiter suo Prælato. Verùm per *Res ignorata* intellige probabilem ignorantiam, vel facti, vel iuris. Dubitans autem de alterius excommunicatione, vel denunciatione, non debet illum vitare: secus qui de sua excommunicatione dubitat; tenetur enim abstinere. Denique per *Necesse* necessitatem intellige, tam ex parte ipsius excommunicati, quàm ex parte aliorum cum eo communicantium: tam si de spirituali agatur necessitate, quàm si de temporali, vnde subsidium, vel spirituale, vel temporale sit necessarium.

CAPVT VIII.

De Excommunicationibus in particulari tam reseruatis, quàm non reseruatis.

§. 1. *Excommunicationes in particulari.*

62. *Vellem te excommunicationes in particulari reuocare ad memoriam.* Omnes equidem tribus classibus addicuntur. Prima comprehendit septuaginta tres nemini reseruatas. Secunda sexaginta duas Papæ reseruatas extra Cœnæ Bullam. Tertia verò viginti in Bulla Cœnæ reseruatas videtur continere. Porrò excommunicationes reseruatæ extra Bullam Cœnæ & contra omnes & contra Clericos, & contra Episcopos, & contra Religiosos, & contra dominos temporales, & contra Magistratus, & iudices præscribuntur; excommunicationes reseruatæ in Bulla Cœnæ contra varios Ecclesiæ hostes, excommunicationes autem non reseruatæ & contra omnes, & contra Clericos, & contra personas publicas contorquentur.

§. 2. *Reseruatæ contra personas publicas.*

63. *Contra personas publicas reseruatas excommunicationes extra Bullam Cœnæ recense.* Decem & sex adnumerabo: 1. Contra Prælatos vexantes censuris commorantes in seruitio

to Papæ. 2. Contra Cardinales non seruantes statuta à Iulio II. *Cùm tam diuino.* 3. Contra Cardinales gesta in secreto consistorio reuelantes. 4. Contra Episcopos, qui in suspicione beneficia conferunt. 5. Contra Cardinales ambientes Papatum, & eius causa Simoniacos. 6. Contra Cardinales Simoniacos in Ordine, & Beneficio. 7. Contra Prælatos, qui Ecclesiasticum ad forum laicale traxerint. 8. Contra Prælatos dantes nunciantibus prouisionem Beneficiorum. 9. Contra dominos temporales cogentes aliquem tempore interdicti. 10. Contra prohibentes subditis, ne vendant Ecclesiasticis. 11. Contra personas Ecclesiasticas bannientem. 12. Contra concedentes in terris suis duellum. 13. Contra inquisitores malè procedentes contra hæreticos. 14. Contra Officiales non reddentes integrè computa Cœna Apostolicæ. 15. Contra officiales Pœnitentiariæ sibi interdicta facientes. 16. Contra officiales status Ecclesiastici recipientes munera, præter comestibilia.

§. 3. *Reseruata cõtra Clericos.*

64. *Quotnam autem sunt contra Clericos excommunicationes reseruatæ.* Vndecim. 1. Contra participantes cum excommunicato à Papa. 2. Contra inducentes ad iurandum de sepultura eligenda. 3. Contra procurantes Ecclesiarum alienationem. 4. Contra procurantes eligi in successorem Papæ. 5. Contra Prædicatores non seruantes decreta pro eis in Lateranensi præscripta. 6. Contra Parochos non adimplentes iuramenta de residendo. 7. Contra retinentes Beneficia in confidentiam. 8. Contra absoluentes à casibus Bullæ Cœnæ vel Ordinariorum. 9. Contra trahentes Ecclesiasticos ad forum laicale. 10. Contra consentientes vsurpationibus Ecclesiarum aduersùs Religiosos. 11. Contra administrantes Sacramenta Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ sine licentia Parochi.

§. 4. *Reseruata cõtra Regulares.*

65. *Quotnam excommunicationes reseruatæ contra Regulares, vel eorum causa?* Duodecim. 1. Contra Mendicantes ad non Mendicantes transeuntes. 2. Contra tenentes apostatas Dominicanos. 3. Contra Moniales de clausura sine licentia exeuntes. 4. Contra Superiores non denunciantes eos, qui solicitant mulieres in Confessione. 5. Contra Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum. 6. Contra Minores de obseruantia in electionibus subornantes. 7. Contra euntes vltra mare sine Superiorum licentia. 8. Contra Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. 9. Contra Tertiarios portantes habitum Minimorum. 10. Contra Minimos subtrahentes se à Correctorum obseruantia. 11. Contra

Minores tempore interdicti admittentes fratres tertij Ordinis ad diuina. 12. Contra recipientes aliquem è Societate IESV, exceptis Carthusianis, sine licentia Papæ, vel R. P. Generalis nostri.

§. 4. *Reseruata contra omnes.*

66. *Contra omnes communiter quotnam reseruata excommunicationes inueniuntur?* Quinque supra quadraginta. Contra percussores Clericorum. 2. Contra perseuerantes per annum in excommunicatione lata à Papæ delegato. 3. Contra literarum Pontificalium falsarios. 4. Contra habentes literas Apostolicas falsas, & non destruentes. 5. Contra incendiarios ab homine excommunicatos, & denunciatos. 6. Contra Sacrilegos effringentes Ecclesias. 7. Contra communicantes in crimine cum excommunicato à Papa. 8. Contra eligentes insignem potentia in Romanum Senatorem. 9. Contra vexantes eos qui in aliquos tulere Censuram. 10. Contra absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. 11. Contra offendentes Cardinales. 12. Contra exigentes tributa à personis Ecclesiasticis. 13. Contra violantes interdictum modis prohibitis in Clement. *Graue, de sent. excom.* 14. Contra monetam Regis Franciæ falsificantes. 15. Contra exenterantes corpora defunctorum. 16. Contra Sedis Apostolicæ interdictum violantes. 17. Contra conspirantes in Romani Pontificis personam. 18. Contra dantes, & recipientes ob Religionis ingressum. 19. Contra Simoniacos in Ordine, & Beneficio. 20. Contra taxantes opiniones de Conceptione B. Mariæ Virginis. 21. Contra dantes, & recipientes pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam. 22. Contra offendentes Magistratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. 23. Contra dantes nunciantibus prouisiones Beneficiorum. 24. Contra occupantes bona Cardinalium in Conclaui. 25. Contra fingentes se Cardinalium nepotes, vt literas Apostolicas expediant. 26. Contra impedientes executionem literarum S. Pœnitentiariæ. 27. Contra supponentes se in examine, vt Beneficia impetrent. 28. Contra ambientes Papatum, eiusque causa simoniam committentes. 29. Contra committentes duellum, consulentes, &c. 30. Contra deferentes allumina ex partibus infidelium. 31. Contra mittentes literas, aut nuncium in Conclaue. 32. Contra occupantes bona Montium pietatis, & piorum locorum. 33. Contra fœminas ingredientes Monasteria Regularium. 34. Contra suadentes Papæ, vt loca Ecclesiæ infeudet. 35. Contra capientes Christianos habitantes inter Turcas. 36. Contra committentes simoniam confidentialem. 37. Contra non

reuelan

reuelantes conspiratores in Cardinales. 38. Contra proponentes populo indicem casuum, & indulgentias. 39. Contra accipientes fructus primi, vel secundi anni Beneficij vacantis. 40. Contra impugnantes Societatis IESV institutum. 41. Contra facientes iurare illicita, & contraria libertati. 42. Contra diripientes animalia, & bona alia ex statu Ecclesiæ. 43. Contra violantes Ecclesiasticam immunitatem. 44. Contra docentes posse fieri Confessionem Sacramentalem in absentia. 45. Contra extrahentes frumentum ex Ecclesiastico statu, & locis immediatis.

§. 6. *Reseruatæ in Bulla Cœnæ.*

67. *Excommunicationum reseruatarum in Bulla Cœnæ memoriæ gratia epilogum adijcias.* Viginti illæ excommunicationes ad quinque capita reducendas duxi. Primò ad fidem, vnde excommunicantur omnes hæretici schismatici, legentes libros, &c. vt in *prima Excomm.* Secundò ad caput Ecclesiæ, qui est Summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. In primis vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium, vt in *secunda Excomm.* Deinde vt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis; & sic excommunicantur vsurpantes bona & iurisdictionem ad ipsum pertinentem, vt in *vigesima Excomm.* Tertiò ad Ecclesiam Christianam, quæ potest offendi tum in suis personis, & membris, vel per latrocinium maritimum vt in *tertia*; vel per raptum bonorum naufragantium, vt in *quarta*; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in *quinta*; vel per offensionem Romipetarum, vt in *decima*: tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christiani nominis, vt in *septima.* Quartò ad fidem Apostolicam, quæ offendi potest in primis in personis, quæ sub eius protectione adsunt, quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papæ, vt in *octaua*; venientes ad eam pro negotiis, morantes, & recedentes, vt in *nona*; & recurrentes ad illam, vt in *duodecima.* Deinde quoad suam authoritatem, vel per falsificationem literarum Apostolicarum, vt in *sexta*, vel per appellationem à grauamine ad laicam potestatem, vt in *decima tertia*; vel per vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, vt in *decima septima.* Quintò ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ potest offendi in primis ratione principalium eius membrorum, quales sunt Cardinales, Nuncij, Episcopi, alij Prælati, vt in *vndecima.* Deinde derogando eius authoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à laicis, vt in *decima quarta*; vel per immunitatẽ fori, vt in *decima quinta*; vel per recursum à iurisdictione Ecclesiastica ad laicam,

cam, vt in *decima sexta.* Denique derogando eius libertati, vel per impositionem onerum personis, & bonis Ecclesiasticis, vt in *decima octaua*; vel per cognitionem causarum criminalium pertinentium ad Clericos, vt in *decima nona Excomm.*

§.7. *Non reseruatæ contra magistratus, & iudices.*

68. *Iam verò excommunicationes nemini reseruatas ruminemus. In primis autem quotnam contra Magistratus & iudices latæ sint, aperias.* Nouem inueni. 1. Contra negligentes ius Ecclesiasticis reddere. 2. Contra facientes seruari statuta in libertatem Ecclesiasticam. 3. Contra officiales ciuitatis non seruantes contenta in cap. *vbi periculum.* 4. Contra torquentes pecuniam prætextu officij inquisitoris. 5. Contra potestates fouentes vsuras. 6. Contra non adiuuantes in clausura Monialium Episcopos. 7. Contra Doctores & Professores non facientes possessionem fidei. 8. Contra non parentes Cardinalibus inquisitoribus in ipsorum officio. 9. Contra permittentes portare arma breuiora palmis tribus instrumento Ecclesiastico.

§.8. *Non reseruatæ contra Dominos temporales.*

69. *Quotnam contra Episcopos non reseruatæ reperiuntur excommunicationes?* Quatuor. 1. Contra suscipientes præfaturam in ciuitate diuersarum linguarum. 2. Contra venientes ad Vrbem, & inde recedentes sine licentia Papæ. 3. Contra permittentes habitum Fraticellorum inter se. 4. Contra impetrantes litteras à Principibus ad dignitates.

§.9. *Non reseruatæ contra Regulares.*

70. *Contra dominos temporales quotnam non reseruatæ?* Sex. 1. Contra præcipientes subditis, ne obsequia Ecclesiasticis præstent. 2. Contra impedientes promotionem Officij Inquisitionis. 3. Contra concedentes repressalias contra Ecclesiasticos. 4. Contra retinentes nomen Vicarij Imperatoris vacante Imperio. 5. Contra non seruantes statuta in *cap. felicis, de pœn. in sexto.* 6. Contra permittentes in terris suis taurorum agitationes.

71. *Contra Religiosos autem quotnam?* Tredecim exprimam, 1. Contra audientes leges, vel medicinam extra claustra. 2. Contra instituentes nouum Ordinem sine licentia Papæ. 3. Contra professos temerè habitum dimittentes. 4. Contra occupantes decimas, & impedientes solutionem. 5. Contra adeuntes Curiam Principum ad nocendum suis. 6. Contra tenentes arma extra claustra sine licentia. 7. Contra fouentes statum Beguinarum. 8. Contra professos Matrimonium contrahentes. 9. Contra Mendicantes recipientes nouas domos. 10. Contra retrahentes auditores à decimis soluendis. 11. Contra non seruantes interdictum, quando

à Cathedrali obseruatur. 12. Contra Mendicantes & Parochos intra se pacem non seruantes. 13. Contra Capucinos Minores de obseruantia recipientes.

§.10. *Non reseruata contra Clericos.*

72. *Quotnam contra Clericos nulli reseruata excommunicationes?* Vndecim. 1. Contra suscipientes munus administrandi in ciuitate diuersorum rituum. 2. Contra audientes medicinam & leges, si sint Sacerdotes, vel personatum habentes. 3. Contra Sacerdotes recipientes præfecturam secularem. 4. Contra procurantes, vt alij occupent regalia, & iura Ecclesiarum vacantium. 5. Contra minores Episcopis, qui domos vsurariis alienigenis locant. 6. Contra matrimonium contrahentes, si sint in sacris. 7. Contra alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes vltra triennium. 8. Contra ficte resignantes, vel permutantes Beneficia. 9. Contra impugnantes in concionibus montes pietatis. 10. Contra interessentes agitationibus taurorum, si sint in sacris. 11. Contra præsumentes absoluere à casibus in Bulla Cœnæ contentis.

§.11. *Non reseruata contra omnes.*

73. *Denique recense excommunicationes non reseruatas aduersus omnes communiter.* Triginta ex iuribus collegi. 1. Contra conducentes Bononiæ domos alterius Scholastici, vel Doctoris. 2. Contra habentes ratas orationes factas à schismaticis. 3. Contra alloquentes secretò Cardinales, dum sunt in Conclaui. 4. Contra vexantes Ecclesiasticos, quia non elegerint eum, pro quo rogabantur. 5. Contra occupantes regalia, & bona Ecclesiastica vacantia titulo defensionis. 6. Contra directores Monialium discordias fouentes. 7. Contra procurantes, vt conseruatores procedant in aliis, &c. 8. Contra extorquentes absolutionem à censuris per vim, aut metum. 9. Contra inducentes per fraudem iudicem, ad testimonium fœminæ. 10. Contra compellentes Ecclesiasticos, vt submittant laicis iura Ecclesiæ. 11. Contra exigentes pedagia, &c. ab Ecclesiasticis personis. 12. Contra docentes leges, aut medicinam Religiosos. 13. Contra sepelientes hæreticos, &c. in locis Sacris. 14. Contra mandantes interfici Christianum per assassinos. 15. Contra extendentes repressalias concessas contra Ecclesiasticos. 16. Contra impedientes sequestrum factum ab Ordinario super Beneficia. 17. Contra sepelientes tempore interdicti, vel interdictos 18. Contra impedientes Visitatores Monialium. 19. Contra assumentes statum Beguinarum. 20. Contra matrimonium in casibus prohibitis contrahentes. 21. Contra impugnantes litteras Papæ non coronati. 22. Contra profitentes falsam Religionem

nem Fraticellorum. 23. Contra imprimentes libros absque licentia Superiorum. 24. Contra edentes glossas in Tridentinum, vel in Clement. *Exiui.* 25. Contra asserentes non esse necessariam Confessionem ante Eucharistiam. 26. Contra raptores mulierum, & fautores. 27. Contra cogentes ad matrimonium. 28. Contra cogentes fœminas ingredi monasteria. 29. Contra vexantes Sanctum Officium. 30. Contra pingentes, & decorantes Agnos Dei cereos.

NB. Hæ partim & supra in Germania notæ aut suscepta partim nimis obscurè proponuntur. V. Fill.

CAPVT IX.

Ex hisce excommunicationibus reseruatis, & non reseruatis eas seligo, quæ communi vsui esse possunt.

§. 1. *Excommunicationes frequentiores ad vsum ex reseruatis.*

74. NE *excommunicationum mole memoria grauetur, & vtpretium est, eas solummodo ad epitogam reuocat, quæ communi vsui adhærescunt. Igitur ex reseruatis quænam sunt præcipuæ quoad vsum?* Ex septuaginta duabus solummodo septem adnotandas duxi. Prima est contra percussores Clericorum, mandantes, &c. *Si quis suadente* 17. q. 4. Secunda contra violantes interdictum Sedis Apostolicæ. Extrau. *Ess Dominici, de pœn. & remiss.* Tertia contra Simoniacos in ordine, vel Beneficio, & Simoniacos confidentiales. Extrau. *cum detestabile, de Simon.* Quarta contra committentes duellum, consultores, fautores, &c. diffidentes, &c. *Pius IV. n.* 25. *Greg. XIII. & Clem. VIII.* Quinta contra dantes, vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam. *Gregor. XIII.* Sexta contra mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. *Gregor. XIII.* Septima contra extrahentes victualia, vt frumentum, bladum, legumina, & oleum. *Paul. V.* in *ber grauissimas.*

munera

ex statu Ecclico

§. 2. *Ex non reseruatis.*

75. *Ex non reseruatis autem quænam præcipua quoad vsum collegisti?* Ex septuaginta tribus quatuordecim selegi. Prima quidem est contra occupantes bona Ecclesiarum vacantium. *c. generali, de elect. in* 6. Secunda contra compellentes personas Ecclesiasticas, vt laicis bona Ecclesiastica submittant. *c. 2. de reb. Eccl. non alien. in* 6. Tertia conrra sepelientes hæreticos, excommunicatos, interdictos in loco sacro. *cap. 2. de hæret. in* 6. & *Clem. 1. de sepult.* Quarta aduersum contrahentes in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus, vel persona sacra,

tum patronis

sacra, aut religiosa. *Clem. 1. de consang.* Quinta contra impedientes visitatores Monialium, si admoniti non desistant. *Clem. attendentes, de statu Monial.* Sexta contra imprimentes, mandantes imprimi, vendentes libros sine approbatione Superiorum. *Leo X. Bull. 10.* Septima contra raptores mulierum, & contra præbentes illis auxilium. *Trid. sess. 24. cap. 6.* Octaua cogentes mulieres ingredi in monasteria, vel impedientes earum ingressum, vel ne liberè contrahant matrimonia. *Trid. sess. 24. c. 9.* Noua contra procurantes abortum fœtus animati. *Sixtus V. in Bulla effrænatum.* Decima pro Ecclesiasticis contra alienantes bona Ecclesiastica, vel vltra triennium hypothecantes. *Extrau. ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* Vndecima pro eisdem contra audientes medicinam, aut leges si sint Sacerdotes, vel habentes personatum. *cap. super speculæ, ne Clerici,* &c. Duodecima pro personis publicis contra facientes statuta aduersum libertatem Ecclesiasticam. *cap. nouerit, de sentent. excomm.* Decima tertia pro eisdem contra non adiuuantes Episcopos in clausura Monialium. *Trident. sess. 25. cap. 5. de Regul.* Decima quarta pro eisdem, contra Doctores, & Professores cuiuscunque facultatis non facientes professionem fidei in manibus Ordinarij. *Pius IV. Bull. 112.*

locantes

CAPVT X.

De excommunicatione reseruata contra Clericorum percussores.

76. *EXpendamus vberius excommunicationem illam cap. si quis suadente, contra Clericorum percussores. Quidnam comprehendit?* Tria præcipuè. Personas, quæ subiiciuntur Canoni; personas quæ gaudent hoc priuilegio; & actiones, ob quas excommunicatio incurritur.

77. *Quænam personæ Canoni subijciuntur?* Viri, fœminæ etiam impuberes, Superiores, inferiores, Clerici, & laici, Religiosi habentes dignitatem, & non habentes, Episcopi, & Cardinales, dummodo hi omnes habeant rationis vsum, & peccare mortaliter possint.

78. *Quænam personæ hoc gaudent priuilegio?* Clerici, etiam habentes primam Tonsuram: etiam coniugati, modò deferant habitum, & alicui seruiant Ecclesiæ, & bigami non sint:

sint: etiamsi coniugati dimiserint habitum, modo postea illum resumant, & contraxerit cum virgine: etiam excommunicati, suspensi, interdicti, degradati tantum verbaliter: etiam Monachi professi, & professæ, Religiosi, & nouitij; etiam fœmina: fratres Tertiarij gregatim viuentes, & habitum gestantes: sorores Tertiariæ cum voto castitatis, etiamsi domi viuant: Eremitæ subiecti alicui regulæ, vel Superiori: equites Melitenses, & aliæ Ecclesiasticæ personæ.

detinendo

79. *Quænam sunt actiones, ob quas excommunicatio incurritur?* Aliæ sunt principales, vt iniectio manus violentæ in personam, etiam persequendo furiosè, ita vt cogant aliquod malum pati dummodo in custodia: vel iniectio manus violentæ in res adhærentes personæ, detinendo violenter per vestes, vestes lacerando, fræno equum cohibendo, lacerando cingulum. Aliæ sunt accessoriæ, vt mandare, ratum habere nomine suo factum, consentire consulendo, auxilium & fauorem ferendo; non impediendo, cum ex iustitia, seu charitate absque proprio periculo teneatur; percutiendo Clericum sponte sese subiicientem correctioni, vel seipsum (scio duo hæc magis propriè extensionem principalis actionis, quàm accessoria dici debere.) Admonuerim percussionis effectum sequendum esse, vti excommunicatio teneat; nec enim vnquam ob percussionis voluntatem, aut procurationem quis excommunicationis gladio percutitur.

verberationi

80. *Quandonam ab huiusce excommunicationis incursu excusabimur?* Excusamur primò, ratione imperfectionis actus, v.g. si sit indeliberata percussio, & subita, & iocosa, casualis, in Clericum non formaliter, non animo iniuriandi, sed ipsum defendendi. Secundò, ratione ignorantiæ probabilis, v.g. quia non cernat personam, quia de nocte percutit; non cognoscat ex habitu, quia non gestat; putet esse laicum, etiamsi ferat habitum, idque rationabiliter. Tertiò, ratione correctionis, & disciplinæ, v.g. Prælati Clericos etiam torquere possunt; Magistri discipulos etiam per laicum corrigere; officiales in Ecclesia Clericos diuina officia turbantes; seniores in Ecclesia, etiamsi non habeant officium; domini seruos & familiam; parentes, & propinqui filios, & consanguineos. Quartò, ratione defensionis propriæ vitæ, vitæ suorum, & vxoris, filij, parentum, familiæ, rerum suarum. Quintò, ratione amissionis priuilegij, v.g. si sit Clericus degradatus realiter, bigamus in minoribus, scurra per annum, vel breuiori tempore ter monitus, & non desistens; exercens

publicè

publicè macellum, vel tabernarium, & ter monitus, &c. Incedens publicè in habitu laicali; ferens arma militaria, & ter monitus, & miscens se turpibus, & enormibus; repertus cum vxore, filia, matre, à marito, patre, filio, &c. requirens inhonestè mulierem, & eam tangens.

81. *Quisnam denique ab huiusmodi inflicta excommunicatione absoluit?* Absolutio Papæ reseruata est, quando est percussio enormis, v. g. si membrum mutiletur, vel sanguis in magna copia effluxerit, vel persona digna esset. Item quando est percussio mediocris, quæ cognoscitur quidem ex extremis (enormi scilicet & leui) hæc enim media est inter illas. Porrò percussio leuis ab Episcopo proprio absoluitur. Est autem leuis illa, quæ licet in se peccatum mortale sit, comparatione tamen illarum leuis dicitur: v. g. quæ fit pugno, palma, &c. & vniuersaliter definienda est Episcopi, vel prudentis viri arbitrio.

82. *Excusantur ne ab eundo Romam aliqui cum percussio mediocris fuit, aut enormis aliquando?* Triplici quidem ex capite excusantur. Primò corporali impedimento, v. gr. in articulo mortis constituti, ratione inimicitiæ grauis si percussit, pauperes, ægri, valetudinarij, debiles, senes, cœci, & claudi. Secundò Canonico impedimento, v. g. serui, & filijfamilias, exercentes munus publicum habentes iustam causam. Tertiò, iuris beneficio, v. g. mulieres, impuberes, officiales Principum arcentes turbam, ostiarij prætextu officij percutientes, Clerici simul viuentes, Regulares, nobiles & delicati viri.

Caput XI.

Praxis circa materiam de Excommunicatione ex Societatis Iesv *Doctoribus.*

§. 1. *De excommunicationis effectibus, ac primò de suffragiorum priuatione.*

83. Ex *prædictis requiro: num celebrans possit pro excommunicatis secretò orare?* Vt persona priuata potest, vel in Momento, vel in aliis Missæ partibus; quia quamuis Sacerdos in Missa publicum ministerium exerceat, non tamen definit esse persona priuata. At non posset pro excommunicato Missam offerre, vel illum in Canone, aut alia oratione nominare. *Filliucius tom. 1. tract. 12. c. 2. num. 51.* Porrò *Gaspar Hurtado de Excomm. d. 3. diffic. 6. num. 16.* putat, posse offerri excommu

Filliuc. Hurt.

excommunicato totam celebrandi actionem quoad valorem ipsi Sacerdoti correspondentem.

84. *Per contritionem iustificatur excommunicatus: puncne Ecclesiæ frui suffragijs ante absolutionem?* Negat Suar. *de cens. d. 9. sect. 3. num. 2.* quia excommunicatio non tollitur per solam exteriorem pœnitentiam: alioqui non esset posita opus absolutione.

85. *An possit pro excommunicato contrito Missæ sacrificium offerri?* Negat Vasq. *Vasquez de excomm. dub. 11. num. 73.* quia excommunicatio iusta hominem efficit talis effectus incapacem, & per solam iustificationem internam non auferri. Quæ quidem de excommunicatis non toleratis dicta existima, nam pro toleratis licet publicè orare, & sacrificia offerre.

86. *Debent ne specialiter applicari sacrificia, & orationes excommunicato tolerato, vt ei prosint?* Ita planè, nec prosunt ipsi nisi applicentur; quia Ecclesia, cui se ministet intendit conformare, eum excludit. Hurtad. *Hurtado Complutens. de excomm. d. 3. diff. 4. num. 12.*

87. *Potest ne excommunicatus non toleratus audire concionem in Ecclesia, ingredi templum & orare?* Concionem cum aliis potest audire; orare autem separatim ab aliis, citra tempus tamen Missarum, ac diuinorum officiorum, quia illud non est communicare. Rayn. *Raynaudus de monit. part. 2. cap. 2. num. 21.*

88. *In Ecclesiam excommunicatus intrat, dum Missa celebratur, vt sacrificio interfit: quidnam gerendum?* Per admonitionem expellendus; & si necesse fuerit, per coactionem. *Hæc non sufficiunt.* Si ergo Missa ad consecrationem deducta non est, sacerdos debet Missam omittere. Secus si peracta est consecratio. *Non est consecratio peracta, sed canon inceptus.* Suar. *Suarius d. 12. sect. 1.* ait, vtrumque probabile, & quod sacrificium possit omitti, & quod valeat peragi. Tutiùs Missa intercidetur. Turr. *Turrianus d. 11. dub. 1. num. 2.*

89. Non adest qui possit Sacerdoti celebraturo ministrare nisi excommunicatus: potest ne ministrare? Si denunciatus non est, potest. Suar. *Suarius d. 12. sect. 1.* Si denunciatus est, etiam potest, si grauis vrget celebrandi necessitas. Turr. *Turrianus de excomm. lib. 2. d. 11. dub. 1.* Ratio est, quia Ecclesia huiusmodi in casu prohibitionem suspendere creditur.

90. *Officium deiparæ cum alio excommunicatus recito: delinquo ne?* Venialiter solummodo, auctore Gord. *Gordono tom. 2. lib. 7. quæst. 8. cap. 2. num. 23.* quia communicatio est leuis.

91. Scio

91. *Scio excommunicatum recitantem horas Canonicas dicere non debere, Dominus vobiscum, sed, Domine exaudi orationem meam; quia illud verbum non est personæ priuatæ, sed totius Ecclesiæ: rogo igitur, quónam reatu quis Dominus vobiscum pronunciabit?* Asserit *Suarius d.2. sect.2. num.13.* si sit Sacerdos, vel Diaconus, fieri irregularem. Porro *Gaspar* [illegible]*do* Hurtad. Conin. *l.5.diff.2.num.3.* nullum putat esse peccatum. *Coninch.* autem *de sacr. d.14. dub.7. num.54.* piaculum esse veniale existimat, irregularitatem autem, cuiuscunque ille sit ordinis, non incurri.

92. *Vsúne aquæ benedictæ interdictus excommunicato?* Asserit *Suarius citat. sect.3.* quia ex illa Ecclesiæ oratione fidelibus prodest, quæ intendit excommunicatos oratione priuare. At *Turrianus lib.2.d.11. dub.3.* hanc sententiam docens magis probabilem, contrariam magis piam appellauit. Suar. Turr.

93. *Potest excommunicatus occultus recipere Sacramenta extra necessitatem?* Si vrget necessitas, ad vitandum scilicet scandalum, periculum mortis, infamiæ, &c. potest. *Præpositus in 3. part. quæst.2. dub.7. num.39.* §.2. *De actiua, ac passiua priuatione Sacramentorum.*

94. *Extra necessitatem (aut ignorantiam iuris vel facti, quæ planè excusat) scio illicitam esse perceptionem Sacramentorum excommunicato: rogo tamen, an sit valida?* Ita quidem; quia excommunicatio non reddit subiectum incapax, sed solum ineptum. *An valida Sacramentalis absolutio? Vasquez de excomm. dub.4. num.9.* putat inualidè excommunicationi etiam minori illigato impendi. At *Suarius d.10. sect.7. n.9.* contrarium docet, quia excommunicatio non suspendit iurisdictionem Sacerdotis in excommunicatum; nec contrarium vllo iure probari potest. Præp. Vasq. Suar.

95. *A mortalibus non solum illicitè excommunicatus Sacerdos absoluit, sed etiam inualidè: rogo, an à venialibus validè absoluat?* Affirmat *Vasquez in 3. part. tom.4. quæst.93. art.1. dub. 6. num.8.* At *Præpositus in 3. part. quæst.2. dub.8.* quia ex probabiliori sententia iurisdictio in venialia Sacerdori competit de iure Ecclesiastico, quæ ab Ecclesia suspendi potest, & suspendit dum declarat excommunicatum. Vasq. Præp.

96. *Conficerat ne validè, & applicuit Sacrificium?* Ita quidem; quia id in persona Christi gerit, & dependeret ab ipso immediatè, non ab Ecclesia. *Coninch. d.14. dub.5. num.35.* Conin.

97. *Potest nec nferre moribundo Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: Baptismum, & Pœnitentiam, quia necessitate medij sunt necessaria; Eucharistiam autem propter eius vtilitatem, & præcepti diuini obligationem: rogo autem,*

an possit Extremam vnctionem ministrare? Aliqui asserunt posse, si ægrotus Pœnitentiam, & Eucharistiam recipere non potest; quia hoc in casu necessarium est illi Extremæ vnctionis Sacramentum, vt fiat ex attrito contritus. At *Præpositus in 3. part. quæst. 2. dub. 6. num. 144.* docet posse, etiamsi moribundus fuerit confessus, & propterea hoc Sacramentum non sit simpliciter necessarium; quia necessarium est, ad resistendum diabolo, & ad venialium remissionem conducit.

Præp.

98. *Potest ne Parochus denunciatus aliquando Matrimonio assistere?* Potest, quum moribundus ducit in vxorem concubinam, ad salutem ipsius, vel commodum temporale filiorum; præsertim quia Parochus non est verus minister huius Sacramenti, sed ipsi contrahentes. *Præpositus in 3. part. quæst. dub. 8. num. 51.*

Præp.

99. *Quid de tolerato?* Licitè Sacramenta confert, quoties aut grauis necessitas, aut notabilis proximi vtilitas postulat. Potest sacrum facere die festo, vt subditi postulantes præcepto satisfaciant. *Præpositus num. 44.*

§. 3. *De priuatione à communione fidelium.*

100. *Scio, contractus cum excommunicatis esse illicitos, sed tamen validos; quia in iuribus quamuis sit prohibitio, non tamen irritatio nisi in hæreticis, & schismaticis: rogo tamen, an contractus excommunicati possint aliquo ex capite inualidari?* Possunt (auctore *Filliucio tom. 1. tract. 12. cap. 9. num. 206.*) ex triplici. 1. Si ineantur virtute rescripti supplentis conditionem aliquam ad valorem eius requisitam; quia rescriptum impetratum ab excommunicata super alio, quàm excommunicatione, & appellatione, est nullum. 2. Si ineantur ab eo, vt à persona publica ex vi potestatis, muneris, vel beneficij; quia iurisdictio ad contrahendum per excommunicationem suspenditur. 3. Si in contractu fiat promissio de alio contractu tempore excommunicationis faciendo; quia hæc promissio est nulla, vt pote de re illicita.

Filliuc.

101. *Testatur ne validè, & instituitur hæres in testamento?* Asserit *Suarius de cens. d. 15. sect. 9.* quia sicut excommunicatio præter casum specialem hæresis non priuat rerum dominio, ita nec potestate acquirendi alias. Addit *Filliucius tom. 1. tract. 12. cap. 8. num. 207.* excommunicatum, non denunciatum, quamuis illicitè testetur, tamen alios ipsi testanti licitè adesse Notarios, testes, &c.

Suar.

Filliuc.

102. *Potest ne petere excommunicatus, vitandus à suo debitore creditum?* Potest; quia debitor nullo iure diuino, nec humano à soluendo debito excommunicatis liberatur. *Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 9. num. 79.*

Less.

103. Pri

103. *Priuat, fateor, excommunicatio à communione in eadem domo, & mensa: rogo tamen, an prohibeatur quando casu, & materialiter accidit, vt excommunicatus & non excommunicatus in eodem hospitio pernoctent, eodem lecto recipiendi?* Non prohiberi *Gaspar Hurtado d.9.diff.1.num.6.* docet. *Auila p.2. tract.6.d.9.dub.7.* posse accumbere in mensa mediocris longitudinis existimat, quando non est communicatio in cibo & potu, sed diuersam quilibet cœnam instituit. Hurt. Auila.

104. *Scio prohibitum, excommunicatum salutare verbis: rogo, an liceat alio signo, v.g. aperiendo caput?* Negat *Turrianus lib.2. d.13.dub.1.* Affirmat *Vasquez de excom.dub.8.n.5.* Turr. Hurt.

105. *An liceat resalutare?* Negat *Hurtado num.4.* At *Henriquez comp.casuum mor.cap.20. num.20.* affirmat, imò & per epistolam respondere posse; quia hoc non est salutare illum, nec ad eum scribere; sed soluere de vrbanitate debitum, quod nullo iure prohibetur. Henr.

106. *Scio, excommunicato denunciato interdictam communionem tam in diuinis, quàm in humanis; non autem tolerato: rogo autem, an liceat prouocare, & inuitare eum ad huiusmodi communionem? Auila part.2. cap.6. d.8. dub.1. concl.13.* docet non licere. At *Hurtado d.2. diff.4. num.13.* licere putat; quia Bulla absolutè, & absque vlla restrictione loquuta: *Nemo prætextu censuræ abstinere teneatur,* &c. Auila. Hurt.

107. *Ergo vt teneamur excommunicatum vitare, sententia publica requiritur: rogo tamen, an sufficiat sententia declaratoria criminis, cui certum est, an nexam esse excommunicationem?* Negat *Coninch.de sacr.d.14.dub.2.n.10.* quia in Extrauag. dicitur, neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura contra personam expressè fuerit denunciata. At quando quis de crimine damnatur, implicitè censura solummodo innuitur. Vnde *Sanchez summ. tom.1. lib.2. c.9. n.4.* docet, posse nos conuersari cum eo, in quem lata est sententia declarans esse Hæreticum, si expressè non declaret esse excommunicatum. Scio *Henriq. lib.13. c.5. n.4.* contrarium asseruisse. Conin. Sanch. Henriq.

108. *Denunciatur Petrus Burgis, occultum est eius crimen Vallisoleti, vbi commoratur in præsenti: teneor ne inibi eum vitare?* Asserit *Henriquez lib.13. cap.24. n.1.* in occulto vitandum, non in publico; quia *c.cum non ab homine, de sent.excom.* dicitur excommunicatos publicos publicè, occultos occultè vitandos esse. Hæreo *Præposito in 3. part. q.2. dub.16. n.114.* docenti excommunicatum vbi denunciatus non est, nec in publico, nec in occulto esse vitandum. Henriq. Præp.

109. *Scio, vxorem posse communicare cum viro excommuni-*

cato in omnibus ad matrimonium pertinentibus: rogo, an ipsi sint, si matrimonium non fuerit consummatum? Ita planè; quia nuptias non concubitus efficit, sed consensus, *l. nuptias ff. de reg. iuris. Solùm sponsalia contracta sunt.* Communicare non Sanch. potest, *Sanctio tom. 1. de Matr. lib. 9. d. 14. num. 8. Est ne aliquis casus, in quo non posset vxor cum viro communicare?* Ita quidem, cum excommunicatio lata est causa matrimonij illegitimè contracti, aut coniuges essent diuortio separati: possent tamen, manente excommunicatione, reconciliari; & cohabitare. *Num potest communicare in his ob quæ vir excommunicationem incurrit?* Non; quia communicare in crimine nulli licet, *c. inter alia, de sent. excom. Rogo, an eadem ratio sit cum vxore excommunicata?* In iure solùm excipitur vxor, quia frequentius viri, quàm fœminæ incurrunt in excommunicationem. At extendi debet ad maritum, quia eadem esse debet vtriusque conditio: & in lege præsertim gratiosa, Laym. casus similes censentur includi. Idem dicendum, quando vterque coniux excommunicatus esset. *Layman. lib. 2. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 16.*

110. *Peccat ne contrahens cum excommunicato, qui matrius non sit?* Nullam culpam committere *Sanchez tom. 2. de* Sanch. *Matr. lib. 7. d. 11. n. 8.* docuit.

111. *Filium, etiam si emancipatus sit posse excommunicato parente communicare scio: an possit illegitimus, & adoptiuus?* Turr. Negat. *Turrianus, Hurtado* asserit.

112. *Quid de aliis propinquis, & familiaribus?* Possunt nepotes cum auo, abauo, &c. nurus, gener, priuignus, & priuigna; quia hi omnes ratione propinquitatis, & affinitatis loco filiorum reputantur. Idem pupillus cum tutore. *An hæc omnia intelligenda, quando manent in eadem domo, & sub cura sacrum correlatiuorum?* Docet *Gordon. tom. 2. lib. 7. quæst. 10. c. 6.* Gord. *n. 76.* etiam extra conuictum & cohabitationem, etiam aliquam communicationem inter illos licitã esse quam scilicet gradus affinitatis, & naturale vinculũ morali modo requirit.

113. *An vxor, filius, seruus, & qualibet persona subiecta possint cum suis superioribus excommunicatis etiam in diuinis communicare?* Possunt; quia ex officio communicare tenebantur ante excommunicationem, & per hanc ea obligatio non tollitur, ex *c. inter alia, de sent. excom.* Vnde vxor, liber, famulus possunt maritum, patrem, dominum euntem ad sacrum comi- Conin. tari. *Coninch de sacr. d. 14. dub. 12. num. 130.*

114. *Quodnam peccatum est, extra casus licitos, cum excommunicato denunciato communicare?* In diuinis mortales ex suo

genere, ex paruitate materiæ veniale. v.g. si quis cum excommunicato initium Missæ vsque ad Euangelium audiret. *Auil. p.2.c.6.d.8.dub.3.* Contestatur *Conin. d.14.dub.14.n.146.* adhibens exemplum de excommunicato, qui transiens per templum ibi attentus hæreret, donec vnus Psalmus breuis cantaretur. At communicare in humanis, & ciuilibus ex suo genere veniale est peccatum, cui annexa excommunicatio minor est. Potest fieri mortale ob scandalum, aut conceptum. Auil. Conin.

115. *An stante prohibitione speciali, sit mortale communicare in ciuilibus & humanis?* Negat *Hurtado de Mendoza 2.2. vol. 1.d.76.sect.2.§.45.* docens lauari interdum cum Iudæo (de quo specialis prohibitio) in balneo, nonnunquam excipere, aut excipi conuiuio, & alia id genus rarius effecta, esse peccata venialia ob materiæ leuitatem. At *Coninch n.149.* existimat semper esse veniale, etiam si frequentissima cõmunicatio sit. Mẽdoz. Conin.

§. 4. *De aliis proprioribus excommunicationis effectibus.*

116. *Reddit excommunicatio hominem inhabilem ad beneficia obtinenda, ad exercendos iurisdictionis actus, ad publica munia quædam obeunda: potest ne quilibet talis iudicis iudicium declinare, opponendo excommunicationem?* Potest, & si ipse tunc excommunicet, erit nulla excommunicatio; quia subditus non erit contumaciæ reus non obediendo. *Præpos. in 3.p.q.2.dub.12.n.78.& 79* addens excommunicatum denunciatum electum in iudicem in loco, vbi ignoratur, valide actus iudiciales in fauorem publicum exercere. Præp.

117. *Peccat ne mortaliter iudex ipse excommunicatus iudicium exercens?* Affirmat *Coninch n.148.* quia huiusmodi actus est valde honorificus excommunicato, eumque efficit superiorem aliis fidelibus, à quibus vt membrum putridum est aliàs abscisus. Alij venialiter solummodo delinquere affimãt. Conin.

118. *Potest ne excommunicatus esse Tabellio?* Affirmat *Hurtad. 8.diff.5.n.8.* acta quæcunque eius esse inualida, licet sit toleratus; quia quæ ab excommunicatis dicuntur vel conscribuntur, à nemine sunt credenda, ex *c.nullus 3.q.4. Quid si partes conuenant ad petendum instrumentum à Tabellione excommunicato?* Docet *Suarius d.16.sect.5.n.5.* Tabellionem toleratum si ab aliis requiratur, valide, ac etiam licite instrumenta gerere; quia alij possunt cum ipso agere; & consequentet ipse cum aliis; si autem denunciatus sit, peccare; instrumentum autem in foro externo irritum, in interno valere. *Præp. dub.13.n.9* rationem reddidit; quia textus in contrarium allati, asserunt Tabellionem excommunicatum non debere admitti: non tamen sufficienter declarant, si admittatur, inualida fore instrumenta. Hurtad. Suar. Præp.

Henriq. 119. *Potest ne testis munus obire?* Putat *Henriquez lib. 13. cap. 7. num. 5.* etiam non tolerati validum esse testimonium, quia nullo iure irritatur: tolerati verò etiam licitum. Sub-
Præp. scribit *Præpositus n. 90.*

120. *Delinquit ne excommunicatus non tolleratus testimonium ferens in iudicio?* Tantum venialiter; quia est tantum
Filliuc. communicatio humana. *Filliucius tom. 2. tract. 12. c. 7. n. 311.*

121. *Potest esse Aduocatus, Procurator, Tutor, Actor in iudicio?* Non potest Aduocati munus gerere non tolleratus; autem admittatur à iudice, patrocinia valida sunt; quia nullibi irritantur. Tolleratus si à fidelibus inducatur, non solum validè, sed licitè admittitur. Procurator esse non potest, sed si admittatur, eius acta valida erunt, quandiu à iudice non appelletur: etiam si post excommunicationem incursam eligatur. *Præpositus num. 91.* Idem de tutore asseruerim. Non
Præp. Turr. potest esse actor in iudicio. At affirmat *Turrianus lib. 2. d. 12. dub. 2.* ius suum sine vi, & fraude in iudicio petentem non peccare mortaliter ex obiecto, donec per exceptionem, aut per officium iudicis repellatur.

122. *Tenetur ne iudex (publicum licet) excommunicatum tolleratum reijcere à causa actione?* Potest quidem, sed non tenetur nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excom-
Hurt. municationem; quia non tenetur eum vitare. *Hurtado d. 8. diffic. 3. n. 3.*

Auila. 123. *Potest ne per se ipsum in iudicio respondere?* *Auila p. 2. cap. 6. d. 2. dub. 2.* ait non posse, sed cogendum per procuratorem respondere; quia id significatur *in cap. intelleximus, de iudic.* Asserit autem *Præpositus* posse per se ipsum; quia ex-
Præp. communicato non videtur negandum, quo d cuilibet reo ex iure conceditur. Sic illa *in 3. p. q. 2. dub. 13. n. 87.*

§. 5. De excõmunicatione nulla. 124. *Excommunicatio nulla aut iniusta, nullum habet effectum; quia quod nulliter, aut iniustè factum est, non censetur factum,* Clem. *Pastoralis, & alibi: rogo autem, num excommunicatus nulliter, teneatur à communione fidelium abstinere, &c.* Asserit *Turrianus de cens. lib. 2. d. 20. dub. 1.* abstinendum ei
Turr. propter scandalum à communione Sacramentorum in publico donec nullitas agnoscatur. *Quónam modo nullitas hæc agnoscenda est? Vasq. apud Turrian. citat.* putat sufficere, nulli-
Vasq. tatem à sapientibus dignosci: sed vulgo esse hoc sapientum iudicium manifestandum, vt quis contra excommunicationem operetur. Quid si antequam nullitas publicetur, quis se publicè diuinis ingerat? Peccabit, nullam tamen iuris pœnam
Turr. incurret. *Turrianus.*

125. *An*

125. *An iniustè excommunicatus publicas fidelium orationes participet?* Minimè; quia cum iudex procedit iuxta allegata & probata, eius sententia habet vim saltem in actionibus externis; non tamen orationibus generalibus priuatur, à quibus excommunicari excluduntur; quia non est credendum Ecclesiam hoc velle.

126. *Tenetur ne iudici obedire?* In publico tenetur, in occulto non; quia innocens. *Suarez de censur. disp. 4. sect. 7. num. 14.* Suar.

127. *Incurrit ne irregularitatem in publico celebrans?* Putat *Vasquez excomm. dub. 21. num. 13.* incurrere; quia violat præceptum, cui in publico tenetur obedire. At *Suarius citat. num. 2.* contrarium docet; quia hic re vera excommunicatus non est, & hic non est perfectus inobedientiæ actus. Admitto tamen quod *Turrianus* aduertit, hunc vt violatorem censuræ puniendum, & habendum irregularem. Vasq. Suar. Turr.

128. *Communicans ne cum huiusmodi iniustè, aut inualidè excommunicato incurret minorem excommunicationem?* Asserit *Præpositus* non incurrere; sed limitat *Vasquez apud Turrianum*, quando communicatio fieret in occulto, secus autem in publico. *Gordonus tom. 1. lib. 7. quæst. 6. cap. 3. num. 11.* legendus. Præp. Vasq. Gord.

129. *Excommunicantur Clerici, & Religiosi incumbentes studio legum, aut Medicinæ in scholis publicis: rogo, an illigentur excommunicatione habentes in domibus priuatim Magistrum, qui eos hasce facultates edoceat?* Asserit *Suarius de censur. disp. 23. sect. 3. num. 19.* sed alij probabiliter abnegarunt. §. 6. *De aliquibus excommunicationibus*

130. *In c. inhibemus*, de hæret. in 6. *decernitur ferenda excommunicatio contra laicos disputantes cum hæreticis de rebus fidei: quosnam comprehendit?* Omnes illos, qui nec Clerici sunt, nec Religiosi, secundum *Sanctium sum. tom. 1. lib. 2. c. 6.* Sanch. & *Hurtado de Mendoza tom. 1. d. 74. sect. 3. §. 24.* etiam comprehenduntur Religiosi conuersi, vel donati. *in particularibus.* Suar. Hurt.

131. *Quanam communicatione priuat Ecclesia excommunicatum? an merè interna?* Minimè merè interna priuat, quæ est per fidem ac charitatem: *Laymanus.* Ecclesia igitur per excommunicationem, vt vidimus, priuat hominem communibus suffragiis, vsu Sacramentorum, & fidelium conuictu. §. 7. *De excommunicatione varia.* Laym.

132. *Asseruisti excommunicatum licitè non suscipere Sacramenta, valide tamen suscipere, præter pœnitentiam: rogo, si bona fide peccatorum Confessionem instituat, videlicet in*

casu necessitatis, aut probabilis ignorantiæ, obstat ne, quominus verè à peccatis absoluatur? Non obstat ex *Laymani* placito. Laym. Sed tamen remanet excommunicatio, si Superiori est relaxata, vel Confessarius errans prius à peccatis, quàm à censura absoluat.

133. *Peccat ne excommunicatus, qui in Paschate non se disponit ad Sacramenta percipienda?* Contra Ecclesiæ præceptum delinquit, si per ipsum stat, quominus absoluatur. Ita Laym. eodem *Laymano* accepi.

134. *Percussus quis excommunicatione reseruata, bona sua peccata non reseruata cum reseruatis confitetur: an validè absoluatur?* Affirmat *Coninch*; quia excommunicatio non imitat absolutionem, nisi excommunicatus sciens vellet Sacra- Conin. mentum suscipere. *Quid si Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, ex malitia absoluat?* Non licitè quidem, sed validè absoluere *Coninch.* affirmat.

135. *Excommunicatus à contumacia recessit, & per ipsum non stat quominus absoluatur: fructus ne interim Beneficij percipit?* Percipere cum *Laymano* sentio, licet officium non præ- Laym. stet; quia non potest: sicuti beneficiarius infirmus percipit fructus, esto culpâ suâ causam præbuerit infirmitati.

136. *Excommunicatus toleratis negari ne debet sepultura Ecclesiastica?* Præcipuè ob censuram haud negandam docet Laym. *Laymanus.* Sin verò constet, vel præsumi possit eos, in peccato mortali decessisse, v.g. in hæresi, sepeliri in loco sacro non debent; si tamen sepeliantur, locus sacer non violatur.

137. *Dixisti excommunicatum mortaliter peccare contra annuæ Confessionis, & Eucharistiæ recipiendæ Ecclesiasticum præceptum, si negligens sit in absolutione procuranda: delinquit ne etiam grauiter sacrum non audiendo?* Non; quia (vt *Suarius* Suar. ait) illud præceptum non est tam æqualis ponderis, vt obliget ad tam remotam dispositionem vti præceptum Confessionis, & Communionis annuæ obligat.

138. *Est ne valida acceptatio Beneficij facta ab excommunicato?* Validam iudicat *Henriquez* si tempore electionis, & Henriq. collationis non erat excommunicatus; quia iura solum electionem, & collationem irritant, quæ non sunt in odiosa materia ampliandæ. *Quid si tempore electionis, & præsentationis erat excommunicatus, sed ante acceptationem est absolutus?* Non est ita certum, sed cum *Henriquez* affirmarim validam electionem.

139. *Si Confessarius absoluendi facultate præditus, oblitus sit aliquem ab excommunicatione, aliáve censura absoluere* poteſt

Potest ne absenti absolutionem dare ? Affirmo cum *Layman* posse, si hominem non valet adire; quia non eadem ratio de Sacramentali absolutione ob proximam actualem doloris materiam. Laym.

140. *Potest ne absolutio ab excommunicatione dari etiam inuito, & nondum emendato?* Saltem validè dari posse cum *Laym.* iudico, nisi qui absolutioni reluctatur, persistat in crimine; cui excommunicatio ipso iure continuò annexa est. Laym.

141. *Dixisti fœminam cogentes ad Religionem, aut eam à Religione retrahente excommunicatione vulnerari: quidnam est cogere?* Idem est ac per vim, & metum grauem iniustè inducere. Quare qui metu leui coëgit, excommunicationem non incurrit, neque qui iustè incussit merum, aut precibus importunis; aut incussit metum priuationis alicuius boni, ad quod fœmina aliàs ius non habebat. *Layman.* Laym.

142. *Cogens fœminam ad ingrediendum Religionem, vel ad professionem emittendam; incurrit ne statim post coactionem adhibitam excommunicationem?* Non incurrere cum *Laymano* censeo, sed post vim coactiuam requiri actualem ingressum, aut professionis emissionem. Laym.

143. *Reges ne, & Imperatores ligantur excommunicatione fœminam ad Religionis ingressum cogendo, aut aliquam actionem vetitam præstando, v. g. consilium, auxilium, vel fauorem coactam præbendo?* Iuxta probabilem nonnullorum sententiam minimè; quia quando Summus Pontifex hos ligare intendit, solet exprimere. *Incurrit ne excommunicationem illam virum ad Religionem cogens?* Minimè; quia Tridentinum solum de cogentibus fœminas loquitur.

144. *Paruitas ne materiæ excusat ab excommunicatione?* Excusat, v. g. si quis transiens Monialem alloquatur. Sicut excusat à reseruatione casus, si quid exiguum furatus sim in Ecclesia; excommunicatio etenim maior in mortalem culpam contorquetur.

145. *Quis fuit Bullæ vigore ab excommunicatione sine partis satisfactione absolutus: est ne absolutio valida?* Ita planè, sed tenetur postmodum satisfacere. *Non potest in totum.* Satisfaciat in partem. *Non potest satisfacere ante absolutionem, vel post illam sine graui vel famæ, vel bonorum iactura.* Potest licitè absolui, modò creditor æquale malum non patiatur. Sic *Henriquez.* Addo ex eodem in his, & eiusmodi casibus, in quibus non potest pœnitens satisfacere, non sufficere, vt det cautionem iuratoriam, sed debere dare pignoratitiam, si possit, vel saltem fideiussoriam. Henriq.

Suar. Vasq. Auila. 146. *Iam scio excommunicatum esse Beneficij incapacem: nunc an sit capax Pensionis?* Cum *Suario* & *Vasquez* aliquando negabam omnino eum capacem. At nunc cum *Auila* capacem Pensionis, quæcunque illa sit, probabiliter affirmo, validúmque consignationem excommunicato factam.

147. *Incidit Beneficiarius in excommunicationem: num ante sententiam fructibus Beneficij priuetur?* Minimè, & consequenter nihil tenetur restituere, qualecunque sit Beneficium, modò opera, seu officia, & onera Beneficij exequatur, Vasq. vti *Vasquez* aduertit.

148. *Quis ob legitimum impedimentum (vndecunque illud oriatur) non potest pro absolutione ab excommunicatione nisi per procuratorem, seu epistolam Pontificem adire: potest ne ab Episcopo absolui?* Auila. Potest, imò neque tunc est necessarium recurrere ad Legatum, vel Nuncium Papæ. Quia (vti *Auila* adnotat) sublata per iustum impedimentum reseruatione Episcopus vti proprius pastor absoluit.

149. *Est ne probabile ministrantem Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, &c. cum Minori excommunicatione nec venialiter peccare?* Conin. Licet *Coninch.* affirmet venialiter delinquere, cum Henriq. *Henriq.* & Filliuc. *Filliucio* contrarium posse aliquo in casu defendi assero: v.g. Si repentè accedat baptizandus, aut pœnitens, nec possit Sacerdos sine scandalo recedere.

§. 8. *De Percussione Clerici.*

150. *Num teneamur vitare semper publicè & notoriè Clerici percussorem?* Laym. Non tenemur, nisi percussio sit eiusmodi, vt nullo modo celari, & excusari possit, quod vix potest constare ante iudicis sententiam. Nam (vti *Laymanus* adnotat) constare debet, quod percussio Clerici notoriè facta sit, atque ita malitiosè, vt nulla probabili ratione à peccato mortali, & annexa censura Canonis excusari queat.

151. *Percutiens Clericum, qui non habet Beneficium, nequit Concilij Tridentini requisita, incurrit ne in excommunicationem?* Suar. Molin. Non incurrere *Suarius* docet; sed cum *Molina* incurrere affirmo; quia hic Clericus amittit priuilegium fori, non autem Canonis.

152. *Seipsum Clericus volunta iè percutit: incurrit ne Canonis excommunicationem?* Suar. Turr. Incurrere censeo cum *Suario*; sed cum *Turriano* probabile affirmo non incurrere; quia Canon ille *si quis suadente*, videtur de persona distincta loqui.

153. *An possit, qui Clericum percussit, vel Monachum, satisfaciendo percusso ab excommunicatione absolui?* Posse asseruerim; nam licet alij probabiliter sentiant, totam Ecclesiam, vel Monasterium, accipientem iniuriam acceptam

ram etiam ſpecialem ſatisfactionem, iudico tamen ſatisfaciendo percuſſo cenſeri percuſſorem parti ſatisfeciſſe; quia (vti *Auila* ait) eis eſt condonare, quem præcipuò tangit iniuria. Lopez. Auil.

154. *Dixiſti, Epiſcopum ab excommunicatione abſoluere, quando percuſſio enormis, aut mediocris non eſt: rogo ſpecialius aperias, quandonam enormis, aut mediocris ſit cenſenda percuſſio?* Etiamſi facta ſit in loco publico, non propterea continuò cenſenda enormis, aut mediocris; ſed ex *Reginaldi* ſententia duo debent concurrere, cùm vt notabilis ſit iniuria, tum vt conſiderabile pariat ſcandalum. Regin.

155. *Num impubes & pueri poſſint ab huiuſmodi excommunicatione excuſari?* Poſſunt ſæpe; quia illorum percuſſio regulariter non reputatur grauiter iniurioſa.

156. *Incurrit ne excommunicationem percutiens Militem Religioſum S. Ioannis, Alcantaræ, Calatrauæ, &c.* Incurrit etiam ſi nouitius ſit; quia hi gaudent Canonis priuilegio.

157. *Percutit quis Clericum carentem requiſitis à Tridentino pro priuilegio fori gaudendo incurrit ne?* Probabile putat *Suarius d. 21. ſect. 1. n. 11.* non incurrere; quia facilius amittitur priuilegium Canonis, quàm fori; cum hoc à iure diuino, illud autem ab humano procedat. Suar.

158. *An incurrat Clericus ſe ipſum percutiens?* Non; quia Canon manifeſtè loquitur de percutiente perſonaliter diſtincto: & in odioſis non fit extenſio. At *Molina de Iuſt. tom. 4. tract. 3. d. 51.* contrarium aſſeruit, cùm propter iniuriam, quæ ſtatui Clericali infertur; tum quia plus homicida eſt, qui ſe ipſum quàm qui alium necat, *Can. ſi non licet. 23. q. 5.* Molin.

159. *Plures quis Clericos vno ictu percutit: an plurium excommunicationum reus?* Vnus tantùm. *Si autem plures ſucceſſiuè percutiat?* Plures incurrit; quia illæ percuſſiones licet vnico, & continuato tempore menſurentur, ſunt tamen plures ratione obiecti, & termini ad quem.

160. *Percutit quis Religioſum tonſura initiatum, ſcio ex multorum ſententia duplici excommunicatione illigari; quia violat reuerentiam duplici ex capite illi debitam, Clericatus & Monachatus: rogo autem, ſi percutias Clericum ad plures Ordines promotum, incurres ne plures cenſuras?* Non; quia omnes Ordines, vt ſpectantes ad vnum ſtatum Clericalem, vnam exigunt reuerentiam. *Suarez. de cenſur. d. 5. ſect. 3. n. 15.* Suar.

161. *Scio cenſuram hanc Papæ reſeruatam, ſi ſit enormis; ſi grauis, Epiſcopo: quandonam enormis reputanda?* Si eſt publica,

publica, notabilis, & magnum gignit scandalum. *Quando publica erit?* Quando in oppido decem, aut duodecim: in magna ciuitate pluribus fuerit manifesta. *Auila par. 2. cap. 6. d. 1. num. 4.* Notat *Hurtado d. 11. diffic. 3. n. 10.* huiusmodi percussorem vitari non debere, nisi certitudo moralis de delicti notorietate adsit.

Auila. Hurtad.

EXAMEN III.

Circa materiam de Suspensionis Censura.

CAPVT PRIMVM.

Suspensio quid, & quotuplex: eius species principales.

1. *Vidnam est Suspensio?* Ecclesiastica censura, qua Clericus vsu Officij, aut Beneficij Ecclesiastici priuatur. Est enim Ecclesiastica pœna, qua ita quis ordinis actus exercere prohibetur, vt si contra faciat, irregularitatem incurrat.

2. *Quotuplex Suspensio?* Quintuplex est 1. Si materiæ ratio habeatur, alia est ab officio, alia à Beneficio. 2. Si causæ, ob quam fertur, alia in vindictam criminis, alia fertur in contumaciam. 3. Si spectetur eius efficacia, alia suspendit in totum ab Officio & Beneficio, alia in parte ab altero illorum, alia ab Officio in totum, vel Beneficio, alia in parte tantùm, vt ab Officio Ordinis, non iurisdictionis. 4. Si consideretur eius duratio, alia indefinita est, alia terminata, alia perpetua positiuè. 5. Si eius cessatio attendatur, alia solo temporis lapsu cessat, alia per exercitium vel omissionem alicuius actionis, vel omissionem eiusdem, alia per solam absolutionem.

3. *Quid comprehendit suspensio lata simpliciter?* Ab officio & Beneficio suspensionem, nisi ex circunstantibns verbis aliqua restrictio colligatur.

4. *Indica suspensionis, & depositionis differentiam?* Suspensio quidem iure ordinario remissibilis est, depositio minimè. Suspensio si sit ab Officio, vel Beneficio nec munere nec Beneficio priuat; at depositio ipso pruat munere, & Beneficio.

5. *Ad suspensionis species pracipuas explicandum ac-*

cede.

nde. *Exprime primam speciem, quæ est suspensio ab officio.* Suspensio ab officio priuat omni vsu spiritualis potestatis ab aliquem spiritualem actum exercendum, siue sit ordinis, siue iurisdictionis, siue alicuius Ecclesiasticæ administrationis.

6. *Extendit ne se ad omnia loca inibi, donec ab habente potestatem auferatur?* Extendit se ad omnia loca, durat autem donec auferatur si sit suspensio absoluta: si verò sit ad certum terminum, eo transacto, ipsa quoque suspensio ipsa cessat.

7. *Includit ne suspensio hæc à Beneficio suspensionem?* Minimè; quia per hanc illæ tantùm actiones impediuntur, quæ ad ministerium aliquod Ecclesiasticum pertinent.

8. *Suspensus quis est ab ordine.* Suspensum omni ordinis vsu priuatum puta, non autem iurisdictione, nisi quoad eius actus, qui cum ordine connexi sunt, v.g. absolutio in pœnitentiali foro.

9. *Suspensus est ab ordine determinato.* Solùm suspensum habet ab illius exercitio, sicut suspensio ab ordine Pontificali suspendit tantùm ab vsu & actibus, qui Pontificalis ordinis proprij sunt; suspensio à collatione ordinum vnum tantùm actum Pontificalis ordinis prohibet, qui scilicet est ordinis collatio.

10. *Suspenditur à iurisdictione.* Ab omni spirituali iurisdictione suspensum existima, non autem ab omnibus iis ordinum actibus, qui iurisdictionem non requirunt.

11. *Suspenditur à iurisdictione.* A Missa & Horis Canonicis in Choro recitandis tanquam à Clericis priuatum reor, non tanquam à laicis audientibus illa, iisque interessentibus. Hinc tres Regulas ad suspensionis effectus dignoscendos tradiderim. Prima sit, suspensionem ab inferiori ordine Superioris exercitium, qui cum eo necessariò connexus fuerit, etiam prohibere. Secunda suspensionem ab ordine Superiori inferiorem non repellere. Tertia suspensionem ab actu determinato ab aliis haud necessariò connexis non suspendere. à diuinis officijs

∧ inferioris exercitium non prohibere.

12. *Exprime secundam speciem principalem suspensionis, quæ est à Beneficio.* Suspensio à Beneficio priuatio est vsus iuris ad temporarium emolumentum percipiendum. Vnde non vsu & potestate; sed legitimo tantùm vsu priuat, nec obligationem aufert officium exercendi. Si suspensus vnum tantùm habeat Beneficium, ab eo tantùm suspensus erit; si plura,

2

à pluribus, etiam à Pensionibus, quæ spirituali titulo tribuuntur.

13. *Quidnam per fructus temporales intelligitur?* Omnes redditus, qui ratione Beneficij percipiuntur; etiam quotidianæ distributiones; non autem aliæ voluntariè à fidelibus propter opera personalia tributæ. Priuat etiam iis, quæ ad percipiendos, vel augendos fructus ordinantur, v.g. Beneficij locationes, venditiones fructuum, & ipsa Beneficij administratio.

14. *De huius extensione, & duratione quid?* Suspensio hæc ad omnia loca se extendit, in quibus beneficia existunt; & si simpliciter lata sit, semper durat, donec per absolutionem auferatur.

15. *Priuat ne omnibus fructibus percipiendis?* Minimè, sed iis tantùm, qui à tempore, quo suspensio lata est, percipiendi erant. *Suspensio fit solum ex Beneficij parte.* Vno, vel quibusdam tantùm Beneficiis priuat, vel etiam tantùm parte aliqua fructuum.

16. *Alendus ne suspensus à beneficio fructibus eiusdem?* Si pro contumacia lata sit suspensio, alendus non est; si pro pœna, potest ali, quantum ad commodam satis sit sustentationem.

17. *Impedit ne suspensio à Beneficio nouam Beneficij collationem?* Si lata sit simpliciter, impedit, non autem quæ esset limitata, hoc est, à Beneficiis, quæ obtineret.

CAPVT II.

De causis suspensionis.

18. *Edo causam subiectiuam suspensionis.* Tantùm est persona Clerici, siue sit priuata, vt simplex Sacerdos, &c. siue publica, vt Episcopus, & Cardinalis: siue singularis: siue vniuersalis, vt communitas, & Capitulum.

19. *Causa dispositiua quænam?* Si suspensio fertur ratione Censuræ, debet esse culpa aliqua grauis, vel leuis pro suspensionis qualitate; si verò in vindictam, potest ferri sine culpa suspensi, sed non sine causa.

20. *Causam formalem aperi.* In suspensione iuris exiguntur tantùm legis verba, quibus sufficienter significetur, talem pœnam ipso facto incurrendam imponi. In suspensione autem ab homine tum propria admonitio, tum verba determinata

nata, quæ suspensionis speciem significent, tum denique denunciatio eius requiritur.

11. *Causam auferentem assigna.* Quando suspensio lata est ad tempus determinatum, solo temporis lapsu tollitur. Quando in perpetuum, vel dispensatione, vel absolutione opus est. Porrò si de ordinaria potestate sit sermo, ab authore tantùm Canonis potest auferri. *Quid si lata sit ob contumaciam?* Si à iure, tunc non reseruata à quolibet ordinario absoluitur: reseruata tantùm ab authore, vel Superiore eius, sab homine, eodem modo tantùm author, vel Superior absoluit.

12. *Formam absolutionis describo.* Illa potest vsurpari: *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni tuorum Ordinum*, vel *Beneficiorum*, vel *Officiorum*, &c. *in nomine Patris*, &c.

Caput III.

De suspensi peccatis, & irregularitatis contractione.

13. *Suspensi obligationes edissere.* Si suspensus ab officio actum aliquem Ecclesiastici officij exerceat, mortaliter peccat ex genere suo. Item mortaliter peccat suspensus à Beneficio, si notabile aliquid ex Beneficij fructibus capiat, vel actionem aliquam ad illius administrationem pertinentem exerceat. Ex occultis actionibus prohibitis (non solum ex publicis) incurrit suspensionem.

14. *An validi actus ordinis, quos suspensus exercet?* Semper validi sunt, si iurisdictionem non requirant, siue sit occultus, siue publicus: si verò sint actus solius iurisdictionis, in occulto suspenso validi, in denunciato irriti sunt.

15. *Quid si suspensus ab officio sese in actibus ordinis, ante absolutionem exerceat?* Irregularitatem incurrit, etiam si Minorum ordinum actus sint, modò solemniter fiant. Nec refert, an actus competant ordini iure diuino, vel humano.

16. *Si suspensus Pontificalibus, actus Episcopi proprios exerceat?* Irregularitatem contrahit, siue cum Pontificali apparatu, siue absque illo eos exerceat.

17. *Ita ne qui suspensionem in actibus iurisdictionis violat?*

lat? Minimè ; nam præter culpam, alia ei pœna inflicta non est.

28. *Suspensus quis est ab Ecclesiæ ingressu.* Si celebret in ea, etiamsi potiùs interdicti quædam species sit, fit irregularis, siue consecrata, siue tantùm sit Ecclesia benedicta.

29. *Ob delictum aliquod quis in ipsa ordinatione commissum suspensionem incurrit.* Etiam si ordinem illum in ipsa ordinatione ministret, ex probabiliore sententia irregularitatem non incurrit.

30. *Incurrit ne illam, qui suspensionem etiam in puram pœnam inflictam violat?* Incurrere asserо cum *Filliucio.*

CAPVT IV.

De omnibus suspensionibus in particulari.

§. 1. *Suspensiones in particulari contra Episcopos.*

31. *CAtalogum omnium suspensionum effinge, gratia memoriæ.* Profectò & contra Episcopos, & contra Capitula, & contra Religiosos, & contra Clericos plures Censuræ contorquentur, numero quidem quinque super septuaginta.

32. *Contra Episcopos quotnam?* Viginti & quatuor. 1. Contra conferentes Ordines simoniacè. 2. Contra conferentes suspenso propter malam promotionem. 3. Contra ordinantes Religiosum non professum. 4. Contra ordinantes accepto iuramento, quod non molestabuntur super eorum prouisione. 5. Contra ordinantes Monachum sine licentia Abbatis. 6. Contra non promulgantes Concilium prouinciale toti diœcesi. 7. Contra intromittentes se in causis spectantibus ad Episcoporum electionem. 8. Contra submittentes laicis bona Ecclesiæ sine debito consensu. 9. Contra occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouisionem. 10. Contra ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate. 11. Contra non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto in Sixti V. constitutione 12. Contra publicantes populo indicem casuum. 13. Contra non facientes comburi libros Talmud. 14. Contra negligentes procedere aduersùs Simoniacos. 15. Contra relaxantes incendiariis pœnam in iure expressam. 16. Contra concubinarios à Synodo admonitos, & non se emendantes. 17. Contra promotos à Sede Apostolica, sine literis authenticis eiusdem. 18. Contra non seruantes

tis Extrau. 2. *de electione*, quoad perceptionem fructuum primi, vel secundi anni. 19. Contra delinquentes aduersum Clericorum immunitatem. 20. Contra abutentes munere Inquisitorum in causa fidei. 2. Contra fouentes vsuras, locando suas domos. 22. Contra admittentes resignationes aduersùs formam præscriptam in constitutione, *Quanta*. 23. Contra alienantes bona Ecclesiæ vltra biennium. 24. Contra malè vtentes delegata potestate, in causa alienationis.

§. 2. *Contra Capitula.*

33. *Quotnam contra Capitula?* Quatuor reperio. 1. Si dilapident bona relicta, vel obuenientia tempore vacationis. 2. Si recipiant Prælatos promotos in Curia, absque litteris Papæ. 3. Si petant in receptione ad Religionem, aut post illam, pastus, prandia. 4. Si non seruent contenta in constitutione, *Quanta* Pij V.

§. 3. *Contra Regulares.*

34. *Aduersum Religiosos quotnam suspensiones collegisti?* Nouem. 1. Contra Apostatas, in apostasia ordines recipientes. 2. Contra recipientes ad professionem ante probationis annum. 3. Contra Superiores concedentes redditus Ecclesiarum alicui ad vitam. 4. Contra vsurpantes decimas sibi non conuenientes. 5. Contra non vtentes habitu, & vestitu, modo ipsis præscripto. 6. Contra Superiores, ad quos occasione excessuum suorum aliquid peruenerit. 7. Contra introducentes mulieres in Monasteria. 8. Contra non professos recipientes ordines sacros. 9. Contra non facientes conscientiam pœnitentibus de soluendis decimis.

§. 4. *Contra Clericos.*

35. *Aduersùm denique Clericos quotnam suspensiones?* Triginta & octo adnumerabo. 1. Contra disputantes de Conceptione B. Virginis. 2. Contra prouocantes ad duellum, vel acceptantes. 3. Contra Simoniacos. 4. Contra publicos concubinarios. 5. Contra Sodomiam exercentes. 6. Contra publicos peccatores. 7. Contra raptores, vel præbentes auxilium raptui. 8. Contra iurantes de tenendo schismate. 9. Contra occupantes bona, census, &c. Ecclesiæ, Beneficij vel alterius pij loci. 10. Contra conseruatores se intromittentes in aliis quàm de manifestis iniuriis. 11. Contra facientes in iudicio per sortes aliquid contra iustitiam, vel conscientiam in grauamen partis. 12. Contra conferentes Beneficia eorum, qui seruiunt in Curia, vel eadem recipientes. 13. Contra inferiores Episcopis non seruantes in visitatione constitutionem Innocentij IV. 14. Contra vtentes Ordine in loco interdicto, præter modum iure concessum. 15. Contra tradentes sepulturæ publicos vsurarios. 16. Contra Parochos non prohibentes

matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ operantes. 17. Contra alienis debitis grauantes Ecclesias sibi commissas. 18. Contra electores Episcoporum non præsentantes electionem electo infra octo dies. 19. Contra eligentes indignum ad Episcopatum, vel Curatum. 20. Contra consentientes electioni, per abusum secularis potestatis. 21. Contra postulantes in Prælatum Cathedralis eos, qui prohibentur. 22. Contra compromissarios eligentes indignum. 23. Contra occupantes bona Prælati defuncti. 24. Contra abutentes vestibus contra iuris statuta. 25. Contra Parochos iungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia. 26. Contra celebrantes coram excommunicato, vel interdicto. 27. Contra recipientes ordines ab eo, qui Episcopatui renunciauit. 28. Contra recipientes ordines ab alieno sine proprij licentia. 29. Contra recipientes à proprio in alienam diœcesi sine licentia. 30. Contra recipientes ab excommunicato, vel suspenso. 31. Contra recipientes ante legitimam ætatem. 32. Contra recipientes extra tempora sine dispensatione. 33. Contra recipientes, non seruatis interstitiis. 34. Contra ordinatos falso titulo. 35. Contra promotos per saltum. 36. Contra recipientes ordines post matrimonium ratum, etiam non consummatum. 37. Contra recipientes ordines, si sint excommunicati, suspensi, vel interdicti. 38. Contra recipientes ordines cum literis Capituli Sede vacante infra annum.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Suspensione ex Societate IESV *Auctoribus.*

§. 1. *De suspensionis pluribus modis.*

36. *Vtrum suspensus ab officio, censetur ne fructibus beneficij frui?* Minimè, potest enim illos percipere temporalem beneficij administrationem gerendo, promptus, quidem, quantum ei conceditur officio satisfacere, Horas Canonicas recitando, & ad alia Ecclesiastica munia vicarium substituendo. Sanch. *de Matrim. lib. 2. d. 51. num. 13.* sententiam hanc veram existimans, etiam si suspensio ab officio sit perpetua.

Sanch.

37. *Potest ne suspensus ab Officio nouum beneficium validè, ac licitè conferri?* Validè negat *Auila p. 3. d. 2. dub. 10.* licitè

Auila.

negat

negat *Coninch d.*15.*dub.*2.*n.*7. Aſt alij validè & licitè conferri poſſe aſſeruerunt. Conin.

38. *Suspensio autem à beneficio quid?* Docet *Coninch d.*15. *dub.*2.*num.*14. collationem noui beneficij factam ſuſpenſio à beneficio *ex Clem.*2.*de vita & bon.Cleric.* non eſſe ipſo facto irritam, ſed irritandam. At *Auila p.*3.*c.*6.*d.* 6.*dub.*1.*concl.*1. aſſerit ſuſpenſum à beneficio, ſi præſtet officium, omnes fructus, & diſtributiones lucrari. Coninc. Auila.

39. *Suspensus ab Ordine Superiori, censetur ne ab inferiori suspendi?* Non; quia qui prohibet maius, non intendit minus prohibere. *An suspensus à minori, indirectè ad maiorem etiam exercendo suspensus censeatur? Suarius d.* 26. *sect.* 4. *num.*8. probabile cenſet, non omnes actus ſuperioris Ordinis per ſuſpenſionem ſuperioris impediri; ſed illos ſolum, qui exercitium includunt inferioris ſuſpenſi. v. g. ſuſpenſus à Diaconatu non poteſt celebrare, quia debet Euangelium legere, quod eſt actus Diaconi; poteſt autem Confeſſiones audire, baptizare, &c. Suar.

40. *Suspensus quis est ab Ordine Episcopali?* Eos tantum Ordinis actus exercere prohibetur, qui Epiſcopi proprij ſunt, & Sacerdoti de iure ordinario non poſſunt competere. *Suspensus est ab vsu Pontificalium.* Solummodo prohibetur vti baculo, & pallio; per accidens verò, & conſequenter illorum actuum exercitio, qui ſine baculo & pallio exerceri non debent: v.g. ordinatio, confirmatio, conſecratio Eccleſiæ, altaris, aut virginis. Minimè verò celebrare ſine Pontificalibus, Confeſſiones audire, forenſem iuriſdictionem exercere. *Laymann lib.*1.*tract.*5.*p.*3.*c.*1.*n.*6. *Suspensus est tantum à minorum Ordinum collatione.* Haud cenſetur ſuſpenſus à collatione maiorum. *Suspenditur ab officio confirmandi.* Non ideo cenſetur ſuſpenſus à conſecrando, vel ordinando ex *Laymani* ſententia; quia quamuis hæc illo maiora, non tamen connexa. *Suspensus quis est ab administratione Sacramentorum: creditur ne suspensus à celebrando?* Minimè; quia celebratio Miſſæ non aſſolet ſub miniſterio Sacramentorum comprehendi. *Præpositus in* 3.*p.q.*3.*dub.*2.*n.*18. Laym. Laym. Præp.

41. *An suspensio disiunctiua ab Officio, vel beneficio teneat?* Non tenere reſpondet *Henriquez lib.*3.*c.*22.*n.*4. quia non eſt maior ratio, reum ab vno potius, quam ab alio manere ſuſpenſum. At *Gaspar Hurtado de susp.diffic.*4.*n.*11. teneri affirmat; quia Confeſſarius poteſt imponere ad pœnitentiam hoc, vel illud: & iudex damnare aliquem aut verbera ſubire, aut certam pecuniam ſoluere. Henriq. Hurt.

42. *Num suspensio lata sub hac forma: sit suspensus, si validè, & à quo suspendat?* Valida est, & ab officio, & beneficio suspendit; quemadmodum cum dicitur, *sit excommunicatus*, de excommunicatione maiori intelligitur. *Gordonus* Gord. *tom.2.lib.7.q.14.c.2.n.7.* legendus.

§. 2. *Effectus suspensionis.*

43. *Scio suspensum ab Ordine, si Ordinem exerceat, fieri irregularem: quonam, quæso, piaculo?* Si est materia grauis peccat mortaliter; & si est actus Ordinis irregularitatem incurrit. Porrò *Suario* auctore *d.26. sect.2. num.6.* quoties Suar. suspensus excusatur à culpa, etiam ab incurrenda irregularitate excusatur.

44. *Episcopus ne suspensus à Pontificalibus, fit irregularis, in Pontificalibus celebrans?* Non; quia non est suspensus à substantia celebrationis, sed solum quoad solemnitatem accidentalem. *Auila p.7.d.9.sect.2.dub.2* Auila.

45. *Suspenditur quis ab officio concionandi, concionatur solemniter; incurrit ne irregularitatem?* Non; quia concionari Tann. non est per se actus Ordinis. *Tannerus tom.4.d.6.q.10. dub.7. num.137.* De Clerico suspenso ab officiis diuinis, illis assistat tanquam laicus, eandem esse rationem asserit *Filliucius* Filliuc. *tom.1.tract.17.c.2.n.33.*

46. *Num acta suspensi valida sint?* Actus iurisdictionis sunt inualidi nisi sint occulti in quo casu supplet Ecclesia defectum. Si non est denunciatus, inuitatus ab aliis, validè, & Suar. licitè iurisdictionem exercet. *Suarius d.26. sect.2. n.2.* Actus autem Ordinis sunt validi etiam in denunciato, præter absolutionem sacramentalem, quia est etiam actus iurisdictionis: quam si non est toleratus, inualidè exercet; toleratus autem valide absoluit.

§. 3. *De suspensione varia.*

47. *Quænam in casibus præterea iudex Ecclesiasticus sit suspensus aperi.* 1. Si ferat sententiam excommunicationis non præmissa trina admonitione, coram idoneis testibus. 2. Si sententiam excommunicationis, interdictiue ferat, non expressa causa, ob quam fertur. 3. Si contra conscientiam, vel iustitiam in iudicio aliquid faciat per gratiam, vel fortes in grauamen partis alterius; & est suspensus per annum. Busæ. Sic *Busæus.*

48. *Potest ne iudex, vel Episcopus, qui tulit suspensionis censuram, ex iusta causa illam suspendere ad tempus?* Potest, & concedere celebranti, vt tunc temporis non incurrat irregularitatem; quia censura non ligat vltra iudicis intentionem.

49. *Quidnam faciendum de fructibus suspensi à Beneficio?* Conuertendi in Ecclesiæ vtilitatem (detractis iis, qui substituto

tuto ad inseruiendum traduntur) distributiones verò pro eo tempore, quo Clericus eas non lucratur, aliis tradendæ Clericis, qui diuinis officiis intersunt. Sic *Molina.* Molin.

50. *Iniustè quis ab officio suspenditur, potest ne distributiones recipere?* Posse existimo cum *Auila*, saltem si ante suspensionem chorum consueuerat frequentare. Auila.

51. *Petens Sacramentum à Sacerdote suspenso ab officio, sed nondum denunciato, peccat?* Minimè; quia cooperans, & communicans cum suspenso tolerato, seu nondum denunciato iis in actibus iurisdictionis, & officij, à quibus est suspensus non peccat mortaliter *Auila* authore. Auila.

52. *Acta ne per suspensum, qui non est nominatim denunciatus, valida sunt?* Valida *Palao* asserit. Secus dicendum de actis nominatim denunciati, nisi titulus coloratus, aut communis error adesset. Pal.

53. *Quid absolutè suspensus?* Ex *Sanctio* respondet suspensum absolutè intelligi ab officio ordinum, & Beneficio, non autem ab auditione diuinorum, aut sepultura. Sanch.

54. *Quandonam quis propriè suspensus non est?* Asserit *Saa* suspensum per non habentem iurisdictionem Ecclesiasticam exteriorem non esse propriè suspensum, sed prohibitum; item eum, qui solo verbo suspenditur, non scripto; vel qui ab officio non propriè Ecclesiastico. Saa.

55. *Suspensum me esse ab ingressu Ecclesiæ, quid significat?* Solùm prohiberis in Ecclesia celebrare, & diuinis officiis interesse. Vnde potes in ea orare, & Sacramenta recipere, & iurisdictionem exercere, & sepeliri decedens cum pœnitentiæ signis, & extra celebrare, scilicet in loco non designato per Episcopum in perpetuum ad celebrandum. *Saa* sic ex Sayro. Saa.

56. *Num suspensionis sententia, eiúsque effectus per sequentem appellationem suspendatur?* Minimè; quia censura Ecclesiastica trahit secum executionem, vt dicitur in cap. *Pastoralis. Saa.* Saa.

57. *Certus sum, me non peccasse: incido ne in suspensionem?* Minimè; quia nunquam imponitur ab homine sine culpa saltem veniali; nec à iure aut ab homine ob contumaciam, nisi ob mortalem, *Emanuele Saa* authore. Saa.

EXAMEN IV.

Circa materiam de Censura Interdicti.

CAPVT PRIMVM.

De Interdicti essentia, diuisione, causis, & relaxatione.

1. *Quid est Interdictum?* Ecclesiastica Censura priuans vsu quarundam diuinarum rerum, quatenus fidelibus is vsus communis est.

2. *Quotuplex sit?* Triplex, Locale, Personale & Mixtum, siue vtrumque simul, hoc est cum interdicitur locus, cum interdicitur persona, & cum tam locus quàm persona interdicuntur. Porrò interdictum locale, ac Personale tum generale, tum speciale esse potest.

3. *Interdictum locale fusiùs exprime.* Ciuitate aliqua interdicta, etiam suburbia & continentia ædificia debent intelligi. Et si generale sit, etiam Ecclesia exempta à iurisdictione eius qui interdictum tulit, interdicta censetur, sese Ecclesiæ totius menti templo omni accommodante in supplicium delinquentium. Si autem speciale, Capellas omnes eiusdem Ecclesiæ, & contiguum cœmeterium comprehendit.

4. *Personalis interdicti propria aperi.* Si generale sit, singulæ personæ quæ communitatis illius, in quam fertur, partes sunt, interdictæ manent. Interdicto populo, etiam habitantes in suburbiis, si populi partes sint, interdicti intelliguntur. Interdicta familia Principis, etiam Clerici, si qui in familia essent, sunt interdicti.

5. *Interdicto populo, Clerus non comprehenditur?* Non; nec interdicto Clero censentur interdictæ Religiosæ personæ, quæ Regulares propriè dicuntur; quia nec Clericalis status cum seculari, nec Regularis cum Ecclesiastico confundendus est, præcipuè in odiosa materia. Si autem interdictum sit speciale, in eo quidam generaliter interdicti sunt, qui scilicet illius populi pars sunt, & interdicto causam non dederunt; quidam verò specialiter, qui culpabiles sunt, & interdicto causam exhibuere.

6. *De mixto quid dicendum?* Ex interdicto generali loci non necessariò] generale personale, nec è contra infertur; idémque de interdicto speciali dici potest. Nec ex interdicto personali speciali non infertur interdictum locale speciale. Contra verò interdictum locale specialè necessariò personale speciale semper infert: sicut etiam locale generale semper speciale personale comprehendit.

7. *Quinam interdicti lator?* In totam Ecclesiam à Papa, vel generali Concilio Sede vacante ferri potest. In diœcesim ab Episcopo. In specialem locum aut personam Ordinarius. Porrò vt in totam Ecclesiam feratur interdictum iusta causa moraliter assignari non potest. Personale in quamlibet personam ferri potest, si iurisdictio, & iusta causa concurrant.

8. *Ob quamnam culpam interdictum detorquetur?* Personale quidem propriam supponit culpam generale grauiorem. Locale verò si generale sit, grauem culpam & aliquo modo publicam exigit, si speciale, minorem, & non ita communem.

9. *De causa auferente interdictum, de eiusdemque relaxatione differe.* Si interdictum in puram pœnam latum sit, solubile est à Superiori habente ad id facultatem, si absque limitatione latum sit; si autem sit latum cum temporis determinatione, eo elapso cessabit. Profectò si latum sit in contumaciam, siue absolutè, siue cum conditione, *si satisfaciat*, absolutione opus est. Interdictum locale si generale sit, ciuitatis destructione non tollitur; si speciale, eodem modo; quia semper remanet solum, in quo diuina fieri prohibitum est. At personale, dissoluto populo, vel communitate, sublatum est; quia de subiectiua causa interdicti nihil remanet.

10. *Personaliter & specialiter interdictus in eo moritur.* Et si penitens moriatur, absoluendus tamen post mortem, indirectè est, vt viuentes illius possint corpus sepelire.

11. *A quonam absoluendus, qui per sententiam particularem ab Homine esset interdictus?* Ab eo solo, qui tulit, vel à Superiore eius est absoluendus. *Interdictum locale est à iure.* In pœnam latum si fuerit, regulariter ad certum tempus fertur; ideo eo elapso, per se finitur. Si ante tollendum sit, non nisi per conditionem iuris, vel Superiorem tollendum est. Idem assero, si absque temporis limitatione sit latum. Si verò in contumaciam sit latum tunc si reseruatum est, à solo reseruatore, eiusque Superiore soluitur; si non est reseruatum, tunc locale à solo Episcopo loci soluitur: personale eodem modo solus ordinarius tollit Episcopus. Si verò speciale, qui-

libet potest, qui ab excommunicatione soluit nemini reseruata.

CAPVT II.

De Interdicti effectibus.

12. *Interdicti effectus recensc.* Tres quidem sunt, Sacramentorum scilicet, Officiorum diuinorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio.

13. *Primum effectum explana.* Primus effectus interdicti est eorum Sacramentorum priuatio, quæ iure excepta non sunt. *Quænam autem sunt iure excepta Sacramenta?* 1. Baptismus exceptus est, etiamsi solemniter conferatur. 2. Confirmatio. 3. Pœnitentia iure antiquo solis ægrotantibus concedebatur: at nouo cap. *Alma mater* etiam sanis quibuscunque permittitur, modo specialiter interdicti non sint, aut excommunicati. 4. Communio per modum viatici conferri potest is tamen qui personaliter speciatim esset interdictus, ante Eucharistiam satisfactionem præmittere debet, & ab interdicto absolui. Porrò extra mortis articulum conferri non potest. Scio probabiliter dari posse Clericis iis, qui diuinis officiis possunt interesse. 5. Extrema-vnctio tempore interdicti absolutè est prohibita: vt etiam Ordo, & Matrimonium. Verùm Matrimonium sine solemni benedictione permitti posse probabiliter defendo.

14. *Quódnam peccatum, in materia Sacramentorum interdictum violare?* Mortale crimen est, & Clerici si illud in ministerio Sacramentorum violent, fiunt irregulares. Religiosi verò & Moniales si generale interdictum non seruent, ipso iure sunt excommunicati.

15. *De secundo interdicti effectu dissere.* Secundus effectus diuinorum officiorum priuatio est. Antiquo iure Missa singulis hebdomadis, ad Eucharistiam pro infirmis conficiendam, in Ecclesiis singulis permittebatur: Horæ Canonicæ in Ecclesia à binis vel ternis submissa voce, ianuis clausis & excommunicatis exclusis, poterant recitari. Nouo autem iure tempore interdicti localis generalis, vt in singulis diebus Missæ celebrari possint, concessum est, & alia diuina officia sicut prius, campanis tamen non pulsatis. Laici, qui nec excommunicati, nec interdicti specialiter sunt, ab officiis diuinis excluduntur; nisi priuilegio fruantur. Quod si locale interdictum

terdictum speciale sit, tantum priuata Missa semel hebdomada, vt olim, dici poterit, si modò Ecclesia illa talis sit, vt in ea pro infirmis Eucharistia asseruetur. Personæ interdictæ siue generaliter, siue specialiter, in nullo loco celebrare, vel assistere sacro possunt, exceptis Festiuitatibus quatuor, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ.

16. *Potest ne interdicti Sacerdotis Missa exaudiri?* Potest, etiamsi nominatim sit interdictus, modò ad eam faciendam cooperatio vitetur.

17. *Quænam igitur diuina officia prohibentur?* Omnia illa, quæ substantialiter diuina sunt, & non nisi ab Ecclesiæ ministris exercentur. Vnde affirmo generalem confessionem, Angelicam salutationem, benedictionem mensæ, Crucis adorationem priuatam, officia recitari solita à confraternitatibus, animæ commendationem, prædicationem, purificationem mulierum post partum, & similia officia permitti tempore interdicti.

18. *Quódnam peccatum est interdictum in diuinorum officiorum materia violare?* Mortale quidem ex genere suo in Ecclesiasticis, & laicis. Ecclesiastici autem præterea si proprium ordinis actum exerceant, incurrunt irregularitatem, & electionis passiuæ priuationem.

19. *Tertium denique interdicti effectum euolue.* Tertius effectus Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio est. Per interdictum generale loci prohibitum est, ne quis in eo loco Ecclesiasticæ sepulturæ amandetur, nisi per priuilegium à iure, vel ab homine sit exempta persona.

20. *Num Clerici eidem iuri subiacent?* Clerici, qui seruarunt interdictum, nec illi causam dederunt, in Ecclesiis sepeliri possunt antiquo iure, cum silentio: nouo, cum officio adhibita moderatione cap. *Alma mater.*

21. *Priuilegiatus quis est ad diuina: potest ne consequenter Ecclesiastica sepultura frui?* Non hoc ipso in sacro loco ex probabiliori sententia potest tumulari.

22. *Vbinam laici sepeliendi tempore interdicti?* In cœmeterio per Episcopum deputato, non tamen benedicto, postea quidem transferendi in Ecclesiam interdicto cessante, modò pœnitentes decesserint, qui culpabiles fuerant. Porrò quæ dixi in generali interdicto, potiori iure in speciali procedunt.

23. *Quid si interdictum sit personale?* Si speciale, certum est eas personas sic interdictas Ecclesiastica sepultura priuatas esse. Si generale, probabile est in sacro loco eas posse sepeliri.

24. *Interdicitur ingressus Ecclesiæ.* Ad officia tantùm diuina participanda ingressum prohibitum esse reor, inter quæ etiam Ecclesiasticam sepulturam contineri. *Filliucius* affirmat.

25. *Quodnam peccatum est in hac materia interdictum violare?* Ex suo genere lethale peccatum. Vnde pœnam excommunicationis etiam incurrunt, qui aliquem in loco interdicto sepeliunt.

26. *De interdicti suspensione quid?* Tribus modis suspenditur. 1. Generali priuilegio, vt in Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione Deiparæ, Festiuitate Corporis Christi, & per totam octauam, Festo Conceptionis B. Virginis, & per totam octauam in Hispania. 2. Particulari priuilegio suspenditur à Sede Apostolica multis Religiosis concesso. 3. Per iudicis sententiam, v. gr. Papæ, Legati à latere, Episcopi, si à se ratum sit, & inferiorum etiam Prælatorum eodem modo.

CAPVT III.

De Interdictis in particulari.

27. *Quotnam in casibus interdictum locale generale à iure latum est.* Septem. 1. Si rector ciuitatis, vbi moritur Papa, non faciat contenta *cap. vbi periculum, de elect. in 6.* 2. Si dominus terræ iniuriosè Episcopum percutiat, vel percuti mandet. 3. Si Legatum vel Nuncium Apostolicum in suo impediat officio. 4. Si personæ Ecclesiæ manifestis vsurariis domos concedant. Post mensem enim, in quo percussi sunt excommunicatione, ipsorum terræ sunt interdictæ. 5. Si ciuitas exigat gabellas à personis Ecclesiasticis de rebus ipsarum exportandis. 6. Si consentiat Cardinalis neci, vel infra mensem non puniat in eū delinquentes. 7. Si Episcopum iniuriosè bannierit, occiderit.

28. *Locale speciale quotnam in casibus incurritur?* Tribus. 1. Si in eo loco per vim Episcopus detineatur. 2. Si Clerici non restituerint infra dies decem funeralia Ecclesiæ, in qua de iure sepeliendus erat is, quem induxerunt ad vouendum, vt eligeret sepulturam in sua. 3. Si hæreticus scienter in Ecclesia sepeliatur.

29. *Interdictum autem personale generale quotnam in casibus incurritur?* Nouem. 1. Si vniuersitates alienigenis vsu-

rariis

tariis habitationem concedant. 2. Si concedant repressalias, vel extendant contra Clericos. 3. Si Ecclesiasticis decimas imponant, vel ab iis exigant. 4. Si resistant statutis Papæ circa Episcopatus Tolosani diuisionem. 5. Si non seruetur constitutio Ioannis XXII. circa Beneficiorum vacantium fructus. 6. Si à sententiis Papæ ad futurum Concilium appellauerint. 7. Si Capitulum infra annum dimissorias concedat. 8. Si ab Ecclesiasticis exigant tributa. 9. Cum ob crimen Vniuersitatis interdictum locale fertur generale

30. *Quotnam denique casibus interdictum personale speciale incurritur?* 1. Incurritur iudex Ecclesiasticus ferens Censuram contra cap. *Medicinalis.* 2. Recipiens dignitatem de manu laici. 3. Vsurpans de redditibus vacantis Ecclesiæ. 4. Episcopus vel Abbas alienans bona Ecclesiastica contra Paulinam. 5. Violantes interdictum locale ab homine, vel à iure. 6. Prælati in visitatione vltra concessa recipientes. 7. Iudices Ecclesiastici priuantes Curiales Beneficiis. 8. Superiores vsurpantes bona nonnullarum vacantium Ecclesiarum. 9. Clerici in Sacris, qui iacent in fornicationis crimine. 10. Prælati commentaria in Tridentinum edentes.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Interdicto ex Societatis IESV *Doctoribus.*

31. *HAbet quis duplex domicilium, interdicitur vnum; interdictus ne erit habitans in loco non interdicto?* Dum habitat in loco interdicto, onus interdicti ferre debet; in alio verò domicilij loco liber est. *Suar. de cens. d. 32. sect. 2. n. 16.* §. 1. *De latione interdicti.*

32. *Interdicitur Clerus, intelliguntur ne Religiosi interdicti?* Suar. Non, nisi exprimatur, aut ex contextu liqueat; quia Religiosi in odiosis nomine Cleri non exponuntur. *Præpositus in 3. p. q. 4. dub. 2. n. 11.* Præp.

33. *Quid, quando interdicuntur Ecclesiastici?* Comprehenduntur Religiosi, etiam conuersi, Moniales, Eremitæ, nouitij, qui quidem non interdicuntur, si Religiosi interdicti exponantur; quia nouitij nomine Religiosi non signantur. Ita *Præpositus.* Præp.

34. *Potest ne propter debitum pecuniarium interdictum locale tam generale, quam speciale ferri?* Probabilius, quàm alij asserunt, negat *Præpositus in 3. p. q. 3. dub. 1. n. 5.* Præp.

35. *Inter*

§. 2. *De Interdicti localis effectibus.*

35. *Interdictum locale scio impedire publicam Missarum, & officiorum celebrationem in Ecclesiis, Monasteriis: rogo autem, num celebrari possint in oratorijs priuatis, & aliis locis extraordinariis?* Negat *Turrianus lib. 6. d. 49.* quid Bonifacius *cap. Alma mater* concessit, vt in loco interdicto Missa & officia secreto celebrarentur in Ecclesiis, & Monasteriis, nulla facta

Præp. de oratoriis mentione. At *Præpositus in 3. part. quæst. 4. dub. 3. num. 29.* probabilius asseruit? quia in materia fauorabili oratoria, & alij loci sacri possunt sub Ecclesiæ nomine comprehendi.

36. *Bonifacius concessit vt quando Missæ, & officia secretò celebrentur in locali interdicto Sacerdotes, & Clerici omnes intersint, non tamen laici nisi in certis diebus: rogo, an nomine Clericorum comprehendantur etiam coniugati seruientes Ecclesiæ?* Affirmant

Conin. *Coninch de sacr. d. 17. dub. 2. num. 30.* quia eo ipso, quod ex mandato Episcopi, Ecclesiæ seruitio deputati sunt, in hoc aliis Clericis videntur æquales. An non melioris conditionis essent, quàm Clerici, si absque assistentia stipendia acciperent? Scio *Gasparem Hurtado de Interd. diff. 7. num. 19.* contra-

Hurt. rium asseruisse.

37. *Scio laicos ex concessione Bonifacij posse sacris interesse in die Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Deiparæ, (& Conceptionis in Minorum Ecclesiis:) rogo, an festa Natiuitatis, Pentecostes, & Paschæ sequentes dies comprehendant: an primum solummodo indicant?* Asserit *Suarius d. 34. sect. 1. num. 39.* tantum primos dies intelligi. Ast probabi-

Suar. lius alij putant dies festos immediatè sequutos contineri; quia illi omnes ad festum principale pertinent.

38. *Scio, alijs diebus non posse laicos diuinis officijs interesse: possunt ne assumi in ministros?* Deficientibus Clericis possunt; quia cum Sacerdotibus concessum est principale, conceditur

Præp. etiam accessorium præsumitur. *Præpositus in 3. part. quæst. 4. d. 3. num. 31.* Quot ministros poterit adhibere? Duos (ex *eiusdem* sententia) vt antea solebat.

39. *Assistit laicus sine necessitate: an delinquat?* Si absit contemptus, & scandalum, solummodò peccat venialiter, etiam

Conin. in Sacrificio Missæ. Quod negat *Coninch d. 17. dub. 3. n. 68.* At *Auila part. 5. d. 5. dub. 2.* probabile putat, nullo modo peccare; quia non prohibetur laicus interesse: sed prohibentur Clerici illum admittere.

40. *Scio interdictum locale impedire Eucharistiæ ministrationem extra mortis articulum; Extremæ vnctionis, quando infirmus confessus est, aut communicauit: scio, Pœnitentiam*

jam

tam semper posse ministrari, quod iure antiquo extra necessitatem non licebat: rogo autem, num liceat Matrimonium tempore interdicti contrahere? Licet generaliter prohibeatur Sacramentorum susceptio, exceptis casibus iure expressis: & Matrimonium in iure non excipiatur: tamen illa prohibitio intelligitur de Sacramentis commissis administrationi Ecclesiæ; administratio verò Matrimonij ipsis competit contrahentibus. Attamen *Suar.* contrarium asseruit *d.33.sect.1.n.51.* Suar.

41. *Possunt ne benedictiones nuptiarum, quæ inter diuina officia computantur, Missa, ac solemnibus precibus perficiuntur, geri?* Asserit *Turr. lib.6. dub.4.* celebrari posse in diebus, quibus diuina officia celebrari publicè permittuntur. *Possunt ne fieri quotidie eo modo quo diuina officia singulis diebus celebrantur, scilicet ianuis clausis?* Negat *Henriquez lib.13. cap.45. num.3.* quia quando diuina officia priuatim celebrantur, laici interuenire non possunt: ergo neque sponsus, & sponsa interesse. Turr. Henriq.

42. *Obseruanda ne ianuarum clausuram circunstantia in celebrando sacro, &c. sub mortali?* *Hurtado* affirmat *de Inter. diffic.10.num.32.* At *Turrianus lib.6.d.49.dub.6.* secluso scandalo, & contemptu grauem negat esse materiam. Hurt. Turr.

43. *Scio personaliter interdictum non posse licitè Sacramenta conferre, posse tamen validè: rogo an Episcopus interdictus à celebrando, possit Ordines, etiam sacros dare?* Potest Ordines minores; quia hi non necessario conferuntur in sacro, Potest & maiores *Præposito authore in 3.p.q.4.dub.3.n.24.*) quia non est necesse, vt ordinans sacrum faciat; sed conferre Ordines potest, alio celebrante. §.3. *De Interdicti personalis effectibus.* Præp.

44. *Sacerdos interdictus toleratus celebrat, licitum est cuilibet non interdicto eius Missam audire: rogo autem, si denunciatus sit Sacerdos, an possint non interdicti adesse?* Asserunt *Suarius apud Fabrum c.2.n.47.* & *Turrian. lib.2.d.49.dub.2.* quia interdictum personale militat solummodo contra personam interdictam. Nulla enim prohibitio apparet in iure, ne alij cum interdicto communicare possint. Suar. Turr.

45. *Interdictus quis est ab ingressu Ecclesiæ: prohibitus ne semper Ecclesiam adire? Suarius d.35. sect.4.* solum ingressum formalem ad orandum edocet prohiberi. *Gordon. tom.1. lib.7. quæst.16. cap.8. num.55. & 56.* putat omnem ingressum in Ecclesiam esse prohibitum. At *Auilæ part.5.d.4.dub.5.conc.6.* ex mente, existimo solùm prohiberi ingressum tempore officiorum, in aliis autem licitum ingressum, etiam ad orandum; Suar. Gord. Auil.

dum; quia Ecclesia fundata est propriè ad celebranda, & audienda diuina officia, per accidens autem ad priuatas fundendas orationes. Imò, dum Officia celebrantur: potest transire per Ecclesiam, & per transennam orare.

46. *Per interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quo prohibetur Officiorum auditio, & sepultura, prohibetur ne vsus Sacramentorum?*

Gord. Henriq. Asserit *Gordonus tom. 2. lib. 7. quæs. 16. cap. 8. num. 56.* sed affirmat *Henriq. lib. 13. c. 32. n. 2.* posse interdictum ab officiorum assistentia, in Ecclesia Sacramenta recipere; quia possunt haec absque dependentia à Missa ministrari.

47. *An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit in Cœmeterio diuina officia audire, & Missam celebrare?*

Filliuc. Potest; quia nomen Ecclesiæ in lege pœnali strictè sumendum. *Filliucius tom. 1. tract. 18. c. 5. n. 103.*

48. *Clericus interdictus Officium recitat, & ad orationes præmittit, Dominus vobiscum, benedicit aquam cum aspersione salis, Episcopus solemniter benedictionem impertit: peccat ne mortaliter?*

Suar. Turr. Asserit *Suarius apud Turrianum lib. 6. d. 49. dub. 5.* quia hi actus licet quantitate parui, sunt tamen graues in qualitate, nempe Ordini sacro annexi. At ipse. *Turrianus* docet omnes hosce actus piacula venialia esse ob materiæ leuitatem.

§. 4. *De interdicto varia.*

49. *Quandonam obligat interdictum?* Respondeo ex *Filliucio* interdictum locale generale non obligare antequam denuncietur, sicut nec speciale respectu habito ad specialem locum. Personale si generale sit, satis esse iudico contra talem communitatem esse denunciatum, & euidenter constare, talem personam de ea esse communitate. Speciale autem statim obligare personam, in quam fertur: alios tamen ad eam personam vitandam non teneri, antequam interdictum sit denunciatum.

Filliuc.

50. *Tenetur ne interdictum seruare ipse, qui posuit?* Maximè, alioquin pœna illigatur, nisi sit Summus Præsul, aut nisi secum dispenset, *Saa* assertore.

Saa.

51. *Interdictum non denunciatum seruandum ne est?* Minimè; denunciandum est enim contra certum locum, aut personam. Nec potest quis denunciari interdictus sine citatione. *Capitulum, aut populus est.* Licèt hic & illud sit denunciatum interdictum non sufficit, vt ideo singuli denunciati censeantur. Sic *Saa* ex Nauarro.

52. *Tenet ne interdictum post appellationem positum?* Non tenere ex *Saa* affirmo, quia iam illius causæ iudicium ad Superiorem transiit.

Saa.

53. Potes

53. *Potest ne Episcopus relaxare interdictum iuris?* Si non sit huiusmodi interdictum ad certum tempus, nec seruatum, relaxari poterit ab Episcopo. Imò quiuis Prælatus quantum ad subditos idem præstare poterit, eodem *authore.* Saa.

54. *Quinam ab interdicto generali personali, aut locali eximantur?* Interdicto loco, non includuntur in ea causa minimè culpabiles; quia interdicti censura culpam torquet. Interdicto populo, non includuntur doli incapaces; quia innocentiam censura non vexat; tamen in communem vindictam sepultura hi prohibentur. Consequenter assero eum, qui in populo interdicto sine culpa interdicti est, posse alibi, si absit scandalum, & celebrare, & officia diuina exaudire. Ex *Saa* doctrina. Saa.

55. *An interdicta tota diœcesi, aut omnibus ciuitatis Ecclesiis Cathedralis includatur?* Minimè, nisi specialis fiat illius mentio; quia in odiosis sub communi nomine non venit. *Saa.* Saa.

56. *Prohibetur ne interdicti tempore Eucharistiæ ministratio eis, qui ad assistendum diuinis officijs priuilegiati sunt?* Non prohiberi *Toletus* affirmat. Toleti

57. *An possit in Ecclesia particulariter interdicta aliquod aliquando officium celebrari, aut ministrari Sacramentum?* Respondeo cum *Toleto* celebrari posse ad renouandum Sacramentum, vel dandum infirmo, clausis tamen ianuis: & dari absolutionem pœnitenti, & dici officium à duobus vel tribus, sine animo tamen officiandi. Tolet.

58. *Licet ne tempore interdicti etiam specialis communio Clericorum & Religiosorum, aut Ordinis ministratio?* Assero ex *Toleto* licere quidem Clericorum ac Religiosorum communionem, non autem ministrationem, nisi Episcopus positum à se interdictum suspendat. Tolet.

59. *Quinam possint priuilegiati interdicti tempore?* Respondeo ex eodem *Toleto* priuilegiatos ad diuina officia, quales Clerici & Religiosi, posse sepeliri in Ecclesia etiam specialiter interdicta, si alia desit, aut ea sit propria; posse & ad diuina familiares, vel domesticos admittere; & qui potest celebrare, posse sibi ministrum quemuis non priuilegiatum adiungere. Tolet.

60. *Quid si Sacerdos admittat interdictum?* Si scienter admittit, alij exire non tenentur. Porrò Sacerdoti huiusmodi interdictus est Ecclesiæ ingressus vsque ad satisfactionem, *Saa* collectore. Saa.

61. Si

61. *Si contemptus adsit, est ne mortalis interdicti violatio?*

Saa. Asserit *Saa* quosdam negare esse mortalem culpam deficiente contemptu, & scandalo. Quoad laicos commune à Doctoribus id censetur, quoad Clericos autem mortale crimen affirmo, quando vt Clerici violant.

EXAMEN V.

Circa materiam de Pœna Cessationis à Diuinis, Depositionis, ac Degradationis.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam, & quotuplex cessatio à Diuinis.

1. *Quid est à Diuinis cessatio?* Simplex prohibitio Diuinorum in aliquo loco, imposita in signum afflictionis Ecclesiæ, & vt generale quoddam ipsius grauamen.

2. *Quotuplex illa?* Duplex, vna generalis, qua prohibentur diuina in loco vniuersali, v. g. Regno, ciuitate; altera particularis, qua in loco particulari, v. g. in vna Ecclesia prohibentur.

3. *Est ne censura?* Minimè; sed per modum simplicis prohibitionis fertur, & comminatoriè tantum.

4. *Causam huiusce pœnæ efficientem assigna.* Papa, Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt imponere cessationem; nam cessatio pertinet ad forum contentiosum, cui præest Papa, & Episcopus. Concilium item Prouinciale, & Diœcesanum potest cessationem imponere.

5. *Formam imponendi cessationem assigna.* Hæc esse potest. *Nos ob talem causam ciuitatem, vel Ecclesiam à Diuinis officijs præcipimus abstinere.*

6. *Quænam conditiones in ferenda cessatione asseruandæ?* 1. Delictum sit manifestum, & notorium. 2. Admoneatur is, ob cuius culpam ferenda est cessatio. 3. Pareat, & satisfaciat, nisi ferens cessationem, & ille contra quem fertur, intra mensem se componant, & adeant Pontificem summum per se, vel Procuratorem. Porrò qui cessationem tulit, potest transacto mense, postquam iter ad summum Præsulem suscepit, tollere cessationem.

7. *Causam*

7. *Causam exhibe cessationis materialem.* Proxima quidem, ob quam cessatio imponitur, est delictum, & culpa manifesta, quæ grauis valde debet esse, & grauior eâ, ob quam ponitur interdictum.

8. *Finis quinam?* Remotus finis cessationis est resipiscentia, & emendatio illius, cuius causa lata est cessatio.

CAPVT II.

De cessationis effectibus.

9. *QVinam sint effectus cessationis? An officia eo tempore recitari possint?* Tempore cessationis tam generalis, quàm particularis à diuinis officiis publicè recitandis, vt ab Horis Canonicis abstinetur. Item à Missa publicè celebranda, etiam si moderatio seruetur.

10. *Num Sacramenta conferri valeant?* Sacramentum ordinis cessationis tempore, aut Extremæ-vnctionis nec laicis, nec Clericis conferuntur. Porrò alia Sacramenta, præcipuè Baptismus, conferenda sunt, ob illorum necessitatem. *Quid de Matrimonio?* Licitum non videtur illud contrahere, nisi in articulo mortis ad legitimationem prolis, aut ad fœminæ alicuius nobilis decus necessarium esset, dum non facilè dispensatio esset acquirenda.

11. *Quidnam de sacra sepultura?* Cessatio priuat laicos sepulturâ sacrâ saltem quoad diuina officia, etiam quo ad eos, qui habent sepulturæ priuilegium tempore interdicti.

12. *Quàm grauis est cessationis violatio?* Violans eam grauiter peccat, & irregularitatem, vel excommunicationem incurrit. *Tenetur ne ad aliquam satisfactionem is, cuius causa cessatio lata est?* Tenetur quidem ad sarcienda omnia damna Clericis, qui seruare cessationem coacti sunt, & distributiones amiserunt, vel alia damna subiere.

CAPVT III.

De Pœna Depositionis, & Degradationis.

13. *QVid est Depositio?* Propriè accepta pœna quædam est Ecclesiastica, qua Clericus munere Clericali priua-

tur, officio videlicet, & Beneficio absque spe restitutionis & cum quadam verborum solemnitate.

14. *Degradatio autem quidnam?* Est Clericalis priuilegij priuatio facta post Depositionem, adiuncta reali actione & cæremonia per Canones instituta. Igitur Depositioni addit Degradatio ipsam verborum executionem, quod enim in Depositione verbis innuitur, in Degradatione actione ipsa executioni mandatur.

15. *An Depositio, aut Degradatio Censuræ sint?* Minimè, quia sunt pœnæ iure ordinario irremissibiles; Censuræ autem per absolutionem remittuntur.

16. *Priuat ne depositio ipso facto beneficiis?* Depositio ab officio, si lata à iure sit, non priuat ipso facto Beneficiis iam possessis: at si ab homine, priuat etiam Beneficiis.

17. *A quonam facienda aut Depositio aut Degradatio?* Si verbalis sit, hoc est, Depositio, à proprio Episcopo electo & confirmato facienda est; si autem sit actualis, hoc est, Degradatio, ab Episcopo consecrato. *Num ab alieno?* Ita plane de licentia proprij.

18. *Quænam in casibus sit Depositio?* Solùm in casibus à iure expressis, & aliis grauioribus delictis arbitrio Ecclesiastici iudicis. *Degradatio autem?* Solùm in casibus, quibus post illam sæculari brachio Clericus traditur.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de cessatione à diuinis, & Degradatione, ex Societatis IESV *schola.*

§. 1. *De cessatione à diuinis varij casus.* Tolet. Tolet. Filliuc.

19. *Ponitur ne à iure cessatio à diuinis?* Nunquam poni *Toletus* affirmat.

20. *Potest ne tempore cessationis officium gregatim recitari?* *Toletus* asserit posse extra Ecclesiam dici officium à duobus vel tribus sine animo officiandi.

21. *An sit cessatio à diuinis Censura? Filliutius* affirmat Censuram non esse, nec eius violationem irregularitatem inducere.

§. 2. *De Degradatione.* Tolet.

22. *Depositus ne amittit priuilegium Clericale?* Respondeo ex *Toleto* priuilegium fori, & Canonis retinere.

23. *Ob quanam crimina sit Depositio?* Depositione dignæ sunt stupra, Incestus, adulterium, & omnia adulterio maiora

jora, Furtum, Periurium, Homicidium etiam solo consilio, vel hortatione factum, & omne crimen inducens irregularitatem, aut enorme iudicis arbitrio. Sic ex *Toleto* & aliis *Saa.* Tolet.

24. *Potest ne Depositus per Episcopum, restitui?* Posse ab eodem Episcopo restitui *Saa* affirmat. Addunt tamen Doctores, nisi ob crimen sit adulterio maius, nec ad Degradationem pertigerit verbalis Depositio. Attamen Depositi non assolent ad Clerum restitui. Saa. Saa. sit depositus

25. *Queisnam de causis quis degradatur, ita vt Curiæ secularitradatur?* Tribus fermè. 1. Ob hæresim pertinacem. 2. Ob adulteratas literas Apostolicas. 3. Ob calumniam, vel contumeliam proprio Episcopo illatam, si post admonitionem, id est, punitionem contumacia, et incorrigibilitas accessit. Addo ex Doctoribus meis Degradationem præterea locum habere in homicidio iterato, parricidio, & homicidio Sacerdotis proditorie facto, cum spoliatione bonorum, & in aliis grauissimis delictis.

26. *Queisnam priuatus est Degradatus?* Executione ordinis, & Beneficio, & priuilegio Clericali. Vnde potest per iudicem secularem puniri, nec qui in eum percutit excommunicatus est. Profectò degradatum à solo Præsule summo restitui non posse affirmo.

27. *Consecrat ne validè qui degradatus est?* Maximè; quia per Degradationem Characterem ordinis non amittit.

EXAMEN VI.

Circa materiam de Pœna Irregularitatis.

Caput Primum.

De natura, institutione, & causis Irregularitatis.

1. *Quid est Irregularitas?* Canonicum impedimentum ex facto vel defectu proueniens, quod directè impedit susceptionem Ecclesiasticorum Ordinum, aut eorum vsum. Colligo fœminam non esse Irregularem; quia ordinum capax non est; nec infidelem, qui nondum recipit Baptismum; quia non baptizatus ordinis capax non est.

2. *Efficientem Irregularitatis causam assigna.* Sunt facti

Canones, seu potiùs Papa qui irregularitatem induxit, eamque per sacros Canones expressit. Vnde Episcopus aut alius Summo Pontifice inferior haud potest ferre irregularitatem; quia ad ipsos non pertinet ius commune sancire. Negandum tamen non est Summum Præsulem posse per sententiam, seu ab homine etiam irregularitatem nouam definire.

3. *Datur ne de facto vlla irregularitas; quæ scripta non sit?* Nulla adest quæ iure non sit expressa; vnde admittenda non est ob solam Doctorum authoritatem de consuetudine testantium. Nec incurritur ob æquale, simile, aut maius delictum; quia iuri solummodo attendendum.

4. *Causam materialem irregularitatis exprime, seu potius subiectiuam.* Causa, in quam cadit irregularitas, est omnis homo Ordinis capax, subditus iuri communi.

5. *Formalis causa quæ?* Verba irregularitatem exprimentia; v.g. *Nunquam ordinetur: Ad Clericatum non promoueatur: Ad sacros ordines aspirare non audeat.* Hinc innuo differentiam irregularitatis à suspensione, quod irregularitas directè Clericatus & ordinum susceptione priuat: suspensio verò vsu, & exercitio ipsorum ordinum.

6. *Quamnam culpam irregularitas ex delicto punit?* Mortalem quidem; nec probabile iudico eam posse pro veniali culpa ferri; quia improportionata pœna delicto. Præterea actum exteriorem consummatum requirit, nec sufficit desiderium, vel attentatio; quamuis Ecclesiam posse ob solam grauis delicti attentationem inducere irregularitatem existimo. Profectò non incurritur, quando interuenit ignorantia probabilis; quia sicut huiusmodi ignorantia excusat à culpa, ita & à pœna. *An sufficiat actus internus?* Minimè; quia non subiacet Ecclesiæ potestati.

Caput II.

De effectibus irregularitatis, & eius dispensatione.

7. *Quot sunt irregularitatis effectus?* Tres quidem, primus circa ordines, secundus circa Beneficium, tertius circa iurisdictionem.

8. *Explica effectum irregularitatis respectu Ordinis.* Præcipuus

ipsius planè irregularitatis effectus est, ordinum susceptionem impedire. *Quid si suscipiat irregularis?* Mortaliter peccat, non tamen aliam pœnam ipso iure contrahit. *Impedit ne vsum Ordinum susceptorum?* Impedit planè eodem modo, quo susceptionem. *Queisnam actibus non priuat?* Eis qui à laico possunt exerceri; nec aliis Sacramentis præter ordinem, aut recipiendis aut administrandis, eo modo, quo per laicum fieret.

9. *Expende effectum respectu Beneficij.* Beneficio iam obtento ipso iure non priuat, nec ex vi irregularitatis ad Beneficium dimittendum oritur obligatio, antequam illo per sententiam priuetur. Nec etiam Beneficij fructibus nisi iis in casibus, in quibus vna cum irregularitate Beneficij quoque priuatio ipso facto annexa est, & ad criminis diem sententia retrotrahitur. Consequenter affirmo nec Beneficij administratione priuare.

10. *Expone denique effectum irregularitatis respectu iurisdictionis.* Non priuat iurisdictione fori contentiosi ex Beneficio proueniente, sicut neque aliis actibus, vt iure eligendi, vel electionem confirmandi. Iurisdictione equidem in foro pœnitentiæ non priuat; at vsu licito per se ipsum priuare certum est.

11. *Quotnam modis in vniuersum potest irregularitas tolli?* Tribus. Per Baptismum, per Religionis ingressum, & per Dispensationem.

12. *Quamnam tollit Baptismus?* ~~Debet~~ quidem omnem eam quæ prouenit ex proprio delicto, aut ex Canonica infamia.

13. *Professio autem Religionis quamnam abolet?* Professio in Religione approbata omnem eam, & solam aufert, quæ iure expressa est. Iure autem solum irregularitas ex defectu natalium expressa videtur.

14. *Dispensatio denique quamnam tollit?* Quamcunque potest tollere, modò fiat ab habente potestatem. *Causa irregularitatis cessat.* Dispensatio necessaria non est. *Aufertur lex, qua fertur irregularitas.* Aufertur & illa quoad eas irregularitates quæ adhuc contractæ non essent: quo ad contractas sine culpa etiam aufertur; quo ad eas autem, quæ contrahuntur ex delicto, probabilius est tolli, modò simpliciter abrogatio legis fiat.

15. *Quinam in irregularitate dispensant?* Ordinaria & vniuersalis dispensandi potestas in solo Summo Pontifice residet, iure quidē diuino Episcopus in iis tantùm dispensat, quæ

ipsi concessa esse noscuntur. Profectò de antiquo iure dispensat in ea, quæ continetur sub lege, in qua ipse potest dispensare: de nouo autem Tridentini in omni ea, quæ ex occulto delicto procedit, præterquam homicidio voluntario, & aliis ad forum contentiosum deductis.

16. *Quid si Episcopus irregularitatem contraxerit? Quinam cum eo dispensare potest?* Quoad irregularitates ipsi concessas dispensat is, cui vices suas ipse committit, & potest etiam ipse dispensare secum. Collegium Cardinalium in sede ad Pontificis electionem probabile iudico potestatem habere dispensandi. Capitulum Sede vacante in hac Episcopi potestate non succedit. Ex delegata potestate, iure quidem communi nullus potest; ex priuilegio verò illi poterunt, quibus id concessum reperitur. Dispensationes à Papa commissæ Ordinario, vt veritate cognita dispenset, etiam mortuo Papa, & re integra non expirant.

17. *Contingit Ordinarium in dispensando alicuius irregularitatis obliuisci.* Postea vi facultatis concessæ etiam potest dispensare.

18. *An aliqua determinata dispensandi forma?* Nulla quidem, satis est quæcumque, modò irregularitatem auferri significet. Admonuerim tamen in ipsa forma dispensationis effectum esse explicandum.

CAPVT III.

De Irregularitatibus ex defectu.

§. 1. *Irregularitas ex defectu.*

19. INnuisti sæpè *duplicem esse Irregularitatem, vnam dici ex defectu, vel indecentia, quæ prouenit absque culpa; alteram ex delicto. Duplicis huiusce irregularitatis species recense.* Irregularitas ex defectu has continet species. Ex defectu animi, ex defectu corporis, ex defectu natalium, ex defectu ætatis, ex defectu libertatis, ex defectu Sacramenti, id est Bigamiæ, ex defectu lenitatis; id est ex homicidio licitè patrato. Irregularitas autem ex delicto ad hasce species extenditur. Ex iteratione Baptismi, ex indebita susceptione, vel vsu ordinis, ex actu infidelitatis aut hæresis, ex infamia, ex homicidio illicitè patrato.

§. 2. *Ex defectu animæ.*

20. *Singulas species expende. Ac primò ex animæ defectu.* Characteris Baptismatis defectus potius affert incapacita-

tem,

tem, quàm irregularitatem. At si vetustæ fidei defectus sit, vtpote Neophytus sit aliquis, irregularitas oritur, multò magis fidei defectus in Apostata; verùm hæc ad irregularitates ex delicto pertinet. Qui defectum vsus rationis patitur, v. g. puer, amens perpetuò, furiosus, inhabilis ex natura rei est. Lunaticus, furiosus, vel amens ad tempus, arreptitius & similes aliquo pacto irregulares, non absolutè dicuntur. Ignorantes, qui secundùm Canones necessaria scientia carent, irregulares censentur: ea sublata ignorantia, etiam auferetur irregularitas: durante autem nisi Papa dispenset, ordinari non possunt.

§. 3. *Ex defectu corporis.*

21. *Secundò ex defectu corporis inculpabili.* Si defectus hic vel ordinis executionem impediat, vel notabilem deformitatem inducat apparente quidem deformitate, irregularem efficit. *Sexu ancipiti quis viget.* Si fœmineus magis viget, incapacitatem potius efficit, quàm irregularitatem. *Deformis est.* Si plura membra habet, vel eorum disparitas notabilem deformitatem inducit, irregularis est. *Giganteam staturam gestat, aut Pygmæa contrahitur.* Apud similes non est irregularis, secus apud alios, quando talis disparitas ludibrio aliis esset futura. *In vno ex quinque sensibus patitur defectum.* Irregularis est, quando talis defectus, vel vsum Ordinis impedit, vel notabilem affert deformitatem. *Defectum membrorum patitur.* Si ex propria actione cum culpa talis defectus ortum habeat, irregularis ex delicto est; si absque culpa, tunc si ordinum vsum non impediat, nec indecentiam afferat, irregularitatem non inducit, secus si impedimentum, vel indecentiam contineat. *Morbo laborat.* Morbus quidem generaliter tunc irregularem efficit, quando perpetuus est, & moraliter incurabilis. Hinc iudicium de particularibus morbis fieri potest *Notabilem deformitatem etiam sine vlla partis mutilatione ostentat.* Irregularis proculdubio est.

§. 4. *Ex defectu Natalium.*

22. *Tertiò ex defectu Natalium.* Omnes illegitimi Canonico iure irregulares sunt. *Expositus quis est.* Expositi quidem post ordines receptos pro legitimis debent haberi; ante illos autem pro illegitimis. *Ex matre adultera natus est.* Non tenetur credere matri dicenti se illegitimum: si verò id sibi persuadeat, tanquam illegitimus se gerere debebit. Profectò nati ex coniugatis in foro externo etiam si habeant irritans impedimentum, pro legitimis debent haberi, si de mala fide parentum non constet. Quod si vterque parens malam fidem affirmaret, in conscientia filius se deberet pro illegitimo habere.

23. *Quonam modo hæc irregularitas auferatur?* Per Baptismum minimè; per Canonicam autem legitimationem, vel dispensationem à Papa quoad omnes Ordines, & Beneficia aufertur, à Papa dixi, quia Episcopus tantùm quoad Ordines minores, & simplicia Beneficia potest dispensare. Tollitur etiam per professionem in Religione approbata quoad Ordines sacros, non tamen quoad prælationes, & dignitates.

24. *Quartò ex defectu ætatis.* Porrò ætatis defectus irregularem reddit si ordinatus ante legitimam ætatem deinde Ordines exerceat, alteram irregularitatem incurrit, si suscepti Ordines ex Maioribus sint.

25. *Quintò ex defectu libertatis.* Libertatis defectus irregularem efficit. *Domini consensus adest?* Quicunque ille sit, satis est ad consequendam libertatem per ordinationem.

26. *Ordinatur absque domini consensu.* Etiam si maneat ordinatus, irregularitatem tamen non effugit. *Efficitur ne liber?* Si minores ordines tantùm receperit, propterea à seruitute non liberatur: si Maiores, liber efficitur, quando Episcopus scienter illum ordinasset, sed tenetur quidem domino compensare. *Nescit Episcopus seruitutem.* Tenentur alij, qui mala fide Episcopum induxerunt. *Bona induxere fide.* Tenetur seruus ad eandem satisfactionem, vel ad reddendum pro se vicarium. *Non potest.* Inferior Sacerdote in seruitutem redigitur: Sacerdos peculium amittere cogitur, & domino reddere. *Non habet peculium Sacerdos.* domino ministret in Sacerdotali ministerio; quia cum proximi iniuria nulla iusta libertas.

§. 5. *Ex defectu Sacramenti, seu Bigamia.*

27. *Sextò ex defectu Sacramenti.* Defectus hic Sacramenti dicitur, quia ex Bigamia Sacramenti ratio deest in matrimonio significata. *Quotuplex Bigamia?* Triplex. 1. Vera, cùm duplex matrimonium validum contrahitur, quæ nec per Baptismum aufertur, si antea sit contracta. 2. Interpretativa, cum duplex matrimonium inualidum est, & consummatum, vel alterum eorum, etiamsi ex defectu consensus nullum sit, vel per ignorantiam vtrumque contractum. Propriè dicitur ea, quæ ex matrimonio cum vidua, vel cum corrupta ab alio, vel repudiata, vel cum propria vxore cognita post adulterium eius, consurgit; contrahitur autem etiam si matrimonium cum vidua nullum sit. 3. Similitudinaria, cùm quis post professionem in Religione approbata matrimonium contrahit, & consummat, vel post votum castitatis in Ordine sacro, eodem modo nuptias celebret, & consummet, ex sententia probabiliore.

28. *Quanta*

28. *Quanta est hæc pœna?* Priuat equidem Bigamia vsu omnium Ordinum susceptorum, vltra inhabilitatem alios suscipiendi. Additur etiam in pœnam priuatio Clericalis priuilegij, si vera vel interpretatiua sit. In ea solus Papa dispensat, excepta similitudinaria cum Clerico in sacris, & Religioso, in qua etiam dispensat Episcopus.

§. 6. *Ex defectu lenitatis.*

29. *Septimò ex defectu lenitatis.* Qui iustè ex publica authoritate alium occidit, aut mutilat, irregularis est; quia Christum lenem, & mitem non valet repræsentare.

30. *Est ne actualis occisio, aut mutilatio membri necessaria?* Ita planè; per membrum autem pars in humano corpore intelligitur, quæ actionis alicuius integrum, & proximum instrumentum est. Profectò sufficit ad irregularitatem, si notabilis membri pars amputetur. Si non amputetur totum, auferetur per Baptismum irregularitas contracta. *Occidit quis fœtum in vtero.* Irregularis est; quia satis est ad irregularitatem cuiusuis hominis occisio, vel mutilatio.

31. *An iudex, accusator, & testis in causa capitali irregulares sint?* Iudex sanguinis sententiam ferens, & accusator, & testis etiam inuoluntarius in criminali causa effectu secuto, irregulares sunt.

32. *An Inquisitor seculari brachio reos tradens, vel dominus temporalis alteri munus iudicandi in criminalibus causis committens subiaceant irregularitati?* Minimè; quia ille iudicat reum dignum morte, sed non pœnam executioni tradit; hic autem à fortiori abstinet à sanguinis sententia.

33. *Quid de Clerico accusatore?* Clericus si accusator sit, & in causa propria petat emendam sibi fieri, cum protestatione (etiamsi ficta esset, modò fictio non appareat) quod sanguinis pœnam minimè intendat, irregularis non est. Idem affirmo de teste coacto in aliqua causa ex iustitia, vel charitate, etiamsi propria non sit, modò protestatio præmittatur, & tantum ad emendationem fiat, non ad vindictam.

compensationem

34. *Quidnam de Ministris iustitiæ, Aduocato, assistentibusque in loco supplicij?* Ministri quicunque in seculari Curia sunt, secuta morte, vel mutilatione, irregulares efficiuntur. Eodemque modo Aduocatus, si ex aduocatione sequatur effectus. Assistentes denique in loco supplicij, comitantésque reos irregulares non sunt, si nullo modo ad supplicium cooperentur, nec festinationi dent operam.

35. *Clericus rogat Principem, vt iudici iubeat agere ex iustitia in aliqua causa particulari.* Si causa sit in principio, & adhuc dubia, etiamsi postea sequatur mors, irregularis nō est;

secus si iam mortis sententia data esset, & ob iudicis negligentiam eius executio esset ambigua.

36. *Num miles sit irregularis?* Si iustum bellum sit, id est defensiuum propriæ personæ, patriæ, boni communis, certæ personæ innocentis, & bonorum etiam temporalium, militantes in eo irregulares non sunt. Si iniustum, & in eo homicidia, vel mutilationes contingant, ex quacunque parte fiant irregulares fiunt. Si aggressiuum sit bellum, & propriis manibus sanguinem non effundant, vel mutilent, irregularitatem euadunt, etiamsi alioqui aliis effundentibus cooperari videantur, modò non proximè alicui homicidio in particulari præstent auxilium.

37. *Clerici militant, aut exhortantur militantes in aggressiuo bello.* Si propriis manibus causa sint sanguinis, irregularitatem incurrunt; secus si non propriis manibus, etiamsi militantes ad strenuè pugnandum hortentur, & animent etiam in congressu; quia id non est proximè ad necem alicuius particularis cooperari.

38. *Medicus quis est, aut Chirurgus.* Ex eo quod præcipiant, vel consulant, vel etiam secent brachia, & alia huiusmodi membra ægrotis, si ex arte id faciant, irregulares non sunt; quia etiamsi suis actibus mortem infirmo accelerant, prudenter id agunt, & ex charitate, nec in eo culpam admittunt, vnde non arguitur defectus lenitatis.

39. *Cuiusnam dispensatio pro militantibus in bello iniusto.* Solius Summi Præsulis, si homicidia ex parte innocentium fuere; si autem ex propria, & quidem occulta fuerint homicidia, etiam Episcopo concessa est. Si publica, Papæ reseruantur. Profectò priuilegium habentes dispensandi in irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, possunt etiam in ea, quæ ex lenitatis defectu contingit, dispensare.

§. 7. *Alij defectus.*

40. *Est ne alia species irregularitatis ex defectu?* Duplicem aliam apud Filliucium inueni, quam quidem adiiciendam communibus duxi. Vna est defectus expeditionis ad facta, quando adest obligatio ad ratiocinia; ea enim durante irregularitas incurritur: dimisso autem officio, & ratione reddita, tollitur irregularitas ex hoc capite. Altera est temporalium bonorum defectus, qui quidem si tantus sit, vt quis sustentari congruè non possit, iure nouo Tridentini requirentis sufficiens patrimonium in seculari, quodammodo irregularis est. Eodemque modo si quis nimium alieno ære grauatus sit ita, vt titulum fundare non possit, quodammodo irregularitatem incurrit.

ac defu, quoquis ob ratiocinia etalias politicas Car. actiones non pt vacare rebus sacris, eo ñ durante durat irregularitas.

CAPVT IV.

De speciebus irregularitatis ex delicto.

§. 1. *Irregularitas ex delicto.*

41. *Visùs recense species irregularitatis ex delicto, expendens quidem quæ breuiter innuisti.* Octo species annumerabo. Ex delicto circa Sacramentum Baptismi, ex delicto circa Ordinem, ex delicto circa censuram, ex delicto hæresis, ex infamia ob delictum, ex delicto homicidij voluntarij, ex homicidio casuali, & homicidio necessario.

§. 2. *Circa Baptismum.*

42. *Singulas percurre species. Primò quidem ex delicto circa Baptismum.* Prouenit irregularitas ex iterata Baptismi receptione. *Excusat ne ignorantia?* Si sit inuincibilis, excusat, siue sit facti, siue iuris, etsi hæc difficilius præsumatur.

43. *Per vim aut metum quis rebaptizatur.* Si tamen habet intentionem recipiendi de nouo Baptismum, irregularis est.

44. *Est ne etiam irregularis qui Baptismum recipit ab hæretico.* Ita planè.

45. *Quid de rebaptizante?* Eandem irregularitatem incurrit, de iure quidem ex publica tantùm rebaptizatione, vsu verò etiam ex occulta. Quæ planè extenditur ad ministrum; quia aliquo pacto iterationi Baptismi cooperatur. Scio tamen hanc irregularitatem tantùm ascensum ad Superiores Ordines impedire.

46. *Incurritur ne ante iudicis sententiam.* Ipso facto incurritur. *Rebaptizat quis absque animo.* In foro interiori irregularis non est: secus in foro externo; quia hoc nititur præsumptione.

47. *Rebaptizat sub conditione.* Si prudenter, & probabili diligentia adhibita rebaptizet, effugit irregularitatem: secus si temerè, & nulla diligentia adhibita.

48. *Ex ignorantia facti probabili rebaptizat.* Excusatur, sicut etiam ex ignorantia inuincibili iuris: secus si culpabilis ignorantia sit.

49. *Quid de dispensatione?* Huius irregularitatis dispensatio ad solum Præsulem summum pertinet.

§. 3. *Circa Ordinē.*

50. *Secundò ex delicto circa Ordinem.* Incurrit irregularitatem qui furtiuè Ordines recipit, siue quia non admissus sese cum aliis ordinandis ingerit: siue quia alterius personæ nomine vsurpato, eius occupat locum: siue quia sub nomine suo facit alium examinari, & postea ipse proprio nomine vocatus,

vocatus, ad Ordines accedit. *Eius dispensatio?* Ad Papam est reseruata; quia ab Episcopo sub excommunicatione ipso facto incurrenda denunciatur, ne quis se furtiuè audeat ingerere.

50. *Qui ministrat in Ordine, quem non habet?* Irregularis est; quæ irregularitas tantùm impedit receptionem Ordinum quos non habet; ab aliis tantum suspensus est per biennium vel triennium iudicis arbitrio. Eodem pacto laicus ministrans in Ordine quo caret irregularis fit quoad omnium receptionem.

51. *Clericus per saltum promotus?* Si ministret in Ordine prætermisso, irregularis est circa prætermissum & alios.

52. *Sacerdos Episcopi ministerium vsurpans?* Irregularitatem respectu Episcopatus incurrit. *Episcopus consecratus Diaconatu prætermisso?* Pontificalia exercendo, contrahit irregularitatem.

53. *Ad huiusmodi irregularitatem incurrendam requiruntur ne alia?* Duo præterea requiruntur, vnum, vt Ordo receptus non fit; alterum, vt in tali Ordine ministretur.

§. 3. *Ex censuræ violatione delictum*

54. *Tertiò ex censuræ violatione.* Prouenit quidem irregularitas ex delicto violationis Ecclesiasticæ censuræ. *Expende quonammodo hæc pœna incurritur?* Profectò Clericus, qui actum aliquem Ordinis exercet, ita vt censuram dicendus sit violasse, irregularis est. Porrò si Clericus censuram non violet, quamuis alioquin administret indignè, non est irregularis.

55. *Rogo, an quis irregularis sit hisce in casibus: exercet ordinem contra Superioris præceptum publicè, impositum quidem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: delictum commisit, ob quod secundùm iura suspendi debet, & accedit Superioris præceptum prohibens celebrationem, & tamen celebrat: sine altari ab Episcopo consecrato celebrat: sacerdos ad sepulturam scienter excommunicatum admittit: pro persona viuente Missam defunctorum recitat, vt impetret illi mortem: præmisso sacrificandi ritu, quem seruat Ecclesia, Christi corpus, & sanguinem consecrat: Episcopus Clericos per saltum ordinat: Cardinalis electus in Papam est ab insufficienti numero Cardinalium.* Irregularitatē hi non incurrunt; quia etsi vel deponendi aliquando sint, vel alia iuris pœna corrigendi, in iure expressa non est contra huiusmodi delinquentes irregularitas, quæ quidem nec casū æqualem, nec grauiorem sequitur, sed iuris prætextui solummodo adhæresci.

56. *Quartò*

§.4. Delictū hæresis.

56. *Quartò ex delicto hæresis.* Si hæresis externa sit, irregularitas incurritur. Extenditur ad Apostatas à fide, etiamsi tantùm exterius sint ex probabiliori sententia.

57. *Cuiusnam est eius dispensatio?* Quoad promotionem ad Superiores Ordines, solius Papæ: quoad susceptos Episcopus potest vsque ad Diaconatum inclusiuè, si per timorem tantùm lapsi essent; alij Papæ reseruantur. (Apostatæ inquam; nam de hæresis delicto inferiùs.)

58. *Quid de schismaticis?* Ad hos hæc irregularitas extenditur, si etiam hi hæretici sint, & hæreticorum fautores, receptatores, consilium, & auxilium præstantes. *Suspecti de hæresi?* Irregulares potiùs ex infamia sunt, quàm huius speciei.

59. *Extendenda ne irregularitas hæc ad filios?* Extenditur planè ad filios hæreticorum, & nepotes per lineam paternam, siue legitimi filij sint; siue naturales cuiuscunque modi, siue ante, siue post hæresim patris nati sint. Idem dicendum de filiis relapsorum, qui reconciliantur Ecclesiæ, sed deinde seculari brachio traduntur, ex probabiliori sententia.

60. *Extenditur ne etiam ad Neophytos?* Maximè, pro eo tempore, quo Episcopus arbitrabitur, si modò in adulta ætate baptizati sint.

61. *Quisnam dispensat in irregularitate ex hæresis delicto?* Episcopus, quo ad vsum Ordinum receptorum; quo ad recipiendos solus Papa dispensat. Et licet Episcopi possent in ea, quando ex occulta hæresi procedit ex Tridentino, tamen per Bullam Cœnæ ius huiusmodi est reuocatum.

§.5. Ex infamia.

62. *Quintò ex infamia.* Hæc duplex, iuris, facti. *Expende, quonammodo incurratur irregularitas per infamiam iuris.* Infamia iuris contingit, quando delinquens crimen suum in iudicio confessus est; aut per sententiam iudicis definitiuam damnatus; aut quando committitur delictum, cui imposita est à iure Canonico, vel Ciuili infamiæ pœna, v. g. à fide apostasia, raptus mulierum, Sodomia, &c. Ad incurrendam hanc infamiam declaratoria iudicis sententia requiritur. Infamia igitur iuris hominem irregularem efficit, & inhabilem ad Ordines suscipiendos susceptósque excercendum.

63. *Explica autem quomodo inducat irregularitatem infamia facti.* Contingit hæc, quando committitur delictum, quod apud graues & honestos viros censetur infame; quod quidem notorium esse debet. Profectò huiusmodi infamia irregularem efficit, & inhabilem ad recipiendos Ordines, quandiu delinquens non fuerit emendatus.

64. *Infamis*

64 *Infamis pergit ab hoc in alium locum.* In vno loco infamis, in omni loco infamis remanet; vnde nullo in loco potest aut Ordines, aut Beneficia suscipere, priusquam infamia deleatur. Infamia facti nemo fit irregularis, quæ in proprio delicto fundata non sit; at iuris infamia absque proprio delicto aliquo in casu potest incurri.

65. *Quonammodo infamia valeat auferri?* Quatuor modis aufertur: per emendationem: per dispensationem: per Baptismum: per Summum Pontificem. Porrò dispensationem directè solùs Papa concedit; indirectè verò laicus Princeps tollendo infamiam, quæ ex Ciuili iure oriretur. Per Baptismum infamia ex delicto proueniens aufertur, quæ meri facti dicitur. At ciuilis, quæ Christianorum legibus contracta esset, quibus antea tales subiecti fuissent, non tollitur: secus si legibus Gentilium fuisset inducta.

§. 6. *Ex homicidio voluntario.*

66. *Sextò, ex homicidij voluntarij delicto.* Irregularitas ex voluntario prouenit homicidio, quod scilicet fit ex voluntate, & proposito occidendi. Ad quam irregularitatem incurrendam necessariò debet exequi mors.

67. *Extenditur ne ad mutilationem?* Ita planè; sed talis debet esse mutilatio, vt vel sit alicuius membri abscissio, aut notabilis eius pars. Certè debilitatio aut deformatio quam aliquis in membro efficiat, mutilatio dicenda non est.

68. *An incurratur ex propriy membri mutilatione?* Incurritur, imò, etiam alicuius partis eius quæ notabilis non sit, & quæ si fieret in alio, irregularem non efficeret.

69. *Quid si abscindatur membrum mortuum?* Abscissio hæc irregularitatem non inducit; quia nulla adest sanguinolenti animi ostentatio.

70. *Quid de abortum procurante?* Si fœtus sit animatus, fit irregularis, effectu quidem secuto.

71. *Quid denique de mandante necem, aut eius executore?* Mandans secuto effectu, irregularis est, nisi mandatum reuocet, & mandatario intimet. Executor mortis post mandantem primas in homicidio partes habet. Is demum, qui causam dat mortis, vt si venenum alteri propinet, irregularitatem non effugit.

72. *Consulit quis homicidium.* Si sequatur ex vi talis consilij, irregularis est, siue directè, siue indirectè consilium detur.

73. *Reuocat consilium, sed non dissuadet.* Tenetur admonere eum, qui in periculo versaretur, vt sibi caueat. *Nihilominus sequitur mors.* Ex probabiliore sententia consulens irregularis

laris non erit; quia post tam accuratam retractationem, & admonitionem, quasi non præstitit consilium.

74. *Mandatarius, vel consultus occiditur.* Irregularis est mandans, vel consulens, qui tali eum periculo exposuere. Portò irregularis erit non homicidij voluntarij, sed casualis.

75. *Consentio in homicidium.* Dum actu fit nomine consentientis, irregularis eris. At si postquam, inscio te, homicidium factum est tuo nomine, licet consentias, irregularis non es; qui in necem verè non influisti. Idem assero de eo, qui aliquem omnino inuoluntariè occideret, & postea ratum haberet.

76. *Cooperatur quis homicidio, vel quouis modo præbet auxilium.* Incurrit irregularitatem. Tunc autem erit ex homicidio voluntario, quando alterius mortem, cui cooperatus esset, directè intendisset.

77. *Ad quemnam pertinet dispensatio?* Solus Papa dispensat, & quidem difficile, & non nisi grauissima de causa, vt quodammodo indispensabilis soleat appellari.

§. 7. *Ex homicidio casuali.*

78. *Septimò ex homicidio casuali.* Si casuale homicidium voluntarium sit saltem indirectè, incurritur irregularitas.

79. *Ex opere sequitur licito.* Si sufficiens adhibita sit diligentia, non incurritur; secus si desit debita diligentia, quæ ad mortalem culpam pertingat.

80. *Ex opere illicito sequitur.* Etiam si omnis diligentia adhibita sit, probabile est incurri irregularitatem; at probabilius reputo minimè incurri, præsertim in conscientiæ foro, exceptis casibus iure expressis; in iis enim etiam si videatur homicidium inuoluntarium (quod in aliis excusat) & omnino casuale: tamen quia actio iniusta, & periculosa est, potuit ius tali pœna punire, si quomodocunque ex illa effectus homicidij sequatur. Profectò talis actio debet esse prohibita tanquam homicidij periculosa; quia si prohibita esset, ob periculum alterius vitij, v. gr. si contra castitatem, aut Religionem esset, non incurreretur.

81. *Ad quemnam pertinet huius irregularitatis dispensatio?* Quando delictum occultum est, ad Episcopum, iure delegato, quando publicum, ad Pontificem solum.

82. *Age, precor, de homicidij casualis cooperatoribus, num irregularitatem incurrant? In primis executor actionis, ex qua homicidium oritur casuale, est ne irregularis.* Si aliquo modo voluntarium sit homicidium, etsi non sit per se intentum, nec actio ex se proxima mortis causa, sufficit ad irregularitatem inducen-

inducendam, siue opus ex quo homicidium sequitur licitum sit, siue illicitum: si enim incautè factum est, proculdubio inducit; quia aliquo modo voluntarium.

83. *Apponit quis mortis causam cum cognitione, quod proxima sit futura causa mortis.* Irregularis esset, sed ex voluntario homicidio.

84. *Si autem non sit cum cognitione efficaciæ ipsius, sed tamen ignorantia fuit culpabilis?* Tunc irregularitas ex homicidio casuali sequetur.

85. *Mandat quis percussionem.* Si tantùm expressit percutiat hominem, & mandatarius fines mandati excessit, erit tamen ex hoc genere irregularis; quia ex mandato percussionis ille excessus habuit exortum.

86. *Quid si mandatum iustum fuisset, & prudenter datum, casu tamen mors accidisset?* Non induceret irregularitatem, quia omnino fuit inuoluntaria.

87. *Consulit quis actionem iniuriosam, & vindicativam, sed admonet, vt ad homicidium non procedatur.* Irregularis tamen erit, siue consultus occidatur, siue alius; quia consilij illa cooperatio est.

88. *Quid de remotis cooperatoribus?* Irregulares non censentur; quia effectus cooperatori proximo tribuendo. Porrò remota causa illa dicitur, quæ ita per accidens se habet ad effectum, vt prudentis arbitrio, & moraliter loquendo, censenda non sit cooperari, & influere in effectum; proxima autem causa est quæ eodem arbitrio in effectum influit.

89. *Plures cum vno rixantur, & hic occiditur.* Omnes erunt irregulares, siue omnes vulnerent, siue aliqui, modò alij auxilium, & cooperationem aliquam dederint.

90. *Plures aliquem prouocant ad rixam, & vnus ex ijs occiditur.* Probabile est, omnes socios irregulares esse; probabilius tamen, non esse, nisi communi consilio prouocassent ad pugnam.

§. 8. *Ex homicidio necessario.*

91. *Octauo, ex homicidio necessario.* Irregularitas ex homicidio facto in defensionem incurritur. *Defensio propriæ personæ est.* Si adhibeatur inculpatæ tutelæ moderamen, non incurritur irregularitas; secus autem si prædictum moderamen desit. *Fuga absque periculo, & infamia potest iniri.* Si non fugit, sed occidit aduersarium, irregularitas contrahitur; secus si periculum adsit, vel sequatur infamia.

92. *Indica, quænam moderata defensio sit.* Si de conscientiæ agamus foro, illa est moderata defensio, in qua primò aliũ occidens aggressus sit, & in ipso aggressionis actu occiso

contin

contingat; non est tamen necesse, expectare ictum, sed potest etiam aliquando præueniri. Secundò, debet se cum minore læsione non potuisse defendere. Tertiò, ne cum graui culpa defensio fiat, quæ in aggressionem transeat. Quarto denique, si periculum, quod ex insidiis imminet, tale sit, vt nisi præueniatur insidiator, occisurus sit eum, cui parantur insidiæ, probabile est, præueniri posse, si nullum aliud sit vitæ defendendæ remedium.

93. *Adulter cautè commisit adulterium, & diligentiam adhibuit, ne vir adulterium dignoscere posset: casu tamen contigit obid vxorem à viro occidi.* Adulter equidem non est irregularis. Imò nec si ipsemet virum occidat, ad sui defensionem, cùm aliter absque proprio periculo fugere non posset.

94. *Incurritur hæc irregularitas, quia moderatio non seruatur: ergo, num dicendum sit homicidium voluntarium?* Minimè; sed aut casuale, si directè volitum non sit; aut necessarium, cum pugnæ calore, vt se defendat, directè aduersarij mortem intenderet.

95. *An dispensabilis?* Ita planè, imò comprehenditur sub Episcopi potestate post Tridentinum, si occultum homicidium sit.

96. *Fit homicidium in bonorum temporalium defensionem.* Si debitæ conditiones seruentur, irregularitatem non incurri ex probabiliori sententia affirmo, etiam post ius nouum Clementinæ.

97. *Accidit mors in proximi defensione.* Si adsit obligatio ad eam faciendam defensionem, certum est irregularitatem minimè incurri; quia actio laudabilis, imò obligatoria pœna non flagellatur, sed præmio afficitur. Imò probabilius idem assero, si defensio præcepta non sit modo liceat, & sit honesta; quia licitas omnino actiones ortas ex charitate pœna tanta non sequitur. Admonuerim tamen in casibus occurrentibus peti dispensationem, ob dubium de moratione non adhibita.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Irregularitate ex Societatis IESV Doctoribus.

§. 1. *De irregularitate ex defectu.*

98. DAtur ne materia paruitas in casibus, quibus irregularitas incurritur? Affirmat *Henriquez lib. 14. c. 12. n. 7.* Henriq.

v.g. Clericus dicit reo, vt alterum gradum scandat scalæ. Alij omninò excusant, quia non cooperatur vtiustitiæ ministeri.

99. *Inter irregularitates ex defectu, irregularitas Bigamiæ enumeratur: incurritur ne à laico contrahentebus inualidè, vel à contrahente secundum matrimonium fictè, aut cum vitiato, vel à contrahente secundum matrimonium inualidè ob aliquem defectum?* Profectò nullo ex iure clarè deducitur incurri his in casibus irregularitatem. *Coninch. disput. 18. dubitat. 11. num. 101.* Conin.

100. *Ducit quis fœminam à se ipso defloratam: incurrit ne irregularitatem?* Non; quia neuter diuidit verè carnem suam, aut interpretatiuè. *Turr. de cens. lib. 9. d. 70. d. 2.* Turr.

101. *Vxor Petri vi ab alio cognita est, Petrus autem postea cognouit: an irregularitatem incurrerit?* Ita quidem Sanctio auctore *tom. 2. de Matr. lib. 7. d. 84. n. 5.* quia licet vis illa à culpa excuset vxorem, at non relinquit matrimonium aptum ad coniunctionem Christi cum Ecclesia significandam. At Præpositus *in 3. p. q. 5. dub. 7. n. 135.* existimat probabile, non incurrere; quia Canones requirunt, quod vxor commiserit adulterium, à quo vis excusauit. Sanch. Præp.

102. *Quid si vir cognouerit vxorem post adulterium formale etiam occultum?* Bigamiæ incurret irregularitatem, ex c. *cuius*, & c. *si laici.* Ita *Sanchez tom. 2. de Matr. lib. 7. d. 84. n. 5.* Scio *Præpositum dub. 7. n. 133.* contrarium asseruisse. *Insciens erat maritus adulteri.* Etiam incurrit; quia irregularitas ex defectu, etiam ignoranter contrahitur. *Maritus censuris compulsus vxorem adulteram cognouit.* Irregularis est ex bigamia. *Auila p. 7. d. 8. dub. 1.* auctore. Sanch. Præp. Auila.

103. *Scio, irregularitatem ex defectu natalium contrahere nascentes ex fornicatione, stupro, adulterio, sacrilegio: rogotamen, an expositi irregulares sint?* Negat *Turrianus lib. 9. d. 71. dub. 1.* quia hi pro legitimis reputandi, nec vllo iure illegitimi decernuntur. Porrò parentes filios legitimos paupertate compulsi sæpe exponunt. Turr.

104. *Natus quis est ex parentibus legitimè coniugatis, sed conceptus fuit dum matrimonium impedimento dirimente laborabant: num irregularis?* Asserit *Præpositus de cens. lib. 9. c. 10. n. 19.* illegitimum. Sed *Sanchez de Matr. tom. 2. lib. 8. d. 7. n. 19.* irregularem negat; quia legitimus nascitur post contractum legitimè matrimonium. Præp. Sanch.

105. *Nascitur filius ex matrimonio inualido (propter aliquod occultum impedimentum,) sed bona fide contracto saltem vtrinque & in facie Ecclesiæ: irregularis ne?* Porrò *Suarez apud Bonacinam* Suar.

nam de cens. d. 7. q. 2. part. 3. num. 3. ne irregularis sit, requiri bonam fidem in vtroque parente. Alij ab irregularitate liberant, dummodo vtrique parenti non esset notum impedimentum.

106. *Illegitimus absque dispensatione promouetur, postea parentes matrimonium ineunt: potest ne susceptos Ordines exercere, & nouos suscipere?* Potest; quia per susceptionem illam Ordinum non incurrit nouam irregularitatem, sed suspensionem tantùm ab illorum exercitio; quæ tollitur sublata irregularitate per parentum matrimonium: sicut tollitur suspensio orta ex promotione ante ætatem aduenientе ætate. *Reginaldus tom. 2. lib. 30. tractat. 2. cap. 7. num. 72.* Regin.

107. *Quis aures non habens, crinibus operit defectum: irregularis ne?* Non; quia occulta deformitas. *Coninch disp. 18. dub. 13. num. 108.* Conin.

108. *Habet quis vtrumque oculum integrum, sed caret vsu dextri, aut sinistri: an irregularis?* Non si bene videat dextro, ita vt sine notabili conuersione possit Canon legere, ad quod etiam Missalis iuuare poterit aptatio. *Auila part. 7. d. 3. dub. 1.* Auil.

109. *Irregularis ne habens sex digitos in manu ~~coniunctis~~?* Non, dummodo non habeat in vsu manus impedimentum, & Episcopi iudicio admodum deformis non esset. *Henriquez lib. 14. c. 8. n. 3.* Henriq.

110. *Ad quemnam spectat huius irregularitatis cognitio?* Clericorum pertinet ad Episcopum. Regularium ad suum Prælatum. *Auila p. 7. d. 3. dub. 2.* auctore; quia hoc magis spectat ad iurisdictionem, quàm ad ordinem Episcopi: iurisdictio autem in Regulares penes Prælatum est. At *Episcopus ne debet iudicium Prælati huiusce admittere?* Potest planè respuere. *Suarius d. 51. sect. 3. n. 16.* Auila. Suar.

111. *Curiales, & publicis functionibus occupati irregulares sunt ex defectu liberationis: rogo, an Officiales Episcoporum, & Consiliarij Principum cum illis sint annumerandi?* Excipiuntur hi ab illa generalitate: (*Curiales quicumque Curiæ seculari obligati sunt in ministerio alicuius publici officij siue in perpetuum, siue ad tempus, siue ex iuramento, siue ex pacto, siue ex stipendio.* Ex *c. 1. 2. & 3. dict. 15.*) siue ex expressa concessione Pontificis, siue ex præscripta consuetudine. Administratores rerum Ecclesiasticorum, & rerum piarum etiam exemptos puto. *Gaspar Hurtado de irregul. d. 2. diffic. 18. n. 60.* Henr.

§.2. *De irregularitate ex delicto.*

112. *An irregularitas ex delicto possit ob culpam venialem contrahi?* Docet *Suarius tom.5.d.40.sect.3.n.17.* nec Pontificem Summum posse ob solam culpam venialem imponere irregularis pœnam grauissimam; quia pœna debet esse delicto proportionata. Contestatur *Vasquez 1.2.d.158.c.1.*

Suar.

113. *Contrahitur ne irregularitas per hæresim etiam occultam?* Asserit *Turrianus lib.9.d.62.dub.7.* At *Reginaldus tom.3. lib.30.tract.2.c.5.n.193.* probabilem iudicat sententiam aliorum iura *c.ad abolendam, c.saluberrimum,* de hæreticis publico esse intelligenda.

Regin.

114. *Irregularis ne suspectus de hæresi?* Si suspicio orta sit ex eo quod fauent hæreticis, tunc irregulares erunt, quando formaliter fautores sunt, id est, hæreticum fouent præcipue ob hæresim. *Coninch.d.18. dub.7.n.51.concl.2.* Si autem suspecio ex alio crimine oriatur, tunc suspecti non erunt irregulares propter suspicionem, sed solum propter infamiam; quæ si auferatur, & suspicio purgetur, irregularitas tollitur. *An obstat, quod quis de hæresi suspectus de vehementi cogatur abiurare?* Non quia in iure irregularitas hæreticis imponitur, non autem de hæresi suspectis. *Saa v. Hæresis n.5.*

Conin.

Saa.

115. *Incurrit ne irregularitatem Apostata fidè abnegans fidem, vel sponte, vel timore ductus?* Asserit *Sanchez summ. tom.1.lib.2.cap.25.num.6.* sed negat *Filliucius tom.1.tract.2. cap.9.num.230.* Si crimen occultum; quia talis irregularitas cum non sit peculiariter in aliquo Canone Apostatis inflicta, incurritur ob solam infamiam, quæ quidem in occulta apostasia cessat.

Sanch. Filliuc.

116. *Incurrit ne filius Catholici, qui post illum natum in hæresim incidit, & brachio seculari pœnitens est traditus?* In Regione nostra incurrit ratione infamiæ; quæ quidem quum in hæreticorum plagis non adsit, ibi non fiet irregularis. *Rogo, an hic incurrat irregularitatem latam contra filios hæticorum in c.statutum?* Affirmat *Auila p.7.d.4.dub.7.* Negat *Hurtado d.2.diffic.3.n.8.*

Auila. Hurt.

117. *Scio non incurrere filios Sarracenorum, Paganorum, Iudæorum ab infantia baptizatos; quia non sunt filij hæreticorum: rogo, si Neophyti sint, hoc est, in adulta ætate conuersi, & baptizati, sunt ne irregulares?* Sunt planè, sed non perpetuò. *Quanto tempore durat hæc irregularitas?* Porrò *Filliucius tom.1. tract.20.c.9.n.240.* arbitrio Episcopi remittit; quia iura certum tempus non præscribunt. Notat autem *Hurtado d.2. diffic.19.n.61.* post decem annos à Baptismo Neophytos non esse amplius irregulares.

Filliuc. Hurt.

118. *Mala*

118. *Mala Ordinum susceptione dixisti irregularitatem incurri: exponas precor, quinam irregulares ex hoc capite habeantur?* Non quidem Latinus Episcopo ordinetur à Græco: vel è contra. Nec si quis ordinetur à schismatico; vel ab eo qui renunciauit Episcopatui, quoad dignitatem. Nec si quis ordinetur ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis, aut non seruatis interstitiis, per saltum, extra tempora, cum irregularitate, vel aliqua censura. Sed solum si ordinetur furtiuè, id est, non examinatus. Et si durante matrimonio etiam non consummato, sacros Ordines suscipere præsumpsit. Omnia ex *Turriano de cens. lib. 9. d. 61. dub. 3. Præposito in 3. p. q. 5. dub. 5. n. 28. Filliucio tom. 1. tract. 20. cap. 8. n. 190. & Hurtado d. 2. diffic. 1. num. 9.* Turr. Filliuc. Hurt.

119. *Quinam sit irregularis ex malo Ordinum exercitio?* Qui præsumit solemniter baptizare absque Ordine requisito, & sine Sacerdotali Ordine Missam celebrat. Si simplex Sacerdos Confirmationis, vel Ordinis Sacramentum conferre præsumat, vel alia Sacramenta sine Ordine requisito ministret. *Incurrit ne hanc irregularitatem laicus prædictos actus exercens?* Non; quia textus loquitur solum de Clericis, & lex pœnalis non debet extendi. *Henriquez lib. 2. c. 29. §. 1.* Henriq.

120. *Incurrit irregularitatem Sacerdos excommunicatus Confessiones excipiens, aut Eucharistiam ministrans etiam si non celebret?* Incurrit; quia exercet actum Ordinis, & violat censuram, per quam ministrare Sacramenta prohibetur. *Auila p. 7. sect. 2. dub. 2.* Auila.

121. *Excommunicatus quis dicens dum Horas recitat,* Dominus vobiscum, *incurrit ne irregularitatem?* Negat *Gaspar Hurtado de excom. diffic. 2. n. 3.* contra *Suarez de cens. d. 12. sect. 2. n. 13.* quia peccaret solum venialiter ex leui materia, quæ non est obnoxia grauissimæ pœnæ. Hurt. Suar.

122. *Incurritur ne irregularitas ex Simonia occulta in Ordine?* Nullus Textus id exprimit; caput enim *Inquisitionis, de accusat.* inducit suspensionem, non irregularitatem. *Auila* addit *part. 7. d. 4. dub. 7. concl. 1.* Simoniam in Beneficio etiam si sit publica, non incurrere. *An à Clerico Sodomia occulto incurratur?* Non; quia cessat infamiæ causa. *Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 19. part. 3. §. 5.* Profecto *Auila citatus* asserit generaliter omnem irregularitatem ex infamia non contrahi, nisi crimen sit publicum, homicidium si excipias. Auila. Valent. Auila. §. 3. *De irregularitate ex homicidio.*

123. *Dixisti incurri irregularitatem ex homicidio voluntario: quale homicidium voluntarium habendum?* Non quod

fit in defensionem. Imo quando in defensione moderamen exceditur, incurritur solum irregularitas in homicidio casuali, *Hurtado* auctore *de irreg. d.2.diff.20.num.66.* Itaque ad homicidium voluntarium requiritur voluntas expressa ipsius homicidij; & vulnerans cum expressa intentione non occidendi, vel nihil de occasione cogitans, non dicitur voluntarius homicida: licet homicidium in hoc casu sit in causa voluntarium. Sic *Turrianus de cens. lib.9. d.63. dub.1.* et *Vasquez.*

Hurt. Turr. Vasq.

124. *Incurrit ne mandans ministro verberare: si ex malitarij excessu verberibus affectus moriatur?* *Suarez de cens. d.40. sect.2.num.3.* sententia fit irregularis; quia semper cogitare debet mortem sequi verbera posse, si non ex ministri malitia saltem ex alio casu. At sententia *Præpositi in 3. part. quæst. 5. dub.10. num.78.* non fit; quia si diligentiam adhibuit, rei homicidij non est; ius autem *c. vlt. de homic. in 6.* loquitur de mandante verberationem, de qua homicidium secuturum potuit præuidere.

Suar. Præp.

125. *Mandans homicidium, si ante secutum effectum mandatum reuocauit? fit ne irregularis?* Non; quia cum mandatarius in gratiam mandantis agat, si post reuocatum mandatum, adhuc perpetret homicidium: non in mandantis gratiam, sed ex proprio arbitrio delinquit. *Auil. part.7. d.6. sect.2. dub.4.* scio *Gasparem Hurtado de irreg. d.2. diff.6. num.14* contrarium asseruisse.

Auila. Hurtad.

126. *An consulenti homicidium, satis sit etiam reuocare consilium ante effectum secutum?* Porrò *Præpositus dub.8. num.63. & 64.* nullam disparitatem agnoscit inter mandantem, & consulentem: ideoque asserit, sufficere, reuocare consilium sicut & mandatum, *Lessius lib.2. cap.13. dub.3. num.17.* probabilem hanc sententiam existimauit. Hinc asserо cum *Henriquez lib.14. cap.16. n.5.* reuocantem abortus consilium, ab irregularitate excusari.

Præp. Less.

127. *Dixisti, præbentem arma alicui, vt alium occidat, secuto effectu, fieri irregularem ob homicidium voluntarium: rogo an fiat irregularis, qui dat petenti, quem scit, aut coniectat petere ad occidendum?* Docet *Gaspar Hurtado de irreg. d.2. diff.8. num.32.* coniectantem, vel etiam scientem arma ad homicidium peti, non fieri irregularem; quia arma, quæ dat, promiscuo sunt vsui; vnde non videtur homicidium adiuuare, sed ad summum scandalum exponere.

Hurtad.

128. *An fiant irregulares, qui militibus dant, vendunt, aut mutuant arma determinatè ad occidendum in bello iusto?* Suarius

Suar.

nas asseruit *apud Turrianum lib.9.d.68. dub.1.* sed *Auila p.7.* Auila.
l.sect.3. num.2. negauit; quia si non fit irregularis Princeps imperans iustum bellum, multo minus fieri debet vendens uma.

129. *Quidnam in bello iniusto? an ex vnico vnius militis homicidio omnes fiant irregulares? Coninch.de sacr.d.18.dub.10.* Conin. *num.48.* docet, non omnes milites eiusdem exercitus fieri irregulares, quod vnus illorum occidat; sed quinquaginta vel centum viciniores; quia hi occidentem videre, & animare potuerunt. At *Gaspar Hurtado d.2.diff.6. num.21.* putat omnes milites fieri irregulares vnico homicidio illo; quia omnes inuicem excitantur, & vt vna totalis causa concurrunt. Hurt.

130. *Rogo, an in bello iusto incitans quis militem ad aliquem determinatè occidendum, irregularis fiat?* Non, si propriis manibus non concurrit ad cædem; quia nullo iure talis irregularitas exprimitur. Vnde colligo, absque irregularitatis metu suadere Sacerdotes posse milites ad strenuè pugnandum in bello iusto, quamuis excitemus hisce suasionibus eos ad hostium cædes. *Hurtado de Mend.2.2. tom.2.d.169. sect.2.§.137.* Mend.

131. *Quis non impedit homicidium, quod ex iustitia impedire tenetur: an fiat irregularis? Vasquez in manuscripto de irreg.* negat, subscribente *Præposito*; quia non impediens homicidium, non influit positiuè in illud, quod quidem requiritur ad iregularitatem. Vasq. Præp.

132. *Vt per homicidium casuale incurratur irregularitas, requiriturne negligentia mortalis?* Ita planè. Vnde asserit *Regimaldus tom.1. lib.30.tract.2.cap.9. num.* 102. quotiescunque datur opera rei siue licitæ siue illicitæ, adhibetur tamen prudens diligentia, ne homicidium sequatur, irregularitatem non incurri, v.gr. vertens diligenter infirmum in eodem lecto, vel delecto ad lectum transferens, vel cibum porrigens, si moriatur ægrotus, non fit irregularis. Regin.

133. *Adulter prudenter se gerit circa crimen, attamen adultera à viro est interfecta: incurrit ne?* Non; quia cum adhibetur prudens cautela, homicidium non est plenè voluntarium. *Filliucius tom.1.tract.20.cap.3.num.80.* & *Coninch.d.18. dub.9.num.80.* Filliuc. Conin.

134. *Scio, Clericum in sacris Chirurgiam exercentem irregularem fieri quoties ex eius incisione, vel adustione mors secuta: rogo ergo, an incisio venæ no nine incisionis includatur?* Non, quia non pertinet ad Chirurgum. Vnde si infirmus moriatur, Clerico venam incidente, non fit irregularis. *Molina tom.4. d.75.n.4.* scio *Auil.p.2.d.6.sect.1.dub.10.* contrarium docuisse. Molin. Auila.

135. *Prohibetur ne Clericis in casu nos, de homic. chirurgia in extrema necessitate?* Non, ex *Vasquez apud Turrianum lib. 5. d. 64. dub. 2.* Vasq.

136. *Aperit Clericus apostema per emplastrum, iubet adurere, vel incidere, sequitur mors: fit ne irregularis?* Negat *Molina tom. 4. c. 75. num. 4.* Molin.

137. *Ipse abscidit, vel cremauit, mors autem ex morbi grauitate secuta est.* Irregularem docet *Suarius d. 47. sect. 3. n. 4.* Non irregularem *Auila dub. 10.* affirmat. Suar.

138. *Ex homicidio publico quinam fiunt irregulares?* Personæ publicæ quoque pacto concurrentes ad sententiam, vel executionem sententiæ, Iudex, fiscalis, accusator, testes, aduocatus, carnifex. Accusator verò excusatur, si protestationem adhibeat, se non intendere mortem accusati, dummodo accusatio illa sit de iniuria illata sibi, vel ei, qui censeri debet alter ipse, nempe patri, fratri, filio, vel stricto consanguineo, Ecclesiæ, Ecclesiasticis; vel ad vitandum graue damnum Reipublicæ, vel personæ innocentis, aliàs ineuitabile. *Præpositus dub. 3. n. 101.* qui in hoc vltimo casu putat non requiri protestationem. *Quid si protestatio ficto animo fiat?* Excusari *Henriquez lib. 14. cap. 11.* asseruit. *Excusantur ne protestatione aduocatus, & testes?* Docet *Præpositus dub. 13. num. 104.* quoties protestatio iuuat accusatorem, iuuare etiam testes, & aduocatum; ne facultas accusatoris frustretur, qui sine aduocato, & testibus nihil prodest. Præp. Henriq. Præp.

139. *Ad mortem damnatur accusator; an aduocatus rei fiat irregularis, aut testes?* Non; quia nec illius aduocatio, nec horum testimonium non fuere directa mortis accusatoris causa. *Suarius d. 47. sect. 4. num. 9.* Suar.

140. *Quæsierim, an irregularitatem ob homicidium publicum, incurrant personæ priuatæ?* Asserendum impositam esse tantum concurrentibus ad illud tanquam ministris iustitiæ. *Turr. lib. 9. d. 66. dub. 3.* Hinc ad scrupulos ablegandos, plura elicio. Sacerdotes deducentes reum ad supplicium, hortantes vt scalam ascendat, & aliquo modo cooperantes ad accelerandam mortem, non incurrunt. Nec vendentes, aut accommodantes scalam, funes, ligna. Nec confessarius obligans pœnitentem reum ad profitendum capitale delictum, si legitimè interrogetur. Vel interrogatus à iudice, an teneatur, ad occidendum, respondeat, teneri. Nec detegens malefactorem, vel clamans, adesse latronem, vt comprehendatur, si non gerit vt testis, vel accusator. Ex *Turriano citato. Auila sect. 2. dub. 6. concl. 2. Molina tom. 4. tract. 3. d. 74. num. 4.* & aliis. Turr.

141. Ex

§.4. De irregularitate ex mutilatione.

141. *Ex mutilatione contrahi irregularitatem dixisti: qualis debeat esse mutilatio.* Oculi, pedis, auris, membri virilis: non lentis testium, labiorum, barbæ, digiti etiam pollicis. *Cartilaginem auris qui resecat, irregularis ne?* Non; quia ipsa non est membrum, sed solum inseruit ad auris ornatum, & tutelam, Auila *p.7. d.5. sect.1. dub.1. An qui fœminæ mamillam abscindit?* Irregularis fit, *Molin.* authore *tom.4. tract.3. d.69. n.6.* Auila. Molin.

142. *Consulens militationem contrahit ne irregularitatem?* Contrahit, sicut qui consulit homicidium. *Molina d.75. n.3. Quid si consulat, ad vitandum homicidium?* Si illud ineuitabile aliàs, non est irregularis. Molin. Molin.

143. *Mutilat quis se ipsum sponte, digitum, vel digiti partem ex indignatione, & impatientia resecat, ex quo nec ad celebrationem impedimentum, nec deformitas notabilis orta est: fit ne irregularis?* Ita planè ex *c. qui partem in 6. dist.55.* Requiritur ne in hoc casu facti notorietas. Negat *Fernandez part.2. cap.10. §.7.* Asserit *Tannerus in 3.p. d.6. q.10. dub.20. n.188.* Fernãd. Tanner.

144. *Mutilatur quis ab altero culpa sua, qua dedit operam illicitæ, v.gr. dedit causam rixæ, &c. incurrit ne?* Ita planè, etiam si membrum sit occultum, & vsum ordinis non impediat. *Molina tom.4. tract.4. d.70. num.18.* Hæreo *Præposito in 3. part. quæst.5. dub.114. num.117.* asserenti non contrahere; quia iura diligenter inspecta tantum de mutilante se ipsum loquuntur. *c. si quis 1.2. & 3.* Molin. Præp.

§.5. De irregularitatis effectibus.

145. Scio, irregularitatem exercitium Ordinis iam suscepti impedire: an cum hæreticis dispensetur post abiurationem? *Suarius* ait *d.43. sect.1. n.6.* posse Episcopos dispensare quoad exercitium aliorum ordinum, non autem Sacerdotij. Suar.

146. *Absoluit irregularis illicitè: an etiam inualidè?* Asserit *Hurtado de irreg. d.1. diff.11. n.19.* quia irregularitas impedit ordinum exercitium, quantum Ecclesia potest impedire. Potest autem Ecclesia ita impedire, vt omnino irritet actum Ordinis. Scio Doctorẽ externum asseruisse probabiliter contrariũ; quia sicut irregularis validè consecrat, ita etiam validè absoluet. Moneo tamen, talem absolutionẽ posse inualidè exhiberi ex defectu pœnitentis. Si peteret sciẽter absolutionem ab eo, qui non licitè absolueret, nisi à bona fide excusaretur. Hurtad.

147. *Quid quoad beneficiorum receptionem?* Non potest ei fieri beneficij collatio, ipso enim facto nulla est; quia beneficium datur propter ordinum exercitium. Alij asserunt validam esse collationem; quia sicut validè retinet beneficium, ita etiam validè potest noua recipere; cum in vtroque casu exercitium ordinum requiratur.

§. 6. *De dispensatione.*

148. *Requiritur ne ætas adulta ad irregularitatem ex delicto incurrendum?* Ex *Azorio* respondeo requiri saltem decem annorum; quia cum peccatum mortale supponat, Ecclesia plenum omnino vsum rationis exigit, & malitiam.

149. *Quanam per Baptismum irregularitates tollantur?* Ex *Gaspare Hurtado* assero omnes tolli, præter eam, quæ esset defectu Sacramenti, id est Bigamia.

Molin. 150. *An irregularitas ex homicidio iusto sit per Episcopum dispensabilis? Molina* negat probabilius, sed probabiliter contrarium defendi potest. In vtraque sententia potest Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio occulto, vt in suscepto Ordine ministret, quando magna necessitas vrget, nec facilis est ad Papam recursus; quia tali in casu potest etiam

Auila. in impedimentis Matrimonij dispensare, *Auila* authore.

Hurt. 151. *Num possint Prælati Regulares dispensare in irregularitate quoad suos?* Scio aliquos extra Societatem asserentes posse dispensare eos in irregularitate ex defectu lenitatis. At affirmarim cum *Hurtado* contrarium esse probabilius; quia Tridentinum eis facultatem concedit tantùm quoad irregularitates ex delicto.

Suar. 152. *An irregularitas ex defectu natalium, si occulta sit, subiaceat Episcopi dispensationi? Suarius* docet non subiacere; *Auila* contrarium asseruit. Illud affirmo, posse dispensare, vt Ordinem exerceat, quem talis bona fide suscepit. Imò fortasse etsi mala fide, vti existimat

Laym. *Laymanus.*

Sanch. 153. *Tollitur hæc irregularitas absolutè per professionem religiosam non solum quoad Ordines, sed & quoad Prælaturas?* *Sanchez* tolli absolutè ait quoad Ordines, quoad Prælaturas autem posse Prælatos dispensare.

Sanch. 154. *Reincidunt autem illam professi, si postea è Religione eijciantur?* Ex *Sanchez* iudicio non reincidere: quod etiam probabile existimo de iis, qui post tria vota simplicia è nostra Societate IESV dimittuntur. Scio tamen contrarium esse

Turr. probabilius; quia sic dimissi, (vti *Turrianus* docet) à votis absoluuntur, & fiunt merè sæculares.

Sanch. 155. *Potest ne Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, quod deductum fuit ad forum contentiosum, ibique iudicatum, & punitum?* Posse *Sanchez* tenet; quia casus hic in exceptione Tridentini non videtur contineri.

Præp. Sanch. 156. *An possit dispensare Episcopus in irregularitate orta ex Bigamia propria, vel interpretatiua? Præpositus?* existimat posse quoad interpretatiuam, quando est occulta. *Sanch.* docet etiam posse quoad propriam circa minores Ordines, &

Beneficium

r q do defus, ex quo singulæ orta sunt, post baptismū ō ꝓseverat.

beneficium simplex. Contrarium tamen tenendum, propter Cardinalium declarationem. *Turrianus* item asserit in simili- Turr.
litudinaria Bigamia posse dispensare, si contraxit cum virgine. *An in hac irregularitate ex Bigamia possint Prælati Regulares dispensare?* In qualibet quidem posse cum suis ex *Henriquez* & *Avila* censeo.

157. *Ecclesiasticus temporalem iurisdictionem habet & causas sanguinis alijs delegat: est ne irregularis?* Negatiuè *Hurtado* respondet: imò & si committat in particulari casum aliquem morte dignum. §. 8. *De irregularitate variа.*

158. *Testis ne, qui præcepto iudicis obligatus, vel graui metu coactus testimonium dixit, ex quo est mors alterius secuta, irregularis est?* Probabiliter defendit *Coninch* irregularem non esse, contrarium tamen *Hurtado* asserit probabilius. Hurt.

159. *Dubitatur, an quis sit legitimus.* Irregularis non est, Conin.
authore *Coninch*; quia præsumitur quilibet legitimus donec contrarium probetur.

160. *Circa Bigamiam, rogo, an Clericus secularis sacris initiatus, si contrahat cum virgine sit irregularis?* *Suarez* irregu- Suar.
larem fieri docet: *Hurtado*: & alij affirmant Canones illos solùm de Religiosis agere.

161. *Procurauit quis abortum, sed dubitat, an fœtus fuerat animatus: censendus ne irregularis?* Affirmat *Sanch.* sed pro- Sanch.
babiliter cum *Præposito* censeo irregularitatem non contra- Præp.
here; quia in dubio conditio melior abortum procurantis.

162. *An in dubio facti censendus sit aliquis irregularis?* Iudico ex *Suario* nullum, nisi in solo homicidio. Imo & hoc ipsum *Suarius* idem iudicat probabiliter posse abnegari. *Dubito, num homicida motus sit meo consilio.* Debes te gerere vti irregularis; sed si is neget, crede. Suar.

163. *Non impediui homicidium, quod ex iustitia etiam tenebar impedire: an sim irregularis?* *Vasquez* negat; quia nil Vasq.
positiuum neci adieci sti. Attamen cum *Coninch* arbitror pro- Conin.
babilius & receptius te esse irregularem; quia te subtrahendo ab eo, quod ex iustitia debebas, quasi in ipsam necem influxum exhibuisti. Præterea *Hurtado* excusat ab irregulari- Hurt.
tate eum, qui sciens mulierem à se corruptam procurare abortum, non impedit. *Henriquez* eum, qui à dato antè consilio Henriq.
abortus, conatur fœminam auocare, nec potest. *Turrianus* au- Turr.
tem eum, qui sciens alios velle occidere propter iniuriam sibi illatam non contradicit.

164. *An irregularis, alicui dans consilium occidendi, duellandi ex eo, quo is occisus est, cui consilium dederat?* *Vasquez* Vasq.
docet

docet probabiliter irregularem non esse; contrarium probabilius Suarius defendit.

165. *Dixisti, non esse irregularem eum, qui potuit se defendere fugiendo, & non fecit, sed alterum occidit, quia non potuit sine nota graui fugam inire: rogo, quid si sua culpa in eam se necessitatem coniecisset?* Tunc ex *Suarij* sententia asserto proculdubio irregularem esse.

Suar.

166. *Defendit se adulter contra maritum inuasorem, & illum occidit, culpa sua se ingerens in eam necessitatem vitæ sic defendendæ: irregularis ne?* Negat *Lessius*, si occidit tamen cum inculpatæ tutelæ moderamine.

Less.

167. *Dixisti in bello iniusto omnes milites fieri irregulares, etiamsi neminem sua manu occidant, vti Hurtado sentit: addenda ne aliqua limitatio?* Addo quidem ex *Coninch* limitationem illam, nisi sint valdè multi milites saltem supra centum, quia tunc non videntur omnes se mutuò posse animare ad occisionem. Adiicit *Præpositus* etiam in bello iniusto non fieri irregulares qui propria manu occidunt ad propriam vitam defendendam cum moderatione inculpatæ tutelæ. *Aud.* denique existimat eum, qui pugnauit quidem, sed dubitat, an aliquem occiderit, aut mutilauerit irregularem non fieri.

168. *Circa infamiam rogarim, num damnati ad triremes sunt irregulares?* Respondeo negatiuè; quia nec infamia, nec irregularitas incurritur nisi in casibus à iure expressis, qualis non hic.

169. *Occulta ne crimina inducunt irregularitatem ex infamia iuris?* Cum *Henriquez* asserto, nulla delicta quantumuis enormia sint, irregularitatem ex infamia iuris inducere, nisi notoria sint.

Henriq.

170. *Ex infamia verò facti oritur ne irregularitas simpliciter dicta, & indelebilis nisi per dispensationem?* Non; quia ipsa emendatio locum obtinet dispensationis. Vnde *Layman.* affirmat Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum, post peractam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione posse celebrare.

Laym.

171. *Num irregularitas incurratur ob hæresim exteriorem minimè notoriam?* Asserit *Suarius* incurri. At probabiliter *Sanchez* contrarium affirmat. *An Episcopus possit dispensare, si incurratur?* Posse *Sanchez* iudicat; quia licet in Bullam Cœnæ adempta sit Episcopis facultas absoluendi ab hæresi occulta: non tamen adempta est potestas super irregularitate ex ea contracta dispensandi.

Suar.

Sanch.

TRA

TRACTATVS QVINTVS

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS,

Virtutes.

Vbi materiæ de Fide, Spe, Charitate & Religione expenduntur.

DOCTRINAM *equidem magistri mei Doctissimi* Petri Hurtado de Mendoza, Suarij, Castro Palao, Meratij, Gordonij, Filliucij, Laymani, Toleti, Reginaldi, Gasparis Hurtado, Raynaudi, Becani, Cardin. Lugo, & aliorum digessi.

EXA

EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Fide virtute Theologica.

CAPVT PRIMVM.

De Fidei essentia, & materia.

1. *Quid est Fides?* Virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei authoritatem iis, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita, vt à nobis credantur.

2. *Quotnam sunt necessaria, vti Fidei assensus exhibeatur?* Quinque. 1. Prædicatio. 2. Externa motiua, quæ rei credulitatem commendent. 3. Voluntatis inclinatio. 4. Fidei lumen. 5. Assensus humanus per modum dispositionis.

3. *Fidei quænam materia?* Omnes veritatis articuli, quos proponit Ecclesia à nobis credendos, tanquam à Deo reuelatos. In primis quidem ea quæ propriis terminis in Canonicis scripturis continentur (quænam sint *Azorius* cap. 1. quæs. 4. exponit.) 2. Quæ clarè ex scripturis Canonicis deducuntur. 3. Quæ ex traditione Apostolica ediscimus. 4. Quæ Concilia legitimè congregata à summóque confirmata Præsule definiunt. 5. Quæ vnanimi consensu à Patribus vti de fide proponuntur, & aduersùs hæreticos affirmantur. 6. Quæ euidenter ex tribus proximioribus gradibus deducuntur.

Azor.

4. *Quanam libri Canonici pollent authoritate?* Non solùm Canonici libri, verum singula illorum verba ab Spiritu sancto ~~in~~dicta sunt. Ecclesia definit quinam Canonici habendi, de quo *Azor.* cap. 1. q. 11.

Azor.

5. *Quid de traditionibus Ecclesiæ dicendum?* Sunt hæ fidei ac proborum morum doctrinæ ab antiquis Patribus acceptæ ad fidem quidem pertinentes.

6. *Quænam debemus credere?* Septem articulos ad Diuinitatem attinentes, septem ad Humanitatem Christi, quorum breuem summam Apostolorum Symbolum exprimit. Porrò Dei sapientia, immensitas, prouidentia, Eucharistiæ Mysterium illo verbo Symboli innuuntur, *Credo in Deum omnipo-*

nnipotentem. Scio *Azorium* Eucharistiam asserere eo verbo exprimi, *Remissionem peccatorum*; quia per Eucharistiam peccata abolentur, primáque gratia aliquando accidentaliter exhibetur. Azor.

CAPVT II.

De Fidei necessitate, & ratione medij, & ratione præcepti.

§. 1. *Necessitas fidei ratione medij.*

7. *AN Fides sit simpliciter necessaria ratione medij?* Necessaria quidem est vti medium. Et opus est, vt sit supernaturalis non solùm ea ratione, quod est medium quo credimus; verùm & ex parte rei, quæ creditur, videlicet, quia naturaliter agnosci non potest: v. g. Deum esse trinum & vnum.

8. *Num explicita fides Christi sit ad salutem necessaria?* Ante sufficientem Euangelij euulgationem implicita fides sufficiens fuit. At post Euangelium sufficienter euulgatum explicitam fidem mortis, & resurrectionis Christi Dei & hominis veri necessarium esse affirmo. Dixi equidem mortis, & resurrectionis. Neque enim explicita fides omnium Mysteriorum, quæ Ecclesia celebrat, & credit, est necessaria.

9. *An fides Trinitatis medium sit necessarium?* Ita planè; quæ quidem post sufficientem Euangelij prædicationem explicita esse debet: quia eodem modo est salutis nostræ fundamentum Trinitatis fides, ac Christi Domini.

10. *Possunt ne salutem adipisci, qui inuincibiliter Trinitatis ac Christi fidem ignorant?* Minimè; quia si legis naturalis diuino auxilio fulti obseruationi adhæresserent, Deus prouideret, quonammodo Trinitatis, ac Christi mysteria callerent. Non prouidit de magistro? Signum euidens, eos legem naturalem violasse, digno damnationis æternæ flagitio. Scio planè huiusmodi homines à crimine infidelitatis posse excusari; quia non omnes infideles eo ex crimine damnantur, cum inuincibili ignorantia teneantur.

§. 2. *Necessitas fidei ratione præcepti.*

11. *Fidei necessitatem ratione præcepti expendas quæso. Ac primum expone quotnam sunt fidei præcepta generatim?* Quinque. 1. Res fidei cognoscere. 2. Certa quædam Mysteria, seu articulos credere. 3. In rebus fidei non dissentire. 4. Fidem pro

pro opportunitate confiteri. 5. Nunquam eam abnegare. Profectò quidem articuli fidei ex præcepto Diuino credendi, v.g. Deum esse, remuneratorem eundem bonorum, malorum autem correptorem, carnem accepisse, pro hominum salute neci traditum, vnum & trinum esse. Alij autem credendi sunt præcepto humano Ecclesiastico.

12. *Præceptum hoc humanum Ecclesiasticum quænam uelit fidelibus credenda præscribit?* Quæ in Symbolo includuntur & cognosci, & credi debent; quia hi articuli prima Christiana fidei rudimenta vocitantur. Profectò sufficit, vt intelligantur secundùm substantiam ac significationem vocis generalem, quæ illo in articulo continetur: quia particularis ad ignorantium eruditionem necessaria ad Pastores pertinet.

13. *An debeant hi articuli cognosci eo ordine, quo ab Ecclesia in Symbolo proponuntur?* Sufficit sensum & veritatem eorum intelligere, & respondere, quando quis fuerit interrogatus. Assero tamen veniale crimen ponderis esse breue Symbolum & Dominicam orationem haud memoriæ mandare materno idiomate, quo possint verba intelligi à recitante.

14. *Quænam cognitio rudioribus sufficiet?* Aliquos articulos debent secundùm substantiam explicitè dignoscere. v. g. Deum esse supernaturaliter remuneratorem, Dei Filium carnem assumpsisse, & fuisse pro hominum salute neci traditum, Deum esse trinum & vnum; quia eiusmodi fides Mysteriorum medium necessarium est.

15. *Quid si tanta ruditate laboret, vt non valeat explicitè callere?* Sufficiet implicitè adhibere fidem; sed non ideo obligatio ediscendi vlteriùs aboletur, dum spes proficiendi adest.

16. *Quonammodo absoluendus sit, qui Symboli ignorat mysteria?* Haud absoluendus donec instruatur; id quod diserti Confessarius facili potest negotio præstare ex Crucis signo, festisque Ecclesiæ solemnioribus, scilicet Incarnatione, Natiuitate, Resurrectione, Ascensione, Passione, Eucharistia. Circa alia autem Mysteria sufficit pœnitentem tunc promptum sese ad ediscendum præstare, quod si negligat, aut difficulter absolutio detur, aut differatur.

17. *An aliquando possit ignorantia excusare?* Inuincibilis excusat. Attamen inter Christicolas vix huiusmodi potest ignorantia admitti. Vnde Parochi negligentes circa rudiorum eruditionem graui sese flagitio illigant.

18. *Præceptum hoc credendi res fidei, est ne naturale, an posi-*

tiuum:

num: diuinum, an Ecclesiasticum? Partim est diuinum, naturale, partim positiuum, Ecclesiasticum.

19. *Num fideles alia extra Symbolum callere teneantur?* Tenentur quidem dignoscere Sacramenta quæ debent recipere, decem Decalogi mandata, quinque Ecclesiæ præcepta, ex Oratione Dominica petitiones promiscuè saltem. Angelica salutatio, ac oratio SALVE REGINA, haud necessariò quidem, sed tamen laudabiliter ediscenda.

20. *Quænam in ætate fideles explicitè teneantur prædicta credere?* Quando vsu rationis funguntur, sufficienti instructione præcedente. Equidem obligatio hæc sub peccato mortali, nisi ignorantia excuset.

21. *Quandonam Confessarius tenetur de Christiana doctrina pœnitentem interrogare?* Quando probabiliter eum ignorare iudicauerit. Qui vrbibus educantur haud interrogandi, secus ij, qui villis degunt.

22. *Sufficit ne in mortis articulo ea ægrotanti proponere, quæ credi debent medij necessitate?* Sufficit ei proponere Trinitatis mysterium, esse Deum remuneratorem, carnem sumpsisse, mortuum esse; quia ægrotus haud vberioris doctrinæ capax.

CAPVT III.

De exteriori Fidei Confessione, ac disputatione eius mysteriorum.

§. 1. *Confessio Fidei.*

23. *Tenemur ne præcepto, Fidem exterius profiteri?* De Fide est nos ad id præcepto obligari.

24. *Quandonam hoc præceptum obligat?* Quando in odium Fidei interrogamur. Quando iudico ex mea publica confessione aliquem fidelem ad Christum accessurum. Quando ex silentio Deo debitus honor aufertur.

25. *Qui rogatus de Fide, tacet, violat ne præceptum confessionis Fidei?* Publicè rogatus tenetur respondere, ne præceptum transgrediatur. At clam interrogatus, amphibologica responsione potest interrogantem illudere. Profectò aut interrogetur quis, aut non, nunquam est licitum se Christianum abnegare. Qui se Turcam, aut hæreticum esse falsò affirmat, contra debitam Fidei confessionem agit; non autem qui se abnegat Sacerdotem, aut Missam exaudisse; quia

veritatem quidem violat, non Fidei confessionem. Nec Clerici, qui vestes deponunt, quando per vrbes hæreticorum iter peragunt, ne Catholici habiti vexatione afficiantur, Fidei violant confessionem.

26. *Queisnam licita fuga persecutionis tempore, queisnam illicita?* Eis solis fugere licet, quorum præsentia non est necessaria. At Parochi, Pastores, personæque publicæ haud fugæ se dare possunt; quia eorum præsentia fidelibus est necessaria.

27. *Tenemur ne aliquando fugere?* Minimè, nisi periculum adsit Fdei adnegandæ. Porrò quando necessitas non vrget, aut maioris boni probabilitas desit, ex lege naturæ vitam tueri debemus.

28. *An liceat externis vestibus Religionem dissimulare, aut infidelium cultum fugere?* Licet, modò non sit vestis illa distinctiua expresè Religionis, ob specialem cultum debitum sectæ authori.

29. *Num liceat Catholico apud infidelium hospitia carnibus vesci sexta feria, ad Fidem dissimulandam?* Si se simulat debilem, aut ægrotantem, non delinquit aduersus Fidei confessionem; quia tunc Fides celatur quidem, non abnegatur. Porrò si carne vescatur, ad vitæ periculum fugiendum, non delinquit; quia ex se carnium esus haud est signum infidelitatis.

30. *Quid de ingressu ad hæreticorum delubra, sermonum auditione,* &c. Potest quis interesse, modò non adsit scandalum, aut periculum peruersionis. *Princeps hæreticus id præcipit in Religionis signum.* Non licet, ex Pauli V. declaratione.

31. *Licet ne non gestare statutum signum, vt vera Religio distinguatur à falsa?* Regulariter non licet, affirmo; secus ob grauem causam, modò absit scandalum.

32. *An possit seruus domino hæretico in templo famulari?* Potest, modò in ritu infideli cum illo non communicet. At falsam Religionem simulare, nunquam est licitum, nisi forte per iocum.

33. *Quinam teneantur ad externam Fidei professionem ex præcepto Tridentini?* Parochi tenentur, aut Canonici, & dignitates Cathedralis Ecclesiæ Episcopi, Archiepiscopi Prouinciali Concilio assistentes. Extenditur quidem ad Magistros regulares, & ad quoscunque facultatis cuiuslibet professores. Quæ quidem publica professio Fidei personaliter facienda intra duos menses à Beneficij possessione, sub pœna fructuum amissionis.

34. Quæs

34. *Queisnam prohibitum sit, de rebus Fidei disputare?* Cùm sit duplex disputatio, vna materialis sine animo quidem impugnandi Fidem, altera formalis inter Catholicos & hæreticos; hæc naturali iure prohibetur ignorantibus, ob periculum Fidei despectionis. At Canonico iure omninò laicis prohibita, est, modò necessitas non vrgeat. §. 2. *Disputatio de Fidei Mysterijs.*

CAPVT IV.

De Peccatis contra Fidem.

35. *Præcipua crimina contra Fidem assigna.* Sunt ignorantia, Paganismus, Iudaismus, Hæresis. §. 1. *Ignorantia rerũ Fidei.*

36. *Ignorantiæ crimen expende.* Licet ignorantia eorum, quæ necessaria sunt, nec est actus malus, nec actus boni præcepti cessatio, sed habitus quidam: tamen ex aliquo capite potest esse peccatum. *Quis voluntariè Fidem ignorat, & ideo in aliquem errorem aduersùs eam incidit.* Si promptus sit ad emendationem, & credat implicitè quod credit Ecclesia, hæreticus non est.

37. *An possit dari inculpabilis ignorantia circa Fidei Mysteria?* Potest, & tunc est quædam infidelitas purè negatiua. Porrò ignorantia vincibilis duplex est, vna priuatiua, cùm adultus caret Fide, quam & potuit, & debuit habere: altera positiua, cum iudicat falsum aliquod Fidei Mysterium, aut res, quæ credenda proponitur.

38. *Paganismi crimen exponas.* Pagani haud sacris scripturis adhibent fidem. *An cogendi ad fidem suscipiendam?* Minimè, præcipuè cum subditi non sunt; licet & amicis verbis, & munusculis illos allicere. Subditi possunt cogi ad Fidem audiendam, non subditi minimè. Potest Princeps, aut dominus cogere eos ad naturalis legis obseruationem, & ne impediant Euangelij prædicationem & punire eos ob iniuriam Christianæ Religioni illatam. §. 2. *Paganismus.*

39. *An ritus Paganorum tolerari possint?* Ita planè, si non cedant in Ecclesiæ iniuriam. Prohibitum quidem iure, Paganos Ecclesiæ subditos Christicolas mancipia habere; quæ quidem possunt fugere, vti ad propria se referant.

40. *Num liceat Paganis vendere ea, quæ ex se ad superstitionem pertinent, v.gr. idola?* Minimè. Indifferentia autem, v.g. lapides, ligna, vendi possunt, licet ab eis sint infidelem in vsum conuertenda.

§. 3. *Iudaismus.*

41. *Iudaismi crimen aperias, ac simul Sarracenorum infidelitatem.* Iudæi ac Sarraceni in eo conueniunt, quod non credunt in Christum vti Messiam verum.

42. *Prohibita ne Christicolis cum Iudæis communio?* Prohibita quidem non diuisa habitatio, conuiuia, balnea medicamina ab eis præscripta, nutrire eorum infantes apud eorum domos, aut in eisdem ministrare, eis vinculo seruitutis subiacere, de eorum azimis sumere, interesse nuptiis, solemniis, Synagogis. Possunt eis conduci boues, currus, &c. iuxta Romanum vsum. Licent contractus circa emptionem, & venditionem. Multa Iudæis inter Christicolas degentibus & ciuili, & Canonica lege prohibentur (de quibus Azor hic quæst. 10.) Possunt puniri ciuili correptione ob crimina aduersùs Rempublicam, aut ciues commissa.

43. *An eis vsuræ permittantur?* Ita quidem ad maiorum malorum abstrationem. Licitum Principibus statuta prescribere circa earum vsurarum solutionem; & abnegare ne restitutio petatur apud seculare tribunal, modò recursus ad Ecclesiasticum non obiúeretur, licet Tabellioni instrumentum vsurarum conficere in gratiam Christiani. Potestque Ecclesia Iudæum recens conuersum liberare ab vsurarum solutione, quas ignoto creditori debebat; quia tali in casu pauperibus erant distribuendæ.

§. 4. *Sarraceni.*

44. *Prohibitum ne Sarracenis arma exhibere?* Ita quidem & alia, de quibus in Bulla Cœnæ. *Possunt ne Christiani triremibus Sarracenorum inseruire?* Delinquunt si remigando dent operam sine causa graui. v. g. metu mortis, mutilationis, &c.

45. *Possunt puniri Sarraceni Principibus Christianis subditi?* Possunt quidem ob crimina contra naturalem & diuinam legem, & ob Christianæ Religionis illatam iniuriam.

46. *Possunt ei sui ritus permitti?* Possunt in maioris mali propulsationem, modò eorum superstitio propriæ sectæ limites non excedat.

§. 5. *Hæresis, & Apostasia.*

47. *Iam verò Hæresis, ac Apostasiæ delictum insinua. In primis, quid est Hæresis?* Voluntarius error in intellectu, ac liber contra aliquam sententiam Fidei, cum pertinacia coniunctus.

48. *Quotnam ad Hæresim requiruntur?* Quatuor. 1. Error in intellectu. 2. Baptizatum esse. 3. Credere aliquas Fidei sententias, & aliquas abnegare. 4. Pertinacia.

49. *Dubitat quis de Fidei mysteriis.* Hæreticus est. *Suspendit assensum.* Metaphysicè loquendo hæreticus non est; moraliter autem ita, quia accedit iudicium firmans res fidei dubias esse.

50. *Non*

50. *Non adest interior assensus, licet exterius quis videatur Fidei sententiam abnegare.* Haud est hæresis, licet exterius appareat. At qui exterius abnegat Fidem, iuris pœnis tanquam hæreticus potest affici.

51. *Tentationibus quis aduersùs Fidem agitur.* Haud hæreticus est; medicamen autem huiusmodi ægritudinis est eam despicere, eius vires contemnere.

52. *Cedo Hæresis ac Apostasia differentiam.* Apostata totaliter à Fide recedit; hæreticus solùm ex parte; sed omnis Apostata hæresim videtur laborare.

53. *Errat quis circa Fidem ob crassam ignorantiam.* Hæresis est, sed non completa, & ideo non incurritur Censura. At si ignorantia sit affectata, aut hæresis est, aut ad hæresim reducitur.

54. *Quidnam est pertinacia?* Assensus ad sententiam, aut propositionem, quam quis ex certa scientia dignoscit ab Ecclesia reiectam esse omnino falsam.

55. *Quinam habentur pertinaces?* Qui scientes Ecclesiam aliquam veritatem definiisse non credunt. Qui ita vni propositioni adhærescunt, vt adhuc defenderent postquam Ecclesia contrarium definiret. Qui sibi falsò persuadentes rem aliquam ab Ecclesia definitam esse contrarium sentiunt.

56. *Non assentit quis reuelationi, quam iudicat esse diuinam.* Probabiliter defendi potest hæreticum esse.

57. *Negat Theologicam propositionem ex vno Fidei principio, & altero luminis naturalis euidenti illatam.* Indirectè hæreticus est.

58. *Quotuplex hæresis?* Duplex, interna seu mentalis, & externa; interna quidem Censuris non subiacet, externa secus, nam & ratione culpæ Censuræ subiacet reseruatæ.

59. *Quotnam ad externam hæresim requiruntur conditiones?* Tres. 1. Exterius signum hæresim sufficienter manifestet. 2. Actus exterior ex se sit mortaliter prauus. 3. Hic idem prauus actus exterior sit hæresis manifestatiuus. Vnde si quis actionibus indifferentibus hæresim manifestat, hæreticus non est. Nec qui scribit hæresim characteribus, aut signis sibi soli cognitis

Caput V.

Praxis circa materiam de Fide, ex Societatis Iesv *Doctoribus.*

§. 1. *De Fide.*

60. *An necessaria fides explicita Circumcisionis, Adventus Magorum, Descensus Spiritus sancti?* Negat Tanner. 2.2.d.1.q.7.dub.3.n.68. Addit Conin.2.2.d.14.dub.10.n.19. ignorantes præfata Mysteria non peccare mortaliter. *An habenda fides explicita de creatione mundi in tempore?* Negat Suarius de fide d.13.sect.3.n.96.

61. *In adultis ne debet esse explicita fides Trinitatis, & Incarnationis?* Asserit Sanchez sum.tom.1.lib.2.cap.2.concl.6. quia alioqui posset Iudæus saluari seruando legem Mosaicam, quæ fidem Christi implicitè continet. At Azorius tom.1. lib.8.cap.6.q.6. affirmat, rudi, qui non potest percipere Trinitatis mysterium, satis esse credere explicitè alios clariores, scilicet Christum Dei Filium ex Maria Virgine natum, passum, Crucifixum, &c.

62. *Quis nullo pacto potest mysteria concipere.* Comparandus (ait *Tannerus dub.1.n.49.*) cum infantibus, ac fatuis, quos præceptum non obligat. Porrò Sanchez c.3.n.18. edocet rudes diei explicitè credere, etiam si substantiam articulorum non percipiant. Legendus ipse.

63. *An peccatum mortale sit, culpabiliter Symbolum, Decalogum, Orationem Dominicam, Aue Maria, & signum Crucis nescire?* Non, si illorum substantia sciatur, & intelligatur. Suarez. de fide d.13.sect.5.n.8. de quatuor primis. De Crucis autem signo Sanchez c.3.n.14.

64. *Scio fidem internam quoad habitum semper necessariam esse: an externa sit aliquando necessaria?* Ita planè per se obligatur profiteri infidelis, quando ei sufficienter proponitur. Puer baptizatus nutritus inter fideles, cum ad vsum rationis pertingunt, & fidei mysteria audiunt necessariò credenda. Quando fidelis de fide tentatur, vt tentationi valeat resistere. Per accidens autem, quando instat præceptum, fidem exterius profitendi. Quando recuperanda est gratia amissa. *An in articulo mortis?* Negat Sanchez cap.1.num.1. Asserit autem Hurtado de Mendoza 2.2.disputat.93.§.3. quando tunc à circunstantibus ad actus fidei assolet excitari.

Tann. Sanch. Suar. Sanch. Hurtad. Mēdoz.

65. Obligat

65. *Obligat ne præceptum externæ professionis fidei, ad respondendum cuique infideli interroganti?* Non, sed quando exigit Religionis honor, aut proximi necessitas. In aliis casibus potest fidelis interrogantem aliquo pacto illudere, dum non neget, se esse Christianum. *Filliucius tom.2. tract.22. cap.3. num.65.* Filliuc.

66. *An liceat Christicolæ in Turcarum terris morantis uti filei incolarum more?* Licet ob periculum mortis, ob iustam ab hoste victoriam reportandam, vel ob aliam causam grauem, & necessariam; quia hoc signum non est de se falsæ Religionis protestatiuum, sed res de se indifferens: nec continet mendacium, nec fidei negationem; sed solùm simulatione materiali occultationem. *Saa v. Fides n.5.* Saa.

67. *An liceat uti vestibus per se ordinatis ad alicuius sectæ falsæ cultum?* Asserit *Sanchez cap.4. num.20.* quia semper communem aptitudinem tegendi corpus retinent, ad quem finem potest eis quilibet uti, contempta quacumque alia hominum institutione, & deceptione: licet inde scandalum sequatur. Ast probabilius *Suarius d.14. sect.5. num.12.* contrarium edocuit. Sanch. Suar.

68. Licet ne fingere falsam sectam, utendo ceremoniis superstitiosis, non quatenus talibus, sed ob alium finem, & iustam causam, dummodò tales sint, vt ratio cultus ab ipsis separari posset, vt absit scandalum, & fidei confessio debita tali usu non obscuretur? Aliquis, ex externis asseruit. Sed meritò à *Coninch. de fide disp.15. dub.3. num.28.* impugnatur sententia iam quidem à sacra Congregatione S. Officij damnata. Conin.

69. *Licitum ne, in exercitu, vel classe consueta Turcarum vexilla erigere, etiam si sit Mahometis signum?* Negat *Azorius tom.1. lib.8. cap.28 q.6.* Sed asserit *Tannerus 2.2. quæst.3. a.4. d.1. dub.2. n.110.* quia assolet esse extrastratagema militum ad victoriam. Azor. Tann.

70. *Licitum ne in terris hæreticorum cibis vetitis uti, ad graue damnum vitandum?* Ita, si adsit scandalum, & præcepti contemptus; quia & signum ciborum fideles ab infidelibus aliquo pacto distinguat, non est tamen institutum ad falsæ fidei professionem. *Sanchez t.4. n.25.* Sanch.

Certum planè, ad hæreticum constituendum, pertinaciam requiri: quænam, precor? Satis pertinax est, qui sciens, suam opinionem esse contra Ecclesiæ determinationem, spreta nihilominus illius authoritate, in sua opinione persistit. *Becanus 2.2.c.14. q.2. concl.3. n.10.* §. 2. *De Hæreticis.* Beccan.

71. *Certum est non esse hæreticum pertinacem, qui ignorat se contra fidei determinationem sentire: quænam itaque ignorantia excludit pertinaciam, & excusat hæreticum?* Non solum ignorantia crassa, & supina excusat ab hæresi, sed etiam affectata, si affectatur ex tædio discendi, non autem ex falsa opinione, quod parui momenti sint, quæ Ecclesia credenda proponit. Ratio est, quia hoc modo ignorans non spernit Ecclesiæ authoritatem tanquam incredulus, quamuis deliquat negligendo scire, quæ debet. *Palaus tom. 1. tract. 4. p. 2. n. 3. ex Suario, Azorio, & Coninch.*

Pal.

72. *Certum est, ad incurrendam excommunicationem, & alias pœnas iuris, non sufficere errorem internum, sed requiri, quod error internus aliquo verbo, aut signo extrinsecus pateat; quia Ecclesia regimen est visibile, eiusque iurisdictio in actus internos non fertur: quinam igitur hæreticus vocatur externus?* Ille solùm, qui internum errorem sensibili aliquo signo exterius manifestat. *Sufficit ne, errorem manifestare confessario, aut consiliario?* Non, quia hoc est, quærere medicinam. *Profertur internus error inaduertenter ex naturali oblivione, seu actuali inconsideratione inculpata.* Non sufficit; quia hic actus non esset humanus. *Vtitur quis ad hæresim propalandam signo, quod nemo intelligeret.* Adhuc hæresis manet interna. *Iocosè, & non assertiue profert is, de quo hæresis præsumi non potest.* Non est satis aperta. *Profert recitatiue, fatus: Habuit in mente hunc errorem hæreticalem.* Non est hæresis manifesta, si inde neutiquam posset colligi, errorem perseuerare. *Leui materia quis signum hæresis profert. v. g. si esus carnium die prohibito censeri posset contra fidem: esset ne hæreticus externus, qui eam carnium quantitatem ederet, quæ non sufficit ad mortale?* Non, quia excommunicatio, & reseruatio est de peccato interno, vt coniuncto cum mortali externo internum demonstrante; esus autem carnium in modica quantitate internam hæresim non demonstrat, nam fieri solet ob solam gulam. *Somnum quis perfectè simulans, hæresim mentalem profert: sufficit ne?* Non sufficit; quia hoc signum quamuis alioquin ad hæresim aperiendam sufficiens, ex circunstantia opinionis somni, videtur illam occulere. v. gr. qui personam hæretici agit in scena, etiam si hæresim, quam profert, verè teneat, ab auditoribus tamen non reputaretur hæreticus. Profectò hic verè hæreticus mihi esset, quia eius locutio licet in somno simulato coniungitur hæresi, & manifestatur; quod non accidit in vero dormiente. Porrò ex septem his casibus, quinque à *Granado 2. 2. contr.*

Gran.

cntr. 1. tract. 15. d. 13. num. 14. duo autem à Petro Hurtado de Mendoza 2. 2. d. 83. sect. 5. §. 42. & sect. 3. §. 21. Mend.

73. *Hæreticorum, quæso pœnas innuas.* Hæreticus est ipso iure excommunicatus. Priuatus omni dignitate, officio, & beneficio Ecclesiastico, & inhabilis ad illa. Est irregularis. Priuatus iure cohabitandi cum coniuge, & debitum petendi. Priuatur statim bonis, etiam maioratu. Filius hæreticus bonis castrensibus, profectitiis, aduentitiis. Priuatur hæreticus maritus bonis paraphernalibus vxoris scienter cum hæretico contrahentis. Confiscantur etiam ei bona post hæresim commissam alienata. Applicantur fisco Regio in Hispania, qui quidem reuocans bona alienata non tenetur ad pretium, nec satisfacere hæretici creditoribus de debitis contractis post hæresim. Est perpetuò infamis, & inhabilis ad omnem dignitatem, & actionem ciuilem. Si est impœnitens, seculari Curiæ morte plectendus traditur, & si est conuictus negatiuus. Assolet puniri post mortem status, & ossium combustione, & publicatione bonorum. Hæc ex Pala, & alijs. §. 3. *De hæreticorũ pœnis.* Pal.

74. *An filij hæreticorum aliqua inuntur infamia?* Non possunt esse Iudices, Iurati, Prætores, Notarij, Medici, Chirurgi, Patroni, Procuratores. Non possunt officio publico, vel mechanico fungi. Post parentum hæresim à beneficiis obtentis, priuantur. Afficiuntur hisce pœnis omnes hæreticorum filij naturales, etiam spurij, & nati ante parentum hæresim; quia non puniuntur ob delictum proprium, sed parentum. Nec opus hasce filiorum pœnas in sententia exprimi, incurruntur enim à filiis eo ipso, quod parentes de hæresi conuincantur, quamuis moriantur pœnitentes. Verum non incurrunt pœnas prædictas filij, aut nepotes testium falsorum, qui in pœnam talionis combusti fuerint, Sanctio authore *summ. tom. 2. lib. 1. cap. 27. num. 25. Tenentur ne Inquisitores filijs hæreticorum dare dotes, exhibere alimenta de confiscatis bonis?* Iustè negantur eis, vt parentes à tam noxio bono communi crimine ob filiorum saltem amorem abstineant. *Sanchez citat. c. 16. n. 26.* §. 4. *De hæreticorũ filijs.* Sanch. Sanch.

75. *Quid de Ecclesiasticis beneficijs?* Si sint Clerici, beneficiis priuantur obtentis, postquam parentes in hæresim lapsi fuerunt: non autem possessis ante illorum hæresim, *Suario* auctore. Monuero, nullas pœnas ex statutis contra hæreticorum filios incurrere eos, qui hæresim parentum sponte reuelant, & si ipsi post parentum hæresim geniti fuissent.

§. 5. *De fide varia.*

76. *Ignorantia crassa Mysteriorum fidei quis laborauit: estne id speciale peccatum in Confessione exponendum?* Ita planè; quia est negligentia addiscendi articulos fidei, quæ virtuti studiositatis opponitur, vti *Vasquez.* aiebat. Vasq.

77. *Committit ne plura peccata, qui vincibiliter plures fidei articulos ignorat?* Ex *Suarij* doctrina probabiliter assero vnicum tantùm peccatum committere. Suar.

78. *Quorumnam Sacramentorum substantiam quis necessariò scire debet?* Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ omnes debent explicitè callere substantiam; quia necessaria ad salutem cunctis fidelibus. *Quid de cæteris?* Si qui suscipere voluerint, callere tenebuntur ex *Suario*; reliqui minimè. *Peccant ne adulti grauiter nescientes se signo Crucis muniri?* Venialiter tantùm delinquere *Sanchez* docet. *Nesciunt Symbolum Apostolorum, Decalogum, & Orationem Dominicam, quonam crimine maculantur?* Asserit *Suarius* veniali solùm, dummodo eorum substantiam sciant, vt dixi. Suar. Sanch.

79. *Quanta rursum rogo, debet esse manifestatio hæresis externæ, vt excommunicatio incurratur?* Debet quis illam ita proferre, vt secundùm quantitatem operis externi, & non solà relatione ad consensum internum sit peccatum mortale. Quare debet manifestari per tale signum, vt si quis esset tunc præsens, posset ex eo cognoscere illum in talem hæresim esse lapsum. Sic *Granadus*, & *Henriquez.* Granad. Henriq.

80. *Errat in rebus fidei ex ignorantia non solùm crassa & supina, sed etiam affectata homo rudis: est ne censendus hæreticus?* Sentio cum *Suario*, non esse hæreticum verum in foro interno, defectu pertinaciæ, quamuis etiam moneatur ab Episcopo, vel inquisitoribus de suo errore, si nihilominus pergat iudicare suam opinionem non esse contrariam Romanæ Ecclesiæ. In foro tamen externo hæreticus censendus est, & vt talis damnandus. Suar.

81. *Quare dubius in fide hæreticus non est censendus?* Quia hæresis est error fidei contrarius, seu assensus contra fidem: at qui est dubius neutri parti assentitur, sed sustinet assensum: ergo. Sic *Sanchez.* Sanch.

82. *Metu, vi, fraude inter infideles Petrus exterius fidem abnegauit corde tamen illam retinuit: est ne hæreticus?* Peccauit quidem grauissimè contra externam fidei professionem, non tamen est hæreticus, nec incurrit excommunicationem; vnde posse à quocumque Confessario absolui cum *Suario* iudico; sed tamen in foro externo excommunicandum, hæreticum iudicandum fateor. Suar.

83. *Legis*

83. *Legit quis librum hæretici authoris qui non tractat de religione ex professo: vel librum authoris Catholici cum scholiis aut commentariis hæreticorum: incidit ne in Bullæ Cœnæ excommunicationem?* Incidere *Suar.* docet, quidquid alij ex- Suar.
teri conclament. *Audit librum hæreticum legentem.* Non in-
tidere *Sanchez* ait; quia audire non est legere, & verba legis Sanch.
pœnalis in sua sunt propria significatione accipienda. Pro-
babiliorem tamen existimo contrariam *Suarij* sententiam: Suar.
quia nomine audientis legit ille. *Legit librum hæreticum in Provincia, vbi Bulla Cœnæ non est recepta.* Non incurrere ex-
communicationem *Sanchez* existimat. *Legit illum librum ru-*
dis idiomatis, quo conscriptus est. Non incidere in excommuni- Sanch.
cationem *Suarius* iudicat; quia mens Pontificis non violatur.
Libros hæreticos comburit authoritate propria, nec Inquisitori-
bus tradit. Suarius defendit eum ab excommunicatione; Suar.
quia dum liber comburitur, non retinetur, quod Bulla præ-
scribit.

EXAMEN II.

Circa materiam de Augustissimo Inquisitionis, Tribunali.

NB hæc in germania vsum non habent

CAPVT PRIMVM.

De DD. *Inquisitorum potestate.*

1. AD *materiei fidei complementum operæ pretium duxi adjicere Tribunalis Inquisitionis tractationē. In primis itaque Inquisitorum exprime iurisdictionem. An sit Ordinaria, vel delegata?* In se & à principio delegata est, & omnibus excellentiis delegatæ fungitur; attamen valde accedit ad Ordinariam, ita vt careat delegatæ imperfectionibus. Colligo hinc posse causas hæresis alteri delegare. Imò dubium est, num sic delegatus ab inquisitoribus possit subdelegare. Tam augusta eorum iurisdictio.

2. *Ad quænam sese Inquisitorum extendit iurisdictio?* Non solum ad ea, quæ ipsis competunt ex iure communi; sed ad ea etiam, quæ sunt consuetudine recepta.

An sit hæc iurisdictio Ecclesiastica, an secularis? Tota est Ecclesia

Ecclesiastica, etsi iudices etiam sint in ciuilibus causis suorum familiarium.

4. *Habent ne familiam armatam?* Ita planè, & huiusmodi armorum licentiam suis ministris, etiam Aduocatis, & Consultoribus possunt concedere.

5. *Possunt ne Inquisitores ab Inquisitore generali, aut deponi, aut de loco in locum transferri?* Minimè, sine iusta causa. *Quod si causa mutandi sit ex aliorum parte iniusta, v. gr. quia contra Inquisitorem odia, vel dissensiones personarum principum insurrexere?* Debet prouideri de meliore Inquisitione; ne aliorum culpa in ipsius vergat incommodum.

6. *Inquisitores Regulares possunt ne delinquentes à suis Superioribus puniri?* Non solùm puniri nequeunt in proprio officio, sed neque in aliis, saltem ea pœna, quæ aliquo modo proprij officij exercitium posset impedire.

7. *Inquisitor recusatur iudex, vt suspectus: ad quemnam recurrendum?* Ad summum planè Inquisitorem.

8. *Quàm necessarium sit Consultorum, seu Qualificatorum iudicium?* Ad declarationem propositionum vocari assolent; at id fortè necessarium non est quando Inquisitores sunt Theologi. Verùm eorum suffragia decisiua non sunt, sed consultiua tantùm.

9. *Possunt ne Clerum ac iudices laicos cogere per censuras?* Clerum quidem possunt censuris obligare, vt cum populo confluat in templum ad edictum fidei exaudiendum. Et iudicem laicum ad sententiæ à se latæ executionem. *Quid si negligat iudex?* Possunt contra ipsum procedere tanquam hæreticorum fautorem.

10. *Incurrunt ne hinc Inquisitores vllam irregularitatem?* Iam asserui in censurarum materia non incurrere; quia quomodocunque concurrant ad reorum condemnationem, non fiunt irregulares ex Decreto Pauli IV. & Pij V.

11. *Assolent dominorum temporalium statuta iurisdictionem Inquisitorum impedire: quid tali in casu?* Profectò, quæcunque eiusmodi statuta sunt ipso iure nulla; possúntque Inquisitores cogere temporarios dominos sub excommunicationis pœna ad statuta illa reuocanda.

12. *Possunt ne rei ab inquisitorum sententia appellare?* Ab interlocutoria possunt, non tamen à definitiua. Illud item affirmo reos Superiorem adire non posse per viam querelæ, & supplicationis.

13. *Habētur ne Inquisitores pro præsentibus suis in Præbēdis, & dignitatibus?* Ita planè, etiã quo ad quotidianas distributiones.

14. *Inquisi-*

14. *Inquisitorum peritiam, & ætatem expende.* Magis eos imperitos quàm Theologos esse debere asserо: nec necessariò habere quadraginta annorum ætatem affirmo.

15. *Expirat ne Inquisitorum iurisdictio morte concedentis, v.g. Papæ vel supremi Inquisitoris?* Non expirat, etsi fuerit concessa cum clausula, *ad beneplacitum.*

CAPVT II.

In quo habeant DD. Inquisitores iurisdictionem, & de quibus cognoscant.

§. 1. *Subditi Inquisitorum iurisdictioni.*

16. *Habent ne Inquisitores iurisdictionem in Episcopum?* Titularem tantùm, vel erectum & non confirmatum non possunt capere, (nisi fortè esset de fuga suspectus, vel aliquid in detrimentum fidei moliretur;) possunt tamen dicta testium contra illum accipere, vt sic negotium instructum ad Pontificem immittant.

17. *Habent ne iurisdictionem in generales Ordinum Regularium?* Generales hi non funguntur Episcoporum priuilegio. Attamen Inquisitores non debent contra illos procedere, sed supremum Inquisitorum admonere Senatum.

18. *Possunt ne contra Nuncium Sedis Apostolicæ procedere, aut eiusdem Sedis Apostolicæ Officiales?* Non possunt.

19. *Subditus ne Inquisitoribus non baptizatus?* Sicut non est Ecclesiæ subditus, ita nec Inquisitoribus pro Ecclesia decertantibus.

20. *Dubitatur, an baptizatus sit.* Præsumendus quidem baptizatus; si educatus & natus inter Christocolas; non si inter infideles. *Quid si ab infidelibus captus esset ante discretionis annos?* Non posset vti hæreticus puniri; quia sufficienter non fuit instructus.

§. 2. *Causæ Inquisitoribus addictæ.*

21. *De quibusnam causis possunt cognoscere Inquisitores?* Non solùm de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, & incidentibus. Idem non solùm corripiunt hæreticas propositiones, sed etiam alias notæ inferioris; v.g. hæresim sapientes, malè sonantes piarum aurium offensiuas, temerarias, scandalosas, stultas.

22. *In quonam sensu ab Inquisitoribus accipienda verba dubia?* In sensu Catholico, nisi qualitas personæ de hæresi suspectæ obstare videatur.

2. Subiecti

23. *Subiecti ne Inquisitoribus disputantes de Fide?* Possunt eos punire in casibus à iure in casibus à iure prohibitis.

24. *An assistentes conuenticulis, vel concionibus hæreticorum ab Inquisitoribus puniantur?* Si id fiat in partibus hæreticorum per duas vices, non parit grauem hæresis suspicionem. Si autem fiat in Catholicorum Prouinciis, etiam semel tantùm, fieret quis vehementer de hæresi suspectus, & deberet abiurare, nisi aut ignorantia, aut qualitas personæ contrarium testarentur.

25. *Qui sortilegijs vsus est subiacet ne Inquisitorum animaduersioni?* Ita quidem, si vsus est aliquo Sacramento vt oleo sacro, Chrismate: si miscuit Sacramentalia, aut verba sacra, vt Euangelium, orationem Dominicam; Agnus Dei, vestes Sacerdotales: à fortiori si reliquiæ Sanctorum; quia sunt hæc sortilegia hæreticalia, siue vt ait *Del-Rius*, hæresim sapientia. Imò ex Bulla Sixti V. cognoscunt de sortilegiis etiam hæresim non sapientibus.

26. *Quid de eo, qui ope Dæmonis præterita, vel præsentia indicit, v. gr. furta?* Ab Inquisitoribus punitur; quia omne cum diabolo commercium hæresim sapit.

27. *Quinam suspecti de Hæresi ab Inquisitoribus corripiuntur?* Qui in communione sumunt plures aut maiores hostias. Qui non communicant in Paschate. Qui non abstinent à carnibus diebus Veneris. Qui asserunt confessos Regularibus teneri eadem peccata confiteri Parocho. Qui deturpant, vel lacerant schedulas affixas, quibus aliqui excommunicati declarantur. Qui ipsosmet inquisitores factis aut verbis; læditur enim S. Officium.

28. *Quosnam alios puniunt delinquentes?* Eos, qui consilium aliquod etiam iustum dederint reo ab Inquisitoribus incarcerato, ipsis insciis. Ægyptianas, quæ bonam, vel malam fortunam diuinant. Reconciliatos, dum sunt in carceribus, vel propter habitum pœnitentiæ vnus alteri conuitia dixerit. Ad ipsos spectat reuelationes mulierculariam examinare; & inuigilare, ne non Beatificatorum imagines cum sanctitatis signis publicè exponantur, iuxta Vrbani VIII. constitutionem.

CAPVT III.

De modo procedendi, tortura, sententia.

§. I. *Modus procedendi S. Inquisitionis.*

29. *QVonammodo assolent procedere DD. Inquisitores circa delictorum probationem? Reus quidem est in territorio alieno, quid tunc?* Possunt non solùm verbaliter, sed & realiter citare, & capere reum, & mandare, vt ad se libri, & alia necessaria ad causam sine licentia dominorum loci, etiam Ecclesiasticorum transmittantur.

30. *Vt reus possit capi, qualia debeant indicia præcedere?* Ea quidem, quæ sint ad torturam sufficientia. Vnde non semper vnum testem etiam idoneum sufficere affirmarim.

31. *Possunt ne DD. Inquisitores ex suspicione leui formare Inquisitionem, & reum interrogare, etsi diffamatio non præcedat?* Possunt, quando est homo vilis, improbus, & abiectus; secus si honestus, nobilis, & Religiosus. *De quanam leui suspicione fit sermo?* Voco leuem suspicionem comparatiuè ad vehementem; scio enim in se debere esse notabilem iudicis arbitrio.

32. *Denunciatio facta est per chartam sine nomine, in qua etiam testes nominantur: potest ne reus ex vi huius denunciationis examinari?* Minimè; quia est suspecta. Sed tamen præcipuam rationem praxim esse existimo.

33. *Post sententiam absolutoriam in crimine hæresis noua superueniunt indicia.* Coniunguntur cum prioribus, & potest reus de nouo examinari.

34. *Imposita fuit pœna arbitraria: quidnam faciendum, quando post superuenit plena probatio?* Si nondum arbitraria illa pœna impleta est, puniri debet reus pœna ordinaria; si autem est impleta, detrahitur de secunda, nisi hæc esset capitalis, nempe indiuisibilis.

35. *Possunt ne in causis fidei de plano sine strepitu, & figura iudicij procedere?* Possunt, seruatis tamen iis, quæ per se necessaria sunt ad sententiæ æquitatem.

36. *An teneantur, dum reum interrogant, manifestare ei indicia, & semiplenam probationem, ex qua ius habent legitimè interrogandi?* Minimè tenentur. Profectò ad id tenentur in aliis, exceptis criminibus, v. gr. læsæ Majestatis, &c.

37. *Negat reus: possunt ne Inquisitores impunitatem promittere, si verum fateatur?* Non possunt; quia implere non semper

semper valent. Annon hæreticus, præsertim relapsus adhuc post promissam impunitatem esset necessariò puniendus?

§.2. Tortura reorum.

39. *Quonammodo se Inquisitores debeant habere circa torturam, exprimes; si quidem proni plerumque ad eam esse tenentur, cum crimen hæresis suapte natura sit difficilis probationis. Potest ne reus à sententia torturæ appellare?* Potest, & appellatio admitti debet, nisi esset friuola, & calumniosa, v. gr. quando in processu allata sunt legitima ad torturam indicia, nec purgata sunt in termino ad defensionem concesso.

39. *Debet ne dari torquendo copia indiciorum, & depositionum?* Debet planè, sed sine testium nomine, aut circumstantiis, ex quibus possent innotescere.

40. *Est torquendus minor viginti quinque annis?* Debet ei dari curator, sed non ex S. Officij Officialibus. *Datus ei curator non est.* Confessio rei sine curatore, etiam spontanea, & iurata nullius est momenti. *An necesse sit, curatorem interesse torturæ?* Minimè.

41. *Confitetur quis proprium delictum: potest ne pro complicibus torqueri?* Minimè, nisi adsit semiplena probatio, quod socios criminis habuerit.

42. *Plures sunt complices eiusdem delicti, & necessarium est ad torturam procedere.* Prior ille torquendus est, à quo facilius veritas elici poterit, v. gr. qui timidior, debilior, delicatior fuerit.

43. *Possunt ne torqueri personæ priuilegiatæ?* Ita quidem, exceptis minoribus annis quatuordecim, & prægnantibus vsque ad quadragesimum à partu diem. *De Clerico specialiter dissere.* Mitiùs quidem Clericus torquendus est, quàm laicus. Ex ex externis qui asserat Clericum non posse torqueri, cùm plurima sint indicia, quandiu non est de crimine diffamatus. Affirmo contrarium, præcipuè quando de hæresis crimine inquiritur.

44. *Quanta debeant esse indicia ad torturam.* Inquisitorum prudentiæ relinquo, id asserens, quod si quis sine sufficientibus indiciis torqueretur, eius confessionem esse nullam, nec posse ex ea condemnari.

45. *Quot testibus indicia hæc probanda?* Probari possunt per vnum testem omni exceptione maiorem, qui deponit de ipsomet delicto, *Audiui Petrum blasphemantem*. Quia si tantùm deponeret de aliquo actu remoto, vel proximo ipsi flagitio, duo testes essent necessarij. *Sufficiunt ne ad testificationem hanc familiares, infames,* &c. Sufficiunt, dummodo sint contestes. *Sufficit ne aliquando vnus testis, qui non sit omni ex-*

cepti-

uptione maior? Sufficit vnus testis de visu, quando reus est malæ famæ.

46. *Vnicum adest indicium remotum per duos testes probatum: potest ne reus per id torqueri?* Minimè, sed debent minimum esse duo, nisi illud vnicum esset proximum, & delictum maximè inferens. *Adsunt plura indicia, testibus tamen singularibus probata.* Sufficiunt ad torturam.

47. *An sufficiat sola fama, vt quis possit torqueri?* Non sufficit, nisi adminiculis hisce iuuetur, quod reus sit vilis, & infamatus: quod fama orta sit non à maleuolis, sed fide dignis: quod ipsa per testes probetur idoneos.

48. *Est ne sufficiens ad torturam, testem, accusatum fugisse?* Si ante accusationem post commissum delictum fugeret, præberet sufficiens indicium ad torturam, tanquam semiplenæ probationis. At fugere potuit post accusationem ob effectus calumniæ fugiendos, vnde haud sufficiens indicamentum est.

49. *An sufficiens sit confessio rei extraiudicialis?* Sufficit si est verosimilis: si facta est seriò & non iocosè ex iracundiæ calore: si est specialis, quo loco, & tempore factum sit: si duobus testibus saltem singularibus, & non contestibus probetur.

50. *An vnius socij criminis confessio faciat semiplenam probationem, sufficientem ad torturam?* Minimè, nisi alia concurrant adminicula, v. g. stricta amicitia cum tali socio: secreta inter ipsos collocutio: fama, fuga accusati: alij testes de auditu.

51. *In crimine Magiæ duæ sagæ testantur fœminam quandam suis conuentibus interfuisse: sufficit ne ad torturam?* Minimè, si fœmina bonæ famæ sit.

52. *Tempore torturæ est ne reus de re aliqua particulariter interrogandus?* Minimè; quia hoc esset eum ad falsitatem inducere: cùm vi tormentorum quidlibet sæpè dicere soleant. Profectò generatim monendus est, vt circa obiecta veritatem aperiat.

53. *Semel tortus est reus, & non confessus: potest ne iterum torqueri?* Non potest, nisi noua superueniant indicia à prioribus distincta, quæ per se ad torturam sufficerent.

54. *Reus in tortura crimen confessus est: debet ne eandem confessionem ratificare?* Debet quidem extra locum torturæ, & post vigintiquatuor horas. *Quid si abneget?* Secundò torqueatur. *Etiam tunc abnegat.* Post secundam torturam, non potest ampliùs torqueri; nisi fortè vtraque vice leuissimè

fuisset tortus, & posteriori confessioni alia noua signa prioribus addidisset.

§. 3. *Sententia à DD. Inquisitoribus ferenda.*

55. *Circa sententiam ferendam rogo, vtrum possit vnus inquisitor sine alijs ad cunctas causæ actiones procedere?* Vbi plures sunt Inquisitores, non potest vnus sine altero procedere ad capturam, ad purgationem indicendam, ad publicationem testium, ad copiam actorum reo dandam: si equidem alter, aut alteri præsentes sint; nam in absentia omnia illa solus potest. Hæc Hispaniæ praxis. *Quid ab Hispaniæ praxi independenter?* Quilibet Inquisitor per se potest procedere independenter ab altero.

56. *An Inquisitores sine Episcopo possint aut sententiam torturæ ferre, aut actu reum torquere?* Minimè; aliàs omnia erunt inualida. Idem assero de Episcopi Vicario Sede vacante.

57. *An possint permittere laicis, vt vnus ipsorum assistat in causis fidei, sicut fit Venetijs?* Non possunt sine speciali Papæ priuilegio.

58. *Quonammodo sententiæ ferendæ?* De die, & non de nocte debent ferre sententias, nisi multitudo negotiorum ad tenebras cogat; & in publico, & in scripto; aliter non valent. Non tamen necessariò pro tribunali sedentes.

59. *Quid de actu publico traditionis Curiæ seculari, & executionis?* Hunc actum debent in die festo exercere, ob maiorem populi concursum.

60. *Quænam probationes sufficiunt, vt reus condemnari possit ad pœnam ordinariam?* Debent esse (vt Doctores affirmant) luce meridiana clariores. Vnde ex præsumptionibus & indiciis planè probatis, potest hæreticus condemnari ad pœnam extraordinariam triremium, fustigationis, exilij, carceris, &c. Non tamen ad ordinariam pœnam. Scio equidem ex præsumptionibus & indiciis indubitatis posse etiam pœnam ordinariam inferri, v. g. si quis è genere Iudæorum aliquam cæremoniam Iudaicam gerat. Sic Menoch. Adiicio ex alijs ad pœnam ordinariam duas semiplenas probationes inter se vniri non posse, nisi alia concurrant indicia.

61. *An abiuratio publicè debeat fieri?* Assolet abiuratio de leui priuatim fieri; de vehementi publicè. Porrò quando Inquisitoribus iusta ex causa visum fuerit, potest etiam de leui publicè fieri; & de vehementi priuatim.

62. *Quænam ad adiurationem ætas necessaria?* In masculis annus decimusquartus, in fœminis duodecimus.

63. *Exprime abiurantium relapsum.* Qui abiurarunt de vehementi

vehementi, si in secundo lapsu planè conuincantur hæretici, puniendi sunt tanquam relapsi: non autem si priùs tantùm de leui abiurarunt; vel si secunda vice non conuincantur hæretici, sed tantùm eorum fautores.

64. *Qui abiurarunt, possunt ad confessiones admitti?* Qui abiurarunt de vehementi, minimè possunt; secus qui tantùm de leui abiurarunt: neutros tamen irregulares esse affirmo. Profectò Regulares ex Vrbani VIII. decreto ad officia & dignitates inhabiles fiunt.

CAPVT IV.

De bonorum confiscatione, pœnisque delictorum.

§. 1. *Confiscatio.*

65. *Quandonam confiscatio bonorum facienda sit?* Sequestratio, & descriptio bonorum in ordine ad confiscationem, non est facienda nisi in captura pro hæresi formali; non autem pro aliis delictis sapientibus hæresim.

66. *Possunt ne Inquisitores bona illa hæreticis pœnitentibus relinquere?* Minimè, quia Regio fisco applicanda, aut applicata iam fiscus ad ea ius habet.

67. *Quid si Inquisitores non damnent reum, quando debent? tenentur ne illa confiscanda bona illi restituere fisco?* Non tenentur; quia ius fisci ad illa bona tantùm est remotum, & iudicis condemnatoria sententia supposita.

68. *Debet ne fiscus debitis ei satisfacere?* Satisfacere quidem debet iis, quæ ante delictum contracta sunt; quia post delictum iam sunt bona illa confiscationi obnoxia. *Dubium est, an contracta debita post delictum.* Incumbit fisco probare fuisse post contracta.

69. *Quænam bona non possunt confiscari?* Maioratus institutus non solùm ex bonis propriis, sed etiam à Rege donatis. Neque bona fideicommisso subiecta, nisi id factum esset in fauorem solùm delinquentis. Neque bona castrensia, aut quasi castrensia filij, sed hæc cedunt patri. Quod à fortiori dicendum de bonis profectitiis.

§. 2. *Pœnæ hæretici.*

70. *Expende delictorum pœnas. Quænam hæretico infligantur?* Hæresiarchis, & dogmatizantibus rarò reconciliatio conceditur, etsi pœnitentiam ostendat; præsertim si

tunc id faciant, quando iam sunt Curiæ seculari tradendi.

71. *Hæretici absentes sunt conuicti.* Si citati non compareant infra triginta dies, sæculari Curiæ traduntur, & eorum comburitur statuta.

72. *Non sunt conuicti, sed eodem modo citati, addita etiam excommunicatione infra annum non comparent.* Declarantur hæretici, & bona à die, quo testes deposuere eos in hæresim incidisse, confiscantur.

73. *Hæretici defuncti sunt.* Si plenè eorum hæresis probata est, vel si in carcere existentes sese interemerunt, vel etiam si per annum contumaces fuere in excommunicatione ex causa fidei (ex quibus sufficienter quis probatur hæreticus) eorum memoria damnatur, statua comburitur, ossa exhumantur si possint distingui, bona confiscantur. Porrò quamuis contra bonorum confiscationem spatio quadraginta annorum præscribatur, contra damnationem memoriæ, & combustionem statutæ nullius temporis interstitio præsumitur.

74. *Hæretici pœnitentes sunt.* Post publicatos contra eos testes pœnitent? Ad perpetuos carceres damnantur. Scio mitius puniendos fuisse, si ante accusationem pœniterent.

75. *Possunt ne Inquisitores id mutare in aliam pœnam arbitrariam?* Possent quidem ante latam sententiam; quia post sententiam semel latam solus Supremus Inquisitor illam mutare potest saltem in Hispaniæ Inquisitionibus.

76. *Pœnitent illi solùm in publico Theatro, proximè ad supplicium.* Vix fides ei habenda videtur.

77. *Sunt hæretici impœnitentes.* Puniuntur morte. *Impœnitens quis est fictione iuris, id est, negat se vnquam hæreticum fuisse, etsi crimen contra eum plenè probatum sit.* Etiam mortè punitur; quia obliuio hîc non præsumitur, sicut in nullis fictis arduis; atrocibus, & horrendis.

78. *Quid si is confitens diminutus sit, id est, vel non omnes suos errores fateri vult, vel negat de complicibus, quos scire conuincitur?* Eidem pœnæ addici soluere certum est. Scio tamen aliquando in hoc facilius obliuionem admitti.

79. *Confessus est quidam hæresim, & ante impletam pœnitentiam reuocat confessionem.* Si non probat talis reuocationis causam impœnitens, & negatiuus censetur; & nisi resipiscat, Curiæ est sæculari tradendus; nisi id continenti, id est, in iudicis præsentia reuocaret.

80. *Confitetur quis verba, vel facta hæretica, sed negat intra*

intentionem. De hac solùm est torquendus. Sin autem non solùm ipse ea fatetur, sed & de iis conuincitur, Curiæ est sæculari addicendus.

81. *Hæreticus relapsus est.* Tradendus eidem Curiæ, nisi sponte ad pœnitentiam rediret. *Quid est sponte redire ad pœnitentiam?* Non certè dicitur sponte redire, qui redit eo quod timeat: vel facilè præuidere potest se accusandum; sed qui sincerè redit. Monuerim non posse damnari tanquam relapsum, qui secunda vice tantùm est vehementer de hæresi suspectus. Plura *Exam.* 1.

82. *Apostatæ pœnam subiunge.* Qui apud infideles abnegauit fidem si sponte petat reconciliationem, & dicat se fidem interius seruasse, debet abiurare, vt vehementer suspectus, & aliæ pœnitentiæ salutares ei imponi. Si verò etiam interiùs fidem abnegauit, debet abiurare, vt formalis Apostata, & grauiùs puniri. *Non comparet sponte.* Tunc si negat internam abnegationem, torquetur super intentione, & in negatione persistens, abiurat de vehementi.

83. *Fatetur intentionis nequitiam.* De iure ad carcerem perpetuum damnandus est. Sed ferè arbitrariis pœnis pecuniæ, triremium fustigationis, &c. punitur.

84. *Astrologi iudiciarij pœnas aperi.* Prædicens futura contingentia etsi asserat se non certò id affirmare, potest pœnis Canonicis puniri, vel aliis arbitrariis.

85. *Bini si quis nuptias contrahit simul.* Iuxta Inquisitionis Romanæ stilum, vt vehementer suspectus torquetur super intentione, & negans post abiurationem ad triremes per quinquennium, aut septennium damnatur. Iuxta Hispanicam verò vt leuiter suspecti non torquentur, sed pœnitentiis salutaribus, vel etiam triremibus puniuntur. *Capiendi ne mox huiusmodi delinquentes?* Minimè, nisi præcedat plena probatio.

86. *Hæreticaliter quis blasphemauit.* In Hispaniæ Inquisitionibus ferè tantùm abiurat de leui. Pœnæ verò sunt pro delicti qualitate, v.g. si dixerint blasphemiam ex subita ira vel alia passione, damnatur ad triremes. Aliàs nudo capite, & pedibus, teste succincti, dextera ardentem facem tenentes die festo stant in Ecclesia; ibique sacris peractis, sententia illis legitur cum aliis pœnitentis, v.gr. ieiuniis, precationibus, pœna pecuniaria.

87. *Expende, quænam Blasphemiæ hæreticales sint?* Quæ continent formaliter falsitatem contra fidem, vel virtualiter quidem: v.g. cum quis Deum nominat iniustum, etsi non affirmet esse talem.

88. *Clericus in sacris, vel Religiosus professus contrahit matrimonium.* Abiurat de leui, & ad triremes ad minus per quinquennium damnatur. *Quid si alia indicia sint vehementis suspicionis, v. gr. si talis esset de Prouincia hæresi Luthrana infecta?* Grauior esset & abiuratio, & pœna.

89. *Conculcauit quis Crucem, aut imagines Sanctorum fecussit.* Fit suspectus de hæresi, & si id ex iracundia fiat, pœnis punitur arbitrariis.

90. *Obsordescit in excommunicatione per annum.* Potest quidem ab Inquisitoribus vt suspectus puniri, sed non absolui, nisi excommunicatio illa in Fidei causa esset.

91. *Confessarius sollicitauit.* Respondeo generatim iuxta Romanæ Inquisitionis morem vehementer esse suspectum; iuxta Hispanicæ leuiter. Consequenter in illa torquetur, in hac minimè. Pœnæ ordinariæ ex constitutione Gregorij XV. Suspensio ab executione Ordinis, Beneficiorum priuatio, ac perpetua inhabilitate ad illa, etsi Religiosus sit, vocis activæ & passiuæ priuatio. Interdum etiam adduntur aliæ pœnæ pro delicti qualitate. v. gr. damnatio ad triremes, carcer perpetuus. Mox sermo redibit.

92. *Non Sacerdos, Confessiones audit, & absoluit.* Si est laicus & persona vilis, fustibus cæditur, & ad triremes immittitur. Si sit persona honesta & Religiosa, ad triremes solùm; sin talis est, vt ad triremes mitti non debeat, exilio addicitur. Si est in aliquo Ordine, ab eo toto tempore exilij suspenditur. Porrò secundùm Bullas tradi deberet sæculari Curiæ; sed id ab Hispanica Inquisitione non obseruatur. Idem iudicium fero de non Sacerdotibus Missam celebrantibus, etsi verba consecrationis non proferant, aut etiam illam non perficiant, modò vestibus Sacerdotalibus illam incipiant.

93. *Fautor quis, defensor, receptator hæreticorum est.* Fit suspectus, sed non æqualiter. Hinc prudentiæ Inquisitorum permittitur eum cogere abiurare de leui, aut de vehementi. Punitur arbitrariè pecunia, exilio, fustigatione triremibus, imò & bonorum confiscatione. *Fauor inefficax fuit.* Licet fuerit inefficax, id est, si non obstante fauore reus ab Inquisitione fuit captus. *Fiunt ne suspecti qui non denunciant hæreticos?* Non, nisi ex officio ad denunciandum non tenerentur.

94. *Retinet quis, vel legit libros.* Pro qualitate facti & personæ fit vel leuiter, vel vehementer suspectus. Porrò ordinarè tantùm de leui abiurat, & pœnæ etiam leuiores ei imponuntur.

95. *Impedit quis S. Inquisitionis Officium.* Fit de Fide suspectus, non tantùm si id faciat ex odio Fidei, sed etiam ex amore consanguinitatis, amicitia, pretio, &c. Abiurat tamen de leui, & mitiùs punitur, si ex Fidei odio non impediuit.

96. *Transfert ad infideles arma, equos,* &c. Si vilis persona fustibus cæditur: si non vilis, exilio & pecunia in ea quantitate, qua equi, armáque valebant. Si arma non transmissa fuere, confiscantur: si transmissa, duplicatur pecunia. Profectò hæc ita, si arma transmisit lucri causa; nam si causa auxilij, tunc agendum tanquam cum fautore hæreticorum.

97. *Quid de Iudæis & Mauris conuersis?* Pro qualitate delicti ab Inquisitoribus puniuntur abiuratione, veste, & reliquis pœnis.

98. *An malefici & sortilegi ad Tribunal S. Inquisitionis spectent, & quonammodo puniantur?* Si sortilegia hæresim sapiant spectant ad Tribunal. Torquentur de intentione, & quamuis abnegent, de vehementi abiurant. Si laici, & ignobiles sint, plerumque triremibus traduntur; aliis alia imponitur pœna.

99. *Inuocat quis Dæmonem ad tentandam alterius pudicitiam.* Est sortilegium hæreticale, etsi per modum imperij fiat; quia illud imperium fictitium proculdubio est.

100. *Vitiat ille in sortilegio Hostia super quam Missam celebrauit.* Licet eam non consecrauit, est hæreticale, non quidem propter hostiam quæ non est consecrata; sed propter super eam celebratam Missam.

101. *Abusus fuit miser Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in sortilegio.* Tradendus planè est Curiæ sæculari.

102. *Maleficio vir, aut fœmina vnicam personam occidit, aut damnum graue infert.* Si occidit, Curiæ seculari tradatur: si verò citra mortem damnum notabile sit illarum, ex constitutione Gregorij XV. carceribus mancipatur.

103. *Quis non implet pœnitentiam ab Inquisitoribus impositam.* Non tanquam relapsus, sed tanquam impœnitens arbitrariè punitur, v. gr. ieiunio, fustigatione, &c. *Pertinaciter adhuc implere recusat.* Curiæ tradendus seculari.

104. *Pœnas exhone schismaticorum.* Ordinariè tantùm sunt de leui suspecti. Potest tamen suspicio ex temporis diuturnitate, & aliis circunstantiis vehemens fieri. Puniuntur Beneficiorum priuatione, & inhabilitate ad illa, exilio, carcere, triremibus. *Pertinaces illi.* Traduntur Curiæ seculari.

105. *Delicto quis sodomitico fœdatur.* Vbi sodomitæ ab In-

quisitoribus puniuntur, non est cogendus ille abiurare, sed conuictus, vel confessus Curiæ seculari traditur.

106. *Testis falsus apud hoc Tribunal quonam modo punitur?* Non quidem pœna talionis, nisi quando alter propter tale testimonium vt hæreticus combustus fuisset. Quamuis neque in eo casu id præstandum nisi supremo S. Inquisitionis Senatu consulto.

107. *Falsus fuit testis pro absolutione rei.* Agitur cum eo cum hæresis fautore. *Alios quis induxit ad testimonium falsum.* Eadem quidem pœna, qua ipsi falsi testes, puniendi sunt.

CAPVT V.

De Sacerdote pœnitentem sollicitante ad Venerem.

§. 1. *In Sacerdotē sollicitātem ad Venerem, Bullæ Pontificum.*

108. *Quidnam Pontifices aduersùm sollicitantes statuerint?* Pius IV. in Bulla publicata die 16. Aprilis anno 1561. tribuit Inquisitori generali iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alios à se deputatos delinquentes Sacerdotes tam seculares quàm Regulares Regnorum Hispaniæ, qui Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutuntur, mulieres pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones alliciendo, & prouocando: seu allicere, & prouocare tentando, & procurando. Deinde Clemens VIII. solùm statuit Inquisitorem generalē in Hispania procedere posse aduersùs quoslibet Presbyteros seculares, & Regulares in Sacramento pœnitentiæ, seu in actu Confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis. Demum Gregorius XV. die 30. Augusti anno 1622. & sui Pontificatus 2. edidit aduersùs sollicitantes Sacerdotes constitutionem. Primò refert, & confirmat Bullam IV. illámque non solùm in Hispaniarum Regnis, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit. Secundò, ne de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo procedendi ab aliquo dubitari possit, statuit, quod *omnes & singuli Sacerdotes tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue antè vel post immediatè, seu occasione vel prætextu Confessionis*

fessionis huiusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta; siue extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis seueriſſimè puniantur. Tertiò apponit modum cognoscendi de huiusmodi delicto; remittit enim eius cognitionem tam Inquisitoribus, quàm locorum Ordinariis simul, vel separatis. Quartò, pœnas assignat sollicitanti Sacerdoti. Quintò ad delicti huius difficilis quidem probationis punitionem præcipit Inquisitores vti testibus singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis. Sextò mandat omnibus confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi.

§. 2. *Bullarum expositio.*

109. *Enim verò in decretorum huiusmodi expositionem rogo, an denunciandus sit Confessarius virum ad nefarium congressum inducens?* Ita planè; quia sic statuit Gregorius, *Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare*, &c.

110. *An sollicitans fœminam aut virum ad actus solum venialiter malos sub graui culpa sit denunciandus?* Tangere manum vel mamillas fœminæ, digitos intorquere, vellicare, in genere castitatis peccata venialia sunt, quando ob solam delectationem absque vlteriori fine, vel periculo pollutionis habentur. At aliquæ actiones veniales ex se assolent frequenter mortales fieri ex affectu prauo; quia obnoxiæ ampliùs sunt periculo, & assertiuæ praui affectus. v. gr. mamillarum contrectatio. Vnde assero si Sacerdos pœnitentem tactibus honestioribus tangat, v. gr. manum apprehendat, qui quidem tactus leuiter indicat internum affectum, sed potiùs pœnitens prudenter agnoscat Sacerdotem haud animum habere vlteriùs progrediendi, non esse sub graui culpa denunciandum. Secus si ex immodestiori tactu, aliisque circunstantiis animus vlteriùs progrediendi colligeretur.

111. *Tribuit quis fœminæ in Confessione chartam, in qua ad Venerem incitat: censendus ne sollicitator in Confessione?* Scio Ferdinandum de Castro Palao probabilem asserere partem negatiuam, si charta illa non immediatè post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto iam tempore. At tanti amici mei venia affirmo huiusmodi traditionem chartæ sollicitationem esse, iniuriámque Sacramento fieri; si quidem tempore, quo monendus erat pœnitens, de mutatione

vitæ, instrumentum tradatur ei, quo grauius saucietur. Addo accidentale omnino esse chartam proximè legi, aut non legi; grauitas enim aut leuitas traditionis chartæ solummodo statuitur in eo quod charta immediatè post susceptum Sacramentum legatur, aut differatur.

112. *Denunciandus ne, qui fœminam incitat, vt aliumad copulam admittat?* Ita planè, iuxta illa, *siue inter se, siue cum alijs*, &c. quia pœnitentem verè ad turpes actus inducit, per accidensque fit, sint secùm, aut cum alio exercendi.

113. *An sollicitans fœminam aut virum, vt mediet, comprehendatur?* Comprehenditur planè illis verbis: *qui ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs perpetranda, sollicitauerint.* Scio graues Doctores affirmare probabiliter non esse sollicitationem in Bulla comprehensam; quia cùm non sit ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente, non videtur in Bullis prohibita. Attamen assero probabilius denunciandum quia prouocans pœnitentem, vt mediet, absolutè ad actus inhonestos prouocat.

114. *Te fœmina solicitat ad venerem explendam, tu renuis, contentus testibus: an denunciandus sit?* Si fœmina prouocaret Confessarium ad sodomiam, ille verò ad naturalem congressum incitaret, vel è contra, denunciandus esset: quia absolutè Confessarius inductor est ad malum, ad quod non est à pœnitente prouocatus. At quando solùm renuit congressum, volens se tactibus tantùm delectare, non censetur Confessarius sollicitate ad malum, sed sollicitationi factæ à fœmina consentire.

115. *Num ad alia crimina sollicitans Confessarius, v. gr. ad homicidium, furtum, denunciandus sit?* Minimè; quia in Bullis cautum non est editis planè in odium ad venereum delictum sollicitantium.

116. *An hæc ad venerem sollicitatio in alijs Sacramentis sit denunciandaneceſſariò Inquisitoribus?* Non; quia nullibi de huiusmodi delicto specialiter cautum est fieri denunciationem.

117. *Quænam dicatur sollicitatio facta ante vel post immediatè ad confessionem?* Illa dicitur sollicitatio ante vel post confessionem immediatè, quando inter sollicitationem & confessionem nihil mediat, ita vt neque Confessarius, nec fœmina ad extraneos actus diuerterint. Vnde si absolutione impensa aliquis illorum ad extraneum actum diuerterit, & sic diuersus vel fœminam diuersam statim sollicitauerit, non dicendus est proximè immediatè sollicitare.

118. *Vt ante Confessionem dicatur Confessarius sollicitare, inquiritur ne Confessionem ipsum sequi?* Sufficit planè, si fœminam accedentem confiteri, venerem persuadeat, & dissuadeat Confessionem; quia tunc Confessarius laqueum parat, vbi à laqueis pœnitentem deberet absoluere. Vnde Gregorius adiicit, *Etiam ipsa Confessione non secuta.*

119. *Quid si fœmina non vult statim confiteri, sed dicit Confessario se velle confiteri in crastinum, & tunc occasione arrepta Confessarius de venereis tractet?* Talis sollicitatio non est proxima Confessioni faciendæ, sed solùm conuentioni de Confessione; ac proinde non deliquit in Confessione, nec proximè ad illam, & consequenter haud est denunciandus.

120. *Fœminam volentem confiteri Confessarius per verba alioquin honesta, aut indifferentia dissuadet Confessionem, animo incitandi postea ad libidinem: an sit denunciandus?* Respondent quidam sollicitationem minimè denunciandam, si animum prauum illis verbis dissuasoriis non manifestauit; secus si animus improbus manifestus est. At ego censeo denunciandum; quia etsi aliis illa verba vel signa indifferentia sint, at fœminæ hîc & nunc non sunt indifferentia, sed ad malum determinata, & satis prauæ voluntatis Confessarij expressiua. Igitur saltem respectu fœminæ sollicitationem exteriorem constituunt.

§. 3. *De colloquutione lasciua in Confessionario simulando confessionem.*

121. *Quidnam sollicitare in confessionario simulando Confessionem?* Simulatio hæc dupliciter potest contingere. Primò si tam pœnitens quàm Sacerdos, vt liberius de rebus inhonestis tractent, si mulent confessionem. Secundò, si pœnitens non animo confitendi, sed alia negotia tractandi, accedat ad Confessarium, cum tamen ab iis à quibus videtur, intelligatur ad confessionem accedere; tunc inquam confessio simulatur.

122. *Rogo igitur, an sit obligatio denunciandi, si vterque conuenit in simulatione?* Scio vtrumque grauiter non solùm aduersùs temperantiam, sed etiam aduersùs religionem debitam Sacramento Pœnitentiæ in huiusmodi locutione lasciua delinquere. At assero, nemini incumbere denunciandi obligationem; non Sacerdoti, vt constat, neque pœnitenti, alias se ipsum denunciare teneretur. Imò nec hæc sollicitatio est Sacerdoti propria, sed mutua, ac proinde in sollicitationem sibi factam vterque conuenit. Faciliùs dixeris non tam esse sollicitationem, quàm sollicitati iam amoris iniqui fruitionem.

123. *Pœnitens bono animo accedit alia tractandi negotia,*

& ad Venerem incitatur à Confessario. Si Sacerdos aspicientibus consultò exhibet speciem eius qui Confessiones audit; aut pœnitens genuflectit, ipseque Confessarius habitu audiendi Confessiones adstat, vti assolet qui Confessionibus audiendis dat operam, denunciandus est; quia in confessionario simulans Confessionem audire sollicitat, aut praua verba texit. Gregorius autem inquit, *Siue extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, vbi Confessiones audiuntur, &c. Simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare,* &c.

124. *Potest ne Sacerdos aliquando in Confessionario de rebus inhonestis tractare cum fœmina quin sit denunciandus?* Potest, si nulla adsit simulatio Confessionis audiendæ, v. gr. si sedeat fœmina, si vnus aut alter stet, si nullus adsit, qui possit de simulatione iudicare, vt si clauso Ecclesiæ ostio, &c. Ratio est, quia non quælibet sollicitatio in confessionario facta illo Gregorij decreto cauetur, sed ea solùm, quæ Confessionem simulet fieri: *Simulantes ibidem Confessiones audire.* Legendus *Castro Palao.*

125. *An vbique denunciandus qui simulans Confessionem audire sollicitauit?* Vbi Bulla Gregorij recepta non est, haud tenetur fœmina sollicitata Confessarium Inquisitoribus denunciare; quia hæc sollicitatio non est facta in Confessione nec proximè ad illam quod solum in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. præcauetur.

126. *Quinam intelligendus sit nomine Confessarij seu Sacerdotis sollicitantis? An simplex Sacerdos?* Si exponatur Confessiones audire, & sollicitet pœnitentem, nomine Confessarij intelligitur; quia potestatem Ordinis habet, & potest a venialibus, & mortalibus iam confessis absoluere.

127. *An Episcopus, Nuncius, Officialésque Sedis Apostolicæ* Sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus; quia ipsis subiecti non sunt.

128. *An Hispanus Inquisitor sollicitans?* Nullo modo Tribunali vel Episcopo denunciandus est; quia si delegati sunt Sedis Apostolicæ, seu inter delegatos officialésque eius numerandi, vti affirmant Eymeric. & Pegna, Sedi Apostolicæ denunciandi; si autem sub delegati, ac commissarij sunt Inquisitoris Generalis, supremo Senatui addicenda denunciatio est.

129. *An laici fingentes se Sacerdotes & Confessionem excipientes, si sollicitent, sint ex hoc decreto denunciandi?* Minimè quia decreta solummodò Sacerdotes comprehendunt. Profectò ex constitutione lata à Gregorio XIII. aduersùs eos, qui

qui se Sacerdotes simulant, & sub tali simulatione Confessiones excipiunt, denunciandi sunt.

130. *An pœnitens Confessarium sollicitans comprehendatur?* Non; quia constitutio non aduersùs pœnitentes, sed aduersùs Confessarios pœnitentes solicitantes lata est.

§. 4. *De cessatione obligationis denunciandi.*

131. *Quandonam cesset obligatio denunciandi Confessarium?* Cessat in primis si emendatus præsumatur, nec periculum sit recidiui; quia decreta non tam punitionem attendunt Sacerdotis, quàm Sacramenti pœnitentiæ reuerentiam. Id quod intelligendum est, quando ex Inquisitorum mandato aliud non constat.

132. *Quandonam autem emendatum esse præsumam?* Quando rursum accedit pœnitens & minimè sollicitatur, aut talem ostentat erga ipsum pœnitudinem, vt pœnitens coniiciat non tam ex metu denunciationis, quàm ex interna immutatione ducere exortum. Deinde cessat, si correctione fraterna integrè emendandus speratur; quia ex iure naturali tenemur reuerentiæ Sacramenti prouidere minori damno proximi quo fieri possit, vti affirmat *Fagundez*. Profectò existimo rarò hanc emendationem huiusmodi correctione secreta sperari, ac proinde rarò cessare obligationem, vt adnotat *Palao*. Tertiò ab aliquibus excusatur, quoties Sacerdos aliquo modo de tali delicto infamatus non est; quia Bulla Clementis VIII. petit Sacerdotem esse infamatum; ait enim, *De quomodolibet infamatis*. Contrarium assero; quia rarò fœmina solicitata teneretur denunciationem facere, siquidem hoc crimen secretissimè committitur, neque alius à sollicitato pœnitente illud agnoscit, neque infamatio contingit, nisi quando hoc delictum denunciatum est. Quartò excusat Fagundez si Episcopo denuncietur. Non probo; quia iudico Clementem VIII. cuius ille decreto nititur, ab Ordinariis abstulisse huius criminis cognitionem, & priuatiuè Inquisitoribus concessisse. At Gregorij XV. constitutio ideo ab Inquisitoribus Hispaniæ recepta non est, quia æquè ipsis, & Ordinariis concedit facultatem in hoc crimine procedendi, præcipuè circa inhonestam sermocinationem in confessionario cum simulatione Confessionis. Quintò denique idem excusat, si sub decreto naturali sollicitatio cognoscatur. Etiam improbare cogor; quia secretum seruare non debeo, quoties eius obseruatio in damnum commune cedit: & quodnam, precor, damnum æquale quàm in Sacramento pœnitentiæ venenum loco medicaminis propinari?

Fagund.

Pal.

133. *Quis?*

§. 5. *Sollicitantium pœnæ.*

133. *Queisnam pœnis, & quanam ratione Inquisitores in hoc crimine procedant?* Quousque reus à duobus, vel tribus testibus denunciatus sit: non recluditur; quia cùm testes singulares sint, & regulariter præsumptio stet pro Sacerdote, probatio efficacior, quàm in aliis delictis requiritur. Quapropter Inquisitores Hispaniæ non assolent inconsulto supremo senatu aliquem specialiter Religiosum, in secretum carcerem detrudere. Causa concluſa Ecclesiastici Consultores vocantur, vt ex eorum consilio sententia proferatur, & reo in secreto tribunali (non publico actu fidei) denuncietur.

134. *Delinquens sese post vnius testis depositionem detulit Inquisitoribus.* In carcerem secretum non recluditur, sed lite contestata, & causa concluſa abiurat de leui, & ab audiendis Confessionibus priuatur, neque aliæ pœnæ ei imponuntur.

135. *Quid si semel sollicitans ante vllius testis depositionem sese detulisset?* Grauiter reprehenditur, neque vltra punitur. Idem fit in casu, quo sollicitatæ personæ examinatæ negant, sollicitationem sibi factam esse.

136. *Reus abnegat delictum duobus testibus singularibus probatum.* Inquisitores inuestigant diligenter testium qualitatem, & animaduertunt, an aliquibus indiciis verosimilibus suas depositiones comprobent; si sic repererint, etiam si reus neget, dummodo ob inimicitiam testes non repellantur, illum damnant, vt abiuret de leui, & ab audiendis confessionibus abstineat.

CAPVT VI.

De denunciatione, & testificatione in hoc Tribunali.

§. 1. *Denunciatio Tribunali facienda.*

137. *AN denunciatio facienda sit in casibus ad S. Inquisitionem pertinentibus, quando delator crimen probare non valeat?* Ita planè; quia aliàs ratiò casus adesset, cuius denunciatio obligatoria appareret; cum ratiò quis probare posset crimen, quod tam secretò assoleat perpetrari.

138. *An filius teneatur in crimine hæresis patrem denunciare, vxor maritum, frater fratrem?* Ad solum hæresis crimen

tien denunciandum ius obligat cognatos, qui vna, eademque persona censentur.

139. *An quis teneatur denunciare complices?* Non tenetur; quia nemo tenetur denunciare seipsum: si autem complices delicti denunciaret, seipsum proderet.

140. *Excusat ne ad hanc denunciationem faciendam damnum amici?* Ad denunciationem criminis hæresis non excusat, imò nec proprium damnum, nisi tantum esset, vt statum mutare cogeret.

§. 2. *Testificatio apud Tribunal.*

141. *Circa testificationem autem, aperias testium qualitatem. An inimicus capitalis rei sit admittendus in testem?* Minimè, etiam in articulo mortis constitutus, etiam in tortura, etiamsi sit reconciliatus, modò hæc reconciliatio sit recens; secus si inimicitia non est capitalis. Scio tamen etiam tunc fidem minuere quamlibet inimicitiam.

142. *Quid si inimici capitalis consanguinei, aut subditi testimonium ferant?* Non credendi, nisi legitimo adminiculo adiuuentur, vnde probabiliter constet, eos odio ad testandum minimè duci.

143. *An excommunicati, infames, socij criminis, periuri, hæretici, domestici, familiares, consanguinei, mulieres, & minores quatuordecim annorum in testes admittantur?* Ita quidem, & omnes sine tortura, propter difficilem delictorum ad fidem pertinentem probationem.

144. *Est ne testis omni exceptione maior reputandus, is cui reus nihil opponit?* Non eo ipso habendus talis, sed debent Inquisitores in eius vitam, conditionem, & qualitatem inquirere.

145. *Cucurrit aliquando vnus testis inhabilis cum altero valde digno: potest ne huius dignitas alterius supplere defectum, vt faciant plenam probationem?* Minimè, nisi cum vtriusque depositione aliæ circunstantiæ, & indicia concurrant.

146. *An duo testes singulares valde digni, nobiles, & eximiæ personæ possint facere plenam probationem?* Existimo non posse quia singulares.

147. *Poterit ne reus damnari propter multitudinem testium non idoneorum?* Poterit etiam ad pœnam ordinariam. Sed ad hoc saltem quatuor non sufficiunt.

148. *Quonammodo audiendi testes.* Debent adesse duæ religiosæ personæ, non quidem professione, sed religionis zelo. *Possunt ne hoc examen Inquisitores alijs committere?* Non nisi nec testes ad ipsos, nec ipsi ad testes legitima causa accedere valerent.

149. *In*

149. *In causa hæresis expedit ne testes cum reo confrontari?* Licet in aliis causis expediat, in causa tamen hæresis non expedire reor.

150. *Testes in summario iudicio recepti sunt, & examinati in plenario medio præstito iuramento: debent ne iterum examinari, & ratificari?* Ita quidem, aliàs in iudicio fidem non efficiunt. Ad memoriam reuoco tunc non debere eis primam attestationem ostendi, vt appareat, an idem prorsus testentur.

151. *Possunt ne vniri plures testes singulares etiam de eadem hæresi diuerso tempore prolata?* Non quidem possunt vt faciant plenam probationem. Scio contrarium probabile esse.

152. *Potest ne reus malæ vitæ & famæ pœna ordinaria puniri, quando sunt duo idonei testes?* Potest. Attamen in praxi Inquisitionis Hispanicæ nemo ad pœnam ordinariam damnatur, nisi per tres testes, contestes, idoneos.

153. *An possint testes recipi ad perpetuam rei memoriam ad Fiscalis instantiam, ita vt deponant testimonium, quod postea illis etiam absentibus, faciat fidem contra reum in plenario iudicio?* Possunt equidem; imò etiam per talem testem quis potest torturæ addici, si deponit verosimilia, & exhibet sui dicti rationem. Et hæc omnia in fauorem fidei.

CAPVT VII.

Praxis circa materiam de Augustissimo Inquisitionis Tribunali ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De Inquisitorum potestate, & iurisdictione.* Molin. Azor. Suar.

154. *Vtrum sit Inquisitorum potestas cumulatiua?* Minimè, sed priuatiuam esse *Molina* asserit; neque enim tunc Episcopi de hæresi cognoscere, nec edicta fidei proponere possunt saltem in Regnis Hispaniæ.

155. *Si Episcopi & Inquisitores incompatibilia præcipiant, v. g. vt reus eadem hora apud ipsos compareat, cuinam debet parere?* Affirmo ex *Azorio* magis Inquisitoribus, quàm Episcopo teneri parere.

156. *Possunt ne Inquisitores libros hæreticos legere?* Solus potest, *Suario* authore, generalis Inquisitor. Nec aliis hanc potest ex eodem *Suario* licentiam impertire.

157. Potest

157. *Potest Inquisitor generalis in irregularitate contracta ex hæresi dispensare?* Non posse idem *Suarez* testatur in odium delicti, quod tam aperto marte fidei aduersatur. Suar.

158. *Dixisti Inquisitores quomodocunque concurrant ad eorum condemnationem non fieri irregulares: rogo, an teneantur protestationem præmittere?* Non teneri respondeo cum *Auila*; quia sic decretum Pauli IV. & Pij V. disposuit. Auila.

159. *An possint munera accipere Inquisitores?* Si prætextu Officij sui pecuniam extorqueret Clementinæ secundæ *de hæreticis* teste *Suario*, incurreret excommunicationem. Porrò tanta Inquisitoribus Hispaniæ manuum puritas vt non solùm munera, sed & esculenta, aut poculenta accipere prohibeantur; quia quidem lege & eorum Ministri tenentur. Suar.

160. *Potest ne vnus Inquisitor contra alium Inquisitorem procedere?* Negatiuè respondeo cum *Suario*; quia in parem non habet iurisdictionem. Suar.

161. *Suppone quendam minimè esse baptizatum, aut saltem invalidè, sed communiter reputari baptizatum: an hic contra fidem delinquens possit hæreticorum pœna puniri? Azor.* affirmat posse; quia in hac re plus operatur opinio, quàm veritas. Iudico tamen Suarium probabiliter contrarium asserere, licet sentiam cum *Azorio*. Azor.

162. *Dixisti confessum proprium delictum posse torqueri pro complicibus, cum adest semiplena probatio: num hac tortura aquè grauis futura sit?* Cum *Lessio* assero leuiorem esse debere, quàm ad proprium delictum extorquendum. Adiicio ex *Del Rio*, quando sic torquendus est, debere ad id condemnari cum clausula: *circa præiudicium probatorum*; quæ quidem hoc operatur, vt quamuis proprium iudicium iterum neget, nullum inde sit præiudicium ad condemnationem. Less. Del Ri.

163. *An senes & pueri possint torqueri?* Cum *Sanchez* respondeo terreri quidem posse, sed non torqueri. Addo ex Del-Rio nobiles cæteris paribus mitius torquendos quàm alios; & Clericos quàm laicos. Sanch.

164. *Vt quis possit torqueri, sufficit deprehendi in eo mendacium, aut variationem quò ad circunstantias, seu qualitates delicti?* Minimè sufficere *Lessius* docet, nisi alia indicia, coniecturæ, & præsumptiones accedant. Less.

165. *Inquisitor secutus opinionem probabilem probabiliore relicta, iussit reum torqueri: an subiaceat visitationi? Del Rio* asserit propter hoc iustè quidem gestum minimè posse à Superiore puniri. Del Ri.

166. *Num Inquisitores tradere possint quemuis sæculari brachio*

Molin. *supremo Inquisitionis Senatu inconsulto?* Non posse *Molina* affirmat; quia illud inter causas grauissimas computant. Vnde ad memoriam reuoco quod asserui in Hispania Religiosum aliquem, aut nobilem, aut alia ratione insignem non posse comprehendere, nisi ex eiusdem senatus præscripto, missis ad eum indiciis & probationibus gestis, vti *Palaus* confirmat.

Azor. 167. *An sine Episcopo possint Inquisitores aliquem ad abiurationem cogere, aut ferre sententiam rei absolutoriam.* Primum negat *Molina*, secundum *Azorius*. *Quid si dissensio sit suffragiorum inter Episcopum & Inquisitores?* In Romana Inquisitione causa ad Papam remittitur, in Hispanica ad Inquisitorem supremum, authore *Molina*.

§. 2. *De confiscatione.* 168. *Cuinam applicantur Ecclesiasticorum delinquentium bona?* In Hispanica Inquisitione Regio fisco applicantur, quia Rex aliunde Inquisitoribus prospicit. Sic *Sanchez*.

Sanch. 169. *Debetur ne hæreticorum filijs sustentatio?* De iure non debetur. In Hispania tamen solet illis prospici, vt filiæ minorennes apud matronas honestas collocentur, filij artibus applicentur mechanicæ; qui verò per valetudinem, vel ætatem nequeunt laborare, ex misericordia tenuia alimenta accipiant. *Sanchez* affirmat.

Sanch. 170. *Quando Inquisitores reuocant bona ab hæreticis post delictum alienata, tenentur ne emptoribus pretium restituere?* Negat *Vasquez* appositè.

Sanch. 171. *Qui contumaces fuere, id est, qui ter citati non comparuerunt, audiunturne comparentes postea?* Assero ex *Sanchez* audiendos si post annum compareant, quoad suam personam, non quoad bona confiscata.

§. 3. *De sollicitante Confessario.* 172. *Quidam Sacerdos Confessario amico mandat, vt sollicitet pro se pœnitentem: num huiusmodi mandans Sacerdos denunciandus sit?* Minimè; quia verba legis pœnalis (vti ait *Palaus*) non sunt extendenda.

pal. 173. *Sacerdos quidam sit interpres Confessionis alteri principali Sacerdoti qui absoluturus est, huius ministerio Confessarius sollicitat pœnitentem: quæsierim, num interpres Sacerdos*

Fagund. *sollicitantium pœnas incurrat?* Respondeo ex *Fagundez* non incurrere; quia potiùs ex parte pœnitentis se tenet.

174. *Quidam Sacerdos non habens facultatem audiendi Confessiones fingit se habere, & fœminam in Confessione sollicitat: est ne denunciandus?* Ita planè; quia simplex Sacerdos

Pal. potens absoluere de venialibus, aut de mortalibus aliàs confessis absolutè Confessarius est. Ex *Palai* doctrina.

175. An

175. *An sit denunciandus qui in Confessione à pœnitente vult domum, vt eò adducat concubinam, vel pecunias dandas meretrici?* Denunciandum esse affirmo ex *Palao*; quia Bulla Palao. ignas decernit Sacerdotibus *sollicitantibus pœnitentes ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda.*

176. *Quidnam locus intelligendus est confessionarij nomine?* Non est opus esse locum ad hoc tantummodo ministerium deputatum, vti aliqui volunt; quia decretum Gregorij ait, *in Confessario, aut in loco quocunque, vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo.* Per *Confessionarium* intelligitur locus qui huic solummodo ministerio deseruit. Per *locum* autem *ad audiendam Confessionem electum* quicunque intelligitur locus qui ex professo aut per transennam ad audiendam Confessionem eligitur. Itaque si adest simulatio Confessionis, quicunque locus vbi Confessio exauditur confessionarium reputatur; vitiatur enim quicunque locus à simulatione Sacramenti. Monialium locutorium communis locus est ad quemcunque sermonem instituendum; at si Confessionis adsit simulatio, confessionarium est; confessionarium autem, si non adsit simulatio Sacramenti quasi communis sacer locus existit, quia decretum illud non editum in loci sacri reuerentiam augendam, sed in odium simulationis Sacramenti.

177. *Simulat fœmina confiter: sufficit ne, vt Confessionis adsit simulatio?* Minimè, nisi simulet Confessarius audire. *Quid si reuera ipse habeat simulationem?* Non sufficit; quia absolutè non simulat. *Quid autem si ipse iubeat, fœminam simulare, vt in confessionario clauso, vbi Confessarius non videtur, sed sola fœmina speciem referat Confessionis?* Profectò simulatio fœminæ præcepta à Sacerdote, ipsius Sacerdotis simulatio est; vnde sollicitans hoc habitu erit denunciandus.

178. *Aduocatur Confessarius ad lectum fœminæ ægrotantis, & simulans inibi audire Confessionem, sollicitat.* Denunciandus est; quia in loco ad audiendam Confessionem electo, sollicitauit. *Quid si fœmina ægritudinem simulasset ad captandam occasionem voluptatis ex pacto cum Sacerdote?* Haud abest Confessionis simulatio.

179. *In Confessionario ipso Ecclesiæ collocato Sacerdos operi libidinoso vacat?* Si non adest simulatio Confessionis vt certum est non adesse, quia si aliquis testis adesset, minimè opera daretur sacrilegio: denunciandus non est, tunc enim ex sacrilegio locus sacer violatur, non Sacramenti reuerentia.

180. *Fœminam ad Confessionem accedentem antè Crucis signum Sacerdos sollicitat, dilata in aliud tempus Confessione vel id facit, quando ex illa iusta causa non potest pœnitentem absoluere: an sit denunciandus?* Ita planè ex *Palao*; quia sollicitatio saltem fit in confessionario aut simulatione Confessionis, aut per Confessionis occasionem. Pal.

181. *Statim post Confessionem Sacerdos in cubiculum domus puerum, eum sollicitat chirographum Confessionis ei tradituru: denunciandus ne?* Maximè; quia teste *Castro Palao*, iste ex ratione dependentiæ Confessionem includit. Pal.

182. *Propter audita in Confessione fœminam Sacerdos à templo discedentem post aliquod temporis interstitium insequitur & sollicitat.* Denunciandum non esse reor; quia non est illa immediata dependentia Confessionem includens. *Quid si statim insequatur?* Ratione dependentiæ Confessionem includeret, si esset insecutio illa consequens Confessioni, vt Chirographi traditio pœnitenti. At quia illa insecutio dependens non sit, nullatenus includere Confessionem puto. *Sacerdos rogauit fœminam, vndenam, eius domus adesset, aut dixit se inuisurum, & postea sollicitauit vel immediatè insequens, vel post tempus accedens.* Denunciandus non est, nisi animum futuum fœminæ ostendisset. *Ipsa præsumpsit sollicitationis gratia futura verba illa proferri.* Si verba erant indifferentia, nec gestus inhonestus adfuit libidinis assertor iniquè fœmina iudicauit. Potuit enim tunc indifferenter loqui, & postmodum ex occasione illam sollicitare. Ex *Castri Palai* doctrina. Pal.

183. *Consensit fœmina sollicitationi: tenetur ne denunciare?* Tenetur, ac si non præbuisset assensum, nec debet fatem proprium delictum, nec ipsa aut Confessarius de hoc possunt interrogari. *Quid si illa aut Sacerdos profiterentur?* Tanquam impertinens ad Officium S. Inquisitionis haud est in acta referendum.

184. *Audiui Confessarium fœminam sollicitasse, sed tam illi infimæ notæ & fidei: teneor sub excommunicatione denunciare?* Teneri te *Castro Palao* docet, etiamsi illud audiuit sub secreti naturalis sigillo, ad boni scilicet communis destructionem. Pal.

185. *Quonam tempore denunciatio sit facienda?* Respondeo ex *Auila*, & *Fagundez*, quocunque tempore durante toto anno; quia prius edictum durat, donec sequenti anno nouum promulgetur. *Quid si negligentia Inquisitorum sequenti anno non promulgaretur?* Teneretur quiliber sub mortali & excommunicatione nihilominus denunciare; quia cum Auila. Fagund.

Sacerdotes

sacerdotes sollicitantes sint de hæresi suspecti, semper sunt denunciandi, *Palao* authore. Pal.

186. *Ignorauit quis edictum.* Si tam terminus præfixus intra quem denunciare tenebatur, expirauit: vbi id resciit, non tenetur, nisi infra similem terminum dierum, ac si tunc sibi edictum promulgaretur. Scio tamen *Suarium* & *Filliu-* Suar. *cium* asserentes statim teneri. Quod si vltra illum terminum ob iustum impedimentum distulit, tenetur statim. Hæreo horum sententiæ; quia huiusmodi crimina ex dilatione denunciationis virus exerunt. *Praui leo expirante termino præfixme fore impotentem denunciare, quia absens ero.* Teneris præuenire. Filliuc.

187. *Si ex vnius fœminæ quantumuis honestæ delatione haud esse Confessarium in carcerem detrudendum: requiro tamen num illa delatio sit sufficiens ad Inquisitionem?* Sufficiens plenè est. Quod si inquisitione Confessarius leuis admodum, & malæ vitæ deprehendatur, poterit etiam capi; at sine duplicata testificatione nunquam recluditur.

188. *Timet quis ea denunciatione graue damnum vitæ, famæ, vel bonorum in se vel in consanguineis.* Asserit *Fagundez*, Fagund. tunc à denunciatione excusari. Metus huiusce ponderetur grauitas.

189. *Possunt ne Episcopi de hoc crimine cognoscere?* Post Bullam Gregorij XV. possunt extra Hispaniam, in Regnis Hispaniæ minimè separati ab Inquisitoribus possunt cognoscere, authore *Molina*. Imò & in locis extra Hispaniam, licet possint Episcopi de causa cognoscere, non tamen ferre sine Inquisitoribus sententiam non tantùm condemnatoriam, vt ait *Molin.* Molin. sed nec absolutoriam, vt asserit *Azor.* Scio tamen Molinam Azor. de absolutoria sententia negare. Lege *Cast. Pal. tom. 1. tract. 4. d. 9.* & *Fagundez prec. 2. lib. 4. cap. 3.* a quibus ferè omnia.

EXAMEN III.

Circa materiam de virtute Spei.

CAPVT PRIMVM.

De Spei essentia, & Præceptis.

1. QVid Spes? Est virtus Theologica diuinitùs infusa per quam certò expectamus futuram beatitudinem

per merita ex diuina gratia prouenientia. Profectò donum est Dei speciale,& ex parte eius spes est certa, & infallibilis: secus autem ex parte hominis;respicit enim illa cooperationem nostram.

2. *An prima fides?* Ita planè,mox spes;quia non possumus sperare quod non credimus.

3. *Quotnam sunt præcepta spei?* Quatuor.Primum est beatitudinem expectare;quod quidem naturale est,supposito ordinum supernaturalium Ordine; quia creatura rationalis eo ipso,quod beatitudinem non habet, eam ex rei natura debet expectare. Secundum est,Dei supplicium timere; quia spes vltimi finis, ac timor æterni supplicij sunt quasi prima vitæ honestæ principia. Tertium, non desperare de beatitudinis consecutione. Quartum denique non præsumere consequi illam indebitè,hoc est absque meritis.

4. *Quandonam hæc obligent præcepta?* Quæ sunt affirmatiua non semper obligant,sed in casibus.1.Quando homo ex proprio actu iustificatur saltem primo. 2. Quando grauiter ei præsumptione tentatur. 3. Quando desperationis, aut præsumptionis crimine maculatus quis est,vt a d iustificationem redeat debet sperare, & timere. 4. In sententia quorundam quando orandi necessitas occurrit;quia inefficax sine spe oratio ad impetrandum. Profectò quæ sunt præcepta negatiua, semper obligare affirmo.

5. *Quotuplex timor?* Duplex, Seruilis,& Filialis, hic ex timore pœnarum non exoritur;sed ex amore Dei; ille autem ex pœnarum horrore.

6. *Est ne speciale timoris præceptum?* Probabilius existimo non adesse, sed eodem præcepto imperari timorem, ac reliquæ virtutes præcipiuntur, quo quidem timore homo a trangressione præceptorum circa alias virtutes liberatur.

Caput II.

De Peccatis aduersùs spem.

7. *Quotnam sunt Peccata aduersùs spem?* Quatuor,scilicet Omissio spei cùm habenda sit, Omissio timoris debito tempore,Desperatio,& præsumptio.

8. *Quæso Præsumptionis originem assignes.* Frequentiùs quidem ab infidelitate exoritur, & ad eam Dei tentatio reducitur.

9. *Quid*

9. *Quid est Deum tentare?* Se quemuis exponere sine necessitate Martyrio. Defensionem ex exitialibus, aut periculosis mediis procurare. Maleficiis aut incantationibus spem adhibere. innocentiæ

10. *Mortalis ne, an venialis Dei tentatio?* Deum tentare etiam tacitè in graui materia, aut alio mediante, aut immediatè, sine speciali inspiratione, aut reuelatione, mortis discrimini se exponendo sine necessitate, vel graui in ægritudine ordinaria medicamina respuendo, mortale est; veniale autem, quando Deus in leui materia, aut sine plena deliberatione tentatur.

11. *Quodnam peccatum est in creatura spem collocare?* Crimen est contra spei virtutem, nisi simul in Deo ac creatura spes collocetur, primariò quidem in Deo, secundariò autem in creatura quatenus simul confert ad beatitudinem consequendam.

12. *Differt quis pœnitentiam vsque ad mortem spe veniæ obtinendæ: peccat ne contra præceptum spei?* Potius peccat contra præceptum pœnitentiæ; quia hic tantùm differt confessionem.

13. *Fit alicui reuelatio damnationis suæ: debet amplius sperare?* Imò desperare sine mortali culpa potest, modò damnatio non reducatur ab eo in omnipotentiæ, vel misericordiæ Dei defectum; quia impossibile est sperare id quod non est possibile, nempe assecutionem beatitudinis supposita certa damnationis reuelatione.

EXAMEN IV.

Circa materiam de Charitate ad Deum.

CAPVT PRIMVM.

De essentia, & Præceptis Charitatis.

1. *Quid est Charitas?* Virtus Theologica à Deo infusa, qua Deum propter se ipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus, & reliqua omnia propter Deum. Datur enim amicitia supernaturalis inter Deum & hominem, fundata quidem in quadam veluti hominis eleuati per gratiam æqualitate.

2. *Est ne Charitas virtutum omnium perfectissima?* Ita equidem; quia per se proximè & adæquatè Deum contingit.

3. *Quotuplex Charitas?* Duplex est, erga Deum & erga proximum. Hæc quidem quinto in examine euoluetur; de illa in præsenti.

4. *Quonammodo in hac vita Charitas augeatur?* Per actus ex charitate elicitos, ac imperatos; quia per bona opera propria, aliarúmque virtutum in gratia gesta augetur; & per actus intensos, (imò, secundum Suarij opinionem, remissos) accepit incrementum.

5. *Minuitur ne Charitas per culpæ venialis multiplicationem?* Posset Deus facere, vt per peccata venialia minueretur; quia nec repugnat, nec contra iustitiam esset. At de facto minimè per venialia remittitur. *Num per accidens ob veniale minuatur?* Non repugnat; peccatum enim veniale obstare potest, ne Deus plus charitatis animo impendat. *Amittitur ne, an remittitur per culpam lethalem?* Omnino amitti certum est.

6. *Ad quænam ex charitatis præcepto tenemur?* Debemus Deum super omnia diligere saltem appretiatiuè, cuilibet dilectioni hanc præferendo.

7. *Potest ne præceptum charitatis impleri ab ijs qui in peccato mortali existunt?* Minimè; quia præcipuè est supernaturale, & requirit hominem in gratia existentem. Neque enim qui creaturæ hæret in mortali constitutus Deum super omnia diligere potest.

8. *Quonam tempore per se obligat præceptum charitatis ad Deum?* Mitto sententiam *Azorij* octo tempora assignantis, & *Sanchez* vnicum. Sequor autem *Henriquez* tria ad præceptum hoc tempora præscribentem. Primum quidem est morale principium vsus rationis. Secundum, mortis articulus. Tertium tempus vitæ intermedium saltem singulis quinquenniis. Addo ex *Filliucio* probabile esse non quinquenniis singulis rigorosè obligare, sed sapientum arbitrio.

9. *Quonam autem tempore idem charitatis præceptum per accidens obligat?* Primò quidem in mortis spiritualis periculo, quod aliter vitari non possit. Deinde ad vsum Sacramentorum passiuum, cùm Confessarij copia non adest: & actiuum, cùm non vult Sacerdos confiteri, quia non obligat confessionis præceptum. 3. Quando~~nam~~ obligat contritio. 4. Quando operi extraordinario Martyrio scilicet opera impenditur.

CAP.

CAPVT II.

De Peccatis contra Charitatem ad Deum.

10. *Quotnam sunt contra Charitatem crimina?* Duo, commissionis vnum, alterum omissionis. Commissionis quidem Dei odium appellatum, cùm quis ob ineuitabiles tartari pœnas vellet Deum non esse; quo quidem odio Dæmones ac damnati homines accenduntur. Omissionis autem, vel quia Deus haud ea ratione diligitur, ac debetur; aut quia amatur ob pœnarum inferni euitationem; aut propter bonum creatum; aut quia non amatur quantum debet amari; seu tempore quo amandus est.

11. *Quidnam est Schisma?* Vitium oppositum Charitati. Separatio quidem ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ, & eius capite Summo Pontifice. Profectò non est schismaticus quicunque Summi Pontificis præcepto recusat obedire; quia vt schismaticus sit, necessarium est contra Pontificem, vt Ecclesiæ caput, rebellare. Nec schismaticus est, qui Papæ recusat obedire, quia putat illegitimè electum. Nec, propriè loquendo, qui ab obedientia sui Episcopi recedit.

12. *Quænam pœnis schismaticus subiacet?* Eisdem ac Hæreticus, excommunicationi scilicet, priuationi iurisdictionis, inhabilitati ad Beneficia obtinenda, obtentorúmque priuationi, necnon irregularitati.

EXAMEN V.

Circa materiam de Charitate ad proximum.

CAPVT PRIMVM.

De præcepto Charitatis ad proximum.

1. *Quosnam tenemur diligere ex præcepto Charitatis?* Nosmetipsos, proximos, Angelos bonos (malos solummodò quoad naturam) gratiam, & virtutes, tanquam rem amici.

2. *Quonammodo à nobis proximus diligendus?* Sicut nos-

metipsi. Porrò particula præcepti huius: diliges proximum tuum *sicut te ipsum*, non significat æqualitatem, sed similitudinem; vt quemadmodum quis seipsum diligit propter Deum, sic etiam à me proximus propter Deum diligatur, quemadmodum mihi bona, non mala exopto: proximo sic exoptem, sed non ad æqualitatem.

3. *Quonam tempore hoc præceptum obligat?* Vt negatiuum est, semper obligat. Vt affirmatiuum, aliquibus in casibus, cum scilicet tenemur proximo seu spiritualiter, seu temporaliter benefacere.

4. *Præceptum ne, inimicos diligendi?* Ita planè; quia proximi nostri sunt. *Quonammodo amandi?* Haud eos ex generali proximorum dilectione excludendo. Ostendendo illis communia signa amicitiæ; nam specialia amoris documenta non sunt ex præcepto, sed ex consilio, nisi aut extitandum esset scandalum; aut tempus extremæ necessitatis adesset; aut inimicus ex corde veniam precaretur; aut probabiliter speraretur fore, vt speciali amoris documento exhibito spiritualis illius salus acquireretur. Illicitum quidem est salutanti inimico resalutationem non precari, aut iubere duos salutare tertium insalutatum relinquere, quia inimicus est. Et generaliter communia signa amoris inimico abnegare peccatum lethale est, modò non excuset aut materiæ paruitas, aut maioris boni desiderium, v.g. vt corrigatur.

5. *Teneor ne inimico ignoscere satisfactionem?* Minimè; quia tenetur ille eam dare, licet non exigatur. Nec quidem aliquando licitum erit satisfactionem ignoscere, v.g. si in damnum tertij, vxoris, filiorum venia illa recidat. Porrò huiusmodi satisfactio aut pecuniaria, aut pœnalis exigenda non est vindictæ prætextu, sed zelo iustitiæ.

6. *Teneor ne cum inimico pacem inire?* Ita quidem, quando satisfactionem offert, & sufficiens tempus fuerit transactum. Monuerim plerumque non expedire ad satisfactionem iustitiæ etiam in foro exteriori supplicium expetere, ob scandali ac vindictæ supplicium periculum

7. *Qui iniuriam alteri intulit, debet ne veniam ab eo precari?* Debet quidem, si sit ex notis, & per se aut tertium possit id præstare; quia sic iustitiæ ratio exigit.

Caput II.

De ordine servando circa proximi charitatem.

8. *Tenemur ne priùs proximo, quàm nobis in spiritualibus bonis occurrere?* Priùs sibi homo, quàm proximo debet; quia veræ charitatis illa regula est, proximum amare sicut te ipsum; ergo amoris proximo impendendi norma proprius amor est.

9. *Licet ne, ad tempus velle carere beatitudine ob spiritualem proximi salutem?* Licet modò peccatum nullum adsit.

10. *Circa temporaria autem bona occurrendum ne priùs mihi an proximè?* Tibi occurrendum. Scio tamen posse te exponere probabili vitæ discrimini, vt proximum eripias ab euidenti occasione moriendi. Vnde pestis tempore, aut grauis ægritudinis laudabile admodum, ægrotantibus inseruire.

11. *Tenebor ne in spiritualibus bonis occurrere priùs proximo, quàm mihi in temporalibus?* Ita quidem. v. gr. si tempore pestis quis sine confessionis Sacramento esset morituus, aut si puer non baptizatus ad necem duceretur: tunc vitæ propriæ periculo debeo tantæ necessitati consulere; quia charitas plus spiritualibus, quàm temporariis bonis addicta est.

12. *Quando non adest extrema necessitas, sed tantùm grauis, quidnam Pastores præstare debent?* Oues tueri, quas deserere minimè possunt nisi mercenariorum pœnâ. Qui autem Pastoris munere non fungitur, quando periculum vitæ non adest, debet ex charitate procurare proximi spiritualem salutem; attamen cum vitæ periculo, aut grauis damni non tenetur.

13. *Quid si egenus sit persona publica, aut aliqua Communitas?* In spiritualibus bonis mihi priùs occurre debeo: in temporalibus prius personæ publicæ aut Communitati; quia proprium bonum communi ~~est~~ servit.

14. *Diligendus ne vnus magis, quàm alius ex charitate?* Ita quidem & interiori, & exteriori affectu; quia quidam coniunctior est amanti, quidam Deo, qui obiectum formale est charitatis: vnde ardentiùs quis amandus quò propinquior duplici huic dilectionis principio. Maior tamen necessitas semper maiori sanctitati, aut propinquitati præferenda est; tota enim huiusce præcepti obligatio ex necessitate pendet. *Necessitas æqualis est.* Sanctior minùs sancto præferatur. *Propinquus*

pinquus adest iustus quidem, & non propinquus sanctior. Cæteris paribus maior sanctitas maiori propinquitati est præferenda, ex parte obiecti. At ex parte amantis maior propinquitas potest maiori sanctitudini præferri, adeò, vt licet sanctiori maius bonum cupiamus, propinquiori ardentiori desideremus affectu. Porrò quoad bona propinquo debita; v.gr. longam vitam, filios, &c. hic præferendus est sanctiori; quoad bona verò sancto debita, v.gr. plus gratiæ, ac meriti, &c. sanctiorem propinquiori præferendum affirmo.

15. *Rogo, an spiritualiter propinquiores debeant à nobis plus diligi, quàm propinquiores carnaliter?* Ita quidem; quia propinquiores sunt Deo, qui est obiectum charitatis. Admonuerim hoc intelligendum esse ex parte obiecti; nam ex parte diligentis, & loquendo absolutè propinquior sanguine est præferendus; quia hæc propinquitas carnalis in naturâ fundata firmior est quàm spiritualis, quæ cum gratia solet amitti. Vnde priùs debes patri carnali, quàm spirituali succurrere, & prius fratri carnali, quàm spirituali in extrema spirituali necessitate; at extra necessitatem extremam priùs spirituali egestati patris, aut fratris spiritualis, quàm carnalis succurrendum, vti disertè *Valentia.*

16. *Amici strictiores præferendi sunt sanguine coniunctioribus?* Minimè; quia coniunctio amicitiæ non est tam strictè ac propinquitatis, prævalente natura.

17. *Proprinquorum, aut affinium eiusdem speciei exprime dilectionis ordinem?* Coniunctiores quidem præferendi, plus consanguineus, quàm affinis; plus pater quàm mater; plus mater quàm filius; plus parentes, quàm vxor; quia maiora abillis munera accepimus. Scio tamen filium posse vxorem tam sibi coniunctam teneriori affectu, quàm parentes prosequi. *Quænam culpa est huiusmodi Ordinis violatio?* Tantùm esse venialem iudico; quia excessus notabilis minimè est.

CAPVT III.

De effectibus externis Charitatis, & primum de correptione fraterna, quam spiritualem eleemosynam vocitauero.

§. 1. *Fraternæ correptionis causæ*

18. *Quidnàm fraterna correptio?* Est quædam proximi admonitio, qua nitimur eum à peccato ad virtutem

tem, ex misericordia, reuocare. Obligat ex naturali ac diuino iure ex genere suo sub mortali etiam infideles; quia naturale præceptum est.

19. *Vt obliget, quænam requiruntur conditiones?* Tres quidem, peccati scilicet notitia; correctionis spes, temporis, ac personæ opportunitas.

20. *Quænam sit fraternæ correptionis materia?* Necessaria quidem, peccata mortalia, sufficiens autem venialia delicta, nempe sub veniali.

21. *Quinam huiusce correctionis lege tenentur?* Cuncti homines rationis compotes, etiam infideles; quia ex iure naturæ. Strictiori tamen obligatione tenentur Prælati, quàm consubditi, non solùm ex iustitia ob proprium munus, sed ex ipsius ratione charitatis.

22. *Tenentur ne corripere alios, qui in eadem delicti damnatione sunt?* Nullus quidem à præceptorum diuinorum obligatione eximitur. Et quidem laudabiliter etiam in peccato existens reprehendit; quia sola Sacramentorum administratio ministrum constitutum in gratia requirit.

23. *An omnes debeat reprehendi?* Ita planè; omnes enim diligere tenetur homo, ex ipsius lege naturæ. *Prælati ne à subditis sunt reprehendendi?* Potiori ratione quàm à non subditis, modò debita adsit reuerentia. *An corripiendi excommunicati, hæretici, ac publici delinquentes?* Ita, si speretur vtilitas quia ad hoc munus haud est cum illis communicatio prohibita. *Quoties autem proximus est reprehendendus?* Quoties delinquentis superatur vtilitas.

§. 2. *Notitia delicti corripiendi.*

24. *Tres adhibitas percurre conditiones, ac primùm peccati notitiam expende: Quænam notitia requiritur, & sufficit, vt ad corrigendum teneamur?* Necesse non est certam omnino esse, sufficit probabiliter & moraliter. Prælatus quidem ob solam suspicionem debet magna prudentia adhibita subditi crimen inquirere, vt reprehendat; secus qui Prælatus non est; quia fratri irrogaret iniuriam.

25. *Si peccatum est dubium?* Prælatus potest, & debet carpere subditum, minimè qui subditus est, nisi dubium illud crimen in damnum tertij graue posset redundare, v. gr. in Principem proditio.

§. 3. *Fructus ex correptione.*

26. *Conditio secunda erat fructus expectatio. Tenemur ne corrigere quando fructus non speratur.* Si de fructu dubitas, quia non corrigetur proximus, corripe eum; si, quia insolentior exsurget, meliùs eligatur: modò in mortis articulo hæc distinctio non fiat, secutiùs enim tunc proximum reprehendi.

minus malum

27. *Maius*

27. *Maius timetur malum.* Hoc in casu lex correctionis non obligat.

§. 4. Opportunitas correptionis.

28. *Tertia conditio erat opportunitas temporis, aut personæ: quænam opportunitas requiratur?* Quando credis proximum peccaturum, si non carpis, tunc est tempus ad correptionem opportunum.

29. *Maior commoditas speratur.* Licet differre, præcipuè si ex dilatione feruentior conuersio expectaretur.

30. *Obligat ne grauis vitæ aut bonorum iactura?* Prælatus obligatur licet non adsit extrema necessitas, modò sit spes correctionis. Qui subditus etiam est non tenetur, nisi correctio esset simpliciter necessaria, v.g. si finis vitæ proximi instaret, quando differri non potest correctio; quia spirituale bonum proximi meo temporario est anteponendum. *Omisit quis id bona fide.* Non deliquit; quia voluntatem contrariam præcepto non habuit.

31. *Qui reprehendendus est, adeò correptione sauciabitur, vt sit aut morte, aut graui ægritudine afficiendus: potest ne tunc correptio omitti?* Non propterea correctione recedendum; quia spiritualis salus temporario iucommodo cuilibet anteponenda. *Excusatur ne à reprehendendi obligatione particularis persona præsente Prælato?* Minimè; quia si Prælatus non reprehendit, idem præstare ex charitate teneor.

32. *Quo ordine correctio fraterna peragi debet?* Euangelico planè iuxta Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum,* &c. Clam corripiendus: si illa admonitio non sufficiat, Prælato nuncietur, postquam coram vno aut duobus testibus correptus ille, haud se ad meliorem frugem recepit. Porrò, hic ordo omnibus in criminibus etiam in solum Deum commissis seruandus est.

33. *Quotupliciter potest crimen Prælato declarari?* Dupliciter, aut denunciatione, aut accusatione: huius finis est bonum commune, illius autem correctio, delinquentis: huius materia manifesta delicta, illius verò occulta peccata, quæ solus norit denunciator.

34. *Quandonam non obseruandus est correctionis ordo, sed annunciandum delictum Prælato, priùs quàm moneatur delinquens?* Quando crimen est publicum: quando licet occultum, est tamen in communitatis detrimentum: quando apud sapientiores ex eo maius damnum exurgit, quàm erit famæ proximi delinquentis.

35. *Quid in hæresis delicto?* Quando probabiliter de hæretici pertinacia dubitatur, clàm priùs admonendus est. At si de

de eius pertinacia constat, immediatè debet denunciari; hæresis enim aduersùs commune bonum est. Vnde qui omisenis grauiter delinquit. Idem dicendum de aliis grauibus contra commune bonum delictis, nempe latrociniis, monetæ fictionibus, &c. falsationibus

36. *Mihi constat proximum voluntatem habere, quodlibet eius peccatum extra confessionem apparens Prælato manifestari à cognoscente, vti paterna donetur medicina: teneor ne ordinem correctionis obseruare?* Non teneris; quia ob commune bonum potest quis iuri suo renunciare. *Valentia* id sex argu- Valent.
mentis confirmat, ostendens licitè posse quacunque in Religione id recipi statutum, quemadmodum sanctè in nostra est Societate receptum.

37. *Post primam admonitionem proximus emendatur: denunciandus ne?* Denunciari non potest; quia id ad correctionis finem necessarium non est.

38. *Tenetur ne corrigens post monitionem primam testes adhibere?* Probabilius est teneri, si inde vtilitas speretur: nec denunciandam culpam Prælato nisi post testis accessionem; quia à Christo ordo præscriptus seruandus, modò non sint crimina aliis exitialia, v.gr. luxuriæ, quando ex testium accessione fructus non speratur. Profectò post testium inductionem denunciandum Prælato crimen & vt patri, & vt iudici, prout oportuerit.

39. *Potest ne Prælatus subditum ob crimina sic cognita punire?* Si per modum fraternæ denunciationis agnoscit, haud potest punire iuris pœnis, sed vti paterna præscribit charitas. Secus planè, quando per accusationem accepit.

40. *Quonammodo obligant edicta, quæ publicantur in delictorum denunciationem?* Fraternæ charitatis ordine seruato. §. 6. *Edicta.*
Qui quidem ordo ipso in edicto non exprimitur, quia plerumque delicta in edictis expressa sunt contra commune bonum, vnde immediatè debent Superiori annunciari.

41. *Peccata illa sunt omninò secreta.* Edicta in conscientia non obligant, nec ligat censura ordinem charitatis lædens. At obligant omnino, & ligat excommunicatio in manifesto crimine, & in eo, cuius aliqua infamia, aut clamorosa insinuatio præcessit. De edictis tamen Inquisitionis proprio in loco differui.

CAP.

CAPVT IV.

De secundo effectu charitatis, nempe de Eleemosyna corporali.

§. 1. *Præceptum Eleemosynæ.*

42. *Quid est Eleemosyna?* Opus, quo datur aliquid indigenti ex misericordia. Actus enim huius virtutis est. *Quotuplex illa?* Duplex equidem, spiritualis, & corporalis; quælibet harum in septem actiones subdiuiditur, ad quas reliqua opera misericordiæ minùs peruia reducuntur.

43. *An præcepto teneamur Eleemosynæ operam dare?* Præceptum adest naturale & diuinum. *Quandonam hoc obligat præceptum?* Vt respondeam, præmitto necessitatem Extremam, Grauem, Communem. Extrema est, cùm quis probabili in periculo mortis corporalis, seu spiritualis constituitur, v. g. filiam prostituendi, &c. Grauis, cùm adest probabile grauis damni temporalis, aut spiritualis periculum. Communis, cùm necessitas ordinaria est, v. gr. mendicare, &c. Præterea præmittendum, bona vitæ necessaria ea esse, quæ ad eius conseruationem requiruntur: superflua autem ea, sine quibus subsistere potest. Item necessaria statui ea bona sunt, sine quibus decenter conseruari non potest Princeps, Marchio, Dux, Eques, Consul, Mercator, &c. Superflua illa, sine quibus tuetur status. Igitur respondeo quæstioni teneri nos eleemosynam exhibere in necessitate extrema ex rebus vitæ superfluis, licet status sint necessariæ; quia proximi vita superat mei status decentiam.

44. *Extrema hæc necessitas tenet personam publicam nobiliter bono communi necessariam.* Tenemur etiam vitæ necessaria exhibere, si superflua non sufficiant; quia totius salus saluti partis est præferenda.

45. *Non adsunt pauperes.* Nulla est obligatio eleemosynæ. *Hîc & nunc egeno succurrere non possum.* Non teneris. *Necessitatem ignoro.* Non debes succurrere. *Noui quidem necessitatem, sed cui ab aliis occurritur.* Sufficit: secus si probabiliter iudices ab aliis pauperes subsidium non accipere.

46. *Tenemur ne exhibere superfluum vitæ & status pauperi, cui deficit necessarium ad status decentiam, licet habeat ad vitam necessaria?* Aliqui asserunt hoc in casu de consilio, non de præcepto eleemosynam esse. Ego autem cum Azorio iudico esse de præcepto; quia huiusmodi defectus

defectu laborantes absolutè graui in necessitate constituuntur.

47. *Qui vitæ & statui habet superflua, tenetur ne communibus necessitatibus subuenire?* Probabile est teneri; probabilius non teneri; aliàs enim pauci diuites salutem consequerentur. Attamen assero diuites qui superfluis vitæ & statui abundant, grauiter delinquere, si aliquam eleemosynam communibus necessitatibus non elargiuntur.

48. *Superflua ad status opulentiam retinent, aut exadificandu Templis impendunt.* Opulentia status in communi necessitate non excusat, extructio Templi non excusat in graui.

49. *Sufficit ne mutuum pauperi exhibere?* In necessitate extrema simpliciter, qua constitutus pauper non habet nunc vnde viuat nec sperat, absolutè subsidium est donandum. In necessitate autem secundùm quid, qua si caret pane, abundat pecunia; si nunc eget, scit superuenturam abundantiam, sufficit mutuum dare; quia sic sufficienter præsenti necessitati occurritur. Profectò generaliter loquendo cùm eleemosyna ex præcepto obligat, non sufficit mutuare; quia eleemosyna sine donatione non est. [& Sturum

§. 2. *Ex queisnam bonis eleemosyna faciẽda.*

5. *An teneatur restituere, qui eleemosynam elargitus non est, quando debuit?* Qui ex officio tenebatur, v. gr. Princeps, restituere tenetur, quia debebat ex iustitia; reliqui non, quia ex misericordia, quæ restitutioni obnoxia non est, tenebantur.

51. *Ex queisnam bonis agenda eleemosyna? num ex alienis bonis?* Possum, & debeo, quando proximus extrema in necessitate constituitur, nec aliunde subest, quo succurram; quia tunc bona hæc communia censentur. Porrò in graui, aut communi necessitate idem præstari potest ex consensu domini rationabiliter præsumpto.

52. *Quid in communi necessitate de bonis communibus mihi & alijs, aut communitatis alicuius?* Non posses ex his pauperi dare sine aliorum consensu aut expresso, aut præsumpto; quia aliàs alteri cuique iniuria irrogaretur.

§. 3. *Quænam possint eleemosynam facere?*

53. *Possum exhibere eleemosynam de proprijs bonis turpiter acquisitis?* Si ipsa acquisitio iniusta est, v.g. furtum, aut vsura, ludus fallax, simonia, &c. non potes. Si non est iniusta ipsa acquisitio, licet adfuerit luxuries, homicidium, sententia iniusta, &c. potes planè; quia hoc in casu dominium acquiritur, secus in illo.

54. *Quænam personæ generaliter possunt eleemosynam exhibere?* Omnes qui dominium, ac plenam administrationem

suorum bonorum habent, aut horum expressum aut præsumptum consensum habent.

55. *Filiusfamilias sum.* De bonis castrensibus, vel quasi potes; minimè autem de bonis paternis, sine eius consensu.

56. *Laboro seruitute.* Non potes de domini bonis eleemosynam facere nisi in extrema necessitate constituto; aut sine domini consensu saltem interpretatiuo, aut nisi ex portione propria quotidiana detraxeris; aut dono ex ludo aut alias acquisieris. Ego equidem iudico ad exiguam eleemosynam etiam ex bonis domini consensum eius præsumi.

57. *Religioso sum instituto addictus.* Qui administrationi facultatum incumbis, aliqualem eleemosynam exhibere potes; secus qui non administras: nisi quando iter agis; aut in graui necessitate cum spe ratihabitionis Prælati; aut quando extra claustra degis.

58. *Quid de vxoribus?* De bonis paraphernalibus, hoc est ex his, quos vltra dotem, cum matrimonium iniere, propriis vsibus reseruauerunt: aut ex iis, quæ ex hæreditate, aut donatione obueniunt quo tempore durat coniugium, possunt eleemosynam exhibere. Item potest vxor, quando bonorum administrationem habet, modò non plus elargiatur, quam vir elargiretur. Vel quando detraxit à sumptu ex his, quæ ab absenti marito insumenda percepit. Vel quando ex propria acquirit industria, modò familiæ sustentatio detrimentum non patiatur. Vel quando ea largitur, quæ fœminæ eiusdem qualitatis, & status communiter assolent elargiri, modò de contraria voluntate mariti non constet. Vel quando eleemosynam gerit ob eiusdem coniugis spirituale commodum.

59. *Quei snam eleemosyna peragenda sit?* Cunctis egentibus. Inter quos coniunctiores cæteris paribus sunt præferendi: meliores planè, vtiliores, plus egentes, quemadmodum de charitate disserebamus.

§. 4. *Clerici Beneficiarij obligatio ad eleemosynam.*

60. *Clerici Beneficijs Ecclesiasticis fruentis obligationem exprimas.* Profectò hi bonorum patrimonialium verum dominium habent sicut laici, possuntque pro libito disponere. Eorum autem quæ in sustentationem congruam eis de bonis Ecclesiæ conferuntur, etiam habent dominium. Porrò tam libera sunt hæc ad sustentationem bona collata ab obligatione eleemosynæ, quàm patrimonialia; quia iusta est laboris merces. Enimuerò eorum, quæ post cõgruam sustentationem superfluunt, probabile est non habere dominium, debereque

operibus

peripatiis impendere sub onere restitutionis: sed probabilius reputo cum *Lessio*, & aliis eorum absolutos dominos esse; nec obnoxios restitutioni futuros, licet ea prophanè expendant; sed tamen graui crimine illigari; quia graue quidem Ecclesiæ præceptum transgrediuntur, de quo *Trident. sess. 25. c. 1. de Reform.* Vnde colligo teneri superflua illa pauperibus exhibere; inter quos, *Toleto* authore, possunt propinqui præferri, accipientes quidem plus cæteris etiam in status incrementum, non solum iuxta qualitatem eorum, sed & iuxta dantis Episcopi, Pontificis, Parochi qualitatem, etiam ex Maioratus, aut vinculi institutione, modo absit scandalum, & notabilis fugiatur excessus.

CAPVT V.

De vitijs Charitati oppositis.

61. *Recense vitia Charitatis virtuti opposita.* Adnumero, Odium, Inuidiam, Acediam, Discordiam, Rixam, seditionem, scandalum. Ex quibus inuidiam, & acediam proprio in loco disseruimus. §. 1. *Odium.*

62. *Quid Odium?* Est auersio voluntatis ab eo, quod æstimatur, vt malum.

63. *An Dei odium dari possit?* Ira quidem tanquam materialis obiecti, ex eo quod ab eo fugit voluntas tanquam re quodammodo homini mala, non in se ipsa, sed in aliquo effectu, v. g. in æterna pœna, qua damnatos flagellat.

64. *Potest ne proximus in se odio haberi?* Potest, non solùm quo peccator est, essentia salua, (quod licitum ac laudabile est) sed qua homo est ratione mali quod causat.

65. *Odij Dei ac hominis prædictum odium quàm graue delictum?* Odium Dei peccatorum maximum, proximi autem grauissimum; at si respiciatur damnum proximo illatum, ex hoc capite non est grauissimum delictum, grauius enim est homicidium odio; quia plus ei homicidium nocet. Porrò ex genere suo proximi odium mortale est, ex paruitate materiæ veniale. Odium autem Dei semper lethale, specie quidem distinctum ab illo, & ideo in confessione distinguendum. §. 2. *Discordia, contentio rixa, seditio.*

66. *Quid est discordia?* Dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonum diuinum, vel humanum, quod quis tenetur velle ex charitate. Mortalis quidem est ex suo genere, & propter supra assignatas rationes potest esse venialis.

67. *Quidnam contentio?* Altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam. Ex genere suo mortalis,&c.

68. *Rixa quid?* Pugna priuatarum personarum ex mutua ira concitata. Proximam eius causam iram esse liquet. Ex parte aggredientis semper est ex suo genere mortalis; ex parte verò patientis potest nullum esse peccatum, sed frequentius veniale est.

69. *Quidnam est seditio?* Ciuium dissensio. Speciale crimen contra charitatem. Quod si fiat, vt ciuitas ex obedientia Principis abstrahatur, crimen est læsæ Maiestatis; fiat tem ad deponendum Magistratus solummodo, seditio est. Porrò contra Tyrannum nec peccatum est, nec proprie seditio, quia tyrannica gubernatio ad commune bonum non dirigitur.

§. 3. *Scandalum.*

70. *Quid est scandalum?* Dictum, vel factum præbens alteri ruinæ occasionem. Duplex planè, actiuum & passiuum. Actiuum est, vel quando expresse aliquis intendit peccandi exhibere occasionem: vel quando præter intentionem huiusmodi datur occasio. Passiuum autem vel quando datur alicui, & paruulorum scandalum vocitatur: vel quando non datum accipio, & Pharisæorum scandalum dicitur.

71. *Quodnam peccatum?* Actiuum certè est ex suo genere mortale, quando autem fit præter intentionem, tunc est peccatum, cum qui exhibet, potest & debet proximi ruinam impedire. Passiuum autem erit mortale, aut veniale eius speciei qua peccatum ad quod trahit.

Cuig

72. *Licet non habeam ruinæ proximi expressam intentionem, tamen iudico, probabiliter meâ causâ alteri cadendi futurum occasionem: an speciale scandali peccatum?* Affirmat *Valent.* probabiliter. Sentio cum *Sanchez* asserente tunc solummodo esse speciale scandali peccatum, cum proximi intenditur ruina. Admonuerim tamen me teneri in confessione aperire circunstantiam illam, scilicet fecisse, aut dixisse id, ex quo probabiliter proximo ruinæ causam dari existimabam.

Valent. Sanch.

73. *Quandonam scandalum actiuum ex suo genere erit mortale?* Quando quis tenetur ab illo abstinere, quod proximo est occasio ruinæ. Porrò ex leuitate materiæ etiam tunc veniale.

74. *Quidnam est schisma?* Peccatum contra charitatem, de quo supra. Queis addò tripliciter posse committi: aut sola voluntate, aut voluntate executioni mandata, aut opere quidem, sed plenè, aut minùs plenè ex-

pesso. Vnum est illud in proximum grauissimorum criminum. Quod si manifestum sit, iurisdictionis amissionem causat.

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Charitate ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De correptione fraterna.*

75. *Possunt ne Religiosi occulta fratrum crimina superiori prudenti deferre tanquam patri, absque præmissa occurra correctione?* Minimè, nisi contrarium sit cautum, vt in nostra Societate. *Tannerus 2.2.d.2.q.5.dub.5.n.106.*

Tann.

76. *Quanta est præcepti correctionis (præceptum puto esse illud: Si peccauerit in te frater tuus, non consilium mei Magistri Petri Hurtado de Mendoza venia, asserentis esse consilium 2.2.d.163.sect.5.§.207.) obligatio?* Obligat sub mortali per se loquendo. *Coninch.d.28. dub.4.n.14.*

Mend.

Conin.

77. *Ordinem in correctione seruandum à Domino accepimus. Deliquens secreto monetur, si delictum sit occultum: coram testibus corrigitur, si priuata monitio non profuit, Prælato denunciatur: rogo autem, an præfatus ordo sub præcepto cadat?* Negat *Maldonatus* doctissimus *ad cap. 17. Luca.* Contestatur *Hurtado de Mendoza citat.* Sed cum multis aliis assero ordinem illum sub præcepto cadere. Vnde quando prudenter iudicas primum gradum prodesse posse delinques mortaliter graui in re, incipiens à secundo; vel à tertio relictis prioribus: nisi talis circunstantia adsit in persona corripienda, aut cui reuelandum est crimen, quod peccator nihil, aut parum detrimenti patiatur.

Hurt. Mend.

78. *An testes sigillatim sint adhibendi?* Respondeo cum *Sanctio opusc. tom.2.lib.6.c.2.dub.4.* posse simul ambos testes adhibere, licet melius esset prius vnum, & hoc non sufficiente addere alterum.

Sanch.

79. *An de peccato veniali correctio obliget?* Sub veniali obligare aliqui asserunt. Sed cum *Filliucio tom.2.tract.28. c.6.n.133.* affirmo nec sub veniali obligari te ad corripiendum; quia per veniale non est frater perditus, ergo præceptum de lucrando fratre non obligat.

Filliuc.

80. *Scio debere esse moraliter certum te hale crimen quod*

teneor corripere: rogo, an in dubio aliquis teneatur? Prælatis suspicio, aut dubia cognitio sufficit *Sanctio* auctore. Persona autem priuata non tenetur corripere nisi in casu hæresis, vel alterius criminis valde Reipublicæ pernicioſi, aut si proximi mors immineret; vel probabilis foret spes proximum peccati dubij correctionem non ægrè laturum. *Filliucius tractatus.*

Filliuc.

81. *Obligat ne correctionis præceptum sub mortali, cum delinquens ita timorata est conscientia, vt speretur facile correcturus, vel ab alio corripiendus?* Non obligat; quia correctio est quædam spiritualis eleemosyna non nisi indigenti facienda. *Valentia apud Granadum 2. 2. contr. 3. tract. 12. d. 1. num. 6.*

Valent.

Obligat ne correctio de actuali peccato, si non est relabendi periculum? Non; quia non censetur proximus in graui necessitate constitutus; nisi sumas occasionem ex huiusmodi peccato iterum relabendi, existimetur; ita persuasurum in illo peccato, vt suo tempore de illo non doleat. Itaque vnum peccatum, aut alterum, à quo quis sese excutit Confessionis assiduæ opportunitate corripiendum non est *Laym. lib. 2. tract. 3. c. 7. num. 2. Sanchez*, & alij, *Palao tom. 1. tract. 6. d. 3. part. 2.* adhibet rationem; quia si peccator ex charitate in se ipsum non obligatur statim culpam depellere; quare tu ex misericordia obligatus eris procurare.

Laym. Sanch. Palao.

Dubium est, an correctio sit delinquenti profutura, sed certitudo adest, non esse obfuturam. Debet adhiberi. *Dubium est, & quod profutura non est, & quod nocumentum est adlatura: teneor ne corrigere?* Negat *Granad. 22. contr. 3. tract. 12. d. 1. num. 6.* At *Filliucius tom. 2. tract. 28. cap. 6. num. 135.* asserit conferendum esse bonum proximi, quod speratur, cum malo, quod timetur: & eligendum quod maiorem boni rationem habet.

Granad. Filliuc.

82. Puto futurum deteriorem proximum ad aliquod tempus, si corripio: sed beneficio correptionis emendandum? Corripiendus est. *Valentia tom. 3. quæst. 10. p. 2.*

Valent.

83. *Timeo aliquod ab illo impatienti peccatum magnum præsenti perpetrandum homicidij, blasphemiæ.* Si timetur homicidium, non corrigas. Si solum autem timeas blasphemiam, aut aliquod peccatum, è quo nec communitati, nec innocenti incommodum graue oriturum sit, debes corrigere, ex emendationis lucro futuræ. *Coninch vbi supr.*

Conin.

84. *Est ne aliquis casus quo particularis vti teneat correctione, quamuis non sperem emendationem delinquentis?* Sed potius credam

tredam grauiùs peccaturum? Ex *Coninch* affirmo teneri te cum aliquem audis hæresim laudare, aut fidei rationes contemnere, modo adsit spes impediendi aliorum peruersionem. Quando grauem detractionem audis, si tua correctione speras, credentes non credituros; quia planè teneris hoc in casu tanta mala impedire. Conin.

85. *Scio correptionem obligare, dummodo non obueniat graue incommodum corripienti, nisi in necessitate extrema, aut quasi extrema proximi: datur ne alius casus in quo debeam proximum graui non obstante meo incommodo corrigere?* Profectò si Prælatus sis; quia teneris pro subditi spirituali vita vitam corporalem propriam contemnere. *Palaus tom.1.tract.6.d.3. part.9.n.4.* Pal.

86. *Potest ne correctio differri, quum commodius tempus speratur?* Potest, si in differenda correptione non adsit periculum. *Granado vbi sup.* Granad.

87. *Quandonam correctionis omissio erit mortalis?* Cùm fit ex proposito, quia si ex tepiditate omittas particulari, non delinques mortaliter, nisi damnum proximi tantum esset, vt grauiter nolenti corrigere imputaretur. Dixi *particularis*, quia Prælatus ex tepiditate omittens correctionem mortaliter delinqueret. *Granado* auctore. Granad.

88. *Rogo igitur, quandonam erit mortale, correctionem differre?* Quando ex dilatione timetur lapsus fratris in peccatum mortale, aut ipsius mors sine pœnitentia, vel alicuius detrimentum notabile, quod vitare poterat correctione. Quando nihil horum times, & sine causa differs, venialiter peccas. Ex *Granado.* Granad.

89. *Licitum ne permittere alicuius peccatum, vt melius postea corrigatur deliquens?* Asserit *Palao* ex *Sanchez* & aliis *tom.1.tract.6.d.3.part.6,c.6.num.7.* quia non tam permittitur peccatum, quàm quod proximus non resurgat, vt postea fortius surgerere possit. Cum aliis abnego; quia illam permissionem non permissionem haud intelligo. Pal.

90. *Quandonam potest correptio omitti, & fratris peccatum ad superiorem immediatè deferri?* Quando peccatum proximi occultum vergit in detrimentum aliorum, nec videtur sufficienter per priuatam monitionem incommodum auferendum. v.gr. si aliquis proditionem, & incendium ciuitatis clam moliatur, aut alios hæresi inficiat; quia pluris salus multorum, quàm peccatoris deprauati fama ducenda. Ex *Hurtado Complut.* Hurt.

91. *An huiusmodi delatio sit facienda superiori vt Iudici,*

Hurtad. Pal. *an vt patri?* Posse fieri vt Iudici, *Hurtado*, & *Palao* asserunt, quando crimina sunt occulta, sed probabilia: quando verò improbabilia solum sunt deferenda, vt patri; modo hoc sufficiat ad remedium; aliter enim posses vt Iudici, dicendo, te id probare non posse, sed vt Iudex ex officio prouideat, & inquirat, ipsi deferre.

92. *Prudenter iudico, me nihil corrigendo facturum: satius ne, relicta secreta monitione, aut inductione testium, superiori deferre, & remedium postulare?* Satius; quia Euangelicus ordo institutus est ad proximi emendationem; vnde si illud iudicamus remedium non profuturum, possumus vtilius eligere. Id quod præcipuè in Religionibus obseruandum *Suarius* asseruit. Addit *Castrus Palao*, in Religionibus semper præsumendum, melius subditum à Prælato corrigendum, quam à quolibet particulari, dum contrarium non constat. Puto gerendum, si superior sit vir prudens, & subdito non malè affectus, & delatio fiat tanquam patri. Non tamen delinquentius violandum. Ex *Becano de fide, cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 30.

Suar. Castr. Beccan.

93. Proximus propter maiorem profectum spiritualem paratus est, vt ipsius peccata quantumuis occulta, nulla præmissa correctione superiori deferantur: possem ne licitè? Ita planè. At non id præsumi debet nisi de Societatis Iesv viris, qui hoc ex capite suo iuri renunciarunt. Quam constitutionem licitam esse, & laudabilem *Suarius* doctissimè ostendit. Lege *Petrum Hurtado de Mendoza* 2. 2. *d.* 173. *sect.* 5.

Suar. Mend.

94. *Tenetur ne priuata persona, quæ non pertraxit alium ad peccatum, vitam propriam emendare, vt alterum possit corrigere?* Non (inquit *Coninch de charit. d.* 28. *dub.* 7. *num.* 132.) nisi proximus in peccato esset moriturus; quod vix fieri potest nisi in eo, qui est summæ authoritatis, & in peccatis contra fidem. *Palao* difficilem hanc sententiam iudicat; quia peccator tenetur admittere correctionem à quocunque fiat, præcipuè in articulo mortis; quod si non faciat, sibi imputet. Porrò *Hurtado* docet, ex vi præcepti correptionis, aliquando teneri correcturum ad exteriorem emendam, quando hæc est medium ad correctionem proximi requisitum; nunquam tamen teneri ad interiorem.

Pal. Hurt.

95. *Emendatus ne frater potest Prælato denunciari tanquam patri, ne iterum labatur?* Negat *Valentia* ex illis verbis: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; quasi dicat. Nil superest amplius. Addit Doctor, in Societate Iesv fratrem emendandum denunciandum esse ob qualemcumque maiorem securitatem. At *Palao*, & *Sanchez* id abnegant meritò, si non adsit

Pal. Sanch.

periculum

periculum probabile cadendi iterum ; quia consensus ille in societate præstitus non est censendus ad hunc casum extendi.

§.2. *De eleemosyna.*

96. *Scio in extrema necessitate diuites teneri proximo subuenire ex iustitia ne?* Profectò (*D.Thom.2. 2. quæst.118. art.4.* ad 4. docente) ex legali præcepto iustitiæ, quo prohibemur proximum interficere. *c.pasce, Quisquis pascendo, hominem seruare poteras : si non pauisti, occidisti.* Infert *Hurtado de Mendoza 2.2. tom.2. d.159. sect.3. §.31.* negantem eleemosynam extremè indigenti, ad omnia damna secuta teneri. v.gr. si illo obeunte orphani indigentes opera patris remanserunt: & sic indigentes posse diuites cogere ad eleemosynam in iudicio. Hurt. Porrò *Bellarminus* asserit esse solum obligationem charitatis; quia obligatio iustitiæ nullo in iure inuenitur. Bellar.

97. *Captiuus ne dicendus extremè vel quasi extremè indigere?* Negat *Hurtado de Mendoza 2.2. tom.2. d.159. sect.3. §.21.* quia aliàs non poterant à dominis mancipia detineri. Excipit tamen casum, quo captiuus timeretur melancholia, aut infectione aëris interimendus. *Granado 2. 2.contr.11.d.2. sect.4.num.21.* addit idem dicendum de captiuo viro nobili, aut magnæ sanctitatis, & vtilitatis Reipublicæ. Hurtad. Granad.

98. *Multi è proximis indigent, quinam ordo seruandus?* In pari indigentia (vt cum *Mendoza* loquar *sect.5. §.57.*) succurrendum parentibus, idque sub graui culpa: non autem prius patri, quàm matri, nec vxori, quam filiis. Prius autem patri, quàm auo; & filio, quàm nepoti, & fratri, vtpote coniunctioribus. Mend.

99. *An extremè indigentibus sufficiat per mutuum subuenire?* Sufficit, apposita conditione, vt tempore lautioris fortunæ restituat; quia si egenus subleuatur, quocunque modo præceptum impletur. *Vasquez de eleem. cap.1. dub.6. num.54.* Vasq. *Proximus solo indiget vsu, teneorne præstare dominium?* Non, sed solum mutuare. *Suarius d.7. sect.5. num.4.* Suar.

100. *Posse distributorem eleemosynæ ex testamento omnium pauperum generi pro libito exhibere scio: rogo, an possit si pauper est, sibi applicare?* Potest, non solum si in pauperiem post testamentum incidisset: sed & cum antea inopia laborans id testatori non patuit. *Sanchez summ.lib.6.cap.11. num.55.* Sanch.

101. *Mihi imponitur à Confessario pœnitentia pauperis subleuandi: an possum mihi inopi retinere?* Debeo alteri pauperi largiri; qui à Confessarius præscribere intēdit eleemosynam pœnalē, & ideo alteri faciendam. *Pal.tom.1. tr.6.d.11.p.14.n.10.* Pal.

102. *Tenenturne diuites seculares priuati, pauperes inuitare?* Suæ obligationi satisfaciunt, subueniendo pauperibus

sibi notis, cum proposito succurrendi aliis occurrentibus;
Hurtad. quia pauperes frequenter se produnt, & nemo petit occulte, nisi tempore pestis, quo Magistratus prouidere solet. *Hurtado de Mendoza 2.2.d.159. sect.3.§.13.*

103. *Proximus extrema laborat necessitate: tenentur ne diuites non solum de superfluis, sed & de necessarijs sibi, ei succurrere?* Tenentur quamuis in dignitate, & fastu extremo
Mend. detrimentum aliquod patiantur. Minimè verò tenentur sta-
Granad. tum absolutè deiicere. *Mendoza sect. 6. §.56. Quid in grauissima necessitate?* Tenentur de superfluis statui. *Granado 2.2. controu. 3. tract.11.d.2. sect.4.num.18.*

104. *An actus hic diuitis: Nolo erogare de superfluis statui eleemosynam in communibus necessitatibus, sit mortale periculum?* Asserit *Suarius de char. d.7. sect.3.num.7.* Ast in communibus necessitatibus solum teneri sub veniali diuites suc-
Gran. currere de superfluis. *Granado citatus, n.26.* affirmat. *Hurtado*
Hurt. autem §.131. nullam ait adesse obligationem.

105. *Quænam, precor, bona dicenda sint statui superflua?* Ex
Gran. *Granado* respondeo *sect.1. num.3.* Bona temporalia ad tria genera reuocantur. Aliqua sunt necessaria ad vitæ propriæ, omniumque, qui sub nostra cura sunt, sustentationem. Alia ad statum decenter conseruandum. Alia denique, quæ nec vitæ nec statui necessaria sunt, superflua appellantur. An ea dicenda sint superflua, quæ ad meliorandum statum conseruantur? Minimè; quia nemo tenetur proprium statum, ne proximus amittat suum, deiicere: vel ab altiori acquirendo
Gran. desistere. Sic *Granado sect.1. num.3.*

106. *Periclitatur quis in statu, ob iniustam rei temporalis*
Vasq. *amissionem: subueniendus ne de superfluis status?* Affirmat *Vas-*
Hurtad. *quez de Eccl. cap.1. dub.3. num.26.* At *Hurtado de Mendoza* §.98. docet, si è statu cadens non cogatur mendicare, seruire, aut vilem artem exercere: sed habeat vestes congruas, & alimenta, vt absque infamiæ periculo possit inter suos degere. neminem teneri illi statum asseruare; quia diuitiæ, & splendor, quem amittit, non inseruiunt ad depellendam miseriam, sed augendam dignitatem, quam nulla ex lege illi tenetur conseruare.

107. *Scio, Clericis beneficiatis maiorem esse circa eleemosynas obligationem: quidnam tenentur Episcopi, & alijs erogare?* In necessitatibus grauibus tenentur totum erogare superfluum. *An Papæ hæc obligatio incumbat?* Ita planè; quia est de iure diuino, & naturali, in quo proinde dispensare non
Sanch. potest. *Sanchez opusc. tom.1. lib.2. cap.2. dub.40. num.3.* Peculiariter

liter verò Præsul summus tenetur Cardinalibus egentibus subuenire, quorum speciale caput, & cum quibus facit quid vnum.

108. *Tenentur pensionarij?* Ita quidem, si pensio est Ecclesiastica; quia cum hæc sit pars Ecclesiasticorum fructuum, alit verè beneficium Ecclesiasticum. Secus si pensio est laica. *Mendoza 2.2. d.160. sect.7. §.117.* At *Vasq. de eleem. dub. vlt.* Vasq. *num.22.* ait non dari pensionem titulo beneficij, ac proinde huiusmodi obligationem non inducere.

109. *Tenentur Religionum Militarium Commendatarij?* Quæ dantur titulo laico Commendæ, vt scilicet prompti sint ad militiam, non inducunt eiusmodi obligationem. Nec obstat deuota paupertas; quia non est adeò stricta. Ex *Hurtado de Mendoza.* Mend.

110. *Inducunt ne obligationem eleemosynæ elargiendæ, Regularium Monasteria?* Docet *Suarius de Rel. tom.4. tract.11.* Suar. *cap.26.num.13.* regulariter loquendo Monasteria teneri ad aliquam eleemosynam, non tamen ad omne residuum, laudabilius planè sustentandis pluribus Religiosis impendendum.

111. *Tenentur ne Clerici beneficiarij in necessitatibus ordinariis, pauperes quererex, vt subsidia eis elargiantur?* Tenetur si sint Pastores, secus, si particulares personæ. *Sanchez opusc.* Sanch. *tom.1.lib.2.dub.39.n.4.& 5.*

112. *Quantum debeant largiri Clerici beneficiarij, expende.* Ex *Hurtado* & aliis accipians. Hic quidem *sect.5.§.105.* Epi- Mend. scopis consulit quartam partem largiri; quia plerumque Principes parum habent residui. Clericis aliis, qui parcè viuunt, congruam prius sustentationem recipere, & deinde superflui dimidium erogare: sed si hi omnes tertiam partem præbeant, securiores fore; & de reliquis duabus, posse ad libitum disponere; quia redituum Ecclesiasticorum sunt verè domini. Vnde hæc obligatio erit solius misericordiæ, non iustitiæ. *Granado 2.2.contr.3.tract.11.d.3. num.21.* vult sufficere Episcopos quartam, alij verò beneficiati quintam vel etiam secretam partem elargiri. *Layman.lib.3.tract.2. cap.4.* Granad. Laym. *num.3.* asserit talem obligationem esse iustitiæ, non tanquam charitatis.

113. *Adnumerandæ ne cum redditibus Ecclesiasticis distributiones quotidianæ pro singulis horis in choro, stipendia mortuorum, eleemosynæ Missarum, & concionum?* Negat *Hurtado de* Mend. *Mendoza.* Addit *Sanchez dub.45.* Nec stipendia Capellaniæ Sanch. etiam collatiuæ, nec stipendia accepta pro ministerio, quod beneficiati præstare aliàs tenerentur.

114. *Dixisti*

114. *Dixisti posse vxores, & filios de ijs, quorum dominium habent, in pauperes distribuere: rogo, an aliquando de alijs possint, inscio marito, & patre?* Potest vxor absque consensu viri, moderatas eleemosynas facere, ad ipsius viri damnum

Less. spirituale; vel temporale vitandum, instar Abigail 1. Reg. 25. *Lessius lib. 2. c. 12. dub. 14. n. 84.*

Potest & ad sustentandos filios ex priori matrimonio, vel fratris, id postulante acta sanguinis coniunctione, & viri ipsius decentia.

Pal. *Palaus tom. 1. tract. 6. d. 2. p. 13. n. 16.* soluto tamen matrimonio, quæ dedit, in suam partem tenetur computare, dempto eo quod ex viri decentia sanguinis connectioni adiecit. Potest, inscio, ac repugnante marito, pauperibus ordinariis vigesimam annorum prouentuum partem distribuere; quia in hoc vir non potest esse rationabiliter inuitus.

Granad. *Granadus d. 5. num. 3.* Potest filius acquisita in ludo et præsumpta patris voluntate, dispensare. Si pater nullas eleemosynas gerit, pro illo, inuito licet, potest filius facere. Si immoderatas exhibeat ex bonis paternis, fratribus tenetur prærata restituere, aut ab eis facilem veniam impetrare.

115. *Quid Religiosus?* Potest eleemosynas moderatas gerere, etiam interdicente superiore; quia is non præsumitur

Sanch. moderatum & consuetum subsidium pauperum prohibere. *Sanchez summ. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 96.*

116. *Liberat ne eleemosyna quotidiana Canonicum (v. g.) omittentem horas Canonicas à restitutione facienda, si absque hoc intuitu gessit?* Asserit

Laym. *Layman lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 12. num. 9.* quia præsumitur fuisse hæc illorum intentio: & leges Ecclesiasticæ sunt benignè explicandæ. Contestatur

Hurtad. *Hurtado de Iust. d. 9. diff. 8.* Immeritò externus auctor Diana doctus, & eruditus, hanc sententiam nimis laxam appellauit.

§. 3. De scandalo.

117. *Quonam modo scandali peccatum in Confessione sit aperiendum?* Respondet *Card. Lugo de Pœn. d. 16. sect. 4. §. num.* 164. non teneri te explicare speciem peccati, ad quod

Lugo. proximus inducitur, nec numerum personarum, quas induxisti.

118. *Scio bonum finem excusare aliquando à peccato scandali: rogo, an excusari possit vir exhibens vxori de adulterio suspectæ, ad comprehendendum eam in delicto, gratia correctionis?*

Sanch. *Sanchez de Matr. tom. 3. lib. 10. d. 12. num. 13.* negat. Secus alter *Sanch.* externus *in select. d. 35. n. 12.* affirmat probabiliter, quia non est formaliter cooperari peccato, sed illud permittere materiam ministrando, ad grauius damnum impediendum

119. Laur

119. *Licet ne suadere minus malum vt proximum non aliter auertibilem à maiori auertas?* Negat *Hurtado de Mendoza* Hurt. *t.2.d.173.sect.10.§.110.* quando quis paratus est solum ad maius malum, nec de minori aliquid cogitat. v. gr. non esse licitum hortari fornicandum eum, qui solum paratus est adulterari; quia tunc consulens vera esse fornicationis causa. Porrò *Saa v.peccatum n.8.* absolutè negauit; quia non Saa. sunt facienda mala, vt eueniant bona. Attamen memor S. Loth filia Sodomitis offerentis, vt eos à nefanda libidine auerteret, contrariam sententiam approbo; quia non est inducere absolutè, sed sub conditione; vt si paratus sit maius eligere, minus eligat, minus Numine lædendo. *Lessius* asserit Less. quidem licere paratum. v.g. ad scandendum Monasterium Monialium ad ebrietatem prouocare, ad vitandum maius illud flagitium. Sic ille *lib.4.c.3.dub.4.n.33.*

120. *Rogo, an liceat paratum furari à paupere persuadere, vt furetur à diuite?* Licere asserimus ex mente *Lessij* consequenter. At stando sententiæ *Hurtado de Mendoza* §. 156. Hurt. proponi solummodo ei potest furtum de rebus diuitis minus graue peccatum, &c. Asserit tandum sic hortantem, ad restitutionem teneri. Quod quidem abnego cum *Sanch. de Ma-* Sanch. *trim.tom.2.lib.7.d.11.num.24. & 25.* affirmante, talem suaderi posse vt ab aliquo diuite indeterminatè furetur. At *Vas-* Vasq. *quez apud Palaum tom.1.tract.6.d.6.p.6.n.12.* etiam ait, posse Pal. determinatè à tali diuite furari persuaderi; qui non esset rationabiliter inuitus respectu suadentis, posito quod fur à furto pauperis aliter non posset absterreri.

121. *Licet ne vexationem redimere? v.g. dignus potest pecuniam electori offerre alias volenti eligere indignum ad beneficium* Licet; quia minus malum est eligere dignum cum pecunia, quàm indignum gratis. Illud enim vnicum simoniæ peccatum, hoc autem contra iustitiam distributiuam, ac commutatiuam, contra charitatem, &c. vt probat latè *Hur-* Hurt. *tado de Mendoza citat.§.234.*

122. *Licet ne petere mutuum ab vsurario etiam non parato ad fœnerandum?* A peccato scandali excusaris, si aliqua rationabilis causa adsit. v.gr. pium opus ludus publicus, conuiuia, torneamenta, & similia iuxta proprij status exigentia, quæ sine decore haud possunt omitti. *Sanch. summ. t.m.1.* Sanch. *lib.3.cap.8.num.23.* asserit petere hasce ad inutilia, & vana non esse mortale; quia petens mutuum cum vsuris directè intendit solum mutuum, vsuras verò solum permissiuè.

123. *Licitum*

123. *Licitum ne à malo ministro petere Sacramenta?* Ita quidem si sit paratus, vel obligatus, aut necessitas occurrat; quia hæc actio potest rectè geri, mundante prius Sacerdote conscientiam suam. Azor. *Azorius tom.2.lib.12.c.17.q.7.*

124. *Quid si Sacerdos sit excommunicatus?* Si non est toleratus, & necessitas non vrget extrema, haud est in ministrum adducendus Sacramenti. Vasq. *Toleratus est.* Adhuc *Vasquez opusc. de char.q.43.art.8.dub.4.num.42.* affirmat induci non posse sine necessitate, aut maiori vtilitate; quia existimat excommunicationem exercitium Sacramentorum etiam tolerato prohibere aliàs existenti in gratia, & ad ministerium inuitato. Mend. At *Hurtado de Mendoza,* docet posse ab huiusmodi Sacerdote etiam absque causa vlla Sacramentum peti; quia potest iustificari per contritionem, quo in casu excommunicatio illum ab vsu actiuo Sacramentorum non impediret. Ex Constantiensi enim Concilio excommunicatus toleratus cum fidelibus, etiam in Sacramentis potest inuitatus communicare.

125. *Possunt ne tabernario vendituro cum fraude vinum vendere: si non inueniatur alius, qui velit emere?* Negat *Gasser* Hurt. *Hurtado d.10.diffic.7.* sed ex mente *Sanchez* assero; quia tabernarij fraudes ex mera illius malitia procedunt.

126. *Licet ne rogare iudicis concubinam, vt ipsum propitium reddat?* Negat Sanch. *Sanchez sum. tom.1.lib.1.cap.1.num.38.* quia non potest illa iudicem alloqui, quin periculo peccandi se exponat. At Mend. *Hurtado de Mendoza sect.11.§.143.* putat licere, si adsit iusta causa, nec alia appareat via iudicem reddendi proprium; quia iudex & concubina ex malitia delinquerent, quorum crimen cum graui incommodo vitare non teneor.

127. Licet ne petere à Mago solutionem maleficij, quamuis sciam illicitè soluturum? Licet, si scio licitè posse illud Mend. soluere; quia ex sola malitia iniquè agit. *Mendoza sect.16. §.205.*

128. *Excusatur ne à peccato scandali offerens pecuniam Sacerdoti nolenti puerum moribundum, sine pretio baptizare?* Non, quia Sacerdos peccat ex mera malitia; & ille non vult emere Sacramentum, sed iniqui ministri allicere voluntatem, ne infans absque Baptismo pereat. Mend. *Mendoza sect.17. §.111.* addens, idem asserendum in quacumque graui necessitate, quæ proculdubio à vitando scandalo Pharisaico excusat.

129. *Licet ne deponere pecuniam apud vsurarium absque causa?*

causa? Excusat aliquis externus apud *Sanchez sum. tom.* 1. *lib.* 7. *num.* 3. quia hæc depositio non videtur causa fœnerationis. Ast ego cum *Mendoza sect.* 14. §. 101. assero non licere sub graui piaculo; quia daret occasionem proximo grauis delicti, non tamen ad restitutionem obligarem; quia non peccaret contra iustitiam. Mēdoz.

130. *Scio, præbentem occasionem proximo aliàs parato ad peccandum à crimine scandali excusare; rogo, an saltem venialiter delinquam, si petam absolutionem à malo ministro parato Confessiones excipere?* Asserit *Sanchez lib.* 3. *c.* 8. *n.* 23. si in hoc casu nulla vrget necessitas. Sanch.

131. *Tenemur ne aliquando abstinere à rebus licitis, ex quibus proximus ex infirmitate scandalizatur?* Ita planè. v.g. fœmina habet ius sacrum audiendi in hoc vel illo templo: transeundi per hunc, vel illum vicum: prospiciendi per fenestram. At si timet, se in hoc templo, aut vico, aut sub fenestra ab aliquo expectari, qui illam prospiciens, arripiet occasionem ruinæ: & potest commodè aliud templum inire, &c. tenetur id præstare; quia quando absque magno incommodo possumus, peccatum proximi vitare tenemur. *Castro Pal. tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 6. *p.* 7. *num.* 4. Si autem magnum adesset incommodum, non tenetur fœmina ab huiusmodi actibus abstinere; quia se habet remotè, & per accidens ad alterius lapsum; quod potius est scandalum acceptum, quàm datum. *Mendoza sect.* 31. §. 404. Pal. Mend.

132. *Tenetur ne fœmina suo statui ornamenta congrua respuere?* Negat *Granado* 2. 2. *contr.* 3. *tract.* 13. *d.* 5. *sect.* 5. *n.* 31. *Quid de valde nimijs ornatibus?* Tenetur respuere sub mortali, non solum si sciat, se ab aliquo in specie concupiscendam; sed etiam si credat, se fore alicui indeterminatè lapsus occasionem; quia talis ornatus est illicitus, & ad illud fœmina ius non habet. Sic *Granado.* At *Layman. lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 13. *num.* 21. *q.* 13. asserit nimium ornatum, malo fine secluso, culpam venialem non excedere; quia secundùm se non est malus, nec prohibitus. Gran. Gr[illegible]. Laym.

133. *Tenetur ne à choreis licitis abstinere, ob dubium, ne aliquis illam concupiscat?* Non. At si id sciat, aut timeat probabiliter, & sine incommodo possit, debet abstinere. *Mendoza sect.* 28. §. 319. Mend.

134. *Num quis teneatur ab operibus bonis de præcepto, aut de consilio abstinere, ne det scandalo occasionem?* Opera præcepta ob aliorum scandalum nunquam esse omittenda docet *Vasquez opusc. de scand. a.* 8. *dub.* 1. *num.* 4. quia vnusquisque Vasq.

tenetur

tenetur vitare magis proprium, quàm alienum peccatum: ab operibus autem de consilio non abstinendum ob scandalum ex malitia: ob scandalum autem ex infirmitate abstinendum

Valent. Mend. semel, aut iterum: ex *Valentia tom.3. d.3.q.18.p.4.* Scio *tadum de Mendoza sect.20. §.256.* probabiliter valde defendere, ad vitandum scandalum ex infirmitate omitti debere omne illud præceptum positiuum, ex cuius omissione nullum aliud proximo sequitur inconueniens; quia Deus misericordiam vult, & non sacrificium. Admonet, occasionem scandali ex infirmitate, per aliquod breue tempus accidere vnde si diu durent, plus malitiæ, quàm infirmitatis habere comperiuntur: & ideo non propterea opus præscriptum omittendum.

§.4. De Comœdijs. Azor. Comit.

135. *An sit peccatum Comœdijs interesse?* Ob vanam curiositatem etiam si res turpes turpiter repræsententur, si absit probabile periculum lapsus, & delectatio non transeat ad rem repræsentatam, non esse mortale affirmat *Azorius tom.1. lib.5.cap.27.q.7.* Sed satius *Comitolo* hæresceret *lib.5.q.21.* contrarium existimanti. Ego quidem virum timoratæ conscientiæ nobilem exemplarem specialiter Sacerdotem à peccato graui scandali saltem non liberarem, quando turpia turpiter exponuntur.

136. *An peccent mortaliter suis stipendijs histriones scandalosos plerumque, & tot adolescentibus scandali excitatores, ac virginibus lasciuiæ magistros, alentes?* Affirmat *Hurtado de*

Mend. *Mendoza 2.2. tom.2. d.173. sect. 28. §.367.* quia scandalum commune fouent, cum sine illo subsidio histriones tam turpe munus, tamque Reipublicæ pernicioſum non exercerent.

Bald. Porrò *Baldellus tom.1. lib.3. d.18. num.11.* verum id putat de iis, qui primò ad Comœdias confluunt; existimans tamen non peccare mortaliter eos, qui confluunt post auditorium sufficiens; quia licet ille non adesset, ideo Comœdia suppeditaretur.

Mend. §.5. De charitate ad Deum, & proximum in communi. Suar.

137. *Peccant ne Magistratus Comœdias permittentes?* Asserit *Mendoza sect. 29. §.377.* quia ex huius mali permissione non vitatur maius malum, sed omnia vitia confouentur. Quam piè Philippus IV. verè Catholicus Comœdias ab Hispaniæ Regnis hoc anno 1646. vt communem pestem Regio ablegauit edicto.

138. *Versatur quis in mortis articulo, & putat se non habere sufficientem contritionem, & ideo petit confessarium: rogo num teneatur hic cum discrimine propriæ vitæ eum adire, & absoluere? Suarius* debere affirmat. At cum Coninch iudico non

debere

debere, nisi fortè esset pœnitens ita rudis, vt vel nesciret contritionem esse necessariam, vel modum illam eliciendi. Addo cum eodem authore me non teneri cum eodem periculo docere eum, qui ab hæretico seductus esset, ita vt vincibiliter veritatem ignoraret. Vel eum, qui cum eadem ignorantia contractum iniustum celebrat. Vel cum quis filiam vult prostituere, licet filia videatur spiritualiter peritura.

139. *An tenearis cum propriæ vitæ discrimine subuenire infanti, qui sine Baptismo aliàs esset morituus?* *Saa* affert ex Soto non teneri; sed cum Suario contrarium affirmo; quia nullum aliud medium subest misero ad salutem, cum sit incapax contritionis. Saa.

140. *Si adultus esset?* Cum *Saa* sentirem, modò ruditate animia non laboraret. Saa.

141. *Eius qui in vitæ periculo constituitur Prælatus sum, aut Parochus.* Teneris peste infectum cum vitæ periculo adire allàs minimè, nisi, vt dixi (ex *Toleto* & aliis) salus animæ eius omnino tali visitatione indigeret. Tolet.

142. *An teneatur mater grauida, permittere se secari, vt fœtus baptizetur alioqui sine Baptismo morituus?* Nec in desperatione vitæ ob lethalem ægritudinem constituta teneri Doctores nostri affirmant; quia vel illum exiguæ vitæ articulum possidet.

143. *Tenetur ne quis proximum inuitum à mortis spirituali, aut corporalis periculo liberare?* Si possit etiam inuitum à corporalis mortis discrimine eum liberare tenetur, non autem à peccato si non possit sine suo graui incommodo, aut ille reluctetur. Sic *Saa* ex Nau. Saa.

144. *Teneor ne damnatum ad mortem iustè, etiam cùm possim, pecunia redimere?* Imo (Non nec) authore *Saa* ipse se redimere teneretur. *Quid si redimam?* Potest eum tibi in seruum perpetuũ accipere. *Iniustè damnatum redemi.* Potes quidem in multis casibus in seruum accipere, sed ipse se redimere poterit. Saa.

145. *Possum ne proximo malum corporale ad salutem animæ exoptare?* Potes; & mortem ob Reipublicæ bonum, & hosti tibi alioqui valde nocituro mortem non odio, sed ad vitandum damnum tuum; & de morte eius gaudere, ob bonum inde secutum. Sic, *Saa* ex Soto. Saa.

146. *Teneor ne inimico signa amoris ostendere?* Respondeo cum *Toleto* non teneri, nisi in casu necessitatis, scilicet cum ei teneris ex charitate subuenire; & cum alioqui scandalum futurum esset; & salutantem te resalutare; & veniam petenti reconciliari. Tolet.

§. 6. De correptione fraterna, Eleemosyna, & scandalo, varia.

147. *Est ne frequenter peccatum mortale proximum non corripere?* Ex *Granado* assero rarò concurrere circunstantias omnes, vt præceptum correctionis fraternæ obliget sub mortali, præterquam in Prælatis, quorum maior est obligatio subditos corripiendi, vnde facilè potest in eis esse mortale, si ex negligentia, & timore correptionem necessariam omittant.

Gran.

148. *An teneantur publicè corripere quilibet publicè peccantem?* Ferè non teneri qui Superior non est, assero cum *Valentia*; & adiicio statim Superiori posse huiusmodi crimen indicari, si speratur fratrem esse ab illo corrigendum.

Valent.

149. *Nil profuturam video correptionem, vel iam se delinquens ad meliorem frugem recepit, vel spero fore, vt ex se vel alio recipiente resipiscat, vel crimen est veniale, vel mortale incertum, vel à me aptior locus speratur, aut tempus.* A lege correptionis te omnino liberari cum *Valentia* affirmo.

Corripiente Valent.

150. *Quinam nomine pauperum intelligatur?* Hospitalia, Monasteria, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, fabrica; hos, qui non possunt honestè viuere iuxta suam conditionem, licet sint alioquin nobiles, censeo pauperes nominari cum *Vasquez* & *Molina*.

151. *Qui habet certam pecuniæ summam pauperibus distribuendam tenetur ne eligere pauperiores?* Minimè; modò pauperes eligat. *Potest ne eligere quodlibet ex supra assignatis Monasterium, Hospitale,* &c. Potest, nisi aliam, esse testatoris mentem ex signis claris, & coniecturis constet.

152. *Debet ne Clericus id quod detrahit ex necessarijs ad status decentiam viuendo parcius pauperibus dare, sicut superfluum?* Non debere cum *Molina* assero; quia bona sunt quasi patrimonialia sustentationi debita.

Molin.

153. *Lucrantur Clerici ratione alicuius Ministerij, vt pro Missis dicendis, concionibus, comitandis defunctis, administrandis Sacramentis,* &c. *Tenentur ne de ijs vt de superfluis eleemosynam exhibere?* Ex *Sanchez* doctrina assero non teneri, etiam si ad illa ministeria ratione officij obligarentur; quia quasi patrimonialia bona reputantur.

Sanch.

154. *Scio in graui pauperum necessitate diuitem non dando superflua non peccare mortaliter: rogo, an si teneretur sub mortali impertiri, deberet inquirere pauperes?* Solùm deberet misereri occurrentibus. *Num omnibus?* Aliquibus. *An totam indigentiam subleuando?* Sufficit aliquid dare. Omnia ex *Vasq.*

Vasq.

155. *An diues teneatur proximo subuenire etiam in extrema necessitate constituto cum graui proprij status detrimento?* Non

Non teneri ex *Coninch* affirmaui. Addo ex *Toleto* cum inter Doctores non conueniat, quando peccat mortaliter, qui non facit eleemosynam, non facilè condemnandos diuites, qui non largiuntur: monendos tamen vt faciant quantas maximè possint, ne ob omissas eleemosynas illis in die iudicij dicatur, *Discedite maledicti*, &c. Conin. Tolet.

156. *Potest Religiosus eleemosynam dare, cum credit id Prælato placere?* Posse assero cum *Toleto*, qui adiicit in extrema necessitate posse, etiam renuente Prælato, in graui verò facultatem petendam, si probabiliter de Prælati voluntate non constat. Tolet.

157. *An possit tutor eleemosynam dare?* Potest, ait *Saa*; quia pupilli bona administrat. Saa.

158. *Surripuit quis in extrema necessitate constitutus, nec deliquit: an oblata extrema necessitate teneatur restituere?* Non teneri *Valentia* affirmauit. Valent.

159. *Quandonam dicitur scandalizatus populus?* Cum decem graues & honesti viri scandalizantur. Sic *Saa*.

EXAMEN VI.

Circa materiam de virtute Religionis.

CAPVT PRIMVM.

De essentia virtutis Religionis.

1. *Quid est Religio?* Moralis virtus exhibens debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio.

2. *Quonam eius obiectum?* Proximum quidem aliqua actio ad Deum directa: remotum verò Deus: materiale humanæ actiones, quibus cultu, & honore Deus afficitur: formale verò Deo cultum eum exhibere.

3. *Num virtus Religionis à reliquis virtutibus differat?* A Theologicis & moralibus differt. Theologicè enim proximè Deum respiciunt, morales autem hominem exornant aut in ordine ad proximum, aut in ordine ad se ipsum; at Religio eum exornat in ordine ad Deum. Etiam differre liquet à virtute qua Sancti ex propria excellentia coluntur, quæ Dulia appellatur; Religio enim Dei respicit excellentiam.

4. *Religionis actus recense.* Interni deuotio, oratio; externi Adoratio, votum, iuramentum, de quibus supra.

CAPVT II.

De Oratione in communi.

5. *Quid est Oratio?* A Deo rerum decentium petitio. Vel ad Deum illa dirigatur, vel ad aliõs per ipsum.

6. *Quotuplex illa?* Triplex. 1. Publica, aut Particularis. 2. Mentalis, aut Vocalis. 3. Obsecratio, Postulatio, Actio gratiarum.

7. *An necessaria?* Ita quidem ex Religionis præcepto, & consequenter diuino obligante indeterminatè ad mentalem, aut vocalem.

8. *Quonam tempore obligat orationis præceptum?* Arridet mihi sententia illa triplex tempus in particulari ex vi præcepti assignans. Primum est, morale initium discursus perfecti. Secundum mortis articulus. Tertium aliquoties in vitæ decursu, vti de præcepto Deum amandi assignaui. Profectò Ecclesiastico iure tempus determinatur Missam audiendi præcepto, quando Sacerdos pro Populo precatur. Cæterùm aliàs obligat aliorum vi præceptorum, v. gr. quando tenetur peccator se disponere, vt gratiæ diuinæ restituantur ad Sacramentorum administrationem: grauis tempore tentationis, euidenti mortis discrimine, & similibus. Adiicit *Lessius* nos teneri adeò hærere orationi, vt vnus mensis integer non elabatur. *Quonam crimine omittens in his casibus orationem, sese illigat?* Mortali quidem, si menti occurrat obligatio.

9. *Quænam in oratione debent postulari?* Res necessariæ animæ saluti, virtutes supernaturales gratia, &c.

10. *Formam orandi extrimo.* Dominica oratione præscribitur; prius enim Deum inuocamus; mox septem iustas admodum petitiones adiicimus; demum approbatione terminamus.

11. *Quænam requiruntur, vt oratio sit meritoria?* Primò quidem actio libera esse debet. Secundò honesta, quod supernaturaliter erit quando eam fides comitatur. Tertiò rectus finis. Quartò humilitas. Quintò denique propositum de reliquo non delinquendi.

12. *Vt autem simul satisfactoria sit quid adiiciendum?* Pœnalitas

malitas quædam : quia sic proportionata est ad debitæ pœnæ remissionem.

13. *Vt sit impetratoria?* Requiritur bonitas supernaturalis liberæ operationis ; quia sufficit tale esse opus, vt intuitu illius possit Deus impertiri quod petitur tanquam eiusmodi operis remunerator.

14. *Vt verò infallibiliter impetret?* Hæ requiruntur conditiones. 1. Iustus debet esse qui petit. 2. Pollere fide circa potentiam, benignitatem, ac fidelitatem Dei. 3. Agenda est pro ipso qui petit. 4. Res quæ postulatur, necessaria aut saltem vtilis ad salutem animi futura est. 5. Perseuerandum in oratione. Tunc autem haud ex iustitia erit impetratoria, sed ex fidelitate ; quia ad rationem debiti, ex iustitia requiritur æqualitas ex parte operationis.

15. *Cuiusnam est proprium orare?* Rationabilis creaturæ, Angeli scilicet, aut hominis. *An Christo conueniat* Christo vt homini viatori conuenit. Imo *Suarius* affirmat etiam in cœlo existenti IESV orationem conuenire. Profectò *Vasquez* Vasq. venia contrarium asserentis, existimo Christum apud Superos pro nobis exorare, non solum ex operibus in vita gestis Patri vulnera præsentando ; sed etiam nouo actu petendi, non quidem noua deprecatione, aut submissione ; quia postulat, quod ipsi non ex liberalitate, sed ex iustitia debetur.

16. *Queisnam nostræ Orationes sunt dirigendæ?* Deo præcipuè cunctorum, quæ expetere debemus, authori, ac Domino. Angelis ac hominibus beatis deinde, quorum manibus oratio ad Dei thronum deducta, grata futura.

17. *An animabus in Purgatorio existentibus?* Aliqui affirmant probabiliter. Ego arbitror haud eis dirigendas orationes ; quia eo in statu nondum existunt, vt possint nostras preces agnoscere vnde otiosæ viderentur. Nisi Angelos earundem animarum custodes rogaremus, qui ad ipsarum cognitionem afferentes orationem, explere possent, quod deficit statui.

18. *Pro quibus orandum?* Pro cunctis, qui nondum æternam salutem sunt consecuti. Minimè pro damnatis ; quia vel Traiani historiam Bellarminus irridet. Quod si certa liberatio illa, præter ordinariam legem assero accidisse.

19. *Mentalis ac vocalis oratio quidnam?* Mentalis quidem est mentis ad Deum eleuatio. Vocalis autem addit quandam sensibilem significationem petitionis in intellectu residentis.

20. *Requiritur ne aliqua attentio ad orationis vocalis substantiam?* Attentio requiritur necessariò; sed sufficit attendere aut ad verba, aut ad sensum, aut ad Deum, aut ad rem pro qua preces funduntur. Porrò etiam ad effectus orationis nempe impetrationem, meritum, satisfactionem, & spiritualem animi refectionem aliqua attentatio est necessaria.

21. *In præceptum vocalis priuatæ Orationis?* Minimè. *Vt pro dignitate profundatur oratio, quasnam requirit conditiones,* adesse debet boni finis intentio, sacer locus, habitus corporis decens, ac vocis.

CAPVT III.

De Horis Canonicis.

22. *QVænam Horæ Canonicæ?* Hæ laudes, quæ certis horis iuxta Canones assolent recitari. Officium diuinum vocitantur: quia publica Dei laudatio à sacro Cânone instituta.

23. *Vsum horarum Canonicarum exprime.* Antiquissimum esse, ac ex tempore Apostolico deriuatum assero. Chorus quidem semper sacer habitus ab Spiritu Sancto institutus.

24. *Horarum materiam assigna.* Verba sunt diuino cultui accommodata, v.gr. Psalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Responsoria, Versiculi, Benedictiones. Absolutiones, Capitula, Inuitatoria, Antiphonæ, Collectæ, Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum, queis suo ordine digestis Officium diuinum componitur.

25. *Eius diuisionem expende.* In duas partes diuiditur, nocturnam & diurnam. Nocturna quidem Matutinum & Laudes complectitur; Diurna autem Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, ac Completorium. Octo quidem Horæ ex institutione primaria extitere, iam vsu ad septem redactæ; laudes enim Matutino adhærescunt. Hoc certè tribus Nocturnis constat; quia olim tribus adiectis interstitiis temporis in beatissimæ Trinitatis honorem recitabatur, legisque Naturalis, Scriptæ, & Gratiæ in memoriam.

26. *Impletio præcepti quamnam vocem requirit?* Ministri Ecclesiæ canentes, aut recitantes publicè; voce vtantur, quæ possit exaudiri. Priuatim recitans eam proferat vocem, quâ sublatis impedimentis à se saltem audiri valeat. Scio *Azorium* solam labiorum articulationem requirere, licet à recitante

Azor.

citante percipi non possit. Sed cum *Suario* & aliis contrarium asserui. Suar.

27. *Quid de musica?* Vsum laudo Organi reliquorumque instrumentorum? Attamen moneo versum ab Organo, aut aliis instrumentis celebratum humana submissa voce suppleri debere.

CAPVT IV.

Quinam recitare teneantur.

28. *AD quosnam pertinet Horas in Choro recitare?* Per se ad Ecclesiasticas personas, queis aliæ haud Ordine vllo decoratæ adiici possunt. Spectat item ad Regulares diuerso quidem titulo, quorum non omnes Choro addicuntur, multi enim aut grauioribus salutis animarum, aut inferioribus temporariis ministeriis curam impendunt. Porrò accuratiùs Choro deputandi hi Ordines, quibus prædicandi eum non impendet. cura

29. *An præceptum extet Horas in Choro recitandi?* Ecclesiæ Cathedrales, ac Collegiatæ præcepto tenentur; secus Parochiales, & inferiores. Porrò Regulares iuxta instituta aut tenentur, aut liberantur. Grauis planè obligatio hæc respectu communitatis. Episcopi & Prælati hac lege minimè adstringuntur. Regularium qui Choro addicuntur possunt sub mortali à constitutione obligari. Canonici Choro interessentes grauiter non delinquunt, sed distributionibus quotidianis prtuantur. Horæ denique Templis huic dicatis ministerio recitandæ.

30. *Quinam extra Chorum priuatim recitare Horas teneanturi* Tribus modis potest quis ad priuatam recitationem teneri. Primò ex sacro Ordine, obligatio quidem iure Canonico exorta, quæ non ligat minoribus Ordinibus initiatos. Secundò ex professione Regulari, obligatio à iure consuetudinis orta non respectu omnium, sed eorum qui Choro deputantur, cuius omissio ex genere suo mortalis est. Tertiò ex Ecclesiastico Beneficio vnico aut multiplici, obligatio, quæ non ligat duplici Beneficio fruentes, bis aut sæpiùs quotidie recitare. Nec obligat ad semel recitandum titulus sine possessione, multò minùs si lite implicatur. Obligat tamen possessio cum spe moraliter certa fructuum percipiendorum. Item non obligat titulus sine administratione; sed qui volun-

tariè fructus non percepisset, teneretur; secus qui ob alterius violentiam, aut potentiam fructus non perciperet, nisi spes certa recuperandi adesset.

31. *An teneantur recitare Canonici, qui ex Ecclesiæ suæ consuetudine vnico, aut duplici anno fructibus non fruuntur?* Probabile arbitror non teneri; probabilius cum Sanchez contrarium affirmo; quia voluntariè illi huic oneri subiciuntur.

32. *Qui fructus percipit stipendij loco ob docendam Grammaticam, tenetur ne recitare?* Minimè.

33. *An teneatur qui fruitur pensione ob secularia obsequia?* Non tenetur, secus qui Clericali titulo; debet enim parum Deiparæ Officium recitare.

34. *An qui Præstimonio, aut Capellania collatiua fungitur?* Ita quidem, secus si collatiua non sit; tunc enim Beneficium non est.

35. *Num qui integrè Beneficium commendatitium habet?* Recitare debet, sicut qui manuale Beneficium obtinet, dum possidet.

36. *An Coadiutor?* Non tenetur recitare, si non administrat; quia obligatio illa proprietarium tenet.

37. *Num possit ab huiusmodi obligatione Beneficij tenuitas excusare?* Si fructus tertiam congruæ sustentationis partem non implent, v. g. quantitatem vigintiquinque ducatorum, Beneficiarius excusatur, quia ius non exigit laborem ab eo, qui stipendium non suscipit. Attamen huiusmodi Clericum monerem saltem solemnioribus diebus, licet non teneatur, ob perceptam sustentationis portionem ingenuè recitare.

CAPVT V.

Quodnam recitandum Officium?

38. *QVodnam Officium sit recitandum?* Ex antiquo communi iure Clerici tenebantur, priuatim Officium recitare iuxta Breuiarium sua in diœcesi approbatum. Ex iure autem nouo Pij V. iuxta Bullæ eius præscriptum recitare debent.

39. *An delinquat qui vnum Officium pro altero recitat?* Venialiter tantùm peccare affero, qui id agit, modò Officium Paschatis & Pentecostes non sit, quoad Matutinum, nec

nec Dominicæ Officium frequenter omittatur, nec quotidie feriale Officium pro Sancti breuiori commutetur. Ratio est, quia præcepti substantia Officij est Canonici recitatio, recitari autem hoc, aut illud, accidentale reor. Verum excepi duplicis Paschatis & Matutinum; quia licet Canonici Officij ratio in omnibus militare videatur vsus iustè contrarium obtinuit, quod speciale priuilegium sit illis solemnitatibus concessum.

40. *An aliquando nec venialis erit culpa, vnum Officium pro altero recitare?* Non delinqueret venialiter, qui id iusta ex causa præstaret. v. g. si alterum ex charitate iuuaret; si grauioribus occupatus temporis laboraret inopia; si ex affectu, aut deuotione speciali illud vellet semel, aut bis in anno Diuo alicui libare obsequium.

CAPVT VI.

Ordo recitandi.

41. *AN sit piaculum, ordinem Officij variare?* Venialis culpa est; vel à minoribus Horis incipias, & termines in Matutino, vel lectiones Psalmis præponas, vel sequentis diei Matutinum recites priusque præsentis obligationem expleueris in parte, aut in toto.

42. *Quodnam peccatum est Sacrum celebrare ante Matutini recitationem?* Si adest causa, nullum; si non adest, solummodò veniale erit; quia semper aliqualis negligentia admiscetur.

43. *Delinquit ne, qui Officij incepti aliquam horam, aut Psalmum interrumpit?* Si diuidas vnum Nocturnum ab alio iuxta pristinum vsum, non delinquis. Culpabilis interruptio eiusdem Horæ aut Psalmi, aut lectionis, &c. Si notabilis, sit venialis erit; si adest causa, minimè. Laudes possunt, adhibita Matutino Oratione diuidi. At interruptio Nocturnorum trium horarum spatium non excedat, si velis à veniali culpa abstinere. Porrò nullam eiusdem diei interruptionem quantumuis longam mortalem esse reor.

44. *Exprime obligationem eorum, qui priuatim Officio recitando dant operam.* Tenentur recitare integrè, intelligibiliter, expressè; nec enim mentalis pronunciatio sufficit, vt falsò aliquis olim asseruit. Extra Chorum Officium paruum, & Defunctorum obligatoriè non recitatur, secus Litaniæ, quando

processioni quis non interfuit; quia expressè præscribitur in Rubrica; vnde improbo Neoterici docti aliàs, & eruditi sententiam asserentis haud necessariò Litanias priuatim recitandas.

CAPVT VII.

Peccatum non recitandi.

45. *Quantum peccatum est semel totum Officium omittere?* Mortale, sicut die præcepto non ieiunare; quia præceptum illud ex genere suo obligat ad mortale. *Notabilem partem omitte.* Mortale etiam est; quia grauis materia.

46. *Partem Officij notabilem assigna.* Quælibet Hora respectu totius Officij, cuiuslibet Horæ dimidium. Matutini quatuor Psalmi longiores, vel tres Lectiones cum Responsoriis. Hinc colligo tres Psalmos breuiores, tres sine Responsoriis lectiones materiam paruam esse, & eius omissionem culpabilem tantùm venialem futuram.

47. *Erit ne multiplex peccatum, totum septem Horarum Officium omittere?* Vnicum quidem peccatum, sed grauius vnius Horæ omissione; quia vnicum totius Officij præceptum est.

48. *Quandonam hoc peccatum contrahitur ob Officij omissionem?* Tunc consummatur, quando quis non recitandi animum admittit. Sed si rem spectes, quando terminatur dies nec subest tempus recitationi. *Incipio ante diei terminum.* Si duodecima exaudiatur Hora ante Officij terminationem cùm non multum supest recitandum, imples præceptum. Quòd si bona fide iudicasti tempus sufficiens adesse, etsi sub initium Officij dies terminetur, non peccasti, & præceptum impleuisti. *Duo sunt Horologia.* Segnius prius insonet, quam terminatum iudices diem.

CAPVT VIII.

De Attentione.

49. *An ad recitationem Horarum interior requiratur attentio?* Probabile est, necessariam non esse, modò intentio adsit orandi; quia Ecclesia internum actum non potest præcipere.

præcipere. Probabilius arbitror esse necessariam; quia Ecclesia orare præcipit, ad quod attentio necessaria est. Etsi autem directè actum internum non possit præcipere, potest planè prout subest externo. Scio in quacunque sententia sufficientem esse attentionem vel ad Deum, vel ad sensum verborum vel ad ipsa verba; hæc enim quæ minor est, confusam internam aliqualem attentionem includit.

50. *Inuoluntariè à toto Officio attentionem auerti: an teneat iterare?* Minimè; (secus si voluntariè) quia exprimens vocem præcepti substantiæ fecisti satis.

51. *An inhibent attentionem externæ aliquæ actiones, ablaudi scilicet, induendi?* Absque crimine lethali possunt cum recitatione copulari; quia ex habitu ad huiusmodi actiones, non impediunt notabiliter. Porrò necessitas te, & à veniali crimine liberaret.

CAPVT IX.

Tempus recitationis.

52. *QVonam tempore Officij hora recitanda?* Vt à mortali peccato abstineas, sufficit' recitare à media nocte vnius diei, vsque ad mediam noctem alterius, qui dies vnicus naturalis est. Vti nec veniali fœderis, & publicæ recitationi, & priuatæ tempus Horarum præscriptum est.

53. *Qui hodie non recitaut, debeo ne crastina die supplere?* Non; quia diei onus, quemadmodum ieiunium.

54. *Quodnam piaculum sit anteponere, aut postponere Horarum recitationem?* Nullum ex causa; quia huiusmodi recitatio nec quoad substantiam, nec quoad modum aliqua laborat deformitate. Profectò moderata antepositio, aut postpositio v.gr. vnius aut duarum horarum, etiam sine causa & ex consuetudine venialis non est. Si autem notabilis sit, à veniali non liberatur, *Suario* authore.

55. *Quanto tempore potest anteponi Matutinum?* Scio *Sanctium* infra citandum afferre ex aliquibus prima aut secunda hora post meridiem posse sequentis diei Matutinum recitari sine culpa mortali. Ego quidem, post diligenter Doctorum recognita placita, assero quarta post meridiem hora, imò tertia cum dimidia, ad summum tertia posse iustè recitari; quia vsus Romanus communisque Ecclesiæ mos suffragatur. Profectò omnis antepositio vsque ad secundam horam cum dimidia

midia suprà assignatam à veniali culpa immunis non erit. Qui autem hora prima, aut secunda ante meridiem recitaret, mortali crimine fœdaretur; quia ante tempus Vesperis consignatum, sequentis diei Officio intempestiuè operam daret. Si autem consuetudo tulerit, hora tertia, aut secunda cum dimidia post meridiem poterit Matutinum recitari sine veniali piaculo. At adhuc ad meridiem allicere priuilegium, ita vt hora prima, aut secunda recitetur, non erit vsus legitimi, sed abusus; quia tempus ab Ecclesia celebrationi Vesperarum deputatum anteuertitur.

CAPVT X.

Causæ excusantes à recitatione.

56. *QVænam à recitatione Horarum causæ excusant?* In primis excusat naturalis obliuio faciendi, (imò pene est impossibilis. 2. Breuiarij inculpabilis carentia. Si culpabilis fuit, tunc vnicè delinquitur, quando v.gr. præuisa impossibilitate recitandi futura Breuiarium in pelagus mittitur; post pœnitudinem autem non peccatur. 3. Loquendi impossibilitas. 4. Cæcitas. Nec tenetur Horam integram quam memoria tenet recitare, imò nec integrum commune, aut speciale Officium; quia Ecclesia præscribit variationem per ferias, ac sanctorum solemnitates. *Possum cæcus Psalmos recitare, & à socio exorare, vti legat me audiente lectiones.* Potes quidem, sed non teneris. *Adest dies, cuius integrum Officium memoria teneo.* Isto solummodo teneris recitare. *Surdus me ipsum non exaudio.* Adhuc recitare teneris. 5. Grauis ægritudo, quasi corriperis, haud necessarium Medici aut superioris consilium. *Dubito de infirmitatis sufficientia.* Consule Medicum, vt declaret, Superiorem adi vt in aliquali dubij formidine dispenset. *Quænam ægritudo grauis reputanda?* Febris dolor acutus seu capitis, seu stomachi, &c. *Possum ægrotus dimidium Officium, aut Horam integram recitare.* Non teneris; quia nunquam posset iudicium moraliter certum ferri quandonam ægrotus à lege recitandi omninò liberaretur, cum nullus tam æger (communiter loquor) qui non possit Completorium recitare. *Ægritudo, v.g. Quartanæ indulget interuallum.* Assero non liberari ægrotum diebus vacantibus à recitandi lege, nisi debilitas nimia, aut futurum damnum excusaret, *Suar.* Doctore. 6. Mortis metus, secluso scandalo, aut

iudicium

Suar.

ne contemptu Religionis. 7. Cura afferens incompossibilitatem ex iustitia, v. g. docere, concionari, tota die confessiones audire; modò ordinaria excusatio non sit, sed vnius aut alterius diei, vti *Suarius* aduertit. 8. Charitatis actio, v.g. ægrotanti inseruire, notabili cura, aut labore adhibito; quia licet non teneamur huiusmodi muneri incumbere, sufficit illud vti maius bonum contemplari. 9. Dispensatio, Papa simpliciter potest cum Beneficiario, ac sacris ordinibus initiato dispensare. Valida erit dispensatio, licet causa non adsit; vt autem sit iusta, iusta causa requiritur. Non potest Episcopus nisi in casu occurrenti, tunc autem magis interpretatio legis, quàm dispensatio compellenda. Prælati Regulares possunt similiter, cum de sufficientia ægritudinis dubitatur.

CAPVT XI.

Pœnæ non recitantis.

57. *Vinam pœnæ subiacet qui non recitat?* Clericus in sacris constitutus, ac Regularis professus peccato lethali illigatur. Beneficiarius insuper debet fructus restituere ex iure Ecclesiastico. Sex prioribus mensibus à Beneficij receptione haud obligatoria restitutio. Recitatio autem necessaria est à sacri Ordinis receptione, adeò, vt ab ipsa hora, qua recipitur, Officium obliget ab hora respondente, v.gr. Nona. Porrò restitutionis, obligatio post sex priores menses ita statuitur, vt licet ex illis prioribus mensibus recitatis, nulla inde compensatio fiat. Quæ quidem obligatio in conscientia contrahitur absque iudicis sententia.

58. *Num omnes fructus sint restituendi, an ij solummodo, qui obligationi recitandi respondent?* Sfo *Valentiam*, *Suarium* & *Azorium* omnes docere restituendos. Attamen tantorum venia virorum, cum *Saa* & aliis pluribus existimo solùm eam portionem, quæ veluti stipendium Officio diuino respondet, esse restituendam.

59. *An pro rata exacta quidem proportione?* Si iuris præscripto hæresças, solummodo vnius diei omissio pro rata exactè obnoxia est restitutioni. At practica probabiliter statuit vnius, aut alterius defectum à restitutione excusari.

60. *Practicam huiusce doctrinæ exprimas precor.* Ex reditibus Ecclesiæ quotidie. v.g. duodecim drachmas accipio diuino Officio respondentes, sex quidem Matutino ac Laudibus debeo,

debeo, sex verò reliquis Horis. Si Matutinum & Laudes omitto, sex drachmas debeo restituere; si solum Matutinum quinque, si Laudes solummodo vnam, si quamlibet reliquarum Horarum, alteram, si sex Horas, sex drachmas restituere teneor. Legatur *Suarius c. 30. n. 11.* Suar.

61. *An omittens dimidiam Horam aliquid teneatur restituere, cum pars sit notabilis?* Non; quia parum pro nihilo; nisi defectus hic aliis defectibus, (vt in furto) adhæresceret.

62. *Num qui recitat sine attentione necessaria, aut in peccato mortali existens, restituere teneatur, aut qui ex naturali obliuione omisit?* Recitans sine attentione, aut lethali illigatus non tenetur; quia absolutè præceptum impleuit. Nec qui ex naturali obliuione omisit; quia pœna illa culpam supponit.

63. *Cuinam restitutio facienda?* Aut fabricæ Templi, aut pauperibus, aut Missis pro defunctis verè pauperibus celebrandis. Porrò ad pauperem extra Beneficij Ecclesiam restitutio hæc extenditur.

64. *Clericus ipse restitutionem faciens pauperie laborat.* Aut portio aut totum potest ei applicari ex sapientis consilio, ne propriæ causæ affectus illum afferat in errorem. *An similiter restituere debeant, qui necessarium Deiparæ Officium obpessionem, omiserunt?* Ita planè.

Caput XII.

De vitiis Religioni contrariis.

§. 1. *Superstitio.*

65. *Varia Religioni opposita vitia expendenda assumuntur. Quid est Superstitio.* Vana & falsa Religio indebitum cultum exhibens Deo quoad modum: aut cui non debetur nempe creaturæ quoad substantiam. Porrò illa, qua cultus indebitus tribuitur Deo, subdiuiditur in cultum perniciosum, & superfluum; hæc autem qua cultus Deo debitus creaturæ tribuitur, in Idololatriam, Diuinationem, Vanam obseruantiam, Magiam, & Maleficium.

66. *Superstitionē in cultu veri Dei expone.* Superstitio huiusmodi vitiosa est, siue falsa sit, mendaciumque contineat, quæ pernicioſa dicitur; siue id offerat Deo pro cultu, quod neque spectat ad gloriam Dei, nec hominis mentem, aut corpus subiicit Deo, quæ superflua vocatur. Porrò pernicioſa, in solo cultu

cultu, quem Minister exercet nomine Christi, reperitur, eaque ex suo genere mortale peccatum est. Superflua verò siue turpi actu fiat, v. gr. Sacrificium immolandi hominem: siue tantum vano, quia scilicet ad effectum colendi Deum ineptus sit, semper est peccatum mortale quidem, si priori modo fiat: veniali, si posteriori.

§. 2. *Idololatria.*

67. *Secundum genus superstitionis, quæ tribuit creaturæ cultum debitum Deo, euoluas quæso.* In eo prima species Idololatria est, quæ significat cultum quo diuinus honor creaturæ tribuitur. In hac tres actus intercedunt; primus existimatio Diuinitatis. Secundus affectus reuerentiæ tanquam supremo Numini. Tertius externum signum, quo interior opinio, & submissio significetur.

68. *Quotuplex Idololatria?* Triplex. Prima quæ sumitur ex diuersitate cultus per vota, preces, & sacrificia idolis impensis. Secunda ex diuersa animi dispositione, vt si ex vera infidelitate, vel timore tantùm aliquo procedat. Tertia ex diuersa conditione creaturæ, cui diuinus cultus tribuitur, vt si vel per imagines referatur, Iouis, Appollinis, &c. vt simulachra hominum, pecudúmve contineat, quæ diuinis spiritibus animata esse credantur; vel homines flagitiosos pro diis à simplicibus honoratos, vel spirituales creaturas, vt Angelos, Dæmones, animas etiam ipsorum hominum, quos vt Deos adorabant.

69. *Quotupliciter in Idololatria delinquitur?* Tripliciter quidem. Primò grauissimè ex infidelitatis errore. Secundò ex diuino honore alteri tributo, quàm verò Deo, etsi mentis infidelitas absit. Tertiò externè tantùm absque intellectus errore, & affectu colendi creaturam vt Deum.

§. 3. *Diuinatio.*

70. *De specie secunda superstitionis differe, id est, Diuinatione.* Est inordinata prædictio eorum, quæ ad solum Deum pertinent, idque indebitis modis minimè à diuina prouidentia constitutis.

71. *Quotuplex illa.* Duplex planè, vna per expressum pactum cum Dæmone, quo petens obligat se ad obsequium illius, siue ad petitionem sacrificia adiungantur, siue adiurationes, figuræ, & similia. Altera per implicitum, ad quod requritur, vt cognitio acquiratur per medium de se inutile absque diuino auxilio.

72. *Diuinationis species recense.* Augurium, sub quo iudiciaria Astrologia, Insomnium, Auspicium, Omen, Chiromantia, Metoscopia, Spatuimantia, Physiognomia, & Sortilegium.

73. *Quid*

73. *Quidnam requiritur ad implicitum pactum?* Satis est, vt homo seriò his signis vtatur ad veritatem inquirendam, quia cum eorum author solus Dæmon sit, hoc ipso ab eo vult doceri, eiusque doctrinam sequi, quod intrinsecè malum est: cum per eam id à dæmone petatur, quod Dei proprium est.

74. *Præcipua Diuinationis signa exprime.* Tria sunt, Astra sortes, & insomnia.

75. *Num ex Astris illicita prædictio?* Non quidem omnis: v.g. ea quæ naturales effectus ex Astrorum motu, influentiis concursu, & aspectu Planetarum profert, modò nec incredulitate accedatur, nec imprudenter fiat. Ex iisdem pueri futura inclinatio potest prædici: non tamen tanquam certa, vel nimium probabilis. Ea planè est prohibita Astrologia, qua futura contingentia libera prædicuntur; id enim graue peccatum esset, cùm falsum sit. Erroneum est posse contingentia libera ex Astris prædici. Sicut etiam ea, quæ à solo Deo pendeant; ea enim neque certò, neque probabiliter futura possunt prædici, vt in Bulla Sixti V. statuitur.

76. *De sortibus quid?* Sortes, si diuisoriæ sunt, vt in iactu taxillorum ad ludum, ex se malæ non sunt. Admisceri culpa potest ex praua intentione, ex materia, v. gr. si fiat in electionibus, & ex fraudibus. Profectò in specie electio Ecclesiastica per sortes fieri non debet; & si fiat, est nulla. Ad componendas tamen Ecclesiasticas lites, haud prohibitum, sortibus vti. Nec ad occulta cognoscenda adhibendæ sortes, nisi diuina adsit inspiratio. Consultatoriæ, bonæ, si prudenter fiant. Diuinatoriæ ad occultam veritatem cognoscendam illicitæ omninò.

77. *Quid demum de insomnijs?* Insomnia imaginariæ visiones sunt interioris sensus somni tempore. Porrò à Deo, & à diabolo immitti possunt, Diuinis fidem adhibere Sanctum: dæmoniacis malum & superstitiosum.

78. *Exhibe signa diuini insomnij.* Illa præcipua, si nihil adsit turpe, vel inhonestum: si deuotum animum relinquat: si ad malum non inducat: si promptior, & alacrior animus ad vigilia reddatur.

79. *Dubito, num à Deo, an à dæmone insomnium.* Tutum credere à diabolo immissum.

80. *Quantum peccatum insomnio credere?* Temere somnijs credens peccat; & si quidem ab iis regatur in rebus agendis mortaliter delinquet: si tantùm ex somnio semel, vel iterum operetur, quod aliàs malum non est, vanitas quædam erit, & venialis leuitas.

81. *Reliqua*

81. *Reliqua signa percurre.* Ex cantu animalium, si signa naturalia sint, non est superstitio aliquid prædicere, etiam si ad homines pertineat. Plura prædicere, quàm signa indicent, superstitio est. Idem assero de fortuitis homini contingentibus, vel vocibus hominum significatiuis. Physiognomia licita est, non iudiciaria. Nec Chiromantia, quæ ex lineis manuum bonam, vel malam arguit fortunam.

§. 4. *Vana obseruantia.*

82. *Tertiam superstitionis speciem, scilicet vanam obseruantiam, declara.* Hæc mediis inutilibus haud à diuina prouidentia constitutis varias corporis commoditates, immutationésque prædicit, quæ à sola Dei prouidentia, & potentia essent expectandæ.

83. *Quotuplex ea?* Quadruplex. Prima, ad cognoscendum, qui dies infausti sint, qui fausti. Secunda, quæ varias verbo, vel scripto adhibet preces. Tertia, qua reliquiæ ad collum gestantur. Quarta, qua preces aliquæ vsurpantur ad depellendos morbos. Vnde quatuor solent species numeri. Prima dicitur *Ars notoria*, cum per quasdam orationes futurorum scientia expectatur. Secunda, *Vana obseruantia sanitatum*, cùm orationibus varij morbi sanantur. Tertia, *Obseruatio futurorum*, cùm ex impertinentium rerum obseruatione mala sibi, vel aliis euentura coniiciuntur. Quarta, *Obseruantia reliquiarum*, cùm quis gestat vanas reliquias ex admixtione cum tali herba, charta, &c.

84. *Quonammodo hæ quatuor species agnoscuntur?* Prima agnoscitur ex verbis, quouis modo ad dæmonem relatis: item ex incertis, falsis, apocryphis, ex precibus certo modo, certa hora, vel in tali charta scriptis. Secunda deprehendi potest ex eo, si vel causa in loco valde distante à passo applicetur; vel si communiter iudicetur improportionata. Tertia & quarta species eisdem modis cognoscitur, quibus superstitiosa diuinatio.

§. 5. *Magia.*

85. *Quartæ speciei superstitionis, id est, Magiæ expositionem exulga.* Magia est vis quædam, ac facultas faciendi mira per signa ope dæmonis. *Quotuplex ella?* Duplex sanè Naturalis, quæ quidem per se mala non est; & superstitiosa, ea scilicet, quam definiuimus. Multa possunt Magi circa elementa, hominum corpora, circáque animas tùm corporibus coniunctas, tum ab iis separatas; sed præstigiæ sunt, & falsæ apparitiones.

86. *Quodnam peccatum Magia?* Ex suo genere lethale ob societatẽ cum dæmonæ. Sæpè etiam alia crimina iunguntur,

v.g. hæresis, apostasia, idololatria, blasphemiæ, sacrilegia, luxuria, & damna proximorum.

§. 6. Maleficium.

87. *Quintam iam superstitionis speciem, nempe maleficium proferas.* Maleficium est vis, ac potestas nocendi aliis, ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone.

88. *Quotuplex Maleficium?* Duplex. Amatorium, ad amorem lasciuum excitandum; & Veneficium, ad nocendum aliis.

89. *An amatorium possit vllius cogere voluntatem?* Minime; obiectiuè tantùm mouet commouendo phantasmata quibus voluntas ad rem amandam afficiatur.

90. *Licet ne maleficium soluere maleficio?* Minimè; at à maleficio, qui modo etiam licito nouit soluere, peti illius dissolutio potest non à dæmone. Signum etiam maleficij destruere licet, & contrarium apponere, si indifferens sit.

91. *De adiuratione quidnam?* Adiuratio est actio quædam qua persona aliqua inducitur imperando, aut obsecrando, ad aliquid faciendum. Est actus Religionis, & sub præcepto cadit. Duplex illa; deprecatiua, quæ licita est erga Deum, Sanctos, & homines, non erga dæmones; & imperatiua, quæ erga homines subditos solis Superioribus licet, Exorcistis erga dæmones, & publica quidem solis Ministris ordinatis, qui prudenter interrogare & petere signa egressûs possunt.

§. 7. Sacrilegium.

92. *Alterum vitium Religioni oppositum, videlicet sacrilegium exponas.* Sacrilegium est violatio rei sacræ.

93. *Quotuplex illud?* Triplex. Primum contra personam, v.g. si Clericus percutiatur, vel eius forum violetur vel immunitas à tributis, vel votum personalé castitatis. Secundum contra locum sacrum, vt si occisiõ hominis polluatur humani sanguinis, & seminis effusione, sepultura excommunicati, vel non baptizati. Item si vsurpetur tanquam locus communis, faciendo placitum in eo, mercatum, vel furtum. Præterea agendo contra eius immunitatem, v.g. Ecclesiam infringendo, in domo Ecclesiarum placita faciendo seculares, dirutæ Ecclesiæ saxa, & ligna in vsus profanos convertendo, confugientes ad eam per vim extrahendo. Tertium est contra res sacras, vt abutendo Sacramentis, vel ea indignè tractando, prophanando vasa sacra, & ornamenta, violando imagines, scripturis ad confirmandos errores abutendo, & non soluendo decimas. Ad hanc tertiam speciem reuoco irreuerentiam contra Eucharistiam, contra Reliquias, & Imagines Sanctorum, modò fiat contra eas tanquam instrumenta diuini cultus, vel quatenus honor illis exhibitus tran-

sit

ſe ad Deum : contra Sacramenta ; contra concionem, eſt enim actio ſacra, & inſtrumentum diuinum ad Dei cultores ſanctificandum.

94. *Quodnam peccatum ſacrilegium ?* Mortale ex genere, veniale autem ex inaduertentia, vel materiæ leuitate.

CAPVT XIII.

Praxis circa materiam de Horis Canonicis ex Societatis IESV *Doctoribus.*

95. *Tenetur ne quis ad totum illius diei Officium, quo ſub-diaconus ordinatur ?* Tenetur ad horas, quæ poſt promotionem recitandæ ſuperſunt. *Palaus tom. 2. diſp. 1. par. 4. num. 3.* Alij aſſeruere, ſolum teneri ad Veſperas, & Completorium, quia Eccleſia non intendit ad paruas horas illa die Clericos obligare. Addunt hi, eum, qui ante promotionem totum diei recitaſſet Officium, adhuc ad Veſperas & Completorium teneri; quia quum recitauit non tenebatur, & ideo non ſatisfecit. Alij ſatisfeciſſe affirmant. *Palao* ſubſcribo. §. 1. *De Officio Canonico.* Pal.

96. *Intendit ne Epiſcopus Clericos à ſe ordinatos recitare illos Pſalmos, quos iniungit ſub lethalis pœna ?* Ex decentia & honeſtate obligari intendit, ideo omittens, venialiter delinquet. *Palaus p. 1. §. 1. n. 5. ex Azorio.* Pal.

97. *Quandonam beneficiarij tenentur ad Officium recitandum ?* Poſt pacificam beneficij poſſeſſionem ; quia ſicut ante illam ruribus non fruuntur, ita nec debent oneribus grauari. *Leſſius lib. 2. c. 34. dub. 30. n. 167.* Azor.

98. *Tenetur ne Beneficiarius ad onus Officij, ſi beneficium tenue ſit ?* Aſſerit *Palaus §. 2. num. 9.* quia ſibi ſponte præiudicat, qui ſe ad officium tenue promoueri permittit. An non uxorem parua dote ducens alere tenetur ? Porrò *Leſſius lib. 2. c. 34. dub. 31. num. 160.* docet, habentem beneficium tenue, ad Horas Canonicas ſolum in Feſtis & Dominicis teneri. Alij probabiliter exiſtimant beneficij tenuis Clericos ad Officium non obligari. Pal. Leſſ.

99. *Aſſigna beneficij tenuis quantitatem.* *Leſſius citatus,* ait tenue eſſe beneficium, quod ſexdecim aureos non attingit. Sotus aliquando docuit octo aureorum beneficium obligare ad Horas. At *Sanchez opuſc. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 57.* Leſſ. Sanch.

num. 5. asseruisse, ait Sotum postea, beneficium sexdecim aureorum non obligare, & octo aureorum opinionem illam docuisse pro iis temporibus, quando valor monetæ maior erat. Alij requirunt viginti aureos. Alij tertiam partem sustentationis Clerici ordinarij.

Vasq. Salas. 100. *Dubitat quis, an ob tenuitatem beneficij obligetur ad Horas?* Tenetur recitare, ait *Vasquez*, quia obligatio est certa & dubia excusatio. Non tenetur ait *Salas* 1.2. *tract.* 8. *d.* vnic. *sect.* 17. *num.* 154. quia præceptum valde onerosum in dubio non obligat.

Sanch. 101. *Recipit quis beneficium per Simoniam, aut cum excommunicatione, vel irregularitate, tenetur ne ad Horas?* Non; quia nec fructus suos efficit. *Sanchez dub.* 73. *n.* 5.

Suar. Pal. 102. *Tenetur ne ad Horas Canonicas Coadiutor cum futura successione & congrua portione præsentis?* Non; quia Coadiutoria huiusmodi non est beneficium, vt Paulus V. apud *Suarium de Horis Canon. lib.* 4. *c.* 22. *n.* 19. declarauit. *Palaus tom.* 2. *tract.* 1. *d.* 2. *p.* 1. §. 2. *n.* 7.

Pal. 103. *Scio, Religiosos Choro addictos post professionem emissam ad Horas teneri ratione consuetudinis: rogo, an etiam teneantur Moniales?* Aliqui dubitarunt, an talis consuetudo existat, an potuerit à mulieribus introduci. Saa asseruit absolutè, non obligari ad Horas. Aſt in editione Romana correctus fuit, vt *Palaus* adnotat *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *part.* 2. §. 1. *n.* 3. Ideo existimo ex consuetudine obligari; quia possunt consuetudinem obligatoriam introducere, approbante Superiore, quæ sunt legis capaces.

Less. 104. *Potest ne superior cum Religiosis dispensare, ex iusta causa, studiorum videlicet, aut negotiorum?* Potest. Nec obstat quo dispensare non soleat; quia facultas aliquid faciendi absque aliorum incommodo, per non vsum non amittitur. *Lessius lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. *num.* 51. Imò cum promotis dispensare potest ex priuilegio, & Horas Canonicas in Psalmos & præces certas commutare.

§. 2. *De non recitandi piaculo.*

Pal. Less. 105. *Peccat ne bis Horas omittendo, qui titulo Ordinis, & beneficij obligatur?* Non; quia vterque titulus eandem Religionis virtutem respicit. *Palaus tom.* 2. *d.* 2. *p.* 1. §. 2. *n.* 29. Sic *Fagund. p.* 2. *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 23. contrarium asseruisse.

Less. 106. *Quot peccata committit, qui omnes omittit Horas?* Asserit *Lessius num.* 51. tot peccata perpetrare mortalia, quo omisit Horas eiusdem diei; quia singulæ Horæ sunt distincta Officia diuersis temporibus persoluenda. Alij probabilius vnicum esse piaculum affirmarunt; quia præceptum de omnibus

omnibus Horis recitandis vnius diei, vnum est, & pro obiectio habet septem Horarum per modum vnius aggregationem. Haud opus in Confessione numerum Horarum omissarum aperire.

107. *Scio dari in Horarum omissione materiæ paruitatem: assignes quæso.* In Matutino, Laudibus, & Vesperis partem notabilem putat *Palaus tom.2.d.2.p.5.num.1.* quod est æquale vni paruæ Horæ. *Sanchez sum.tom.1.lib.1.cap.18.n.8.* docet, tres lectiones cum responsoriis in Officio Feriali (v.g.) putat paruam esse materiam. At in paruis Horis notabilis quantitas est dimidium. Ita *Fernandez p.3.cap.13.§.7.q.3.* Monuerim, si quis ex pluribus Horis eiusdem diei modicum omitteret, & multa hæc modica simul sumpta quantitatem notabilem exæquarent, mortaliter delinquere; quia continuatur in respectu ad torum Officium, quod præcipitur. Non possum non ingenuè profiteri subscripsisse Marchino asserenti, integram Horam paruam non esse partem notabilem comparatione ad totum Officium, quod per modum vnius præceptum est. Pal. Sanch. Fernād.

108. *Num obligatio restitutionis ex omissione Horarum sit ex iustitia?* Asserit *Suarius de Relig. tom.2. lib.4. cap.13.n.3.* in beneficiariis, ideoque à possessione statim teneri recitare sub restitutionis onere. At *Fernandez p.3.c.12.§.8.n.1.* affirmat solum teneri ad restitutionem, si per sex menses recitare omittat; quia est obligatio solum Religionis ortum habens à lege Ecclesiastica, quæ incipit post semestre obligare. Si enim esset iustitiæ, quando beneficiarius omittens non posset fructus restituere, ad restituendum in bonis spiritualibus obligaretur, quod tamen non est in consuetudine. Sic *Filliucius tom.1.tract.13.c.10.n.103.* §.3. *De restitutione.* Suar. Fernād. Filliuc.

109. *Scio circa restitutionem ex omissione Horarum dari paruitatem materiæ, vnde non facienda restitutio nisi ex omissione notabili: rogo, quænam illa?* Non est facienda restitutio pro omissione partis vnius Horæ, aut paucorum versiculorum plurium Horarum, vel etiam totius Officij, si rata ei respondens non sit notabilis. Ex *Palao tom.2.p.7.n.5.* Pal.

110. *Quidnam ergo pro parte notabili restituendum?* Sacerdos habens beneficium curatum cum multis oneribus, v.gr. Missæ, Confessionum: quo die Officium omittit, non tenetur restituere omnes fructus illius diei: sed solummodo partem respondentem oneri Officij; quæ quidem in Episcopo, & Parocho erit quinta, in Canonico quarta, in aliis beneficiariis tertia. Hæc *Henriquez lib.13. cap.13.n.13.* Laxa videtur interpre Henriq.

Less. interpretatio *Lessio lib.2.cap.34.num.77.* in iis præsertim, qui non habent alia onera nisi precum; vnde putat ad habentes

Tolet. alia onera restringendam. *Toletus lib.2.c.12.num.9.* pro toto officio omisso tertiam partem fructuum illius diei restituendam putat. *Salas d.15.sect.2.num.27.* ait si Canonicus grossum lucratus sit, prius quàm officium omitteret, ad restitutionem non teneri; quia pœna indicit, vt fructus nonficiat suos: non vt iam suos restituat.

Salas.

111. *Assistit Choro Canonicus, sed officium non recitat, nec domi quidem: potest ne distributiones licitè recipere?* Ad ratam quidem fructuum tenebitur, sed illas distributiones poterit retinere; quia sunt solius assistentiæ stipendium, nec nomine

Sanch. fructuum in Concilio signantur. Ita *Sanchez opusc. tom.1. lib.2.c.2.dub.10.n.2.*

§.4. De commutatione, ordine, & aliis.

112. *Tenentur ne ad priuatam recitationem Litaniarum qui in diebus Rogationum, & D. Marci processionibus non interfunt?* Asserit *Vasquez opusc. de benef. cap.5. §.1. art.2. dub.1. num.58.* non teneri; quia Litaniæ sunt pars Psalmorum pœnitentialium, ad quorum recitationem in diebus signatis

Vasq. summus Præsul inquit se nolle obligare.

113. *Quid de officio defunctorum die secunda Nouembris?* Aliqui asseruerunt non adesse obligationem; quia in rubrica illius diei non habentur verba præceptiua, & peculiaria; sed solum dicitur: *Post Benedicamus, &c. dicuntur Vesperæ defunctorum*, sicut in rubrica feriæ secundæ post primam Dominicam Quadragesimæ. Haud recedendum à contraria sententia communi; quia proprium illius diei officium defunctorum, vnde *Commemoratio defunctorum* inscribitur.

Vasq.

114. *Seruandus ne sub mortali horum ordo? Vasquez citat. dub.4.num.66.* putat inuertentem Horarum ordinem recitando Primam, deinde Matutinum, &c. peccare mortaliter, quia in re graui derogat communi Ecclesiæ consuetudini.

Sanch. Assero cum *Sanctio opusc. tom.2. lib.7. cap.2. dub.37.num.4.* inuersionem Horarum esse venialem. Vnde qui Matutinum sequentis diei sine causa ante consummationem præsentis officij recitaret, venialiter delinqueret.

115. *Quis ex accidia, & sine iusta causa officium præscriptum commutat in aliud breuius: satisfaciat ne præcepto?* Suarius *de Rel.tom.2.lib.4.cap.25.n.11.* docet satisfacere, modo non fiat frequenter; quia implet quo ad substantiam, quamuis quia non implet quo ad qualitatem præscriptam, peccat venialiter. Profectò si id semel liceat, licebit, me auctore, frequenter; quia singulis diebus nouum præce-

Suar.

ptum

pum adest, sicut in diebus Quadragesimæ ad ieiunandum.

116. *Quid de Officio Resurrectionis? Caramuel d.*109.*n.*1387. asserit peccare quoad modum venialiter, non mortaliter quo ad substantiam, qui semper Resurrectionis recitat officium. Addit in sententiæ probationem nostrum Franciscum Suarium ex viginti, & quatuor diei naturalis horis decem & octo studendi, ac scribendi curæ libasse, sex horis reseruatis Missæ, orationi, Horarum recitationi, prandio, ac somno: ergo (concludit) proculdubio Officium Resurrectionis recitabat semper. Nescio, an sit legitima consequentia, cum Suarius qui quidem sanctitate eximia mirum in modum suam superauit sapientiam, ne ab Horarum Canonicarum recitatione communi detraheret, à somno, ab studio à vita lubens abstulisset. Iam asserui officij obligationem non implere, qui quoad Matutinum Resurrectionis vsus fuerit addicto illi solemnitati priuilegio. Caram.

117. *Satisfaceret ne præcepto, qui loco officij præcepti officium de aliquo Beatificato extra eius diem recitaret?* Asserit *Granado* 2.2.*contr.*1. *tract.*7. *d.*4. *sect.*2. *num.*19. neque ex deuotione licere; quia cultus ab Ecclesia illi concessus est pro certo die & personis: vnde neque in alio die, nec ab aliis personis poterit celebrari. Non tamen puto mortaliter delinquere; quia demptis tribus Beati lectionibus referentibus historiam, reliqua ex communi assumuntur: & si tres illæ lectiones ad officium omnino non pertinerent, ex *Sanchez* dixi materiæ non excedere paruitatem. Gran. Sanch.

118. *Addit quis, aut demit aliquid ab officio Canonico perpetuò duraturum: delinquet ne lethaliter?* Asserit *Suarius tom.*2. *de Rel. lib.*4. *cap.*15. *num.*15. quamuis minimum, cùm ob introductionem noui cultus, tum ob vsurpatam iurisdictionem. *Palaus tom.*2. *tract.*7. *d.*2. *part.*2. *num.*15. solum venialiter delinquere putat, sed satisfacere præcepto censet, quia recitat totum quod debet, si addidit: & in parua materia deficit, si dempsit. Hoc approbo, illud autem de solo veniali minimè; quia perpetua additio, aut demptio vel minima in re tam graui magni ponderis est. Suar. Pal.

119. *A quanam hora post meridiem potest Matutinum recitari?* Ex *Filliucio tract.*23. *cap.*8. *num.*275. ab hora quarta post meridiem diei præcedentis. Ex *Sanctio tom.*2. *sum. lib.*7. *cap.*2. *dub.*37. *num.*4. ab hora secunda post meridiem, seu statim post Vesperas, circa quæ mentem expressi supra *n.*55. §. 5. De tempore. Filliuc. Sanch.

120. *Possunt laudes separatim à Matutino addita oratione, quotidie*

Sanch. *quotidie separari, sine veniali piaculo?* Sanchez negat dub.20. *num.2.* quia hoc solum in noctis Natiuitatis solemni Matutino indicit Ecclesia.

121. *Quisnam in horis recitandum Officium absque piaculi venialis suspicione?* Matutinum à tertia hora cum dimidia, vel ad summum à quarta (Laudes vna cum Matutino) vsque ad auroram. Prima oriente sole. Tertia aliquanto post. Sexta adulto iam die. Nona prope prandium, Vesperæ post prandium, hora scilicet secunda, & Completorium prope noctem. Addo ex *Sanchez dub.35. num.5.* non esse veniale peccatum Horas anticipare, vel postponere ad modicum tempus semihoræ, aut triplicis quadrantis, seu horæ integræ.

Sanch.

122. *Potest ne quis ex causa iusta anticipare, vel postponere totum Officium?* Potest. Causam autem iustam existimo, aut maiorem deuotionem, aut superuenientem occupationem. *Sanchez dub.36. num.3.* causam iustam existimat ad recitandum totum Officium tempore vespertino, scholastico esse illud tempus minus studiis aptum.

Sanch.

§. 6.

123. *Recitantes in choro debent sub mortali statutis temporibus Horas aptare? Suarius tom.2. de Rel. lib.4. cap.15. n.11.* asserit, sed probabiliter *Valentia tom.3. d.6. quæst.2. part.10.* putat solum venialiter delicturos.

De loco. Suar. Valent.

124. *Scio non satisfacere recitando cras, qui Officium hodiernum omittit: rogo autem, an si id faciat beneficiarius, pro onere beneficij in ordine ad restitutionem satisfaciat?* Aliquis ex externis asseruit; quia & Capellanus, qui Missam, quam hodie celebrare tenetur, celebrat die crastina. At negat *Henriquez lib.13. cap.13. n.2.* quia Bulla Pij V. cogit non recitantes ad restituendum ipso facto absque alia declaratione. Vnde transacto die hodierno, beneficiarius iam pœnam restitutionis contraxit.

Henriq.

125. *Peccant ne Canonici mortaliter, si Choro absint, sine causa?* Horarum recitationi si domi dent operam, & Chorus ab aliis persoluatur neque id gerant ex contemptu, aut cum graui scandalo, venialiter solummodo peccant. *Reginaldo tom.2. lib.18. cap.13. num.176.* auctore. Scio *Suarium cap.10. num.17.* huiusmodi Canonicum reum mortalis asseruisse, etiam si distributionum ratam restituat. Qua in sententia absentia trium, aut quatuor dierum in anno vltra tempus in Concilio permissum Choro non interesse, mortale non putarim, Suarij mei venia, qui solum absentiã vnius diei excusat.

Regin. Suar.

126. *Tenentúrne Regulares communiter ad psallendum Horas in Choro, sicut ad Missæ solemnis celebrationem?* Ita planè

ex

ex sancta & recepta consuetudine immemoriali regulam interpretante, & Ecclesias Regularium cum Cathedralibus, & Collegiatis connumerante. *Gordonus tom.2. lib.6.q.2.c.6.§.3.* Gord. *num.22.* At obligatione hac non alligantur singuli Regulares seorsim, sed communitas. Sic *Turrianus 2.2. contr.10. d.1.n.6.* Turr.

127. *An satis, ex legitima causa, Horas in Sacristia, vel Oratorio recitari?* Satis quidem; quia Officium dictis in locis ad Ecclesiam dirigitur, & Religiosi, aut Clerici moraliter dicuntur in Ecclesia canere. *Castro Pal. tom.2. tract.7. d.3. p.4. num.2.* Pal.

128. *Satisfacit ne, qui syllabas voluntariè abscindit, sensum autem verborum notabiliter non corrumpit?* Satisfacit authore *Filliucio cap.7. num.242.* §.7. *De voce.* Filliuc.

129. *Debet ne recitans tali voce uti, ut se ipsum audiat?* Aliquis ex externis asserit motum labiorum sufficere; quia vetè hic vocaliter orat. *Filliucius* autem *c.5.n.117.* ait hanc Bonacinæ opinionem solum pro scrupulosis admittendam. Ego quidem nec pro scrupulosis admitto, quia existimo labiorum motum nec orationem esse vocalem, nec præcepto satisfacere. Vox enim orantis debet esse audibilis saltem ab ipso orante; vix enim formari potest vox, quæ ab ipso proferente audiri non possit. Filliuc.

130. *Satisfaciunt ne Canonici existentes in Choro & submissè psallentes?* Asserit *Lessius lib.2.c.34. dub.33.n.185.* quia legitimè præscripta consuetudo ius ex *Concil. Aquisgran. c.131.* antiquauit, si præceptum in eo imponebatur; nam *Cenedo quæst. 2. num. 18.* solum dari consilium existimat. Less.

131. *Interrumpi ne possint Horæ?* Possunt ne planè sine mortali; quia non solum quilibet Psalmus, sed etiam quilibet versiculus seorsim sumptus est integra oratio, laudatio, vel sententia non habens necessariam cum aliis connexionem, *Lessio cap.37. dub.10. num. 57.* assertore. Potest ergo quis Vesperas (v. gr.) incipere, & interrumpere post duas horas, (reus tamen venialis si causa non vrget) complendas. *Quid si interrubissem animo, de nouo incipiendi?* Poteris recitare, quod superest. *Sanchez opusc. tom.2. lib.7. cap.2. dub.19.n.5.* §.8. *De interruptione,* Less. Sanch.

132. *Recitat quis cum socio, tenetur ne cum illo Antiphonas, & lectiones?* Sufficit dicentem socium audire iuniorē velocius se legentē. Scio *Azor.* huiusmodi recitationē non approbare.

133. *Requiritur ne attentio actualis aut virtualis, ad Horarum recitationem?* Scio, actualem attentionem esse cum mens actu occupatur circa obiectū: virtualem autē, cum incipit occupari actionis inchoatione, sed postea inuoluntariè distrahitur. Actualis itaque attētio necessaria nō est. Virtualē quidem §.9. *De attentione.*

Conin. ferè omnes recentiores requirunt. At *Conineh in 3. p. q. 83. art. 6. num. 291.* secutus Durandum asserit non requiri virtualem; quia Ecclesia extra Confessionem non habet iurisdictionem in occulta. *c. dolentes* præcipit actum deuotum æternum, (inquit ille) qui satis sit ad externam Religionem, contra illos, qui inter recitandum confabulantur cum secularibus. Actus autem externus orationis debitè factus sine risu, confabulatione, &c. est verus actus orationis externus; sicut externa adoratio idoli sine intentione, est verus actus externus idololatriæ.

134. *Lucrantur ne distributiones Canonici in Choro confabulantes?* Lucrantur ex supradicta ratione, vti asserit Sanch. Sanchez *opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 2. dub. 100. n. 2.*

135. *Quidnam in sententia virtualem attentionem requirente, si Canonicus Choro quidem assistat, sed reciter voluntarie distractus?* Non satis faciet præcepto *c. dolentes* de attentione; sed satisfaciet præcepto recitandi lato in Bulla, & sic ad restitutionem non tenebitur. Ita Less. *Less. lib. 2. c. 37. dub. 11. n. 68.*

Suar. 136. *Requiritur ne faciendi intentio?* Negat *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 88. sect. 3.* Ast alij probabiliter iam defendunt intentionem eius necessariam non esse; imo satisfieri etiam ab eo qui cum expressa intentione non satisfaciendi pro tunc, recitaret.

§. 10. *De causis excusantibus.*

137. *Detinetur quis in pulsandis organis, deferendis libris, dando thure, &c. tenetur ne postea priuatim illas officij partes recitare?* Suarius asseruit *tom. 2. lib. 4. cap. 14. num. 13.* sed Turres *2. 2. tom. 1. d. 7. num. 12.* negat; quia Chorus, cui seruit, pro ipso satisfacit. Idem asserendum de Clerico studente lectioni, quam lecturus est, dum alij concinunt.

Suar. Torr.

138. *Dubito ægrotans, an tenear recitare: quonammodo ab scrupulis expediam?* Si Medicus iudicat recitare te posse maiorem partem, id est, Matutinum cum Laudibus sine nocumento, teneris. Si iudicat solum recitare posse minorem, non teneris. *Palaus tom. 2. part. 6. d. 2. n. 9.*

Pal. Valent.

139. *Tenetur ne infirmus socium adhibere?* Asserit *Valentia*, si commodè possit, *tom. 3. d. 6. quæst. 2. part. 10. §. 7.* Addit Pal. *Palaus n. 14.* si opus sit; quia vnusquisque tenetur adhibere medium simpliciter necessarium ad præceptum implendum. Suar. Quod limitat *Suarius n. 12.* ad beneficiarios tantum. At Less. *Less. lib. 2. c. 37. dub. 9. n. 54.* docet non teneri adhibere socium in ægritudine, qui in sanitate non assolet cum socio recitare. Existimo nullum teneri conducere sociū pro officio recitando, sicut nec tenetur pro Missa audienda Sacerdotē conducere.

140. Sum

140. *Scio excusare cœcitatem: sed rogo, an si cœcus maiorem partem officij memoria teneat, ad illam teneatur?* Asserit *Pa-* Palao.
laus citat. n. 11.

141. *Excusantur ne damnati ad triremes?* Ita planè ex *Laym. lib. 4. tr. 1. c. 4. n. 6.* quia satis afflictionis, raro laborum Laym.
intermissionem, rarissimè animi habent promptitudinem.

142. *Caret quis Breuiario, sed habet diurnum, & officium fit* Sanch.
de feria: debet ne recitare Psalmos? Affirmat *Sanch. tom. 1. opusc. lib. 1. cap. 19. num. 8.* quia lectiones de feria cum responsoriis Sanch.
sunt parua materia. Alter *Sanchez d. 15. num. 2.* negat; quia tres hæ lectiones licet paruæ in quantitate, sunt pars essentialis officij, sine qua Canonicum Matutinum non constat.

143. *Monachus fugitiuus, aut è Monasterio eiectus, aut* §. 12.
Clericus degradatus, tenentur ne Officium recitare? Toletus de- *De Horis*
gradatum teneri docet, ab eóque dimittendas adiicit solem- *Canonicis, varia.*
nitates, & *Dominus Vbiscum.* Scio aliquem, Monachum fugitiuum, aut eiectum excusare; quia non est in statu, in quo Tolet.
obligetur. Ast ego non inuenio, vnde possim iustè eum liberare.

144. *Recipit quis Beneficium inualidè: tenetur ne Horas recitare?* Non; quia non habet verum titulum Beneficij, vt *Sanchez* affirmat. *Petit hic Postea Beneficij reualidationem, &* Sanch.
compositionem pro fructibus. Debet, eodem Sanctio auctore, exprimere se non recitasse Officium; vel teneretur ob illam causam iterum de fructibus componere.

145. *An, si interruptio inter recitandum, sit notabilis, & sine iusta causa: debeam reiterare ab initio?* Non teneris sub mortali, *Lessio* authore; quia huiusmodi circunstantiæ ad Less.
præcepti substantiam non pertinent.

146. *Recito cum aliquo priuilegium habente aut recitandi in Breuiario breui, aut ante tempus dicendi Horas: num tunc eodem priuilegio fruar?* Frui affirmat *Henriquez.* Henriq.

147. *An nimia celeritas in canendo, aut dicendo sint peccatum mortale?* Non esse cum *Filliucio* sentio, sed veniale tan- Filliuc.
tum; nisi adsit contemptus, aut scandalum, aut notabilis corruptio verborum. Profectò corruptio verborum obligaret ad Officij iterationem, celeritas autem minimè, licet mortalis ob scandalum esset; quia iam absolutè præcepto satisfactum.

148. *Qua de causa non teneatur Beneficiarius ad restitutionem, si sex primis mensibus non recitarit? Lessius* ait iure natu- Lessius.
rali; quia obligatio recitandi Horas non est ex iustitia commutatiua, sed ex Religione.

149. *Cæcus, vel Breuiario carens memoriter nosci Psalmos Matutini,*

Matutini, vel integram Horam, v.gr. Primam aut Complet-
Filliuc. *rium tenetur ne recitare?* De Psalmis solis *Filliucius* asserit non teneri; quia soli Psalmi non faciunt Horas. Ego de integra Hora idem affirmo; quia sola hora Officium non facit.

150. *Scit ille memoriter lectiones vel capitula alterius diei: debet ne illas Psalmis, quos nouit, copulare, vt integrum fiant Officium?* Minimè; quia nemo tenetur aliud Officium dicere, nisi Officium diei currentis.

151. *Scio posse Superiorem ex causa iusta cum suis Religiosis*
Less. *dispensare circa Officij recitationem Lessio authore: rogo possit ne*
Suar. *dispensare, vt aliud Officium dicatur?* Ex *Suario* respondeo, posse pro illo die dispensare, vt aliud Officium dicatur, quam quod in Breuiario habetur. Non tamen posse quidquam in Breuiario immutare absque summi Præsulis licentia.

152. *An Capellania sine Papæ, aut Episcopi authoritate constituta obliget ad Officium?* Cum *Saa* asserto non obligare; quia
Saa. Beneficium non est. An obliget Beneficium datum ad Officium non Ecclesiasticum, vt ad Organa pulsandum, aut Theologiam docendum? Non obligat eodem *Emanuele* authore; quia sufficit onus pulsandi, aut docendi iniunctum, ad Beneficij fructus percipiendos.

153. *In Choro quis suam partem dicit, & alteram etiam si attentus, percipere non valet: tenetur ne supplere?* Iudico cum
Saa. *Saa* non teneri, nisi, vt quidam addunt, surdus esset; quia iam non est accidentale non audiuisse.

154. *An priuatim quis possit officium qua velit lingua recitare?* Existimo Græca, & Hebræa sancta quidem posse; vulgari minimè.

155. *An qui mentaliter dicit Officium obligationi satisfaciat?*
Tolet. Minimè vti *Toletus* ait; quia Ecclesia præcipit Officij recitationem.

156. *An tenear sub veniali Quadragesimæ tempore Vesperas ante prandium dicere?*
Tolet. Docet *Toletus* posse priuatim à prandio recitari.

157. *Scio vagari mente ex negligentia in Officio, veniale solum peccatum esse: rogo an si ex proposito id fiat grauiter delinquam, & ad repetendum officium tenear?*
Azor. *Azorium* secutus asserto; peccare te ex contemptu mortaliter; satisfacere mente Ecclesiæ percipienti, & non teneri iterum recitare, vt dixi superius.

TRACTA

TRACTATVS SEXTVS

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS,

Status.

Vbi de tribus ſtatibus Chriſtianæ Reipublicæ, ſcilicet Eccleſiaſtico, Regulari ac ſeculari materiæ perſtringuntur.

PÆREO *doctrinæ* Suarij, Valentiæ, Filliucij, Caſtro Palao, Reginald. Gordonij, Leſſij, Molinæ, Toleti, Meratij, & Salas.

EXA

EXAMEN PRIMVM

De statu Clericali circa materiam de Beneficiis, Pensionibus, spoliis Clericorum, & rerum Ecclesiasticarum alienatione.

CAPVT PRIMVM.

De Ecclesiastico Beneficio.

§. 1. *De Clerico, & Beneficio.*

1. *Clericus quid?* Significat sortem, hæreditatémve, eò quòd Deus peculiariter sit illius sors, siue pars. Porrò Clerici nomine in materia fauorabili venit habens primam tonsuram, & Religiosus, & Episcopus: at in odiosa nec Religiosus, nec Episcopus, nec secundùm quosdam dignitas, aut Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, aut qui non est in sacris. Cum Clericis in iure aliquid prohibetur, aut præcipitur, intelliguntur solùm qui sunt in sacris, aut beneficiati. Obligantur Clerici habitum & tonsuram gestare, nec à peccato mortali excusatur, qui maioribus initiatus Ordinibus, aut habens beneficium, non gestat tonsuram, vel habitum ad longum tempus absque iusta causa. Porrò primam tonsuram eo tantùm fine recipiens, vt Clericali priuilegio fruatur, peccare mortaliter affirmandum minimè est.

2. *Quid est Beneficium Ecclesiasticum?* Ius legitimum & perpetuum capiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter Officium spirituale.

3. *Beneficij Ecclesiastici species recensentur.* Aliud est Regulare, aliud seculare: illud regularibus, hoc secularibus confertur. Seculare quidem aliud est *Simplex*, id est, sine administratione, sine vlla iuris qualitate, v.gr. Capellania, Canonicatus, &c. aliud *Duplex*, affectum scilicet aliqua iuris qualitate, v.g. administratio rei Ecclesiasticæ: præeminentia in Choro, iurisdictio, &c. Certè Duplex aliud habet curam animarum, v.g. Parœcia, Episcopatus, &c. aliud non habet, v.g. Archidiaconatus, Decanatus, &c. Duplex sine cura; aliquando habet tantùm administrationem rerum Ecclesiasticarum, v. gr. Officium Sacristæ, &c. aliquando solùm præeminentiam

tiam in Choro, v. g. personatus: aliquando etiam habet iurisdictionem in foro externo in Clericos, & dicitur Dignitas. Item aliud est *Manuale*, id est, ad nutum conferentis reuocabile; aliud non manuale, quod non nisi certis ex causis iure permissis reuocari potest. Præterea aliud est *Electiuum*, præuia scilicet electione; aliud *Collatiuum* sine ea; aliud *Missum* ad præsentationem patroni, & Episcopi institutionem.

§. 2. *Conferens Beneficia.*

4. *Penes quos conferendi Beneficia adsit potestas?* Aliqua Beneficia Papæ reseruantur, vel ratione loci, v. g. quæ in eius Curia vel per mortem, vel aliter vacant. Vel ratione personarum ad se suamque Curiam pertinentium. Vel ratione præeminentiæ, v. g. Cathedrales Dignitates, Dignitatésque principales in Collegiatis Ecclesiis, Præceptoriæ generales, sed non Ordinum Militarium. Vel ratione Episcopatus Romani. Vel ratione supremæ potestatis, v. g. omnia vacantia tempore vacationis Ordinariorum: item vacantia mensibus Pontificis, & in alternatiua cum Episcopis. Præterea principaliter aliqua pertinent ad Pontificem iure affectionis, v. g. Beneficium à Papa collatum inualidè propter aliquod impedimentum. Ad Papam etiam iure deuolutionis quædam pertinent. v. gr. si inferior collator ius suum negligat. Aut per confidentiam accepta. Aut vacantia ob hæresim. Aut collata ab Episcopis, examine non præmisso. Aut collata à Clericis ob generis originem, vel hæresim prohibitis

5. *Quid de alijs conferentibus?* Concilium generale iure communi Beneficia conferre non potest; in necessitate tamen, Sede vacante, potest: non verò Concilium Cardinalium. Potest tamen Cardinalis conferre Beneficia ad suos titulos, & Ecclesias iis subiectas spectantia. Legatus à latere potestatem habet in suæ Prouinciæ Beneficia etiam ad Papam deuoluta, non verò quo ad menses alternatiuè, nec quo ad Ecclesias Cathedrales, Regulares, Collegiatas. Nuncio Apostolico sine speciali concessione nihil hîc competit. Episcopus conferre potest omnia in sua Diœcesi, exceptis reseruatis. *Cuius Præbenda Ecclesiæ Cathedralis?* Ad Episcopum simul & Capitulum pertinet: in Collegiatis tamen probabiliter assero ad solum Episcopum attinere. *Potest ne Capitulum Sede vacante?* Non succedit id Episcopo in Beneficiorum libera collatione, & gratiosa; sed in debita, & necessaria; vnde potest præsentatos instituere, & electos confirmare. Porrò Capitulum non potest infra annum Sede vacante dare Dimissorias nisi iis, qui ratione Beneficij accepti, vel accipiendi Ordines recipere tene

tenerentur. Potest item ad tempus vacantia Beneficia commendare, non potest vnire. *Num possit Episcopi Vicarius?* Sine speciali mandato Vicarius generalis non potest Beneficium conferre; potest tamen præsentatos instituere, & electos confirmare. *Quid de laico præsentante?* Licet præsentare possit ad Beneficia ratione iuris patronatus, (quod etiam in fœmina residere potest) ius tamen confirmandi illi nullo modo competit.

§. 3. *Quotnam modis confiscantur.*

6. *Quot modis Beneficia assolent conferri?* Quatuor modis generalibus Beneficia acquiruntur, Electione, Præsentatione, & institutione, Collatione, Prouisione, quæ fit per Papam. *Electio* est alicuius personæ ad Ecclesiam pastore destitutam Canonicè facta translatio. *Præsentatio* est exhibitio quædam personæ per Patronum ei, ad quem pertinet institutio, legitimè facta: institutio autem est concessio Beneficij facta legitima authoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à Patrono præsentato. *Collatio* est concessio Beneficij vacantis liberaliter facta ab habente potestatem. *Prouisio* denique per Papam fit vel de vacaturis, vel de vacantibus.

§. 4. *Forma conferendi.*

7. *Quænam in prouisione Beneficiorum forma adest?* Seruanda equidem forma iuris, alioquin actus corruet etiam in conscientiæ foro, v. gr. si non emittatur professio fidei, vel non fiat approbatio ab examinatoribus synodalibus iuxta Tridentinum. Indica formam in Parochialium prouisione. 1. Vacante Ecclesia Episcopus statim idoneum Vicarium constituet. 2. Præuio concursu & examine dignior eligatur: aliter facta irrita est. Ad examen omnes admittendi etiam post edicti terminum, re adhuc integra; non tamen consanguinei Episcopi ad concursum admittendi, quando vacat Parochialis per resignationem in manibus eius. *Quid in prouisione simplicium?* Si liberè conferantur, certa iuris forma non præscribitur.

8. *Quinam Beneficiorum capaces?* Iure Diuino incapaces sunt fœminæ, iure naturali impotentes ad munera Ordinum exercenda, vt muti, perpetuò amentes, &c. Hermaphroditus sexu fœmineo præualente, vel pari, iure diuino incapax est: præualente verò virili solùm Ecclesiastico. Iure Canonico incapaces sunt irregulares ex defectu natalium. Vbi hæc communis est regula: inhabilis ad Ordines, inhabilis est ad Beneficia Ordines requirentia. Bigami qui patiuntur defectum Sacramenti iure Canonico sunt inhabiles ad Beneficia. Porrò non tantùm irregularitas ex defectu, sed etiam ea, quæ ex delicto est incapacitatem Beneficij inducit. Item excommu

excommunicati, suspensi, interdicti personaliter inhabiles sunt.

§. 5. *Ad Beneficium conditiones.*

9. *Quænam prærequiruntur ad Beneficium conditiones?* Prærequiruntur Clericatus, siue prima tonsura. Deinde ætas certa. Hodie ad simplex iuxta Trid. annus decimus quartus inceptus, in quo Episcopus non potest dispensare, nisi aliud in fundatione habeatur. Ad Parochiale vigesimus quintus inchoatus. Ad Dignitates & Personatus sine cura animarum, modò requiruntur anni 22. completi. Ad Dignitatem principalem in Collegiata regularirer necessaria est ætas annorum 25. inceptorum. Ad Episcopatum annus trigesimus completus, cum Ordine sacro saltem ante sex menses suscepto. Diacono Cardinali anni 22. sufficiunt. Prouisio sine ætate sufficienti licet bona fides interuenerit, licet vna desit solummodò dies, nulla est. Præterea ea scientia necessaria est ad Beneficium sine qua Officium illi adnexum præstari non potest.

10. *Exprime in particulari.* Ad simplex sufficit posse legere, & scribere, aliquid Latinè intelligere; fidei rudimenta tenere: hæc quidem si solùm primam tonsuram requirat. Si autem requirat minores Ordines, necessaria est scientia linguæ Latinæ. Ad Beneficium requirens Ordinem sacrum, si quidem simplex, opus est plena rerum fidei instructione, & omnium ad munus eius pertinentium cognitione: si verò duplex, vt Parochiale, sciat inter alia quomodo Sacramenta administranda. Denique Beneficiarius non solùm literis, sed etiam moribus, & vitæ probitate debet esset conspicuus. Collatio tamen facta criminoso, modò excommunicatio absit, & irregularitas, ipso iure, non est irrita.

§. 6. *Obseruanda à beneficiario, vt conseruet beneficium, ac vitã da.*

11. *Quænam obseruare debeant Beneficiarij, vt in adeptis Beneficijs conseruari possint?* Huiusmodi iura ab eis sunt obseruanda. Necessaria est, 1. Scriptura quando à Papa fit prouisio; si ab Ordinario necessaria non est. 2. Prouisus de Beneficio Curato tenetur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses publicè fidem profiteri in manibus Episcopi; vel eo impedito, coram Vicario generali, Canonicus vel Dignitas Cathedralis non solùm coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere tenetur. 3. Debet habitum & tonsuram Clericalem gestare. 4. Pensionem soluere de semestri in semestre, alioqui Beneficiarius est excommunicatus. 5. Obligatur ad horarum Canonicarum lectionem à die pacificæ possessionis. 6. Residentia in omnibus etiam simplicibus Beneficiariis iure communi exigitur. Excipit consuetudo

præstimonia & Beneficia simplicia in Ecclesiis non Collegiatis; iure tamen naturali in absentia per alium Officio satisfaciendum. Curati iure diuino tenentur residere. Iure verò Canonico obligantur habentes Dignitates in Cathedralibus, Collegiatis, Canonicatus, Præbendas, & Portiones, etiam si Beneficia simplicia sint.

12. *Quotnam causæ tum ad breue, tum ad longum tempus excusant à residentia?* Septem. 1. Potest Episcopus quotannis siue continuè siue interruptè ex iusta causa ad summum abesse per tres menses, modò sine gregis detrimento fiat: Parochi per duos: qui habent Dignitates, Canonicatus, Pensiones gaudent trimestri: ad quam breuem absentiam vel animi relaxatio iusta causa est. Pro longiori tempore quatuor generales causæ adiiciuntur, videlicet Christiana charitas, euidens communis necessitas obedientia maioribus debita, Ecclesiæ, cui præest necessitas, vel vtilitas. Hæ causæ à Pontifice vel à Metropolitano approbantur: vel eo absente à suffraganeo antiquiori, qui etiam approbat Metropolitani absentiam, idque in scriptis. Sexta causa est Theologiam, vel ius Canonicum audire ad quinquennium, vltrà Episcopus dispensare non potest. Septima eadem facultates quantumuis diu docere. Ad docendam Philosophiam vel literas humaniores opus fuit Episcopi licentia ante Tridentinum: in Pij IV constitutione requiritur licentia Papæ cum Episcopi consensu. Imo Parochi ex dictis causis non excusantur ad fructuum perceptionem, nisi cum Papæ licentia consensus adsit Ordinarij.

13. *A quibusnam Beneficiario abstinendum est?* Primò à militia: ad quam proficiscens, & pugnans, eo ipso dimittere Beneficium censetur. Secundò à delatione armorum. Tertiò ab officio aduocati apud secularem iudicem: excipe defensionem sui, Ecclesiæ suæ, miserabilium, sanguine iunctorum vsque ad quartum gradum. Non potest esse procurator in criminalibus, vel ciuilibus, exceptis causis assignatis. Quartò, non aleator. Quintò, non sordidus opifex. Sextò non iudex in causis sanguinis, nec ad huiusmodi causas concurrere, nec adesse sine iusta causa. Septimò, nec habere aues, aut canes ad venandum. Octauò, per se ipsum non potest negotiari.

§. 7. *Beneficiorum dominium.*

14. *Num Beneficiarij sint domini fructuum Beneficij?* Eorum domini sunt, non solùm partis ad sustentationem necessariæ, sed etiam superfluæ, modò religiosa paupertas non impediat. Iure communi non possunt testari de Beneficiis, aut

rat inde acquisitis, ex consuetudine possunt. Non possunt locare prædia, aut fundum Beneficij vltra triennium, possunt tamen fructus etiam ad totam vitam.

15. *Quid de fructibus Beneficij tempore vacationis obuenientibus?* Iure communi successori reseruãtur. *Quid autem de quotidianis distributionibus?* Eas iure communi tantùm dandas esse præsentibus ad diuina officia affirmo, nec posse alium præter Papam iuris rigorem relaxare.

16. *Canonicus absens ob Ecclesiæ negotia, vel præsens loco, sed absens ab Ecclesia ob infirmitatem?* Si ita consuetudo ferat, distributionum est capax. Idem est (eadem fauente consuetudine) de iis, quæ ipsis ad tres menses legitimè absentibus obueniunt.

§. 8. *Pluralitas Beneficiorum.*

17. *De pluritate Beneficiorum in vno eodemque Beneficiario quid dicendum?* Iure Canonico generaliter Beneficiorum pluralitas prohibetur. Queisnam ex causis ab eodem iure conceditur? Quinque. 1. Quando exigui sunt reditus. 2. Quando vnum Beneficium alteri est vnitum. 3. Quando Clericus non inuenitur idoneus. 4. Quando vnum datur in titulum alterum in commendam. 5. Quando vnum habet curam animarum actu, aliud habitu tantùm. Addiderim excusare indulgentiam, & iustam dispensationem.

18. *Quænam sunt Beneficia incompatibilia?* Primò omnia curata. Deinde ea quæ vocantur Dignitates, Personatus, vel Officia. Tertiò, Canonicatus. Quartò, Portionatus in Cathedralibus, & Collegiatis. Quintò quædam dicuntur incompatibilia sub eodem tecto. Sextò, duo etiam simplicia dicuntur incompatibilia, quando vnum sufficiens.

19. *Quodnam beneficium sufficiens?* Prudentis iudicio statuendum, habita ratione personæ, & aliarum circunstantiarum.

20. *Quænam autem sint compatibilia?* Primò simplicia non requirentia residentiam. Secundò cum vnum requirit residentiam non alia, eaque ad sustentationem necessaria sunt. Tertiò, si plura vnita. Quartò si vnum in titulum, aliud in commendam. Quintò, si plura tenuia, non tamen curata nisi valde vicinia. Sextò, si duo curata vnum actu alterum habitu. Septimò, si Beneficio addatur pensio non in titulum. Octauò, defectu personarum. Nonò, si Beneficium coniungatur cum Vicariatu generali Episcopi, vel alterius Ordinarij. Decimò ex consuetudine, cum naturali iure non pugnante.

21. *Queisnam in pluralitate dispensat?* 1. Papa; 2. Papæ Le-

gatus modò non sint Episcopatus, Dignitates, Curata, nec sub eodem tecto, nec congruam sustentationem excedentia. 3. Episcopus potest cum eadem limitatione; deinde etiam quando sub eodem tecto dissimilia sunt, & vnum non est sufficiens: non verò quando similia, vbi nec Legatus Papæ potest.

§. 9. *Beneficij amissio.*

22. *Quotnam modis assolet Beneficij amissio contingere?* Tribus. Primò ipso facto, vt cùm quis possessionem amittit non titulum. Secundò, ipso iure, vt cum quis authoritate iuris priuatus est ipso Beneficio, possidet tamen de facto. Tertiò de facto, & de iure, vt cùm quis illud deponit, & nondum collatum est alteri.

23. *Scio ipso iure vacare aliquando sine delicto, ex delicto aliquando: quonammodo sine delicto vacat?* Per mortem naturalem, per ciuilem, id est, professionem religiosam, per matrimonium validum, solùm etiam ratum, non per invalidum. Item quando Episcopus legitimè ab vna Ecclesia transfertur ad aliam, prima vacat per pacificam secundæ possessionem.

24. *Quonammodo autem vacat ex delicto?* Primò ratione hæresis. 2. Per schisma. 3. Ob percussionem Cardinalis, vel Episcopi. 4. Per homicidium qualificatum, v.gr. per conductum pretio ad Christianum occidendum. 5. Ob literarum Apostolicarum falsificationem. 6. Vacationem Sodomia sæpiùs exercitata inducit. 7. Occisio per se vel per alium Rectoris, vel Clerici Ecclesiæ suæ, in qua Beneficium habet. 8. Simonia confidentiæ. 9. Alienatio bonorum Ecclesiæ Pontifice inconsulto. 10. Violenta Beneficij possessio. 11. Priuatus etiam Parochus est, si culpa sua intra annum ad Sacerdotium non promoueatur. 12. Item examinatores ad Parochialem, si pro examine aliquid accipiant. Addunt alij crimen Læsæ Maiestatis, & alia non ita liquidi iuris.

25. *Assigna effectus ipsam priuationem consequentes.* Primus est, posse impetrari Beneficium ante condemnationis sententiam. Secundus, priuatum non facere fructus suos. Tertius, non posse de Beneficio disponere. Porrò ante delicti declarationem non cogitur Beneficium dimittere.

26. *Quisnam denique per sententiam iudicis meretur priuationem?* Primò, non residens. 2. Homicida. 3. Publicus concubinarius post monitionem. 4. Periurus. 5. Blasphemus in Deum, vel Sanctos. 6. Obtinens Beneficium secundum requirens residentiam cum primo, si non sit Dignitas vel Curatum. Porrò de Beneficiorum permutatione, resignatione

gnatione, ac confidentia lege plura apud *Castrum Palao*, & *Fillinciun*.

CAPVT II.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

27. *Quid Pensio?* Aliquando certam fructuum portionem ex Beneficio detractam, & alteri soluendam, aliquando ius ipsum ad illam portionem significat.

28. *Quotuplex?* In Clericalem & laicalem communiter diuiditur; hæc propter officium seruitij alicuius corporalis Ecclesiæ exhibiti, vel exhibendi conceditur: illa ad sustentationem status Clericalis assignatur.

29. *Ecclesiæ Pensiones à quonam imponi possunt?* Iure communi ea potestas penes solum Pontificem summum est. Iure tamen antiquo in aliquot casibus Episcopis aliquid licet. Possunt namque hi Pensiones imponere, 1. Pro concordatione litis, & bono pacis. 2. Pro egenis. 3. Pro benemeritis. 4. Ad vsumpium. 5. Pro renunciante causa alimentorum. 6. In quantitate moderata. 7. Pro sustentatione Beneficium constituentis. 8. Ad coæquandos fructus in permutatione. Requiritur tamen semper eum tale quid fit causæ expressio. Legatus quidem à latere idem in sua prouincia potest.

30. *Quinam pensionis capaces?* In primis quidem incapaces sunt quicunque inhabiles ad statum Clericalem, vel absolutè vt fœminæ: vel durante impedimento, vt infantes, infideles, &c. Item inhabiles ad officium recitandum. Profectò impetrans pensionem à sciente irregularitatem, vel aliud impedimentum, validè obtinet, quamuis illicitè: intellige si conferens sit inferior Papa, aut in illo impedimento dispensare nequeat.

31. *Potest ne conferri pensio laico volenti Clericatum suscipere?* Potest, fructibus tamen non gaudebit priusquam Clericus factus sit.

32. *Dari ne potest pensio excommunicato?* Laicalis quidem potest. *Pontifex sciens alicuius impedimentum, confert pensionem.* Eo ipso censetur dispensare.

33. *Assigna causas pensionis constituendæ, & conferendæ?* Ad duo capita reuocantur, lucri nimirum, & oneris; vnde pensionum aliæ dicuntur ex causa lucratiua, aliæ ex causa onerosa. Ex causa lucratiua sunt quæcunque ad purum com-

modum pensionarij, nullo precedente incommodo subleuando, conferuntur. Ex causa autem onerosa, cum pensionarius aliquod incommodum passus est, à quo collata Pensione releuatur.

34. *Quænam sunt causæ lucrativæ?* Prima alimentorum; secunda commodioris sustentationis.

35. *Causæ onerosæ quænam?* Prima cessatio litis pro bono pacis. 2. Transactio. 3. Resignatio. 4. Priuationis, cùm quis scilicet priuatus Beneficio, non habet vnde viuat.

36. *Quibus Beneficiis, & quonammodo Pensio possit imponi?* Papa omnibus potest imponere. Vetat Tridentinum imponi Parochiali centum ducatos non excedenti; idem est de Beneficio simplici adiuncta Dignitate. Nec grauandus Episcopatus, cuius prouentus mille aureos non attingit. Beneficio simplici quandoque apponi solet Pensio non excedens medietatem, aut tertiam partem, cuiuscunque valoris sit Beneficium. Imò etiam in quotidianis distributionibus locum habet, si id apposita clausula exprimatur. Equidem antiquo iure omnia Beneficia Pensionem admittebant.

37. *Indica Pensionarij obligationes.* Scio non deberi Pensionem, si absque culpa fructus non percipiantur: debetur tamen si percipiantur, etiam si inualidè facta sit resignatio: tenetur etiam si accepit Beneficium cum illa clausula, vt pensionem soluat, etiam si fructus non percipiantur. Pensio à Papa imposita etiam sine causa, exigi potest. Porrò causa, propter quam Pensio datur, falsa existente, non potest pensionarius eam accipere. Tenetur Pensionarius ad officium paruum B. Virginis, cuius omissione fructus non facit suos. Tenetur ad onera soluenda fructibus Beneficij postmodum legitimè imposita, idque pro rata Pensionis, nisi hæc exempta sit. Tenetur denique gestare habitum, si Pensionem sexaginta aureos superantem exigat. Aliàs ad fructuum perceptorum restitutionem obligatur.

38. *Quotnam modis cessat Pensio?* Sex. Primò expiratione per mortem pensionarij. 2. Priuatione per crimen. 3. Cessatione per voluntatem. 4. Translatione per sui iuris in alium deriuationem. 5. Extinctione per redemptionem. 6. Per matrimonium. Porrò redimitur communiter Pensio anticipata quinque annorum solutione, consensu Pontificis interueniente.

39. *Quænam crimina in materia Pensionis committi possunt?* Titularis peccat contra iustitiam vel non soluendo, vel non suo tempore. Peccat contra eandem virtutem pensionarius, si

sexigat sine iusto titulo, si non verificata causa, vel conditione narrata, idque in titularis præiudicium. Peccat contra æquitatem pensionarius, si beneficiario omnino grauato, integram petat pensionem. In eadem materia locum habet Simonia iure Ecclesiastico prohibita, ea tamen pœnas cum Simonia beneficiaria communes non habet.

CAPVT III.

De rerum Ecclesiasticarum Alienatione.

40. *Quid est Alienatio?* Actus, quo dominium rei directum, vel vtile, aut vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Vetita quidem huiusmodi alienatio iure naturali diuino annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice & Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ; aut de Episcopis & Prælatis respectu bonorum suæ Ecclesiæ: vetita iure Cæsareo, & iure Canonico, nisi alienatio fiat ex iusta causa & cum debita solemnitate, aut ad breue tempus locationis, vel in causa Emphyteusis in casibus à iure permissis, vel nisi alienatio fiat de re leuis momenti, aut rerum, quæ seruando seruari non possunt: aut nisi fiat de bona fide; aut nondum perfecta sit alienatio, & ab eo qui bonorum habet administrationem.

41. *Quanam igitur Ecclesiæ bona alienari possunt, & quænam alienari non possunt?* Bona immobilia, & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt alienari prohibentur. Bona verò mobilia & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt ab Episcopo, aut administratore, possunt vendi sine alia solemnitate. Vnde etsi valida alienatio vini, frumenti, olei, ouium, &c. facta sine solemnitate: inualida tamen prorsus venditio domorum, agrorum, montium, censuum, argenteæ lampadis, &c.

42. *Assigna causas ob quas alienatio rerum huiusmodi licitè & validè fieri possit.* Quatuor à Doctoribus collegi, necessitatem vrgentem, pietatem, vtilitatem euidentem Ecclesiæ, & quando prælatus credit legitimam subesse causam, licet postea legitimam non fuisse comperiat.

43. *Solemnitates requisitas ad alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ præter iustam causam annecte.* Adsit vnus tractatus saltem, id est discussio, quæ fit allatis rationibus vltro citroque, num expediat

huiusmodi bona alienare. Post tractatum requiritur consensus expressus maioris partis Capituli, eorum scilicet qui sunt præsentes. Requiritur etiam consensus Superioris: nec excusantur qui ante Superioris consensum adiiciunt: *Saluo superioris assensu.* In alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis iure antiquo requiritur Apostolicæ Sedis facultas. Profectò licet Pontificis summi facultas suppleat solemnitates antiquo iure requisitas, non tamen causam, nisi exprimatur. At alienationem autem bonorum Ecclesiæ carentis Collegio requiritur consensus Rectoris cum consensu Episcopi: imò etiam cum assensu Pontificis post Extrauagantem, *Ambitiosæ.* Per Collegium autem intellige non solùm communitatem Canonicorum, sed etiam beneficiariorum illius Ecclesiæ.

44. *Quænam alienatori iniusto pœnæ assignentur?* Omnes & singuli Ecclesiastici seculares & regulares res Ecclesiæ male & scienter alienantes excommunicationem incurrunt: Episcopi verò & Abbates interdicto, vel suspensione puniuntur. Etiam Cardinales pœnis contra alienantes bona Ecclesiastica impositis subiiciuntur, quia etiam fauorabilibus legibus gaudent.

45. *Num Papa ligetur?* Minimè; quia legislator suis legibus quoad vim coactiuam non tenetur.

46. *Peccat ne saltem contra iuramentum?* Ita planè, nisi iuramentum sibi prius relaxet, secúmque dispenset, si causa iusta adsit. Probabile tamen est alienationem à Pontifice summo factam sine iusta causa validam esse.

CAPVT IV.

De Ecclesiasticis spoliis.

47. *Spolium Ecclesiasticum quid?* Quidquid in bonis Ecclesiasticæ personæ post mortem ipsius reperitur quod neque ex testamento, neque ab intestato ad hæredes ipsius pertinet.

48. *Ex quibus personis spolia Ecclesiastica capiuntur?* Omnes qui gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, siue quo ad personas, siue quo ad bona, spolio Ecclesiastico subiiciuntur. Vnde Regulares omnes, & Laici Clerici tam in Ordinibus constituti, quàm aliter Ecclesiæ seruientes, dummodo ex suo statu fori priuilegio gaudeant, obnoxij spoliis esse possunt.

seculares

49. *Excipiuntur ne aliquæ Ecclesiasticæ personæ?* Ita quidem,

dem, scilicet 1. Cardinales. 2. Curiam sectantes, & in ea morientes. 3. Priuilegio testandi muniti.

50. *Quænam bona spoliis obnoxia sunt?* Patrimonialia minimè, nec quasi patrimonialia, quæ scilicet alio titulo quàm hæreditariæ successionis acquiruntur, & in absolutum eorum dominium transeunt. Igitur quod beneficiarius decedens nec testari potens ex fructibus beneficij iam perceptis reliquit, spolio debetur Ecclesiastico. Idem est de emptis ex redditibus Ecclesiasticis, modò ad victum aut stipendium congruum destinati non fuerint, nec de illis in vita irreuocabiliter disposuerit. Idem iudicium de instrumentis sacris ad diuina Officia celebranda vtilitibus aut necessariis.

51. *Num bona ex stipendio quotidiani laboris personalis, scilicet Missæ, prædicationis, Confessionis, &c. obnoxia spoliis?* Minimè; quia inter quasi patrimonialia adnumeranda, sicuti & ea, quæ ab amico dono accipiuntur.

52. *Quibus spolia debentur?* Beneficiarij regularis spolia, imò etiam non Beneficiarij iure antiquo erant Monasterij; nouo autem sunt Fisci Apostolici: intellige de eo qui separatim viuit, & à mensa communi seorsim: morientem in Camera, & Priuilegiatum si excipias. Bona Ecclesiastici siue Regularis siue secularis spolia Cameræ redduntur, quando contra inhibitionem Canonum acquiruntur, idque nouo iure Instrumenta sacra post mortem Beneficiarij Ecclesiæ, vel Monasterio debentur, in quo quis beneficium habet, vel habuit: idem est de Pensionario. Fructus Beneficij tempore mortis debiti, sed nondum percepti spolia sunt Cameræ, in iis scilicet terris, vbi Collector est Apostolicus: aliàs successori debentur. Fructus beneficij à die vacationis vsque ad legitimam prouisionem, & actualem possessionem olim ad Ecclesiam illius beneficij, vel ad successorem pertinebant: nunc autem ad Cameram Apostolicam. Redditus pensionarij tam exacti, quàm exigendi sunt modò Cameræ Apostolicæ. Vtensilia, v. g. mensæ, scamna, &c. post Pium V. non sunt spolia. Debita defuncti beneficiarij soluet successor, si ea ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ contracta sint, imò si etiam ob propriam necessitatem: id quod in iis locis intelligendum, vbi ad Cameram bona non deuoluuntur.

53. *Vndenam excusari possunt beneficiarij ab spolio faciendo?* Duplici ex capite: vno quidem, si facultatem testandi à Pontifice acceperunt; altero, si eandem habent ex consuetudine, vt in Hispania, & Gallia.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Beneficijs ex Societate IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De Beneficijs.*

54. *Episcopatus & alia beneficia curam animarum habentia sunt ne in competitorum concursu dignioribus conferenda?* Ita planè, alioquin iustitia distributiua violatur, & peccatum acceptionis personarum committitur. Imò peccatur contra iustitiam commutatiuam ortam ex illo quasi contractu proueniente ex propositione edicti de concursu. Vnde tunc eligentes minus dignum ad restitutionem tenentur. Ita Vasq. *Vasquez.*

55. *Qui ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Summus Pontifex, & Reges, tenentur ne digniores eligere?* Sufficit si eligant dignos: & prælati hos acceptare tenentur. Ex Regin. *Reginaldo* & Sanch. *Sanchez.*

56. *Resignat quis beneficium: debet ne digniori resignare?* Negatiuè respondeo cum Less. *Lessio*; quia cum nullus sit concursus, poterit digno cui voluerit resignare: & collator acquiescendo resignatori non peccabit.

57. *Possunt ne Ecclesiastici valde nobiles, aut insignis eruditionis, cæteris paribus, plus alijs minùs nobilibus, aut minus eruditis sumere ex Ecclesiæ reditibus?* Possunt ex doctrina Molin. *Molinæ*: debent tamen sumptus esse moderati, vt non excedant decentem Ecclesiasticorum modestiam. Vnde collige Principum filios non posse tantum expendere de bonis Episcopatus, quantum de bonis patrimonialibus possent; quia alia sustentatio conueniens est Principi Ecclesiastico, alia seculari.

58. *Beneficij Ecclesiastici collatorem iam determinatum ad conferendum alteri, precibus aut muneribus induco, vt mihi, vel amico minus digno conferat: teneor ne ad restitutionem?* Less. Minimè, (ait *Lessius*) quia reliquisti collatorem in sua libertate: nec alteri iniuriam irrogasti, etiam si ex odio feciisses; quia odium non est peccatum contra iustitiam, sed contra charitatem.

59. *Me agnosco minùs dignum: possum ne me offerre ad beneficium obtinendum?* Potes, relinquendo totum iudicium electori, siue collatori, ex Lessius. *Lessij* doctrina. *Si autem in concursu prætermisso digniore eligar?* Potes, ex assertione Turr. *Turriani*, beneficium, aut cathedram acceptare.

60. Is

60. *In concursu potest ne dignus eligi, relicto digniori?* Respondeo ex Lessio posse pluribus in casibus. 1. Si dignior est extraneus. 2. Si minùs dignus est acceptior plebi; 3. Si dignior est externis negotiis implicatus. 4. Si est periculum ne eligatur indignus. 5. Si minùs dignus sit magis expertus. 6. Patronus laicus potest relicto digniore minùs dignum præsentare. Porrò examinatores digniorem indicare non tenentur, nisi Episcopo postulante, vt Ecclesiæ electionem faciat vtiliorem.

61. *Est ne dispensatio necessaria ad pluralitatem eorum, quæ in Hispania Præstimonia vocantur?* Minimè ex *Valentia*. Porrò Valent. Præstimonia sunt Beneficia simplicia sine residentia.

62. *Habens quis Dignitatem, aut personatum, aut Curatum Beneficium alterum tale accepit.* Vacat prius ipso iure: quod nisi statim resignet, etiam secundo priuatur. Sed id per sententam iudicis; nec enim debet se ipse priuare. Imò nec priùs vacat secundùm aliquos, nisi à iudice moneatur, idque post pacificam secundi possessionem. Sic *Saa*. Saa.

63. *Vicarius reuocatus, sed ignorans reuocationem confert Beneficium: est ne collatio valida?* Ita quidem, (ait *Saa*) itemque renunciatio facta per Procuratorem reuocatum ante reuocationis intimationem illi factam, etiamsi is, cui fit renunciatio, reuocationem sciat. Saa.

64. *Potest ne Episcopus cum illegitimo dispensare ad Beneficium?* Ad vnum simplex posse affirmat *Molina*, dummodò Molin. personatus aut Dignitas non sit, & ad minores ordines dispensatio petatur.

65. *Scio eum qui initio sine iusto titulo Beneficium habuit perceptos fructus restituere teneri: est ne remedium, vt retinere possit?* Maximè, si titulus reualidetur Beneficij malè acquisiti, fructus enim Beneficij vacantis debentur successori: vacabat autem iure, etsi non de facto Beneficium illud, & ipse successor est, nisi aliud consuetudo legitima, aut constitutio disponat. *Quid si titulus non reualidetur?* Tria habet remedia. 1. Potest cum Camera Apostolica componere. 2. Ecclesiæ suæ. 3. Vel successori eos fructus tradere, qui partem remittere potest. Sic ex Nauar. & aliis *Saa*. Saa.

66. *Beneficium quis obtinuit simulata sanctitate, vel ob causam turpem, tenetur resignare?* Non teneri affirmat *Molina*; Molin. nisi esset turpitudo, quæ ipso iure nullam redderet collationem, v. g. Simonia.

67. *Dans beneficium indigno, cuinam tenetur? Valentia* teneri digno asserit: affirmo cum aliis Ecclesiæ cui damnum Valent.

dedit

dedit restituere debere. Scio alios Ecclesiæ, & digno simul deberi docuisse.

68. *Dixisti Beneficiatos posse tanquam dominos de fructibus assignatis sibi pro stipendio disponere: rogo num teneantur quæ supersunt honestæ sustentationi in pios vsus erogare?* Piis operibus, aut egenis debere omnes asserunt. *Quid si non faciant?* Rei sunt grauis criminis, non tamen restituere tenentur. *Et ne licitum ex Ecclesiæ superfluis redditibus filiam dotare?* Sciens quosdam negare, si alia habeantur bona, vnde fiat: assumo

Molin. filiam posse tali dote donare. Sic *Molina.* Imò si filiæ sint spuriæ, & alia non habeant bona, potest illis alimenta, & dotem dare post Bullam Pij V. relatam à *Nau.*

69. *Sio eum, qui post sex menses ab obtento Beneficio etiam Præstimonio, non impeditus legitimè non recitat Officium non facere fructus suos: rogo cuinam fructus huiusmodi restituendi?*

Tolet. Aut fabricæ beneficij, aut pauperibus. Si talis pauper est, potest sibi de Confessarij consilio retinere. Sic *Toletus.* Quod si fecit alia, ad quæ ob beneficium tenebatur, poterit sibi licet pauper non sit, quantum illa merentur, reseruare. Itaque sufficiat Parocho quintam partem restituere; Canonico quartum; aliis Beneficiariis tertiam.

§. 2. *De Pensionibus.*

70. *Possunt ne omnes pensiones pecunia redimi?* Possunt, exceptа ea, quæ datur in titulum beneficij, ob aliquod ministerium spirituale futurum coadiutori Episcopi, vel Parochi senis. Vnde 1. Redimi potest, quæ datur seni renuncianti beneficium ob labores præteritos exhibitos. 2. Quæ datur Clerico pauperi; quia tantùm datur in alimentum eius, & est merè temporalis. 3. Quæ data est in renunciatione, vel commutatione beneficij pinguioris; quia etiam est temporalis, & iam ante extracta à titulo, & officio spirituali. 4. Illæ quæ conceduntur ad componendam litem dubiam super beneficio. 5. Quæ dantur personis omninò secularibus, vt Principibus; vel filio nobilis etiam Clerico, propter obsequia, quæ

Sanch. pater Ecclesiæ præstitit. Ex *Sanchez.*

71. *Quamnam pensionem potest Episcopus iniungere?* Potest imponere pensionem ad fructus beneficiorum permutatorum coæquandos, quæ duret ad tempus tenentis beneficium, cui imponitur. Item super beneficio à se collato ad vitam solum beneficiati, imò etiam ad vitam pensionarij, & secundùm D. Thom. ante collationem beneficij potest de fructibus eius ad pios vsus subtrahere. Potest & iudex ad dirimendam litem

Saa. constituere Pensionem. Quæ quidem mihi cum *Saa* vera sed parum esse in vsu videntur.

72. *Datur*

72. *Datur ne Pensio irregulari?* Ex eodem respondeo. Irregulari non datur, licet propriè beneficium non est.

73. *Ligat ne excommunicatio lata in non soluentem tempore præfixo Pensionem?* Non ligat secundùm stylum Curiæ, vsque dum pensionarius declaret ligasse.

74. *Obit quis non soluta Pensione: potest pensionarius à successore petere?* Potest peti à successore de fructibus quos percepit, secundùm Curiæ stylum.

75. *Quinam Pensionem dat laico?* Solum Papam *Saa* affirmat conferre. §. 3. *De alienatione bonorum Ecclesiæ.* *Saa.*

76. *Est ne valida alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Rectoribus in euidentem Ecclesiæ eiusdem vtilitatem?* Valida est, saluo assensu Sedis Apostolicæ: etiam si Summus Pontifex nondum consenserit. Neque Rectores, qui fecerunt conditionem Ecclesiæ meliorem, excommunicationem incurrunt; quia cùm hic contractus celebratus sit in Ecclesiæ commodum, quamuis legitima forma, & solemnitas desit, validus erit: forma enim requiritur tantùm ad fraudes euitandas.

77. *In mobilibus bonis Ecclesiæ quodnam censetur pretiosum, quod non possit à Prælato alienari?* Quod excedit valorem 25. aureorum. *Comprehenduntur ne Reliquiæ Sanctorum sub rebus illis pretiosis prohibitis sine debita solemnitate alienari?* Minimè; quia non sunt pretio æstimabiles.

78. *Num acquisita per illicitam negotiationem Cameræ Apostolicæ debeantur?* Respondeo ex *Filliucio* in conscientia deberi, etiam si de ea negotiatione in foro iudiciali nihil constet. De iis tamen in vita disponere potest beneficiarius, modò illis non sit per iudicis sententiam priuatus. §. 4. *De spoliis Ecclesiasticis.*

79. *Quid de acquisitis ludo per Canones prohibito?* Spolia fieri idem Doctor affirmat. Imò omne lucrum Canonibus prohibitum, spolium est: non autem quidquid acquiritur faciendo contra Canones cedit in spolium.

80. *Licet ne spolia in fraudem alienare?* Minimè, v.g. si quis intuitu mortis solùm aliquid alteri donet. *Quid si fictè donet inter viuos?* Peccat, v.g. donans eo pacto, vt quandiu viuit de re donata possit disponere. Vnde assero donatarium post donatoris mortem in conscientia debere spolium relinquere. Ita. *Filliucius.* Filliuc.

81. *Cui pœnæ subiacet spolia detinens Apostolica?* Excommunicationem ipso facto incurrit, nisi vel soluat, vel cum Camera componat: cum qua tamen non componitur, quando spolia aliò pertinent.

82. *Donat*

82. *Donat quis beneficiarius infirmus alicui centum aureos, nec infra viginti dies moritur: num sit spolio addicendum?* Re-
Filliuc. spondet *Filliucius* non præsumendum donatum esse mortis causa, ac proinde retineri posse.

83. *Beneficiarius submortem donans affirmat se tantundem ex patrimonio in pios vsus expendisse, vel parciùs viuendo sibi subtraxisse, quantum ex reditibus Ecclesiasticis tunc donatis ei eredendum?* Credendum planè ex probabili sententia. Ad-
Filliuc. dit *Filliucius* probabilius esse non posse cognatos defuncti ex bonis beneficij tantum sibi sumere, quantum beneficiarius ex suo patrimonio in pia opera exposuit.

84. *An fructus malè percepti, ex omissione horarum, ex malo titulo beneficij, ex incursu censuræ, & ex Simonia, spolia sint?* Minimè; quia sub dominio beneficiarij nunquam fuere.

85. *An distributiones.* Quantumuis magnæ sint, spolium
Filliuc. non facere asserit idem *Filliucius*; horarum & Officiorum præmium speciale esse quis dubitet.

EXAMEN II.

De statu Ecclesiastico circa materiam de Simoniæ vitio?

Caput Primum.

Quid Simonia, & in quasnam personas cadat.

§. 1. *Simonia malitia.*

1. *Simonia quid?* Dictum nomen, à Simone Mago, qui primus in nouo Testamento hoc legitur crimine infectus. Sic definio: studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel annexum spirituali. Porrò Simon ille Simoniam commisit contra ius diuinum tantum, non Ecclesiasticum, quod nullum tunc erat. Iure autem diuino prohibitam dico naturali nimirum, eo quod ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dictat, dona supernaturalia, cuiusmodi sunt gratia, Sacramenta, diuina Officia, & his similia sanctè esse tractanda, nec in temporales contractus deducenda.

2. *De eius malitia quæ?* Profectò Simoniæ malitia Religioni

gioni aduersatur ex suo genere, vnde ex suo genere peccatum lethale est, & valde graue: quin probabiliter assero non dari in Simonia veniale peccatum ex materiæ leuitate, sed tantum ex consideratione, vel ignorantia venialem negligentiam admixtam habente. Et quidem suppositis conditionibus, quæ tam ex parte materiæ, quàm ex parte obiecti Simoniæ reperiuntur in actione vendendi rem sacram, malitia rectè dicitur illi intrinseca: vnde dispensari in ea non potest, nisi mutata materia talis actionis, ideoque absolutè loquendo malitiam Simoniæ à venditione talium rerum, de potentia ordinaria, & iuxta congruum prouidentiæ modum, esse inseparabilem. Non semper iniustitiæ malum cum Simonia coniunctum est; at semper adest malitia contra Religionem, irreuerentiæ nimirũ, & indebitæ sacrarũ rerum æstimationis.

3. *Quandonam autem admisceretur iniustitia?* Quando Simoniacus vendit actionem, ad quam ex officio tenetur: v. g. cum Parochus in Sacramentorum administratione, vel ratione solius spiritualitatis, temporale pretium accipit, vt si ratione consecrationis Calicis, vel Agni benedicti maius pretium acciperet, quàm materia argenti, vel cereæ elaboratæ valeret.

§. 4. *In quasnam personas cadit Simonia.*

4. *Recense personas, in quas vitium Simoniæ cadere potest.* Profectò in primis Papa Simoniæ peccatum contra ius diuinum committere potest: v. gr. si Ordines venderet pro pecunia, res sacras, doctrinam fidei, dignitatem ipsam Pontificiam, & iis similia.

5. *Potest ne Pontifex eam vitare?* Potest quidem multis modis: & in contractibus iure positiuo Simoniacis facilè satis, siue quia lege illa non teneatur, siue quia secum dispensare potest, siue quia date potest alteri beneficium, & recipere pecuniam veluti redempta pensione tota simul. Id certum assero, etiam si committeret Papa Simoniam, pœnas non incursurum.

6. *Quid de inferioribus?* Simoniaci esse possunt Prælati, & eorum ministri. Notarius non potest quidquam accipere, si pro officio suo stipendium sufficiens habeat; quod si accipiat, Simoniacus erit. Episcopus in Ordinibus conferendis, & in iudiciis caueat à Simonia.

7. *Aduocatus vendere potest patrocinium?* Potest quidem etiam in causa spirituali; quia ipsum patrocinium res spiritualis non est. Testis autem in causa spirituali si pro testimonio dicendo, aut aperienda veritate recipiat in pretium rem temporalem, Simoniacus erit.

8. *An*

8. *An Episcopi in conferendis beneficiis labi in Simoniam possunt?* Ita planè, recipiendo aliquid temporale pro institutione, collatione, resignatione, permutatione, vel alia prouisione.

9. *Num ministri recipientes aliquid pro literis conscribendis?* Minimè; quia laborem temporalem vendunt.

10. *Dantes autem familiaribus pecuniam, vt à Prælato gratiam per eos obtineant, erunt ne Simoniaci?* Ita quidem, vt etiam ipsi mediatores, nisi tantùm facilem aditum datori tribuerent, vt ipse petat à Prælato gratiam.

11. *Exprime queisnam modis Clerici Simoniæ labem incurrant.* Incurrunt si Ordines recipiant per pecuniam, si beneficia emant, vel Officia Ecclesiastica, si ministrent spiritualia pro temporalibus tanquam pro pretio, & modis similibus.

12. *Quid de Religiosis?* Religiosi tam vt Clerici, quàm vt Religiosi Simoniaci possunt esse, v.g. si Religiosum recipiant pro pretio, vel conferant professionem pro pecunia, &c.

13. *De laicis denique quidnam?* Laici etiam infideles Simoniaci esse possunt, vt etiam Communitates, & Capitula, si actio, quæ fit simoniacè, à toto Capitulo, aut Communitate exerceatur.

CAPVT II.

Quotuplex Simonia, & quænam eius materia.

§. 1. *Simonia triplex.*

14. *Simonia quotuplex est?* Triplex, Mentalis, Conuentionalis, & Realis. *Mentalis* dupliciter accipitur: primò pro nudo proposito, seu desiderio committendi Simoniam, & hæc nulla ratione cum externo actu coniungitur. Secundò accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente Simoniaca, sed ex se & ex circunstantiis Simoniam non profert, nec apparet exterius vlla Simoniæ labes. *Conuentionalis* consistit in pacto, seu conuentione expressa vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro spirituali. Hæc Simonia distinguitur à Mentali ob conuentionem externam, quam non includit mentalis. *Realis* est illa, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro spirituali. Hæc incompleta dicitur, dum ex vna tantùm parte res traditur: completa autem, dum ex vtraque parte. Huic adhæret Simonia confidentialis realis, dum videlicet Beneficium reipsa renunciatur, vel confertur cum pac-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

to, vt sibi, vel alteri restituatur, vel vt sibi vel alteri pars tradatur fructuum. Præterea Simonia ficta committitur, dum quis exteriùs rem spiritualem pro temporali promittit, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam; & hæc non est verè Simonia, sicut fictum aurum non est aurum.

§. 2. *Materia Simoniæ.*

15. *Quanam Simoniæ materia?* Res aliqua sacra spiritualis, & supernaturalis. Hinc colligo committi Simoniam vendendo gratiam sanctificantem. Et vendendo Sacerdotem intuitu Sacerdotij, vbi quidem Spiritus sanctus si de iure non venditur, venditur de facto. Vendendo Christum committi potuit Simonia habita ratione vnionis hypostaticæ, vel donorum sacrorum & supernaturalium in Christo existentium. Item & Eucharistia tam ratione contenti, quàm specierum consecratarum est Simoniæ materia, sicut Sacramenta, aut Sacramentalia, & Reliquiæ. Secus dicendum de misericordiæ operibus externis, videlicet de actionibus, & obsequiis sepeliendi mortuos, visitandi infirmos; quia huiusmodi opera non sunt res sacræ, sed naturales. Præterea Simonia committitur dando pecuniam pro Missæ Sacrificio, non titulo eleemosynæ, aut congruæ sustentationis, & laboris. Et vendendo Rosarium maiori pretio, ex eo quod reliquias Sanctorum attigerit. Et accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, vt sunt quid conflatum ex materia & forma; quia vt sic sunt res sacræ: non autem recipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, v. g. pro pane, vino, oleo. Et Ceremoniæ, Benedictionesque sacræ seu Sacramentalia tam transeuntia, quàm permanentia sunt materia Simoniæ. Et functiones Ordinum tam maiorum, quàm minorum prima tonsura, Officia diuina, orationes priuatæ, & exequiarum vel funerum spirituales actiones, v. g. recitatio, & cantus Psalmorum. Cantor tamen tanquam laicus canens pretio accepto, vel promisso, non incurrit Simoniæ labem.

16. *Aliqua speciatim in quæstionem adducam: an pro Sacramentis recipi, vel dari possit pecunia absque Simonia?* Pecunia tradi potest non pro ipsis Sacramentis, vel eorum administratione, sed ad remouendum impedimentum, vel ad redimendam iniustam vexationem, dum grauis vrget necessitas illa Sacramenta recipiendi. Imò Sacramentum accipi potest traditâ pecuniâ, etiam quando administrans pretium petit tanquam præmium administrationis, modò petens pretium pro Sacramento, non petat illud in Christianæ Religionis contemptum.

17. *An Simoniacus sit vendens sepulturam?* Probabilius existimo committi Simoniam, si pretium exigatur pro ipsa terra communi sepulturæ fidelium deputatæ: non autem sua venditione habeatur ratio loci honoratioris ob rationem, & respectum aliquem temporalem.

18. *Committitur ne promittendo, vel dando temporale alteri, vt opus spirituale præstet?* Committi assero: quia spirituale pro temporali acquiritur. At qui tradit aliquid alteri, vt peccatum vitet, vel vt opus spirituale faciat, non solius operantis vtilitatem, relicta illi facultate & libertate tale opus faciendi, non inficitur Simoniacæ labe, nec alia ratione peccat præciso scandali periculo: siue tale opus sit consilij, siue supererogationis, siue præcepti.

19. *Simoniacum ne, accipere pecuniam pro abstinendo à bono opere?* Minimè, si opus sit naturale, & non pertineat ad Religionem. Imò omissio actus spiritualis, vel praui operis, quod quis facturus erat, in rigore loquendo, non est Simoniæ materia: sicut neque accepta pecunia occultans peccatorem committit Simoniam.

20. *Venditio scientiæ & doctrinæ, id est docere ratione pretij, est ne Simoniacum?* Scientiæ & doctrinæ etiam miraculosè obtentæ actum vendi posse affirmo: possèque pretium iustum taxari habita ratione qualitatis personæ. Quare docens Theologiam præuia pecunia, & præbens consilium in eadem facultate etiamsi ad alterius pacandam conscientiam tendat, Simoniæ labem non incurrit.

21. *An Concio sit Simoniæ materia?* Est, si ipsa per se spectetur; at si labor & sustentatio concionatoris, potest in pactum deduci.

22. *Quid de Beneficijs?* Simoniæ materia sunt permutatio, venditio, resignatio, pensio beneficij propria authoritate, & illegitimè facta. Item Episcopus, seu beneficij collator nihil exigere potest ob beneficij collationem, licet id facere intendat temporalis incommodi intuitu. Potest tamen Episcopus separatus à sua dignitate Ecclesiam sui iuris aliquid exigere in antiqui iuris recognitionem.

23. *Num materia Simoniæ non solùm sint res sacræ, & spirituales secundùm se, verùm etiam illæ, quæ spiritualibus sunt annexæ?* Annexum antecedenter spirituali vt sic, est Simoniæ materia: secus si per se spectetur. Ius patronatus inter annexa spiritualibus antecedenter annumeratur, & vt sic vendi non potest. Idē assero de ipsa præsentatione, seu actu præsentandi, omnia est actio spiritualis. Porrò annexum spiritualibus com-

parato

nter, vel consequenter est Simoniæ materia, ergo vendi non potest absque Simonia; sequitur enim naturam principalis, cui annexum est. Ideo beneficiarius resignans alteri beneficium non potest quidquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiam si intendat aliquid exigere ratione fructuum. Et beneficiarius resignans beneficium ratione fructuum pretio accepto, Simoniam incurrit.

24. *An permutatio rei spiritualis cum alia spirituali praecisè Simoniaca sit?* Minimè, secus si fiat permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa temporalis est.

25. *Num omnia beneficia Ecclesiastica sint materia simoniæ?* Omnibus beneficiis, quæ propriè talia sunt, inpetit, ne absque Simonia vendi possint. Vnde colli[illegible]. Præsimonia, cùm sint hodie vera beneficia, Simoniæ materiam esse. 2. Commendas Clericales siue perpetuas siue temporales, siue dentur ob vtilitatem Ecclesiæ commendatæ, siue in fauorem commendatarij: non ita commendas militares, si per se spectentur, quamuis illicitum sit eas vendere directè & formaliter. 3. Coadiutorias eodem modo, similes enim sunt Commendis Clericalibus. 4. Hospitalia si sint Ecclesiastica beneficia, certum est vendi absque Simonia non posse. Si tantùm habeant regimen temporale, & fundata alioquin Episcopi authoritate sint, etiam probabile est vendi non posse tanquam Officia Ecclesiastica. 5. Iuspatronatus materiam Simoniæ esse contra ius diuinum. 6. Officium Sacristæ, seu Thesaurarij etiam vendi prohibitum. Item officium Primicerij, qui authoritatem habere solet ad minores Clericos instruendos, & ad dirigendum Chorum. Verùm horum officiorum functiones vendere Simonia non est.

26. *Dixisti verè rem spiritualem cum spirituali commutari posse; quia res spiritualis pretij rationem habere non potest. At quod annexum est spirituali rei temporarium si commutetur cum re verè spirituali Simonia est, illud enim temporale cum spirituali commutaretur: rogo igitur an possit esse Simonia contractus positiuus in permutatione rei spiritualis cum spirituali?* Potest, v. g. in permutatione beneficiorum, & in aliis, quæ prohibentur ab Ecclesia permutari religionis intuitu. Porrò in beneficiis res est satis aperta; idemque esset in pactionibus rerum spiritualium, quæ temporalia annexa habent consequenter, vt commutatio beneficij cum Vicaria ad nutum amouibili: electio ad beneficium pro electione ad Vicariam illam: præsentatio ad beneficium pro collatione eius-

dem. Profectò extra beneficia permutatio spiritualium prohibita non est, vt functiones sacræ inter se, vasa sacra cum aliis vasis sacris, &c.

27. *Num Pensiones materia Simoniæ?* Pensio laicalis non est Simoniæ materia contra ius diuinum, nec contra humanum: at probabilius est esse ex Curiæ stylo. Clericalis antiquo iure materia non erat, est autem hodie de iure nouo Pij V. In alium pro pecunia transferri non potest, nec propria authoritate redimi absque Simonia contra ius diuinum: at Papæ authoritate potest. Idem dicendum de Pensione Clericali stipendiaria; ea enim nec vendi potest, nec redimi propria authoritate, & si vendi possint fructus pensionis onere retento. Resignatio in fauorem tertij cum onere pensionis, vel absoluta cum eo onere, materia Simoniæ est, nisi fiat coram Papa.

CAPVT III.

Quandonam id quod datur pro re spirituali, existimetur habere pretij rationem.

28. *Quotuplex pretium?* Triplex, Munus scilicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Munus à manu multiplex est pecunia in quauis quantitate, res pretio æstimabilis, remissio debiti, mutuatio pecuniæ, pensio, &c. Per munus à lingua preces intelliguntur postulatæ à collatore rei spiritualis in suam vtilitatem, vel suorum consanguineorum, aut amicorum: sic enim habent rationem rei pretio æstimabilis distinctam à munere, à manu, vel ab obsequio. Et quidem quod de precibus dictum est, locum habet in aliis verborum generibus, v.gr. intercessionibus, laudibus, adulationibus, signis beneuolentiæ, & honoris. Munus denique ab obsequio est actio hominis ordinata ad commoditates corporis vel animi spectatæ in sua naturali perfectione, si de obsequio temporali sermo sit.

29. *Expende, quandonam triplex hoc pretium Simoniam inducat?* Omne munus ad manum iure positiuo prohibitum est omnem Simoniacam efficiēs commutationem. Munus à lingua, seu preces secluso pacto non faciunt Simoniam, nec enim pro se oblatæ, nec pro indigno, nec si precibus indi-

catur

catur vir potens ad impetrandum beneficium. Collator verò beneficij intendat obligare ad preces, Simoniacus est. Alia item genera verborum, aut beneuolentiæ signa si fiant ex pacto, vel promissione cum collatore, in fauorem eius, & vtilitatem. Simonia erit: secus si pactum absit. Munus denique ob obsequio Simoniam potest inducere. v.g. beneficium dare ob facta obsequia in solutionem debiti Simonia est: secus si collator moueatur ex obsequiis ad dandum gratis beneficia. Et quidem obsequia, quæ fiunt absque vllo pacto expresso, vel tacito inter Aulicos & Prælatum, ita vt in Prælato nulla sit obligatio ex iustitia, remunerari beneficiis possunt; secus illa, quæ solent etiam certo stipendio ex pacto tacito compensari. Spirituale obsequium exhibitum Simoniam non inducit, nisi vel resoluatur in temporale, vel pactum antecesserit ab Ecclesia prohibitum. Scio tamen pro beneficio obligari ad spirituale obsequium prohibitum esse. Profectò temporalis res Ecclesiæ relinqui potest cum onere aliquid spirituale præstandi.

CAPVT IV.

De causis aliis à Simonia, excusantibus.

30. *Regulas trade ad agnoscendum Simoniam in paciscendo, vel tribuendo aliquid temporale pro spirituali.* Duas accipias. Prima ante ius acquisitum in beneficio, vel alia re spirituali non licet redimere vexationem, quæ ius acquirendum impedit. Secunda, post ius acquisitum in beneficio, vel alio spirituali dono, iniustam vexationem redimere, quæ pro illo tollendo infertur, Simonia non est.

31. *Ad hoc, vt licita sit redemptio vexationis in iure acquisito, quotnam conditiones requiruntur?* Quatuor. Prima, vt ius certum, & indubitatum sit. Secunda, vt plenum, non ex parte tantùm. Tertia, vt vexatio iniusta sit. Quarta, vt res quæ datur pro vexatione tollenda, temporalis sit, non autem spiritualis.

32. *Igitur erit ne Simonia recipere pecuniam quis, vt non vexet?* Non nisi materia vexationis spiritualis sit. *Iniustè vexans tenetur ne ad restitutionem?* Ita planè. *Qui redimit vexationem iustã ante ius acquisitum committit Simoniam?* Procul dubio Simoniacus est. *Quis intẽdit subornare electores: potest ne*

ab alio subornari? Subornator subornari potest data pecunia, vt à corrumpendis electoribus desistat. *Potest dari pecunia, ne indignus eligatur?* Simonia non est. *Si inter omnes eligibiles vnus tantùm dignus sit, licet vexationem redimere, ne eligatur indignus?* Licet planè; vt etiam si plures digni, sed vnus sit dignior, licet vexationem redimere, ne minùs dignus eligatur. In electione tamen Papæ ius diuinum tantùm seruandum est, eáque, quæ specialiter prohibita non sunt.

33. *Est ne Simonia transactio, in qua remittitur ius spirituale pro temporali?* Ita planè tam in beneficiis, quàm in aliis materiis, vt iurisdictione spirituali, & rebus aliis sacris. At ea, in qua compensetur ius spirituale per largitionem iuris spiritualis proportionati de consensu partium, & in materia non beneficiali, fieri potest. Ita si sit exorta controuersia inter Episcopos de iurisdictione circa aliquam Ecclesiam, transigere possunt, vt vnus habeat iurisdictionem, alius prouisionem beneficiorum: vel vt alternis annis visitent, & ea potiantur. Porrò in materia beneficiali Superiorum authoritas requiritur; vt Episcopi, qui etiam ex paterna prouidentia & mero arbitrio imponere potest pensionem temporalem, etiam ad vitam pensionarij: multo magis pensionem spiritualem, quæ onus temporale non est. Alij etiam (ex probabili sententia) tanquam amicabiles compositores id possunt; vt etiam tanquam iudices, & arbitri priuati, modò Clerici sint.

CAPVT V.

De Pœnis Simoniaci.

34. PRecor *Simoniæ pœnas post Extrauagantem Pauli II. ipso iure incursas expendas.* Prima est excommunicatio, quæ tantummodo pro reali Simonia vtraque ex parte completa incurritur: non solùm autem per Simoniam contra ius diuinum; verùm etiam per eam, quæ contra ius humanum, est suspensio, qua Capitulum ab omni actu Capitulari, quo iurisdictionem, vel Ecclesiasticam administrationem requirat, interdicitur: recipientes Ordines ab executione Ordinum suspenduntur: conferentes à collatione quorumcunque Ordinum prohibentur, etiam primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium: additur etiam specialis

est, nisi aliud ex verbis legis constaret, vti contra bitur

specialis pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ: & si contra suspensionem, aut interdictum fiat, incurretur suspensio ab administratione Ecclesiæ, & suorum omnium beneficiorum fructu. Tertia est irritatio aliquarum actionum. Et quidem actiones sacræ simoniacè factæ validæ sunt, v.gr. Ordinatio, collatio Sacramentorum, consecratio Ecclesiæ, vel altaris, professio Religionis & similes actiones: item Ecclesiasticæ iurisdictiones, præter prouisiones beneficiorum, & actiones ordinatas ad conferenda beneficia, vel officia Ecclesiastica; non sunt irritæ redditæ. Res item sacræ acquisitæ per Simoniam validè possidentur, vt emptio Calicis, reliquiæ, iuris patronatus, officium Ecclesiasticum, & similia. Ipsa etiam beneficia Ecclesiastica secluso iure Ecclesiastico validè acquirerentur ex solo naturali iure: sed ex positiuo acquiruntur invalidè, ita vt Simoniacus teneatur beneficium vnà cum omnibus fructibus perceptis, vel sua culpa sponte non susceptis dimittere ante omnem sententiam, etiam in conscientia deductis expensis necessariis in eis colligendis.

35. *Incurruntur ne pœnæ statim ac Simonia committitur?* Incurruntur statim: & licet ex probabili sententia ex sola traditione rei spiritualis incurri possint, & incurrantur de facto: tamen ex probabiliori & magis in praxi recepta, requiritur etiam, vt res temporalis tradatur: censuræ non retrotrahuntur ad diem traditionis vnius rei, sed statim atque secunda res traditur, & completur Simonia, contrahuntur.

36. *Tenetur ne Simoniacus restituere pretium?* In venditione iniusta de iure naturæ tenetur: quod quidem pretium restituendum est ei, qui dedit, secluso contrario iure positiuo. Si venditio iniusta non sit, ex natura rei non est obligatio restituendi pretium: at iure Ecclesiastico restitui debet Ecclesiæ beneficij, in cuius iniuriam Simonia commissa est, vel pauperibus, vbi id obtinuisset consuetudo.

37. *Quid de Dispensatione Simoniæ?* In Simonia quidem non datur dispensatio quoad culpam: quoad pœnam autem à censura excommunicationis solus Papa absoluit, & ij, quibus per priuilegia conceditur. In suspensione contra Simoniacum in Ordine solus Papa dispensat, vt ad superiores Ordines ascendere possit. Sicuti etiam vt inferiores exerceat. Idem assero de suspensione imposita regulari Conuentui ob Simoniacam receptionem; est enim Papæ reseruata, & eius indiget dispensatione. Interdictum autem in duplici casu latum, vel contra ordinantes Simoniacè, vel contra recipientes beneficia quæcumque, vel pensiones, & similia in confiden-

tiam. Vtrumque Papæ reseruatur. Priuilegiati tamen ab eo possunt absoluere. Denique dispensatio quò ad alias pœnas ad Papam pertinet, v.gr. quod collatio validetur, vel fiat prouisus habilis ad illud, vel ad aliud Beneficium.

38. *Quid si Simonia sit occulta?* Negotium potest confici per S. Pœnitentiariam: si autem publica, ad Papam per viam Datariæ recurrendum.

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Simonia ex Societatis IESV *Doctoribus.*

Suar.

39. *AN peccatum Simoniæ admittat materiæ paruitatem?* Negat *Suarius de Rel. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5.* quia cum res spiritualis pretio datur, grauiter illa contemnitur. Alij asseruere eam materiam, quæ excusat à mortali peccato furti, excusari etiam à mortali Simoniæ. Suario hæresco; quia si ex paruitate pretij paruitatem criminis velis arguere, mihi planè quo vilius est pretium, eo magis res spiritualis vilipenditur, & conculcatur.

Sanch.

40. *Temporale datur non tanquam pretium rei spiritualis, sed vel ante collationem ad excitandum animum collatoris, vel postea gratitudinis ergò: an Simonia? Sanchez opusc. tom. 2. lib. 2. cap. 3. dub. 23. num. 7. & 8.* negat. Vnde si v. gr. quis inseruiat Episcopo ad impetrandum beneficium ex beneuolentia, & gratitudine: & Episcopus hoc titulo familiari suo conferat, etiam si explicet se illud præstitisse ad exonerandum se huiusmodi obligatione, neuter est Simoniacus.

Turr.

41. *Quis promittit Antonio, se daturum eleemosynam Petro, vel Hospitali, si sibi impetret beneficium, idque solum ad excitandum eius animum?* Asserit *Turrianus in select. part. 2. d. 16. dub. 3.* Simoniam non esse, quemadmodum, quum aliquid promittitur infideli, si ad fidem conuertatur.

42. *Scio, non esse Simoniacum, qui dat aliquid temporale tanquam pretium rei temporalis ordinatæ ad spiritualem, aut illi connexæ: rogo, an sit Simoniacus casuum conscientiæ Magister accipiens stipendium pro declarato casu?* Non, si fiat per modum instructionis, & non per modum exhortationis; etiam si petatur ad conscientiam pacandam; quia hoc

hoc per accidens, & consequenter. *Suarius citat. cap.* 18. *num.* 19. Suar.

43. *Pro intercessione ad beneficium potest aliquid dari, sine Simoniæ suspicione?* si (v.gr.) aliquid das Antonio vt intercedat apud Petrum collatorem beneficij, Simoniacus es. Si autem das aliquid Ioanni vt apud Antonium intercedat, vt ipse Antonius apud collatorem tuus intercessor existat: ex *Vasq.* sententia (quem citat, & sequitur *Sanchez dub.* 26. *num.* 7.) à Simoniæ periculo liberaris; quia illa intercessio remota est merè temporalis. Moneo, aliquos apud Sanctium docere, Simoniam illam, quæ committeretur, soluendo pretium intercessori immediato, esse solius iuris humani, non diuini, vel naturalis; quia hæc etiam intercessio temporalis est. Vasq.

44. *Commutatio rerum spiritualium inter se, Simoniaca est. Vnde quæsierim, si vocales cuiusdam Religionis conueniant inter se: Elige me in Prouincialem, aut Generalem, & te eligam in Abbatem, aut Priorem, Simoniæ sint rei?* Aliqui asseruere, putantes Prælaturas beneficiorum nomine efferri. At *Sanch. dub.* 44. *cap.* 4. negat Prælaturas hasce esse beneficio in eo rigore, vt nomine beneficij in lege hac pœnali comprehendi censendæ sint. Sanch.

45. *An pœnæ, de quibus supra, in omni Simoniaincurrantur?* Santio cum *Sanctio dub.* 108. *num.* 3. non incurri in Simonia iure tantum humano prohibita, qualis est Simonia in permutatione beneficiorum inter duos beneficiarios propria auctoritate facta, cum reseruatione pensionis. Nec si non habens ius in re ad beneficium redimat vexationem, dando pretium electori, ne sibi præferatur indignus. Nam licet hic sit Simoniacus, probabiliter edocet *Sanchez*, esse solius iuris humani Simoniam. Sanct.

46. *Cuinam restituendum est pretium pro Simonia in Ordine, beneficio, aut Religione?* Ecclesiæ, cui facta est iniuria, vel pauperibus, auctore D. Thom. At cum *Sanchez dub.* 114. *num.* 11. putarim, ante Iudicis sententiam restituendum esse pretium illud danti, qui à se dominium abdicare non censetur, nisi vt in recipientem transferat; quod si hic recipere non potest, dominium permanet penes ipsum, nec restituendum Ecclesiæ ob legem pœnalem; quia hæc ante sententiam non obligat. Profectò cum vtraque sententia sit probabilis, potest quis tuta conscientia restituere danti, aut Ecclesiæ, aut pauperibus. *An & retinere sibi, si pauper est? Sanchez* affirmat. Sanch. Sanch.

47. *An possit aliquid temporale accipi à Cancellario Episcopi, ratione laboris?* Tenetur gratis dare facultatem concionandi, audiendi Confessiones administrandi Sacramenta, deseruiendi beneficiis, sepeliendi cadauera in Ecclesia, celebrandi Missas, colligendi eleemosynas, mandataque publicandi eos, qui primam tonsuram accipere, aut ordinari voluerint. Pro aliquibus aliis scripturis, v. gr. pro literis collationum, institutionum, seu prouisionum beneficiorum vacantium per obitum, vel resignationem, pro literis dimissorialibus, pro approbatione tituli patrimonij, aut beneficij, pro licentia absentandi se ab Ecclesia, & aliis similibus, si nullum salarium sibi fuerit assignatum, potest congruam mercedem laboris accipere.

48. *Est ne Simonia aliquid dare pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicuius damni, quod inde patitur, aut alicuius lucri, quod amittit?*
Suar. Non esse, *Suarez* asserit.

49. *Num liceat de huiusmodi pretio pacisci?* Existimo cum
Valent. *Valentia* eo modo, quo licet temporale accipere pro spirituali sine Simonia, licere etiam de hôc ipso pacisci.

50. *Facta beneficij collatione, impeditur quis iniustè ab eius possessione: potest ne hanc vexationem pretio redimere?* Affir-
Sanch. matiuè cum *Sanchez* respondeo.

51. *Scio pœnas Simoniacorum esse restitutionem pretij, resignationem rei spiritualis, cum potest, excommunicationem, suspensionem ab Ordine & beneficio, infamiam, inhabilitatem ad beneficium Simoniacè acceptum, priuationémque omnium beneficiorum etiam iustè acquisitorum: rogo an mentales Simoniacis*
Busæ. *hus pœnas incurrant?* Respondeo ex *Busæo* duplicem esse mentalem Simoniam, vel qua quis cupit emere, vel vendere rem spiritualem, & non facit: vel qua quis cupit emere, aut vendere, & facit, sed sine vllo pacto adiuncto. Igitur prima Simonia non incurritur pœna: secunda etiam ex communi sententia nec in interno neque in externo foro ad vllam pœnam iuris obligatur; quia in *cap. fin. de Simon.* Gregorius XI. docet mentales Simoniacos non teneri ad restitutionem.

EXA

EXAMEN III.

De statu Ecclesiastico circa materiam de Ecclesiastica immunitate.

CAPVT PRIMVM.

De Immunitate ab oneribus.

1. *Quid est Ecclesiæ Immunitas?* Libertas, & exemptio ab oneribus vel subiectione, vel coactione temporalis, seu laicæ potestatis. Lęditur planè libertas Ecclesiastica, quoties laici Clericis aliquid præcipiunt, vel prohibent, quod iure diuino aut Canonico illis nec præcipitur, nec prohibetur.

2. *Quotuplex Immunitas hæc?* Triplex. 1. *Localis*, quæ competit Ecclesiis, ita vt qui ad ipsas confugiunt, inde extrahi, & à laicis comprehendi non possint. 2. *Personalis*, quæ personis Ecclesiasticis concessa est, ne oneribus afficiantur. Cùm enim Ecclesiasticæ personæ diuino cultui sint addictæ, par est, eas esse, ab oneribus, & iudiciis secularibus immunes. 3. *Realis*, qua gaudent bona ipsa Ecclesiastica, ita vt à censu, tributis, seu collectis potestatum secularium sint immunia.

3. *Procedat sermo in præsenti de secunda & tertia immunitate: rogo, à quibusnam oneribus sint liberi Ecclesiastici?* Ab oneribus omnibus, quæ à subditis soluuntur Principibus pro capite. Item ab onere excipiendi Principes hospitio, vel ipsorum legatos, aut milites. Nec vlla consuetudo huic derogat immunitati; quia Ecclesiastici exempti sunt laica potestate, quoad bona & personas.

4. *Gaudent ne Clericorum famuli huiusmodi immunitate?* Non; quia Ecclesiastici non sunt. *Num coloni Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum à collectis, tributis, aliisque oneribus gaudeant immunitate?* Variæ sunt Doctorum sententiæ. Expectanda planè Summi Præsulis decisio.

5. *Emphyteutæ qui bona Ecclesiasticorum in Emphyteusim siue censum acceperunt, tenentúrne ad collectas, & onera, quæ imposita fuerunt solùm pro dominio vtili, vel pro fructibus?* Tenentur; quia bona emphyteutica non sunt Ecclesiasticorum, quoad dominium vtile; sed tantùm quoad dominium directum

ctum. Cùm igitur Emphyteutæ sint laici, vt suppono, & Principibus subiecti, & ad ipsas pertineat fructus, imponens ipsis collectas pro his fructibus, Ecclesiasticas pœnas non incurrit modò id fiat sine damno domini directi, qui in Emphyteusim concessit bona.

6. *Num Ecclesiasticorum patrimonialia bona, seu acquisita de rigore iuris sint à tributis, & onerbus immunia?* Maximè, tum quia ius antiquum disposuit: tum quia onus tributorum immediatè & proximè imponitur personæ pro rebus: consequenter persona principaliter grauatur, & secundariò bona; sed personæ Ecclesiasticæ gaudent immunitate: ergo non potest ipsis onus imponi nec pro bonis Ecclesiasticis, nec pro patrimonialibus. Idem affirmo de bonis Ecclesiasticorum emptis, donatis, vel alio titulo acquisitis; nisi huiusmodi onera ex prævio partium pacto illis bonis imposita essent, antè quàm ad Ecclesiasticos peruenirent.

7. *Bona ne ad Ecclesiasticos translata tenentur tributorum oneri subiici?* Tenentur, quando illorum dominus antequam ad Ecclesiasticos transirent, promisit pro se, & suis hæredibus se tributa soluturum, collectas, & onera quæcumque imponerentur; quia posita huiusmodi promissione, contracta est obligatio realis non solùm personas, verùm & bona afficiens: onus autem reale bonorum transit ad possessionem, quantumuis persona sit immunis; secus dicendum, si statuto caueatur, vt omnia bona in territorio alicuius ciuitatis existentia obnoxia sint tributis, & oneribus in posterum imponendis; tunc enim probabilissimum iudico Ecclesiasticos non teneri ad onera post translationem bonorum ad ipsos imposita; quia hæc bona quando ad Ecclesiasticos transierunt, nondum erant obnoxia tributo: dum autem tributum imponitur, iam immunia, & exempta reputatur.

8. *Quid sentiendum de bonis, quæ in communi & indiuiso sunt Clericis cum laicis, v. gr. à Clerico & eius fratre laico possidentur?* Pro rata bonorum ad Clericum pertinentium gaudent Ecclesiastica immunitate; pro rata autem bonorum ad laicum spectantium, non gaudent, nisi aliud legitima ferat consuetudo.

9. *Fructus & reditus Ecclesiasticorum postquam ad laicos transierunt, amittunt ne ius immunitatis?* Amittunt; quia mutata persona, quæ est causa priuilegij, priuilegium extinguitur. v. gr. collectas exigentes ab iis, qui fructus Ecclesiasticorum emunt, non incurrunt Canonis censuram, modò dominium fructuum laicis emptoribus sit acquisitum.

10. *Qui*

10. *Qui verò Clericus non est, sed habitum induit Clericalem ne vectigalia soluat, est ne ab onere immunis?* Minimè; quia fraus non debet suo authori patrocinari. Secus si reipsa & ex animo habitum Clericalem assumat, licèt diuinis non inseruiat.

11. *Feudatarius tenetur ne ad onera ratione feudi imposita?* Tenetur, quia in iis, quæ ad feudum pertinent, Clericus domino feudi licèt seculari subiicitur.

12. *Quid de Clerico lucratiuam exercente negotiationem?* Tenetur planè pedagia, & gabellas soluere pro mercibus, non autem ante trinam admonitionem, vt mercaturam non exerceat. Tunc equidem (in gratiam expositionis) Clericus mercaturam exercere dicitur, quando aliquid emit, vt ex illius venditione lucrum faciat. v. gr. Clericus qui frumentum, vinum, oleum, & alia, quæ ex suo agro percipit, vendit, non dicitur negotiari; sed qui emit, vt cum lucro vendat.

13. *Possunt ne onera Ecclesiasticis imponi cum expressa Pontificis licentia?* Possunt. Cessante autem causa, ob quam laicis concessa est facultas Ecclesiasticis onera imponendi, cessat ipsa facultas.

14. *Num vlla consuetudo ius tribuat laicis onera Ecclesiasticis imponendi?* Minimè; quia iure diuino sunt immunes. At Clerici soluentes onera sibi à laicis imposita ad vexationem redimendam, censuram non incurrunt.

15. *Possunt ne seculares Principes onera Ecclesiasticis imponere ad pontium, seu viarum reparationem, mœniorum pro arcendis hostibus exædificationem, quando facultates laicorum non sufficiunt?* Propria authoritate non possunt, neque sufficit Episcopi consensus, sed requiritur Papæ facultas; nisi magnà necessitas moram non ferat. Quo in casu Episcopus cum Clero poterit impositioni huiusmodi consensum præstare.

16. *Tenentur ne Clerici ad onera, quæ non solùm in laicorum vtilitatem, verùm directè & immediatè in vtilitatem & commodum ipsorum Clericorum diriguntur?* Ex æquitate, & vi directiua tenentur, vt si onus imponatur ad obturandum impetum fluminis, quod laicorum & Ecclesiasticorum agris perniciem minatur.

Caput II.

De Immunitate à Foro.

17. *In huiusce materiæ gratiam, operæ pretium, præmittam, quænam sit Criminalis causa, quænam Ciuilis?* Causa Criminalis illa est, in qua agitur de pœna imponenda, vt iustitiæ commutatiuæ satisfiat. Cùm enim ad iustitiam commutatiuam pertineat, delicta punire, causa censetur criminalis, in qua de illis puniendis agitur. Cùm verò agitur de re applicanda parti iuxta regulas iustitiæ præscribentis ius suum cuique tribui, causa Ciuilis appellatur; de hac non dubium.

18. *Sunt ne Ecclesiastici immunes à seculari foro in causis Criminali?* Adeò immunes sunt, vt omnes quicunque Magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, & iustitiæ ministri quomodolibet interponentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, & expressa Sedis Apostolicæ licentia in excommunicationem decimam nonam Bullæ Cœnæ incurrant.

19. *Subiacet ne censuræ iudex laicus, qui informationem verbaliter, non verò iudicialiter contra Ecclesiasticum accipit?* Non; hic enim non dicitur processare; quia processus actus iudicialis est.

20. *Qui verò non ex proposito contra Ecclesiasticum processum instituit, in causa criminali, sed in prosecutione processus comperit delicti authorem Ecclesiasticum esse, subiacet ne censuræ?* Minimè; quia hic non dicitur Ecclesiasticam personam processare, quam ignorabat esse criminis authorem. At si processum persequitur, excommunicationem incurrit.

21. *Laicus iudex processum non conficit contra Ecclesiasticos, sed illos tantùm vti testes examinat ad indagandam rei veritatem: incurrit ne in censuram?* Non; quia huiusmodi examen non est processus. Secus si illos examinet tanquam reos, seu secularis rei complices, aut si cubiculo detineat, donec verum fuerint confessi.

22. *Quid si laicus iudex se in causis criminalibus ingerat contra Clericum consentientem? aduersùm se processum fieri?* Non ideo excusatur; quia contra status Ecclesiastici priuilegium non potest cedere iuri suo.

23. Sunt

23. *Sunt Ecclesiastici Præsides Curiæ Principis secularis: possunt ne se causis Ecclesiasticorum criminalibus ingerere?* Minimè, si id authoritate laicali præstant, scilicet tanquam secularis Principis Præsides.

24. *Accusatores, testes contra Ecclesiasticum deponentes, Advocati, procuratores, alijque coram Principe laico instantes, vt Clericus capiatur, &c. incurrunt ne censuram?* Non; quia nullam actionem adhibent in Canone prohibitam; quia Bulla tantùm loquitur de Magistratibus, Iudicibus, Notarijs, Ministris.

25. *Si verò iudex laicus, Notarius, ac executor Curiæ secularis ab Episcopo rogentur, vt se interponant in causa contra Clericum criminali, incurrunt ne excommunicationem?* Non; quia id faciunt tanquam ministri, & instrumenta iudicis Ecclesiastici. Imò cum auxilio secularis brachij indigent, possunt Ecclesiastici Principes seculares cogere ad auxilium præstandum; quia Tridentinum sess. 25. c. 3. dat eis facultatem capiendi per suos proprios, vel alienos executores.

Caput III.

Quinam sit reputandus Clericus ad Ecclesiastica immunitate fruendum?

26. *Quisnam sit appellandus Ecclesiasticus?* Personæ Ecclesiasticæ sunt illæ, quæ sacris sunt Ordinibus initiatæ; imò quæ minoribus, modò seruent ea, quæ in Tridentino sess. 23. cap. 3. præscribuntur. Extenditur priuilegium ad Clericos coniugatos, modò non sint bigami, & habitum ac tonsuram gerant, & alicuius Ecclesiæ ministerio sint ab Episcopo deputati. Clerici etiam dicuntur, qui primam tonsuram susceperunt. Item Religiosi cuiuscumque Ordinis etiam nouitij. Equites qui sunt verè Religiosi, v. g. Equites S. Ioannis, qui in communitate viuunt, & tria solemnia vota emittunt; reliqui verò, qui votis non se adstringunt Ecclesiasticæ personæ non sunt. Nec Tertiarij S. Francisci, & S. Dominici qui domi viuunt extra congregationem; qui verò assumpto habitu monachali sese obsequijs alicuius Religionis mancipant sub Superioris obedientia, quandiu ita degunt, Ecclesiastico priuilegio gaudent. Extenditur præterea ad Eremitas in communitate degentes, & ad eos qui sub aliquo Prælato

lato in communi viuunt ex tacita, vel expressa Pontificis Summi facultate, quamuis professionem non emittant.

27. *Nouitius apud Monasterium delictum commisit, deseruit postea Religionem, nec habet sacros Ordines, nec beneficio fruitur: potest ne hic à laica potestate ob illud delictum tempore nouitiatus commissi iudicari, ac puniri?* Non potest; quia tempore delicti à laica erat immunis potestate. Secus qui patrato apud seculum delicto, Religiosum habitum assumpsit, qui quidem non gaudet priuilegio fori, si ad Religionem fuit admissus non adhibita inquisitione, an aliquod delictum commisit? An ære teneatur alieno? Sic Sixtus V. decreuit.

28. *Quinam Clerici in criminalibus fori immunitate non gaudent?* Ecclesiasticus degradatus, & Curiæ traditus seculari. Perpetuò exilio mulctatus ab Ecclesiastico iudice. Dignus. Prima tonsura, aut minoribus Ordinibus initiatus, & tonsuram, & habitum Clericalem non deferat, Clericus qui minores Ordines intra annum à morte sui Episcopi cum litteris dimissoriis Capituli accepit. Item Clericus flagranti in crimine deprehensus à laicis capi potest, vt Superiori Ecclesiastico consignetur. Præterea Clericus debitor fugiens vel fugam meditatus, aut aliena bona asportans, vel sua debito adstricta, potest capi à seculari, modò animo tradendi Ecclesiastico iudici detineatur.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Ecclesiæ immunitate ex Societatis IESV *schola.*

§. 1. *De Priuilegio exēptionis à legibus & Gabellis.*

29. *PRiuilegium quo à legibus & iurisdictione Principum secularium eximuntur Ecclesiastici, à quonam iure est?* A iure diuino immediatè concessum, & à iure Canonico postea stabilitum cui etiam ius Ciuile accessit, vti ait *Bellarminus.* Habuerunt illud Clerici ante tempora Constantini: patet ex Conc. Carthaginensi III. Non possunt Principes hoc priuilegium reuocare: imò nec Summus Pontifex ei potest renunciare; quia ipse non est dominus absolutus bonorum iurium Ecclesiæ, sed solùm dispensator. Porrò nulla consuetudo, quamuis immemorabilis, potest huic priuilegio derogare; quia, vt bene *Suarius*, contra Ecclesiasticam libertatem nulla præscriptio.

Suar.

30. Rex

30. *Reges & Principes habent ne ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi?* Non habere *Azorius* affirmat, posse tamen eos rogare, & vocare vt Proceres.

31. *Decet ne Regios Magistratus in Cancellarijs Bullas Apostolicas examinandas detinere?* Minimè; vt *Filliucius* asserit. Filliuc. Sunt quidem recognoscendæ, & discutiendæ, cùm dubitatur de subreptione, aut falsitate, sed ab Ecclesiasticis iudicibus.

32. *Est ne Principis secularis curare, vt Episcopi suis in Ecclesiis resideant?* Non; quia nullam in Clericos habent potestatem. Possunt tamen Pontificem monere, vt curet disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis obseruari. Sic *Azorius*. Azor.

33. *Scio Clericos in sacris constitutos, & Religiosos per se negotiari non posse, per alios non prohiberi: rogo num qui tantum habent beneficium, nec sunt in sacris, possint per se negotiari?* Secutus *Molinam*, inclinor eos mortaliter non delinquere. Molin.

34. *Clerici ne primæ tonsuræ gaudent exemptione gabellarum?* Dixi gaudere ex iure communi. At quibusdam in Regnis ex consuetudine scita, & approbata Clerici minorum Ordinum non eximuntur, authore *Vasquez*, nisi actu habeant beneficium. Nouitij Religionum (ait *Sanchez*) sunt exempti à gabellis; quia sunt pars communitatis Ecclesiasticæ. Vasq. Sanch.

35. *Principes imponentes gabellas iustas super bona Ecclesiasticorum, incurrunt ne Bullæ Cœnæ censuram?* Incurrunt; (ait *Suarius*,) quia excommunicatio fertur in eos, qui imponunt gabellas nisi in casibus à iure permissis. Suar.

36. *Clerici negotiatores amittunt ne priuilegium exemptionis à gabellis?* Amittere affirmo cum *Lessio*, posséque ab eis gabellam exigi, non autem, vt innui, ante trinam monitionem. Less.

37. *Sunt ne Clerici aut diuino aut humano iure exempti à ciuilibus legibus, quæ cum Ecclesiastica libertate non pugnant?* Minimè. Ideo si Clerici vendunt frumentum vltra pretium taxatum, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, *Sala* authore. Non potest tamen (inquit) iudex laicus illos punire ob illarum legum transgressionem defectu iurisdictionis, etiam quando pœna exigenda est de plano, & sine alia controuersia iudiciali. Et quamuis iudex Ecclesiasticus (cum *Vasquez* loquor) Clericum non condemnet in pœnam legis laicalis, non potest hanc ideo ab illo iudex laicus exigere; quia Ecclesiastici mitiori sunt pœna puniendi. Vasq.

38. *Omnes ciues contribuunt ad sternendam lapidibus viam,*

quæ ante ianuam ipsorum: tenentur ne Ecclesiastici simul contribuere. Molin. Ex *Molina* respondeo teneri. Si tamen nolint, non posse à iudice seculari cogi, sed per Ecclesiasticum id fieri debere.

39. *Index laicus Clericum inuenit pecunias, aut frumentum è Regno contra leges exportantem: potest ne ea illi auferre?* Salas. Non posse, inquit *Salas*, quia non habet potestatem coërcitiuam in Clericos. Imo nec Clericus (eodem authore) cum armis prohibitis in flagranti crimine comprehensus potest à seculari ministro expoliari, sed tantùm ad Ecclesiasticum duci. Vasq. Nec falsa mensura (addit *Vasquez*) triticum, vel oleum vendens potest à iudice seculari puniri.

40. *Possunt ne imponi gabellæ super bona Ecclesiasticorum publica id necessitate exigente, quando agitur de necessitate communi tam Ecclesiasticorum: quàm laicorum?* Respondeo ex *Lessio* Less. imponi posse: sed tunc requiri deliberationem, & consensum vtrorumque; quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Talis autem necessitas non est in reparatione pontium, murorum & similibus.

41. *Quid si Clerus in casu quod debet nollet consentire?* Possent laici auxilium Superioris Ecclesiastici implorare, vt Clericos compellat; quia eo ipso quòd persona Clerici est exempta à iurisdictione seculari, exempta sunt etiam eius bona siue patrimonialia, siue donata, siue empta, siue alio titulo acquisita, nisi annexam habeant gabellam aliquam immobiliarem, & perpetuam, vti *Lessius* affirmat. Less.

42. *Potest ne Clericus se submittere regali iurisdictioni quoad bona patrimonialia?* Non; quia (vti ait *Laymanus*) & hæc gaudent priuilegio exemptionis, cui ille cedere nequit.

43. *Ecclesiasticus impedit, vel vsurpat iurisdictionem secularem, aut alia regalia: potest ne propterea à iudice laico bonis temporalibus priuari?* Sanch. *Sanchez* non posse affirmat, ob defectum iurisdictionis in bona, æquè ac in personam.

44. *Potest ne iudex laicus exigere gabellas à colonis Regularium?* Minimè; quia prædia Regularium sunt ab hoc onere exempta. Tenentur tamen (asserit *Fillicius*) coloni soluere gabellam ex fructibus collectis, si eos aliò transferant, aut alienent; tunc enim laicalia bona censentur. Filliuc. §. 2. *De immunitate fori.*

45. *Episcopi ne & Ecclesiastici quique possunt à Principe aut eius Consiliariis Regni pelli tanquam seditiosi, & pacem Reipublicæ perturbantes?* Molin. Affirmat *Molina* haud pelli posse nisi de

de Pontificis summi licentia, aut nisi tanta vrgeat necessitas, vt sit euidens in mora periculum.

46. *Necessum ne ad priuilegium fori, vt Clericus non solùm pallium, sed & togam vsque ad talos ferat?* Assero ex *Molina* sufficere, si eo vtatur vestium genere vt iuxta Prouinciarum vsum à videntibus possit Clericus iudicari. *Quid si dubitetur, an habitus sit Clericalis, nec ne?* Cognitionem idem *Doctor* ad Ecclesiasticum iudicem spectare affirmat. Molin. Molin.

47. *Clericus qui habet pensionem super aliquo beneficio loco tituli, gaudet ne tanquam beneficiatus priuilegio fori?* Gaudet (*Suarius* ait) sicut & Capellanus, cui Capella in perpetuum, vel in titulum fuerit assignata. Secus autem si habeat Capellam amouibilem; hæc enim propriè beneficium non dicitur. Suar.

48. *Dixisti Tertiarios S. Francisci, &c. Si collegialiter viuant, gaudere priuilegio fori: rogo num Tertiariæ eodem priuilegio gaudeant?* Gaudent si cœlibem vitam vouerunt expressè, etiam si in domibus propriis habitent. *An Eremitæ?* Non, nisi qui sub obedientia Episcopi alicui loco sacro, vel Ordini speciatim addicti sunt, vti *Coninch* affirmat. Conin.

49. *Vxor ne Sacerdotis Græci, vel Latini Clerici minorum Ordinum gaudet priuilegio fori?* Cum *Sanctio* gaudere sentio, si gaudet vir; quia vxor ratione matrimonij forum viri sortitur, nisi alteri nubat. Sanch.

50. *Clericus sine habitu & tonsura grauissima crimina perpetrans potest ne à seculari iudice puniri?* Ante trinam monitionem non potest. Qui verò (addit *Suarius*) aliquando dimittit habitum, & tonsuram, non ideo amittit priuilegium fori, nec est à iudice seculari puniendus. Suar.

51. *Clericus commisit delictum, & postea duxit vxorem, vel est Clericus coniugatus fruens priuilegio fori, sed postea fit bigamus: rogo, num ob delictum antea commissum possit à seculari iudice puniri?* Minimè; quia, vt *Sanchez* ait, tempus commissi criminis debet spectari. Sanch.

52. *Si Clerici in Regalibus debitis possunt in seculari Curia conueniri, vndenam hoc fit supposito priuilegio fori?* Respondet *Suarius*, ex eo quod bona Regalia Clericis, cum hac tantùm conditione conceduntur. In feudalibus autem potest coram laico Clericus conueniri; quia non subiicitur vt persona Ecclesiastica, sed tanquam Dux, Marchio, &c. Suar.

53. *Clericus, qui patitur ab Ecclesiastico iudice violentiam, potest ne ad laicum recurrere?* Quando ad talem vim reprimendam

mendam Ecclesiasticus iudex non adest: aut si adsit, non vult reprimere, speculatiuè loquendo, potest. Alioqnin non licet iudici seculari causam Ecclesiasticam ad se euocare, & vim Clerico propulsare illatam. Sic *Suarius*.

Suar.

54. *Constitutio Gregorij XIV. de immunitate Ecclesiæ derogat ne priuilegijs Principum, iuri communi, & consuetudinibus?* Derogare *Filliutius* docet; quia Pontifex illum per modum vniuersalis legis promulgauit.

§. 3. *De laicorum Principum statutis.*

55. *Quid sentiendum de laicorum Principum statutis Sunt ne contra Ecclesiasticam immunitatem?* Sunt planè vel quando Ecclesia, seu personæ Ecclesiasticæ prohibentur, aut impediuntur vti rebus, seu facultatibus sibi à iure concessis: vel quando tolluntur priuilegia ipsis concessa à Deo, Pontifice, vel Principibus secularibus: vel quando ipsi timidiores efficiuntur: vel quando deterioris conditionis quàm laici efficerentur. Sic iurisperiti. *Suarius* docet quælibet statuta laicorum, si efficiant Clericorum mentionem, inualida esse. Nec refert fundari in vtilitate publica; quia cum hoc debeat in omnibus inueniri, etiam omnes possent Clericos illigare. *Filliucius* asserit, si Princeps statuat, ne quis priuilegijs fruantur ij, qui subditi non sunt, contra libertatem Ecclesiasticam facere; quia de iure communi Clerici frui possunt priuilegiorum alicui communitati cõcessorum beneficio. *Azor* affirmat priuilegium à Principe, vel Republica Clericis semel concessum non posse amplius reuocari: & statutum abrogans huiusmodi priuilegium Ecclesiasticam immunitatem violare. Adiicio legem inualidantem donationem omnium bonorum factam à patre filio Clerico, multis Doctoribus consentientibus, contra immunitatem Ecclesiasticam esse; quia non potest lex ciuilis hanc præsumptionem inducere, vt alienatio bonorum facta in fauorem Ecclesiæ, fieri videatur in fraudem fisci. Fateor contrarium à *Vasquez* affirmari. *Azor* scribit statutum prohibens, ne vinum aut frumenta extra territorium exportentur, Clericos non comprehendere; quibus licet exportare fructus ex suis prædiis collectos. Addit statutum, quo Princeps cauet, ne quis sine sua facultate adeat possessionem alicuius beneficij esse contra immunitatem Ecclesiasticam, nisi Princeps ex priuilegio Romani Præsulis habeat collationem beneficiorum, vel priuilegium, vt in sua ditione nullus externus beneficium obtineat. *Suarez* existimat Principes prohibentes laicis ne vendant Ecclesiasticis, ne molant, coquant panem, &c. in excommunicationem incurrere; quia hoc Ecclesiasticæ derogat libertati.

Filliuc.

Azor.

Vasq.

Azor.

Suar.

tati. Ex eodem Doctore statutum, ne immobilia alienentur in extraneos, Ecclesiasticos aduersatur eidem libertati; nullo enim iure nec naturali, nec diuino id prohibetur, imò nec humano. Adhuc *Suarius* existimat Principem secularem posse impedire, ne fiat iuramentum, si tamen fiat, esse obseruandum nisi Episcopus relaxet. *Reginaldus* opinatur Principes, aut Magistratus non posse disponere de iis, quæ ad funera, & exequias pertinent in iis quæ spectant ad Clerum, vel cultum diuinum; posse tamen prohibere abusum, & luxum circa funeris pompam. *Comitolus* denique affirmat Principem, vel Rempublicam statuentem, ne in suo dominio Ecclesiæ vel Monasteria construantur sine sua licentia, immunitati Ecclesiasticæ derogare, & edicto Constantini Imperat, quo concessit facultatem ædificandi Ecclesias per totum Orbem; vnde ita statuentes sunt excommunicati. Regin. Comit.

§. 4. *De iudice Ecclesiastico.*

56. *Potest ne iudex Ecclesiasticus consuetudine, & præscriptione acquirere iurisdictionem in laicos?* Posse asserit *Sanch.* Quod si dubium sit, cuius sit iurisdictio; iudex maior, id est, Ecclesiasticus, cognoscit.

57. *Ad quemnam pertinet quæstio iuris circa decimas?* Ad solum Ecclesiasticum pertinere asserit *Fagundez*. In quæstione autem facti iudex competens erit; est enim mixti fori. Cognitionem verò decimarum, quæ secularibus in feudum datæ sunt, solius Ecclesiastici iudicis esse idem *Doctor* existimat: & laicum conductorem decimarum apud solum iudicem Ecclesiasticum conueniendum esse. Sanch. Fagund. iudex m Laicus

58. *Ad quemnam iudicem spectat sponsalium causa?* *Sanchez* docet ad solum Ecclesiasticum, præcipuè quando de illorum valore agitur. Sanch.

59. *Quando Clericus Clericum instituit hæredem, vel laicus testamentum ad pias causas condidit: ad quemnam iudicem testamenti pertinet publicatio?* Ad Ecclesiasticum cum *Molina* affirmo pertinere. Molin.

60. *Num possit Ecclesiasticus iudex de causa laici simul delinquentis cum Clerico cognoscere?* Posse asserit *Laymanus*; cùm enim Ecclesiasticus iudex sit dignior laico, ipsius erit vtrumque reum iudicare. Laym.

61. *Ecclesiastici iudices negligentes sunt, ex. gr. in Clericis puniendis, & causis huiusmodi cognoscendis: possunt ne iudices seculares huic muneri incumbere?* *Laymanus* non posse Laym.

posse affirmat; quia nullo in casu potest laicus iudicare non subditum.

62. *Num licita auocatio causarum spiritualium ad laica Tribunalia?* Vetita planè Bullâ Cœnæ sub censura, etiamsi ab aliis iudicibus Ecclesiasticis auocetur, quàm à iudicibus Filliuc. Sedis Apostolicæ. Sic *Filliucius.*

63. *Potest ne Ecclesiasticus iudex punire laicos concubinarios?* Azor. Posse assero cum *Azor.* post primam quidem admonitionem pœna pecuniaria, pœna verò excommunicationis post tertiam. Scio concubinatum esse mixti fori delictum.

EXAMEN IV.

De statu Ecclesiastico circa materiam de Ecclesiarum, seu Templorum immunitate.

CAPVT PRIMVM.

De libertate Templi.

1. *Quid Ecclesiæ, seu Templi immunitas?* Exemptio, seu priuilegium Ecclesiis materialibus concessum, vt ad eas confugientes à laica sint tuti potestate. Quæ quidem immunitas humano iure concessa fuit Templis Christianorum, aliisque locis religiosis: estque valde iuri Diuino conformis.

2. *Capi ne potest in Ecclesia existens?* A potestate laica minimè, obsideri tamen potest extra Ecclesiam, vt capiatur postquam fuerit egressus; quia sic loci sacri immunitas non violatur.

3. *An possint Ecclesiastici iudici seculari resistere conanti reum à sacro loco extrahere?* Possunt censuris deterrendo, claudendo ianuas, laicorum auxilium implorando, vtendo operâ Clericorum nondum sacris initiatorum ordinibus. Ipsis tamen Ecclesiasticis non licet arma capere, ad iudicem secularem arcendum; ne occasio scandali exhibeatur.

4. *Iudex autem secularis impedire, vt reo in Templo existenti, vestes, alimenta, & alia necessaria ad vitam deferantur* Non

Non potest; quia aliàs immunitatis priuilegium redderetur inutile.

5. *Existenti in loco sacro potest ne vlla vis, aut damnum à laica potestate inferri?* Non, nisi iudex id ad Episcopi instantiam efficiat, non nomine proprio.

6. *Num possit reus, quandiu in loco sacro existit, ad mortem damnari, vel pœnæ corporali addici?* Minimè: ad pœnam autem pecuniariam, & ad bonorum confiscationem nisi compareat, potest. Imò iudex solet citare reum, illúmque ad mortem, vel ad aliam pœnam pro qualitate delicti damnare, quando licitè poterit inferri. Id quod non est actu illum condemnare, sed minqri ad tempus commodum damnationem.

7. *Quid si reus ab Ecclesia per vim extrahatur?* Est Ecclesiæ restituendus; tenetur enim iudex iniuriam Ecclesiæ illatam resarcire, nec satisfacit dando de impunitate cautionem.

8. *Extractus iuri suo cedere, & in iudicis secularis potestate vult permanere: tenetur ne iudex eum restituere Ecclesiæ?* Tenetur; quia hoc priuilegium loco sacro est immediatè concessum, nullus autem cedere alieno iuri potest.

9. *Est ne eidem Ecclesiæ restituendus?* Vel eidem, vnde extractus est, vel alteri, vel Episcopo, vel eius Vicario, modo sit æquè tutus ac si eidem loco sacro restitutus esset.

10. *Quid si dubitetur, an reus in loco sacro, an in prophano captus fuerit?* Spectat ad iudicis Ecclesiastici definitionem; cùm enim de Ecclesiæ agatur immunitate, eius causæ cognitio ad Ecclesiasticum iudicem pertinet.

11. *Actus iudicis laici iuridicè in delinquentem ab Ecclesia vi extractum facti, sunt ne validi?* Non; vtpote sine iurisdictione effecti; quia fundantur in captura & detentione rei, quæ quidem actus non est iurisdictionis, sed violentiæ. Imò nec potest illum iudex iuridicè interrogare, nec ille tenetur respondere; quia non habet ius in reum eo modo captum.

CAPVT II.

Quinam locus habendus sit sacer?

12. *IN doctrinæ perspicuitatem necessum est, aperias, quinam locus sacer habendus sit?* Quæuis Ecclesia Episcopi authoritate erecta, etiamsi benedicta non sit, aut non fuerint

in ea diuina officia celebrata, nec adsit Eucharistiæ Sacramentum; aut etiam polluta sit, vel interdicta, vel diruta, modò non fuerit Episcopi, sine reædificationis spe, authoritate; sic enim priuilegium immunitatis amittit. Verùm non solùm interius Ecclesiæ corpus, sed tota Ecclesiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, Sacristia Ecclesiæ coniuncta, & similia Templo adiacentia priuilegio fruuntur immunitatis; quia quæ adhærent Templo, seu loco sacro, sacra censentur.

destructa

13. *Extenditur ne ad fines, seu confinia?* Vsque ad quadraginta passus extenditur, si fuerit Ecclesia Metropolitana; si verò minor, ad triginta.

14. *Domus Parochorum, seu Canonicorum aliorúmque Ecclesiasticorum intra septa Ecclesiæ iuxta doctrinam tuam immunitate gaudebunt.* Quis dubitet? quamuis à laicis inhabitentur; quia priuilegium hoc directè locis, non personis concessum est.

15. *Domus Religiosorum, aut Monasteria, gaudent immunitate?* Maximè. Id quod extenditur ad Claustra, seu habitationem, ad hortum & viridarium; totum enim illum septum est sacrum.

16. *Quid de Hospitalibus, seminarijs ve?* Eodem priuilegio gaudent, si Episcopi sint authoritate fundata; sunt enim loca pia.

distet

17. *Palatium, seu domus Episcopi priuilegiata ne est?* Licet quadraginta passibus ab Ecclesia non existat, modò eo in Palatio adsit Oratorium, vbi diuina officia celebrentur. Idem affirmo de domibus Cardinalium; quamuis scio hoc priuilegium hodie Romæ non asseruari, vt bono communi consulatur.

18. *Reus Sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum afferentem amplexatur: fruitur ne Templi priuilegio?* Ob reuerentiam sacratissimo IESV corpori debitam licitè capi non posse affirmo; tamen si capiatur iniquè, non assererem Ecclesiæ immunitatem violari, nec de rigore iuris reum esse Templo restituendum, quia hoc priuilegium Ecclesiæ concessum est, non extra Ecclesiam Eucharistiæ. Affirmo tamen per consuetudinem, illam posse immunitatem introduci, quæ reis Sacerdotem deferentem Eucharistiam amplexantibus suffragetur.

CAP.

Caput III.

Quinam sint Templi Immunitate priuati?

19. *Exprime, quinam illi, queis Templorum immunitas non suffragatur? Dum reus extra locum sacrum comprehensus ad carcerem per cœmeterium ducitur, aut per Ecclesiam etiam si per vim trahatur, & inde recuset exire, fruitur priuilegio?* Non; quia hic non confugit ad Ecclesiam, dum liber esset.

20. *Si reus blanditijs, & promissionibus, sine coactione è loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur, quid?* Priuilegio non fruitur; quia ipse sese voluntariè Ecclesiæ munimine abdicauit. Attamen si ei promissa fuit impunitas, aut in eundem locum restitutio, illi data fides seruanda.

21. *Reus in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an immunitatis priuilegio frui deberet; reus hic de carcere aufugit, & postea à iudice seculari captus est: num Ecclesiæ immunitate gaudebit?* Minimè; quia fuga illi priuilegium primæ detentionis ademit.

22. *Quid de publicis latronibus, grassatoribus viarum, depopulatoribus agrorum ad Ecclesiam confugientibus, & de occidentibus, vel mutilantibus in Templis, aut eorum cœmeterijs?* Ecclesiæ immunitate priuati sunt. De latronibus, grassatoribus, & depopulatoribus expresè Bulla Greg. XIV. Certè æquum non videtur, vt Ecclesiæ immunitate occidentes, vel mutilantes fruantur, qui in Ecclesia delinquunt.

23. *Num qui sagitta, vel plumbea glande in loco sacro existens alium extra locum sacrum occidit, priuilegium amittat immunitatis?* Non; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum, fuit tamen extra Ecclesiam perfectum: potest tamen hic ab Ecclesiæ ministris capi.

24. *Amittitur ne immunitas ob quamlibet vulnerationem in Ecclesia factam?* Minimè, nisi sequatur mors etiam extra Ecclesiam: aut adsit mutilatio, seu abscissio alicuius membri, aut partis corporis, quæ habet officium distinctum à reliquis.

25. *Quid si imperem homicidium, aut mutilationem in Ecclesia fieri?* Non priuatis ideo Ecclesiæ immunitate; quia pœna lata contra facientes non afficit mandantes, nisi id exprimatur in iure.

26. *Proditoriè aliquem occidens seu ferro, seu veneno; num ne Ecclesiæ immunitate?* Caret. Profectò dicitur proditoriè occidere qui aliquem id minimè suspicantem interficit. Quare qui inimicum necat, haud proditor dicitur; licet per insidias, aut à tergo percutiat.

27. *Num Assassinij rei gaudent Ecclesiæ priuilegio?* Non gaudent, ex Constitût. Greg. XIV. Assassini autem nomine cum intelligo, qui pecunia aut pretio ad hominem incautum occidendum ex insidiis, conducitur. Quare qui sine pretio aliquem interficit, vt amico rem gratam faciat, non dicitur assassinus. Porrò etiam assassini cooperatores, fautores, auxiliatores, & receptatores priuilegio immunitatis priuantur.

28. *Quid de hæresis reo?* Non gaudet Ecclesiæ priuilegio. Dicitur reus hæresis non solùm qui cum pertinacia contra fidem sentit, verùm etiam qui auxilium, aut fauorem præbet hæreticis.

29. *De crimine autem læsæ Majestatis quidnam?* Qui in personam Principis delinquit, Ecclesiæ priuatur immunitate. Profectò Cardinales inter Principes adnumero. Quod si quæras, quando nam crimen læsæ Majestatis in Principis personam committitur? Tunc committi asserо, cùm actio fit in damnum, vel offensam personæ Principis, vt occidendo, vulnerando, percutiendo, coniurando, hostiliter insequendo Principis personam, reuelando hostibus suum secretum, vt ab illis capiatur. Idem de consulentibus, auxiliantibus, aut fauorem præstantibus affirmo; hi enim criminis in Principis personam rei putantur.

30. *Quidnam præstandum, antequam reus, qui ad locum sacrum confugerat, curiæ seculari tradatur?* Primò obtineatur ab Episcopo loci, seu eius Vicario facultas expressa: sede vacante Capituli Vicarius adeundus. 2. Dum reus extrahitur, persona Ecclesiastica interfit ab Episcopo, vel eius Vicario habens facultatem. 3. Non statim ac captus fuerit, laicæ potestati tradatur, sed nomine Episcopi coniiciatur in carcerem, donec ab ipso, vel eius Vicario cognoscatur, an reus sit delicti, cui imposita est priuatio immunitatis.

Cap.

CAPVT IV.

De Templorum violatione.

31. *QVid requiritur, vt constet Ecclesiam, seu Templum esse consecratum?* Scriptura in marmore, vel vnus testis fidem efficit. Porrò Ecclesia ab Episcopo excommunicato etiam hæretico validè consecratur, vt reconciliatione nulla indigeat. Satis autem est Ecclesiam benedictam esse, atque Episcopi authoritate ad publica officia deputatam, vti locis sacris adnumeretur.

32. *Quotnam modis violatur?* Quinque, 1. Iniuriosa sanguinis effusione. 2. Iniurioso homicidio. 3. Illicita humani seminis effusione. 4. Sepultura excommunicati non tolerati. 5. Vel non baptizati hominis.

32. *Quinam violationis Ecclesiæ effectus?* In ea Missam celebrare non licet.

34. *Sufficit factum quo Ecclesia violatur, secretum fuisse?* Minimè, sed publicum, & notorium esse debet.

35. *Sacristia, & Cameræ, quæ sunt pro custodia vasorum, violantur ne Ecclesia violata?* Non violantur. At violata Ecclesia, etiam cœmeterium violatur, sed non vice versa.

36. *Quisnam violatam Ecclesiam reconciliabit?* Solus Episcopus, si Ecclesia consecrata sit: solùm verò benedictam, ad publicave officia Episcopi authoritate deputatam etiam simplex Sacerdos. Idemque de cœmeterio affirmo. Decens tamen est, vt prius Episcopo res significetur, quàm Ecclesiam Presbyter reconciliet, si extra Missæ Sacrificium violetur. Porrò obseruatur in praxi, vt Ecclesia nunquam violari censeatur, vt reconciliatione indigeat, nisi locus consecratus, vel authoritate Episcopi benedictus fuerit.

37. *Reconcialitur ne Ecclesia polluta per solum Missæ Sacrificium, quod bona fide in ea celebratur?* Non, sed alia indiget reconciliatione intenta directè.

38. *Si Catholici Ecclesiam recipiant, in qua hæreticorum exercitia viguerunt, opus ne eam solemniter ab Episcopo reconciliari?* Non sed sufficit aqua benedicta aspergere.

39. *Est ne Religiosis mendicantibus aliquod priuilegium circa Ecclesiæ violatæ reconciliationem?* Eis à Sede Apostolica concessa est facultas, Ecclesias consecratas, si pollutæ fuerint, reconcilandi aqua ab Episcopo benedicta, & vt possint solemniter

lemniter benedicere Ecclesias suas, & cœmeteria, si Episcopus nolit, aut negligat.

40. *Parietum dirutorum ruinæ obstant ne Ecclesia consecrationi?* Ecclesia consecrata consecrationem omnino mittit: iterum debeat consecrari, si eius parietes secundùm maiorem partem destructi, aut absumpti sint. At benedictio templi, aut cœmeterij destructis parietibus, non amittitur, cum ea inhærere solo censeatur.

41. *Ecclesia diruta amittit ne priuilegia loco sacro concessa?* Amittit, si non sit spes reædificationis. *Diruta Ecclesia in locum alium sub eodem patrono Episcopi authoritate transfertur: rogo, num etiam indulgentiæ, & priuilegia transferantur?* Respondeo affirmatiuè; quia specialia indulta à parietibus aut solo alterius basilicæ non dependent.

42. *Si minor pars Templi corruit, amittitur ne consecratio?* Non. Imò pars, quæ ob ruinam adiicitur, ipsa accessione consecrationem à toto corpore acquirere censetur. Idemque sentiendum, si amplietur Ecclesia. Quare tali casu sufficit partem adiectam aqua aspergere benedicta.

43. *Ecclesia successiuè reparata, est ne iterum consecranda?* Non; quia eadem moraliter censetur. Si tamen animo omnes aut ferè omnes parietes reparandi, adeóque quasi nouam Ecclesiam ædificandi vnus murus post alium, quasi continuatis operis, deiiciatur, & reparetur, existimo iterum Ecclesiam consecrandam.

44. *Polluta Ecclesia polluuntur item altaria?* Ita planè; sed execrata Ecclesia, non ideo altaria execratione afficiuntur. Porrò Ecclesia execratur, si eius parietes incendio ita absumuntur, vt omnis crusta, vel secundùm maiorem partem auferatur, licet parietes non corruant; quia consecratio potissimùm in exterioribus crustis consistit. At si crusta omnis, vel maior eius pars renouandæ Ecclesiæ causa, successiuè auferatur, consecrationem idcircò Ecclesia non amittit.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Templorum immunitate ex Societatis IESV *Doctoribus.*

45. QVi *in Ecclesia homicidium perpetrat, aut mutilat non deliberatè, sed ex iracundiæ calore, amittit ne priuilegium*

tilegium immunitatis? Asserit *Azor.* ex verbis Bullæ non videri amittere. Azor.

46. *Qui iuxta Ecclesiam deliquit, cum spe ad illam confugiendi? Suarez* docet immunitate gaudere. Idem affirmo, si sub eodem prætextu in atrio, siue Templi scalis quis alium occidat. Suar.

47. *Qui proditorie voluit aliquem occidere, sed percussum, casu non nequit, gaudet ne immunitate?* Gaudere sentio cum *Suario*; quia Bulla excipit occidentem actu, non autem volentem occidere. Suar.

48. *Qui pecunia conductus ex mandato alterius aliquem occidit, præsente ipso mandante, est ne assassinus.* Propriè non esse *Palaus* affirmat, & ideo Ecclesiæ immunitate non priuari. Pal.

49. *Qui nefandum crimen committunt, & qui in duello aliquem occiderunt, gaudent ne immunitate?* Ita quidem vti *Fag.* asserit; neuter enim in Bulla excipitur. Addo ex eiusdem doctrina raptores virginum, vel defiorantes monialem etiã priuilegio gaudere, licet in ipsa Ecclesia facta esset defioratio. Fagund.

50. *Quid de Hæretico?* Ex *Suarij* doctrina in criminibus non exceptis in Bulla, eadem quæ cæteri immunitate frui sentio. Certò suspectus de hæresi, in locis vbi hæretici non tolerantur si ad Ecclesiam confugiat, à ministris Inquisitionis ab ea abstrahi potest, propter Orthodoxæ fidei conseruationem. Suar.

51. *Quis detentus à satellitibus intrat Ecclesiam, eosque per vim secum trahit: gaudet ne immunitate?* Gaudere meus amantissimus, doctissimus planè Ferdinandus de *Castro Palao* affirmat. Pal.

52. *Reus ad Ecclesiam confugiens potest ne à iudicibus Ecclesiasticis, vel laicis exilio, aut perpetuò carcere damnari, vel ad triremes immitti?* Negatiuè respondeo cum *Suar.* quia hæ pœnæ sunt grauiores. Suar.

53. *Dixisti Palatium Episcopi etiam ab Ecclesia longè distans, gaudere eadem immunitate, qua Templum, modò oratorium haberet: quid si non habeat? Azorius* existimat necessarium non esse; cuius sententiam probabilem iudico. Minimè autem eis subscribam, qui probabile existimant Palatia extra diœcesim hac frui immunitate, si Cardinalium Palatia extra Romam (vti innui) excipias. Azor.

54. *Iudex laicus scit reum quendam Ecclesiæ immunitate non gaudere: potest ne eum ab Ecclesia extrahere?* Cum *Filliucio* iudico absque Episcopi licentia non posse, quin excommunicationem incurrat. Debet enim Episcopus cognoscere num hoc sit verum, deinde reum seculari Curiæ consignare. Filliuc.

prius

55. *Contra*

55. *Contrauenientes huic Gregorij XIV. constitutioni possunt ne ab Episcopo absolui?* Ex multorum sententia possunt. Ego
Filliuc. cum *Filliucio* pro multis vno, sentio excommunicationem illam Summo esse Præsuli reseruatam.

56. *Reconciliatur quis inimico cum fideiussione de non occidendo, postea tamen illum occidit: fruitur ne Ecclesiæ immunitate?* Affirmo, quia non dicendus absolutè proditoriè occidisse, nisi interceßisset arctior aliqua amicitia simul comedendo, alloquendo, &c. vnde poterat præsumi non obstante fideiussione adhuc odium durare.

57. *Occidens Clericum fruitur ne immunitate?* Ita quidem, quia licet sacrilegium commisit, excipiuntur tamen in Bulla
Pal. homicidia proditoria, & per assassinium commissa. Sic *Castro*. Colligo etiam assassinij mediatorem immunitate frui, quia excipiuntur tantùm assassini, sub quibus mediatores non comprehenduntur.

58. *An Clerici & Religiosi confugientes ad Ecclesiam immunitate gaudeant?* Ex doctrina *Castri* respondeo pro crimi-
Pal. nibus non exceptis in Bulla ad Templum confugientes non posse à iudicibus Ecclesiasticis, aut Superioribus extrahi absque summi Præsulis licentia sub pœna excommunicationis. Excipio eos Religiosos, qui in propriis Monasteriis delinquunt; possunt enim à Superioribus puniri salua immunitate. Quamuis hoc etiam probabiliter alij negant, cùm non præuentur immunitate peccantes in ipsis Ecclesiis nisi per homicidium, & mutilationem.

59. *Polluitur ne Ecclesia, si infans in matris mortuæ imo sepultura vtero moriatur? Suarius* pollui affirmat.
Suar.

Suar. 60. *Per copulam coniugalem quid?* Idem *Suarius* docet in templo licere ad vitandam incontinentiam, quando alibi fieri non licet, neque templum tunc pollui.

EXAMEN V.

De statu seculari circa materiam de Tributis.

CAPVT PRIMVM.

Quinam possit tributa imponere?

§. 1. *Tributa à quonam?*

1. RECOLENS *quæ dixisti sigillo* 1. *circa quartum Decalogi præceptum quæque sigillo* 2. *de peccatis status secularis adiecisti*

adiecisti, in præsenti solùm de Principis Tributis impositis, de Iudice, Teste ac Reo agendum nobis est. Requiro igitur, quisnam possit tributum aut gabellam imponere? Qui Superiorem non habet in temporalibus, vel cui ipse id concesserit, vel consuetudo præscripta.

2. *An Episcopus possit?* Potest quidem in Ecclesiis, sibi pleno iure subiectis cum Capituli consensu ex causa tributum, seu pensionem imponere.

3. *Potest ne dominus temporalis, aut communitas inferior vrgente necessitate imponere tributum aut talliam?* Potest; non enim id prohibitum, sed gabella ordinaria populum grauans.

4. *Potest adesse tyrannis in tributo?* Tyrannicum est, si causa non sit iusta. Imo si licet iusta sit, non sit proportionata, ita vt vires Regni ac populi non excedat, alioquin erit tyrannicum.

Caput II.

De obligatione subditorum circa tributa.

5. *Debent ne subditi tributa soluere?* Debent prorsus, si iustè sint imposita.

6. *Potest ne Princeps tributum per vim aut metum extorquere?* Potest equidem, quando causæ exigendi iustæ sunt; quia illud Principis est.

7. *Quodnam peccatum committunt vectigalia iusta fraudantes?* Si materia sit sufficiens ad mortale, mortaliter delinquunt, & ad restitutionem tenentur. Scio à Maldero & aliis contrariam sententiam defendi, quam reiiciendam existimo.

8. *Dubitatur, an vectigal sit iustè impositum, & sunt vtrinque rationes probabiles: solui ne debet?* Soluendum censeo; quia in dubio pro Rege præsumendum, *Vasquez* authore.

9. *Obligant ne nouæ gabellæ?* Non obligare aliqui affirmant, nisi constet legitimè impositas. In dubio dixi pro Principe præsumendum de iustitia. Si gabella sit antiqua, non dubium quin pro Principe præsumi debeat, cuius possidentis melior conditio.

10. *Sunt ne soluendæ gabellæ impositæ pro rebus ad proprium Regis aut Principis vsum delatis?* Communiter hæ habentur iniquæ, etsi quidam id negent si iusta aliàs causa imponant.

Iniquas

Iniquas item reputari scio quæ pro priuata Principis vtilitate, & non pro communi Reipublicæ imponuntur: & quæ cessante causa ob quam sunt impositæ; nec alia iusta de nouo emergente exiguntur: aut quando maiores ac causa postulat, aut quibus alij plus quàm alij indebitè grauantur.

11. *Cùm nimis durum est tributum, teneor ne soluere non petitum?* Opinor cum *Toleto* sufficere soluere, si petatur.

12. *Princeps grauans sine necessitate Rempublicam nouis tributis, tenetur ad restitutionem?* Quis dubitet iniustè ablatum suo domino reddendum?

CAPVT III.

Praxis circa materiam de Tributis, & Gabellis ex Societatis IESV *Doctoribus.*

13. *Eruntne iustæ gabellæ, si tangant Ecclesiasticos?* Non solùm directè, sed nec indirectè possunt Ecclesiastici pondere gabellarum onerari. Vnde si imponatur ex quauis causa iusta, gabella, etiam modicissima communiter à laicis & Ecclesiasticis soluenda, v. gr. si augeatur modicum pretium comestibilium; absque ipsorum consensu, & licentia Papæ, immunitas Ecclesiastica violabitur. Quare *Henriquez lib. 5. cap. 15. num. 5. in gloss. lit. P.* admonet, in tali casu peculiarem tabernam aperiri, in qua Ecclesiasticis victualia absque tributorum onere diuendantur. Sed & hoc non caret aliqua immunitatis Ecclesiæ læsione; quia ad emenda victualia in ea taberna Ecclesiasticos arctat. Henriq.

14. *Possunt ne Principes sine censuræ metu vectigal laicis & Ecclesiasticis permistim imponere ob publicam necessitatem, v. gr. tempore pestis?* Possunt, dummodo laicorum facultates non sufficiant. Et quidem nunc non sufficere dicuntur, quando desunt facultates non solum communitatum, sed ipsorum etiam particularium, relictis necessariis secundum statum etiam in necessitatibus æquè laicos ac Clericos respicientibus. Aliàs Clericis talibus gabellis ferè semper essent obnoxij; quia ciuitates in communi non sunt adeò opulentæ, vt communibus necessitatibus subleuandis sufficiant. *Ex Azorio part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 10.* Azor.

15. *Quænam ad hoc publica necessitas appellanda?* Præter pestem, intelligitur publica necessitas illa, quæ æquè princi-

paliter

paliter Clericos ac laicos pertingit, non quæ Clericos secundariò, & minus principaliter respicit, vt est in reparatione murorum, & pontium, in custodia Regni extra belli feruentis tempus, manutentione exercituum in Prouinciis inimicorum, ne hi naturale Regnum inuadant; in expensis ad primum Principis ingressum præparandis, &c. Hæc, inquam, non æquè principaliter Ecclesiasticos & laicos attingunt. Necessitas publica est fames communis, quæ pauperes præcipuè diuexat. Iustum bellum initum ad comprimendum rebelles, &c.

16. *Debet ne consensus, vel in publica necessitate à Clero expectari?* Debet planè, nec sufficit solum Cathedralis Capitulum, quod (teste *Suario de Immunit. lib. 4. cap. 26. n. 15.*) nomine Cleri non intelligitur: sed omnis Clerus debet approbare; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Sic *Romana Rota apud Farinac. tom. 2. dec. 42.* Suar.

17. *Debet ne licentia summi Præsulis præcedere?* Ita quidem, nisi periculum esset in mora; in quo casu pro prima tributi impositione, modicaue duratione, sufficeret Episcopi, & Cleri consensus, dum Summus Pontifex possit adiri. *Palaus tom. 2. tract. 13. d. vnic. p. 9. n. 7.* Pal.

18. *Est ne licita gabella super victualiis, pane, vino, oleo, carnibusque imposita? Toletus* improbat *lib. 5. cap. 74.* quia huiusmodi gabellæ plus pauperes quàm diuites aggrauant; quia panem, vinum, reliquaque comestibilia frequentius emunt ab iis qui reuendunt. Ideo *Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 7. num. 51.* huiusmodi gabellas tantum in his casibus imponi permittit, quando adesset populi consensus, vel immemorabilis consuetudo. At *Suarius de leg. lib. 5. cap. 16.* asserit absolutè iustas hasce gabellas; quia in illis seruatur proportio, pauperes enim pro numero suæ familiæ comparatione ad diuites de huiusmodi rebus minus emunt, & minus soluunt. Tolet. Less. Suar.

19. *Scio gabellam iustam esse si cum proportione non solum vasallorum inter se, sed etiam absolutè ad vires Regni: rogo, an gabella excedens octauam partem rei licita sit?* Porrò videtur illicita propter *l. ex præstatione, C. de vectig.* At si adsint reliqua requisita, prædictam legem non obstare existimo, tum quia non obligat nisi in Regnis nunc Imperatori subiectis, vt docet *Suarius de leg. lib. 5. c. 16. n. 5.* tum quia per contrarium vsum fuit abrogata. Suar.

20. *An tributum laicis imponendum publicam etiam exigat vtilitatem?* Exigit planè. Ob publicam vtilitatem, & necessitatem

Tolet. sitatem communem imponendum est, auctore *Turriano t. tom. 2. d. 44. dub. 1. & 2.* Publicam autem necessitatem hic dixero laxiorem futuram, quam de gabellis Clero imponendis dixi. Necessitas Regis publica necessitas vocitatur; quia in pernitiem totius Regni vergit: etiam si in illam sua ipsius culpa redactus, ob ludum, largitiones immoderatas, bella iniusta, &c. Monet *Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 6. num. 48.* hisce in casibus debere Reges à prodigalitate, & sumptibus parum necessariis abstinere.

Less.

Vasq. 21. *An publica necessitas dicenda sit, Regem aliis in Regni patrimonij sui defatigari?* Quis abneget (inquit *Vasquez de Restit. c. 6. §. 3. dub. 1. n. 7.*) bonum esse nobis inimicos nostris sumptibus alibi profligari, aut saltem detineri: & nos interim parte potiri?

Saa. 22. *Deputati ad exigendam gabellam possunt ne cum pauperibus dissimulare?* Asserit *Saa* dissimulare posse, quando non habent vnde soluant.

Tolet. 23. *Prædium Ecclesiæ tenetur ad soluendum vectigal?* Tenetur ad onus sibi perpetuò annexum, priusquam ad Ecclesiam veniret, nisi alicubi aliud sit in vsu, vt in Italia. Ita *Toletus.*

Molin. 24. *Ex contractibus ex dolo nullis debetur ne gabella?* Deberi *Molina* docet.

25. *Debent ne Mendicantium bona?* Exempta planè ab omni exactione non solùm bona, sed & coloni, arrendatarij, & negotiorum gestores ex Pio V.

Vasq. 26. *Quando antiqua tributa, aut patrimonium sibi assignatum Regi non sufficiunt, potest ne noua tributa imponere?* *Vasquez* asserit posse; quia Rex, vel supremus Princeps habet ius assignandi iustam pecuniæ summam quæ regiæ dignitati, & Regno administrando sufficiat, vnde potest imponere noua tributa, vel antiqua augere.

Vasq. 27. *Quid si Rex sua culpa in egestatem incidisset?* Asserit *Vasquez* posse iustò tributum imponere; quia non est ex vsu Regni Regem esse inopem.

Molin. 28. *In dubio negatiuo circa iustitiam tributorum, quæ de nouo imponuntur debeo ne soluere?* In conscientia non debere *Molina* asserit.

Suar. 29. *Qui imponunt gabellas super rebus quæ emuntur non ad negotiationem, sed ad vsus vitæ necessarios, incidunt ne in excommunicationem Bullæ Cœnæ?* Negatiuè respondeo cum *Suario?* quia hæ gabellæ non sunt iniustæ, (vt dixi) cum illis, quantum fieri potest, seruetur æ qualitas.

30. *Cæterò*

30. *Certò scio non impendi gabellam in rem, ob quam imposita est: teneor ne adhuc soluere?* Non teneri affirmat *Filliucius*.

31. *Tenentur ne ad gabellam pœnam soluentes:* Non teneri idem *Filliucius* docet. Affirmo teneri, quando in conscientia illorum id relinqueretur.

EXAMEN VI.

De statu seculari circa materiam de Iudice, Teste, Reo, &c.

CAPVT PRIMVM.

De Iudice.

1. *POtest ne Iudex sine competenti potestate iudicare?* Equidem competens potestas in iudice requiritur. Ideo vsurpatione iudicij omnes illi peccant, qui iudicant eum, qui non est vel absolutè eorum subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant. Quæ quidem vsurpatio iudicij ex suo genere mortale peccatum est.

2. *Impedit ne excommunicatio iudicium?* Non, nisi denunciata sit, vel ex publica Clerici percussione procedat.

3. *Crimen quod ipso iure priuat titulo, annullat ne iudicium?* Non, dum priuatio ea occulta sit.

4. *Valida ne sunt acta à iudice habente titulum coloratum?* Ita quidem. Nec tantùm id verum puto de iudice ordinario, verùm etiam de delegato.

5. *An iudicia per tyrannidem nulla reddantur?* Minimè; peccat tamen tyrannus vsurpando sibi iudicium. Monuerim sermonem esse de tyranno quoad vsurpationem potestatis, non quoad vsum tantùm regiminis.

6. *Reum legitimè convictum, vel confessum, priuata scientia iudex nouit innocentem: potest ne eum morti addicere?* Tentandæ omnes viæ, vt eum liberet. Quod si non sufficiat, ex duplici sententia, altera asserente, quod condemnare possit: altera, quod non possit, sequi potest quam maluerit, vtramque enim probabilem iudico.

7. *Quid in praxi?* Ea ineunda ratio erit, vt si iudici magno damno sit, officio esse priuatum, non teneatur deponere, sed condemnare possit, si modò ante superiorem iudicem adeat, & protestetur de innocentia; si verò non magnum in-

commodum sequatur iudici ex officij depositione, tunc deponat, & ab innocentis cæde abstineat.

8. *Potest ne reus aut non auditus, aut ex priuata sententia condemnari?* Minimè planè siue ab inferiore, siue à superiore iudice, qui iuxta allegata debet iudicium ferre. At si Respublica eiusmodi potestatem det, posset Princeps ex priuata scientia condemnare. At non auditum & non citatum nec Princeps condemnare potest ordinariè.

9. *Iuxta quasnam leges iudex debet iudicare?* Iuxta eas, quæ ius naturale contineant: & eas, quæ positiuum ius respiciunt nec legi naturali, aut Diuinæ repugnant.

10. *Quotnam vys contra delicta procedi potest?* Tribus, Accusatione, Denunciatione, Inquisitione. Praxis tamen tribunalium duos tantùm modos vsurpat ex officio, & ad instantiam partis. Porrò inquisitio triplex, omnino generalis, omnino specialis, & mixta. Ad generalem præuia infamia necessaria non est; in ea interrogati occultos criminosos manifestare non debent. Si delictum manifestum sit, iudex inquirere potest generaliter, quis author fuerit: nec reus socios, nec interrogati veritatem fateri tenentur. Specialem præcedere debet infamia, & eiusmodi consuetudo rationabilis censenda est, modi autem inquisitionis faciendæ plures sunt. Indicia dicuntur ea quibus author delicti cognoscitur. Semiplena sufficiunt ad torturam.

11. *Si nihil reus confessus sit potest ne sæpius torqueri?* Non nisi grauissima essent indicia. Post tertiam autem vicem amplius torqueri non potest.

12. *Quid si iudex ordinem iudicij non seruet?* Ad restitutionem tenetur, nisi alia via iuridicè damnari potuisset.

Caput II.

De Accusatore.

13. *Quid est Accusatio?* Delatio rei de crimine in libello accusatorio, ad publicam vindictam facta. Eius solemnitas tribus continetur. 1. Vt fiat in scriptis, sufficit tamen verbalis ex consuetudine. 2. Vt in libello exprimantur nomen accusatoris & accusati. Species delicti, locus & tempus. 3. Inscriptio delicti. Porrò fraterna admonitio plerumque necessariò præmittenda non est.

14. *Ad*

14. *Ad Accusationis iustitiam quotnam cauenda?* Tria, calumnia, tergiuersatio, & præuaricatio.

15. *An pœnâ talionis Accusator puniendus?* Huiusmodi pœna iam desuetudine est abrogata. Certè Accusator errore deceptus talionis pœna puniendus non esset.

16. *Affectus iniuriæ potest ne omittere accusationem?* Licita quidem est, sed laudabiliter ille eam potest omittere; ne locus vllus vindictæ affectui dari videatur.

17. *Teneor in causa ciuili accusare ex præcepto?* Non teneris; aliquando autem obligari potes siue ob publicam, siue ob priuatam proximi vtilitatem, cuius alia via ius defendi non potest.

18. *Num tenear crimen iam factum accusare?* Minimè; si autem faciendum sit, tunc obligatio accusandi quando in damnum tertij: aliàs non obligaris. Vergit

19. *An contra iustitiam delinquat qui non accusat, cum tenetur?* Priuatus non, officiales autem de iustitia tenentur. Qui verò officiales efficiunt, vt non accusent, tenentur ad damnum Reipublicæ illatum, aut tertiæ personæ ex illo crimine: non autem ad pœnam, quam soluissent delinquentes, si accusati fuissent.

20. *Est ne quando, vt nec posito præcepto denunciare tenear?* Hos casus exhibeo. Vel quando crimen huiusmodi est, vt illud denunciare non teneamur, nisi correctione fraterna præmissa: tunc enim addito etiam Superioris præcepto sub excommunicatione, priùs frater corripiendus est, qui si emendatus non fuerit, denunciabitur. Vel quando quis habet rem furto sublatam, vel ex fure cognoscens vnde illa sit, non tenetur vi edicti eam manifestare; neque enim cum tanto incommodo, & periculo obligatus est. Vel quando priuatim quis crimen nouit, & scit reum probè nosse, nulli alteri esse notum, non tenetur denunciare, nisi in perniciem Reipublicæ redundet. Vel quando Superior iubet delictum manifestari, vel ad emendationem delinquentis, seu satisfactionem partis, seu ne malum proximo inferatur, & peccator iam emendatus sit, & reliqua cessent, denunciandi nulla erit obligatio; similiter si absque causa, proximi sequeretur infamia. Vel quando Superior ad delictum aliquod occultum paucis notum puniendum procedit, nemo tenetur denunciare; si pauci illi neque probare possint, neque infamia specialis de authore, neque sufficientia indicia, aut semiplena probatio habeatur. Vel quando quis nouit crimen sub decreto naturali, videlicet vt consultor aduocatus, &c. non potest

manifestare, etiam si delicti infamia præcedat, & semiplena probatio. Vel quando quis rem alienam in debiti sui compensationem accepit, edicto ad manifestandum obligari non poterit. Denique nemo cum graui incommodo vitæ, honoris, rerumque suarum manifestari tenetur. In iisque iurare potest, se nescire, cum mentali restrictione.

21. *Edictum indicatur ad veritatem criminum indagandam, quandiu durat?* Duratio huiusmodi edictorum ex verbis attendenda. Quod si delicta iure naturæ denuncianda sint, tandiu durat obligatio, quandiu necessitas est boni communis vel particularis, ratione cuius illa obligatio vim habet.

22. *Quænam personæ ab accusatione sunt repellendæ?* Aliquis repellitur in proprij peccati pœnam, v.gr. excommunicatus, infamis, &c. Aliquis ob decentiam, v.gr. Superioris respectu subditus, vt filij, serui, &c. Aliquis ob decentiam status, v.g. Clericus.

CAPVT III.

De Teste.

23. *QVandonam testis veritatem fateri teneatur iuridicè interrogatus?* Quinque in casibus tenetur. 1. Si author laboret infamia. 2. Si damnum Reipublicæ aliter auerti non valeat. 3. Si priuatio etiam immineat. 4. Si delictum sit semiplenè probatum. 5. Si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari possit, testis vocatus testari tenebitur.

24. *Quandonam autem non tenetur fateri veritatem?* Sex in casibus. 1. Si tantùm ex Sacramentali confessione sciat: 2. Si sub secreti naturalis sigillo, nisi in damnum tertij vergat. 3. Si author non laboret infamia, nec aliud timeatur. 4. Si accepit à personis non admodum fide dignis. 5. Si ex testificatione testi ipsi damnum immineat. 6. Si procedatur via accusationis, & testis videat rem probari non posse.

25. *Quid si iuramento appositio cogatur?* Quando non tenetur absque iuramento reuelare, nec etiam tenetur, si iuramento modò mentali restrictione mendacium effugiat.

26. *Quandonam legitimè interrogatur testis?* Cùm legitimus iuris ordo seruatur.

27. *Testes non idoneos annumera.* Filius contra patrem testis non est. Singularis plenam probationem non facit, nec ad

ad hæresim, sufficit tamen ad indicia. Testes de auditu satis non sunt, nisi delictum in voce consistat. Sibi contrarius legitimus testis non est.

28. *Standum ne testis responsioni in iudicio?* Ita planè, nisi plures coniecturæ sint pro asserto extra iudicium.

29. *Quotnam testes requiruntur?* Duo, & satis sunt, vt iure gentium receptum iam est; quod autem duo vltra accusatorem esse debeant, de humano iure tantum est.

30. *Quid, quando testes discordes sint?* Si sint in substantia discordes testes actoris, & rei, iudicandum pro reo; si discordes sint in accidentibus, iudicis prudentiæ relinquitur.

31. *Tenetur ne aliquando quis sese offerre in testem?* Non vocatus obligari aliquando potest ad se offerendum tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus. v. gr. quando vel innocens pent, quem meo possim testimonio defendere, vel à proximo iniustè bona auferuntur, quæ non possit alia via recuperare.

32. *Testificans falsum quanto sese polluit delicto?* Cùm iuridicè non proceditur, falsum testificari veniale peccatum est, modò iuramentum absit; mortale verò cum iuridicè. Testificans falsum ex ignorantia probabili, vel non culpabili inaduertentia, non tenetur ad restitutionem damni ex eo secuti. Testificans falsum scienter, tenetur ad damni restitutionem & ad retractationem etiam cum periculo vitæ, si simile damnum reo timeatur.

33. *Qui testificari non vult, tenetur ne ad restitutionem?* Minimè. *Quid si fugiat citatus?* Neque tenetur; agere tamen potest contra charitatem.

CAPVT IV.

De Reo.

34. *Licet ne reo accusatoris crimen occultum ad sui defensionem detegere?* Nec contra iustitiam, nec contra charitatem esse existimo: quinimò si fiat cum moderatione inculpata nullum peccatum esse assero; quia licet vexationem redimere.

35. *Est ne contra iustitiam accusatori calumniæ crimen imponere.* Si falsum crimen, vel occultum reo obiiciat, non erit contra iustitiam calumniæ crimen accusatori imponere, quia vim vi licet repellere; at contra charitatem aliquando esse posse *Filliucius* affirmat.

36. *Tenetur ne semper reus fateri veritatem?* Non tenetur, cum iuridicè non interrogatur: aut cum dubitat de iuridica interrogatione. Tenetur verò si iuridicè interrogetur, & id illi notum sit. Probabile tamen est nec cum iuridicè interrogatur, veritatem fateri teneri in grauioribus pœnis corporalibus, vt morte mutilatione,&c.

37. *Obedire ne tenetur per iniustam sententiam damnatus?* Non teneri in conscientia affirmo. Tamen per vim non potest se defendere. Fugere quidem potest è carcere, etiam post sententiam, si mortem, aut mutilationem timeat. Effringere carcerem etiam potest,& custodes datâ pecuniâ decipere, & aliis modis periculum euadere.

38. *Alij ne auxilium illi possunt impendere?* Ita planè, non tamen ministri publicæ potestatis, nec alij specialiter prohibiti; quia Magistratui cui inseruiunt debent gerere morem. Profectò illi, quibus licet auxilium dare ad fugam, non licet carceres effringere.

CAPVT V.

De Aduocato, Procuratore, & Notario.

39. *Possunt ne aduocare quicumque sese huic muneri ingerere voluerint?* Non omnes possunt aduocare, v. gr. qui ob impotentiam, vel defectum, vel indecentiam. Munus graue aptum exigit ministrum. *Quotnam in Aduocato requiruntur?* Quatuor, scientia conueniens, fidelitas, iusta causa, & iustum pretium. *Qui scienter iniustam causam defendit?* Vltra mortale peccatum, ad restitutionem quoque tenetur. *Si dubia causa probabilis sit?* Suscipi potest. *Si pretium taxatum sit?* Vltra non licet; si autem non est taxatum, satis est iustum naturale. *Tenetur ne pauperibus gratis patrocinari?* Ita quidem, etsi sit extrema, aut grauis necessitas, etiam cum suo incommodo tenetur; si communis necessitas, non tenetur huic, aut illi in particulari; si autem possit sine graui suo incommodo, aliquando tenetur.

40. *Quotnam in Procuratore conditiones?* Etiam quatuor exiguntur, Scientia, Diligentia, Veritas, & Iustitia.

41. *Quotnam denique in Notario?* Quinque, scientia, obligatio ad res sui muneris peragendas, veritas & fidelitas, & iustitia tum in conficiendis instrumentis iusti, tum in iusto pretio ob laborem suum accipiendo.

CAP.

CAPVT VI.

Praxis circa materiam de Iudice, Teste, & Reo ex Societatis IESV *Doctoribus.*

42. *Licet ne appellare tam in causis capitalibus, quàm ciuilibus?* Licet, etiam si inferior ille iudex sententiam tulerit iuxta probabiliorem opinionem; iudex enim Superior ad quem appellatur, potest iudicare secundùm opinionem probabilem, relicta probabiliore. A me *Turrianus.* §. 1. *De iudice.* Turr.

43. *Plures litigantes litis expeditionem expectant, Petrus munus offert iudici ex pacto breuioris expeditionis: rogo, an delinquat iudex, si quando litigantes æquali iure temporis gaudent, Petri causam ante alios expediat? Laymanus* non peccare asserit; quia spectato naturali iure aliis non irrogat iniuriam. In gratiam verò Petri remuneratoris suscipit nouam obligationem excipiendi causam ipsius ante alios, quæ obligatio videtur pretio æstimabilis. Igitur quod ex naturali iure cuilibet litigantium poterat exhibere, Petro muneris gratia voluit exhibere. Addo ex *Molina* iudicem secluso scandalo, & periculo iniustitiæ posse accipere, nec teneri restituere, id, quod à litigantibus accipit, si datum sit instar muneris liberalis, vt maiorem solito diligentiam in causa adhibeat. Laym.

44. *Circa litem hanc ea est varietas sententiarum, vt possit iudex vtramlibet partem in iudicando sequi: vnus litigantium, vti gratum magis sibi conciliet ei offert munus: requiro, num peccet iudex contra iustitiam illud accipiens, vt sequatur hanc partem potiùs, quàm illam?* Ex sententia *Lessij* respondeo non peccare contra iustitiam; quia procedit id tantùm iure naturæ spectato, quando est quæstio iuris: non facti. Porrò hæc omnia iure sunt positiuo prohibita. Less. licite

45. *Potest ne iudex in sententiis ferendis opinionem probabilem relicta probabiliori sequi? Castro Palaus* posse docet, imò contra propriam opinionem, dummodo probabilitas sit circa ius, non verò circa factum; nam circa factum tenetur probabiliorem sequi. Pal.

46. *Potest ne iudex in causis criminalibus opinionem probabilem sequi in fauorem rei, relicta probabiliori in fauorem fisci, & accusatoris? Salas* asserit non solùm sequi posse, sed etiam debere; quia in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridiana probabiliores, *l. sciant cuncti, Cod. de probat.* Salas.

47. *Est ne licitum aliquid donare concubinæ iudicu, vt apud illum intercedat, quando negotium est graue, nec alia apparet via, quâ possis illum ad tuum ius seruandum inflectere?* Palaus
Pal. sentit posse me sic meam vexationem redimere.

48. *Iudex secularis secretò informationem faciens contra Ecclesiasticum in causa criminali, cum intentione illam ponendi præsentandi Prælato, violat ne Ecclesiasticam immunitatem?*
Filliuc. Violare existimo cum *Filliucio*; quia se immiscet Ecclesiasticorum criminalibus causis, quod ad excommunicationem incurrendam sufficit.

49. *Quinam est competens iudex adulterij ad pœnam sanguinis imponendam?* Solus iudex secularis; quoad alias verò pœnas, est mixti fori. In causa verò diuortij solus Ecclesiasticus iudex est competens ad cognoscendum de adulterio. Imo si de sola separatione ad tempus ob lepram, vel aliud impedimentum agatur, solus Ecclesiasticus iudex competens
Sanch. est. Sic *Sanchez*.

50. *Potest ne iudex secularis laicum cogere ad condonandum obligationem iuramenti, metu, aut iniuria extorti?* Posse existimo cum *Molina*. si id, de quo agitur ad forum seculare pertinet, & non est dubium de turpitudine recipientis

§. 2. *De Accusatore.*
51. *Debet ne aliquid accusationem præcedere?* Inscriptio equidem præcedere accusationem debet, litem verò citatio.
Saa. Sic *Saa.*

52. *Accusandi ius habens, tenetur ne prius fraternè corrigere?* Non teneri idem Doctor affirmat. Adiicio, si à iure seco cum incommodo ob fraternam monitionem casurus sit.

52. *Potest ne accusator cum Reipublicæ damno à causa desistere?*
Saa. Minimè. *Saa.*

§. 3. *De teste.*
54. *Crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur author: testis interrogatus à iudice tenetur ne respondere?* Negatiuè re-
Turr. spondeo cum *Turriano*; Quia dubium est, an iudex legitimè interroget, & probabilis sententia asserit ipsum non interrogare iuridicè, ac proinde ipsum non esse hoc in casu Superiorem. Erit igitur testi liberum vel manifestare, vel occultare veritatem iuxta probabilitatem vtriusque opinionis.

55. *Tenetur ne testis denunciare crimen quando scit nullum alium esse contestem?*
Less. Ex *Lessij* sententia probabile est non teneri; quia ex sola ipsius depositione non potest reus con-
Azor. demnari, sed tantùm torqueri. Scio *Azorium* contrarium probabilius reputare, cui quidem adhæreo.

56. *Quis falsum testimonium dixit, ratione cuius mors, vel mutilatio alteri est inferenda, tenetur ne sua dicta retractare?*

id profuturum putet, & sibi ipse similem pœnam timeret? Tenetur planè; quia in pari damno melior est conditio innocentis. Aliud esset, si tale testimonium ex ignorantia non culpabili moraliter dixisset. *Lessium* sequor. Less.

57. *Licet ne condemnare reum non adhibitis requisitis solemnitatibus?* Minimè licetè *Azorius* docet; cùm enim sententia sit publica, ex priuata notitia ferenda non est, sed ex publica in iudicio habita. *Quid si crimen sit omnino publicum, (vt cum latro in flagranti delicto comprehenditur?* Potest reus absque citationibus condemnari. *Ex publico supplicio periculum est.* Occultè tunc potest occidi. §. 4. De reo. Azor.

58. *Reus tantùm indicatus ad torturam, potest ne condemnari per sententiam iudicis ad triremes, tanquam auditur, & ei detur terminus ad se defendendum?* Non posse assero cum *Lessio*; quia defensio ita competit reis de iure naturali, & diuino, vt Princeps etiam de absoluta potestate eam illis non possit adimere. Less.

59. *Sunt ne aliqui casus, in quibus Princeps possit adimere huiusmodi reis potestatem?* Ex *Lessio* & aliis hosce recenseo. Quando delictum est notorium. Quando timetur populi tumultus, & his similibus. Less.

60. *Reo non innotescit testium depositio: tenetur ne iudici respondere?* Non teneri affirmo cum *Sanctio*; quia ei non constat, num iuridicè interrogetur. Sanct.

61. *Crimen non est plenè probatum: scio ad mortem vitandam, seu mutilationem reum legitimè interrogatum non teneri veritatem aperire: rogo num idem dicendum quando agitur de pœna proscriptionis, triremium, & confiscationis omnium bonorum, aut aliquo graui alio dedecore?* Ita planè. At si delictum plenè probatum sit, tenetur reus ad mentem iudicis respondere.

62. *Reus legitimè interrogatus à iudice metu mortis negat veritatem: tenetur ne Confessarius ei præcipere, vt dictum suum retractet?* Ex sententia *Sanchez* non teneri assero; quia esset cogere reum ad se prodendum. Imò neque reus tenetur manifestare veritatem iudici, non solùm quandiu iudicium durat, sed neque post iustè latam mortis sententiam. Debet tamen habere voluntatem verè respondendi, si iterum interrogetur. Sed Confessarius non facilè debet hanc obligationem in particulari proponere, ne noui peccati illum exponat periculo. Sanch.

63. *Reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commissione pœnam pecuniariam tenebatur exoluere: est ne restitutioni*

Vasq. *tioni obnoxius?* Cum *Vasquez* negatiuè respondeo; quia reus tali in casu iustitiam publicam, & vindicatiuam lædit, non autem commutatiuam, ex qua obligatio restitutionis exoritur.

Sanch. 64. *Aliud verum, si crimen negans falsis testibus se defenderet? Sanchez* idem respondendum esse affirmauit.

Regin. 65. *Captiui alij aperto carcere fugiunt, quando reus licitè, effracto illo aufugit: num ex eo delinquat, ad restitutionem ve teneatur? Reginaldum* sequutus negatiuè respondeo; reus enim vtitur iure suo, quod habet ad vitam tuendam.

Valent. 66. *Potest ne procedi aduersùs reum sine accusatione præmissa?* Minimè, vti *Valentia* ait, vel infamia, quæ est velut accusatio, nisi Princeps aliud iubeat, aut scandalum magnum, aut periculum postulet. Æquiualet accusatori facti euidentia, & manifesta indicia. Porrò cum proceditur contra aliquem via accusationis, requiritur semiplena probatio: cùm autem per viam inquisitionis, infamia, vel indicia sufficientia iudicis arbitrio. Certè vnus testis omni exceptione maior semiplenè probat. *Consuetudo autem iudicum procedendi non secundùm omnia à iure requisita aduersùs reum tolerabilis ne est?*

Saa. Asserit ex Soto *Saa* vim legis obtinere.

Tolet. 67. *Quandonam potest reus de socijs criminibus interrogari?* Non potest de occultis sociis nisi in crimine nimis pernicioso, v.gr. maleficio, proditione, crimine adulterandi nummos, hæresi, vti *Toletus* asserit; aut lege, seu consuetudine rationabili id concedente; aut requirente id damno alicuius, quod aliter non possit impediri. Nec sociorum relatio tormentis extorquenda, nisi sint indicia sufficientia, quòd habeat socios.

Saa. 68. *Quid de tortura rei?* Torqueri non potest minor quatuordecim annis, nec grauida, neque qui est in dignitate, aut nobilis, aut Doctor. Ad torquendum reum per viam accusationis requiritur semiplena probatio, vel clara indicia legitimè probata; per viam verò inquisitionis clamorosa insinuatio per testes legitimè probata. *Saa.*

69. *Quid de rei appellatione?* Qui appellauit non censetur damnatus. Cùm prohibetur appellatio, intelligitur quæ non est iusta. Quilibet etiam Religiosus potest à sententiæ grauamine appellare. Quilibet potest appellare ad Papam. Appellandum planè intra decem dies post sententiam; non curit autem tempus datum ad prosequendum appellationem durante partium compositione seu consensu. Potest quisque appellare pro eo qui ad supplicium ducitur. Appellatione

pendente

pendente nihil innouandum. Si autem appellatio non possit fieri coram iudice, fiat coram Notario, & vno saltem honesto viro. Sic *Saa.* Saa.

70. *Potest ne Aduocatus cogi per iudicem patrocinari litiganti?* Publicum Aduocatum cogi posse *Saa* affirmat, accepto tamen competenti stipendio. §.4. *De Aduocato.*

71. *Aduocatus ne potest esse iudex in causa, cuius fuit patronus, etiam altera parte inscia?* Affirmat *Palaus*, modò sententiam ferat secundùm leges, nullo habito ad affectionem carnalem respectu. Pal.

72. *Causa dubia non est: potest ne Aduocatus patrocinari?* Quandiu causa est dubia, patrocinari potest: quo autem tempore tenetur scire esse iniustam, de damno tenetur, vt *Emanueli* placet. Saa.

73. *Aduocare ne potest coram iudice seculari Religiosus? Filliucius* asserit aduocare posse ob Monasterij necessitatem. Addo imperante Prælato.

74. *Potest ne ancipitem causam tueri?* Non potest in re graui honoris, aut vitæ; quia melior est conditio possidentis. At in reparum graui expressa causæ imbecillitate clienti, sine mendaciis posse idem docet *Emanuel.* Saa.

75. *Procurator ad negotia, potest ne alium procuratorem instituere?* Posse asserit ex Sylu. *Saa.* §.5. *De Procuratore.*

76. *An sint valida acta per procuratorem, dum facultatem reuocatam esse ignoratur?* Valida planè esse affirmauit *Molina.*

77. *Procuratoris munus maturam ne requirit ætatem?* Posse quem Procuratorem in iudicio esse ante vigesimum quintum annum *Emanuel Saa* affirmat. Qui addit in causis spiritualibus laicum etiam posse esse Procuratorem; item non posse Procuratorem de quota paciscì. Saa. Molin.

78. *Potest ne laicus in Ecclesiastico foro Tabellio esse?* Ita planè. *Tabellio fit Clericus, aut Religiosus: num perdit officium?* Haud ipso iure perdit, interdicitur tamen communiter vsus. Sic *Saa* ex Panormit. Saa.

79. *Potest ne Tabellio extra suum territorium instrumenta conficere?* Minimè, nisi sit creatus à Principe. Sic *Saa.* Saa.

80. *Rogatus Tabellio tenetur ne instrumentum conficere?* Tenetur equidem; quia id iuramento promisit. *Emanuel* ita. Saa.

81. *Tabellio non potest adiri: quidnam præstandum?* Eius vicem supplent duæ personæ honestæ. Adhuc *ille.* Saa.

82. *Imperitus Tabellio est.* De damnis ex imperitia culpabili obortis tenetur. Ita idem *Auctor.* Saa.

83. Quis

83. *Quis Notarij munus apud visitatorem exerit; num ne aliquid accipere à visitatis?* Si de eius familia non est, nec habet salarium ex publico, potest accipere, modò aut statuto, aut consuetudine non prohibeatur. Ita quidem *Emanuel.*

EXAMEN XII.

Circa materiam de statu Religionis.

De essentia status Religiosi.

1. *Vid est Religionis status?* Fidelium ad Christianam perfectionem tendentium editis votis, perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ stabilis in communi modo viuendi modus ab Ecclesia approbatus. Dicitur quidem perfectionis status non eo sensu, quod omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed ad perfectionem tendere.

2. *Num debeat esse approbatus à Summo Pontifice Religiosus Ordo?* Ita planè; quia Ordo Religiosus est sacer quidam cœtus habens spiritualem iurisdictionem, quæ ab Ecclesiæ Prælatis, præcipuè à summo eius capite Romano Pontifice debet prouenire.

3. *Quidnam ad status Religiosi essentiam requiritur?* Trium votorum editio siue solemnium, siue simplicium, dummodò Ecclesiæ authoritate acceptentur. Hinc colligo Ordines Religiosorum licet inter se differant accidentali regularum suarum discrimine, tamen in essentialibus conuenire.

4. *An nostra Societatis filij tria simplicia vota edentes vere sint Religiosi?* Quis abneget cùm sese Societati dedicent, & actu tradant quantum ex parte ipsorum irreuocabiliter. Possunt tamen dimitti Superiorum authoritate ad eum modum, quo serui manumittuntur, licèt ipsimet discedendi careant libertate. Ante dimissionem autem inualidè contrahere matrimonium certum omninò, Ecclesiæ præscriptione.

5. *Qui*

5. *Qui in Ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantùm coniugalem vouent; sunt ne Religiosi propriè?* Minimè: secus milites Sancti Ioannis & Ordinis Teutonici, qui tria vota substantialia absolutè edunt.

6. *An Religiosi, qui editis votis perpetuæ castitatis, ac paupertatis obedientiam vouent Episcopo, aut Confessario?* Non; quia tali voto non subiiciuntur spirituali iurisdictioni Ordinis.

7. *Num Summus Pontifex possit in solemnibus votis dispensare?* Potest adeò vt aliquis Religiosus esse desinat; nam cùm possit in simplicibus, consequenter potest in solemnibus: quia solemnitas votorum Ecclesiæ inuentum est.

8. *Quis Religiosus ad Cardinalatum, aut Episcopatum promouetur: manet ne essentialibus votis Religionis obstrictus?* Ita equidem licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus per accidens censeatur: quia nihilominus manet sub Summi Pontificis obedientia, qui omnium Religionum caput.

9. *Religiosus factus Cardinalis, aut Episcopus, debet ne seruare suæ Religionis præscripta?* Debet saltem ex moralis honestatis obligatione, ea scilicet, quæ cum dignitate sua potest consistere, v.g. habitum suæ Religionis deferre. Porrò Religiosus ad secularem Parochiam promotus habitum suæ Religionis deferre, & alia præscripta Regulæ, quatenus cum munere, & laboribus suis consistere possunt obseruare debet, etiam sub culpæ obligatione, si Regula Ordinis ita præscribat. Qui quidem Religiosus dum Parochiam secularem administrat, in plerisque Diœcesis Episcopo subiicitur: verùm in his quæ ad Regulam Ordinis spectant. v. g. vt gestet habitum, videtur Abbati, seu proposito Monasterij manere subiectus.

10. *Quot sunt Regulæ religiosæ?* Quatuor, S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi viuunt, præter Carthusianos, & Societatem Iesv, qui quidem Ordines propria statuta habent.

11. *Compara Religiones inter se.* Profectò omnis variorum Ordinum diuersitas, vt innuimus, accidentalis est; quia omnes variis mediis ad Christianam perfectionem tendunt, quæ in charitate, & coniunctione cum Deo consistit. Triplex Religiosorum vita Contemplatiua, scilicet vacans Deo per contemplationem, & orationem: actiua, seu vacans proximo propter Deum per opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia: & Mixta ex vtraque. Cuiuscumque Religionis perfectio

profectio attendenda est tum ex fine eius proprio, tum ex mediis, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota implenda, ac denique charitatis perfectionem consequendam conuenienter adhibet.

CAPVT II.

De Religionis ingressione & abscessu.

§. 1. *Ingressus Religionis.*

12. *Voui me Religionem ingressurum: quidnam præstare debeo?* Moralem diligentiam adhibere, vt in aliquo Ordine suscipiaris, tui voti spectata conditione.

13. *In mea prouincia pluribus aditis Monasteriis non recipior: sed tamen spero alibi suscipiendum: num extraneas terras adibo?* Ex circunstantiis equidem personæ vouentis colligendum est, vtrum obligationem te conferendi ad alias terras suscipere intenderis; quia masculi solùm intentionem habere censentur ad monasteria suæ patriæ: fœminæ verò ad monasteria vicina propter cognatorum commoditatem.

14. *Si in ordine laxiori non recipior, teneor ne ad strictissimum: v.g. Capucinorum?* Minimè; præcipuè si delicatus sis, quia in generali promissione non obligaris ad ea, quæ in specie promissurus non fuisses.

15. *An sub generali voto Religionem ingrediendi, non Claustralis equitum militarium comprehendi videatur?* Non; quia strictè Religio non est, quæ tribus substantialibus votis absolutè non illigatur.

16. *Vouit certam Religionem, & in vno Monasterio repulsam tuli: debeo ne alia eiusdem Ordinis adire Monasteria?* Ita quidem, si spes sit suscepturum iri; secus si certi Monasterij ingressum speciali ex causa vouisti.

17. *Passus quidem repulsam sui non semel; sed Religiosi postea mutata voluntate me recipere volunt.* Ingredi teneris; quia votum Religionis in Dei honorem editur, vouentisque spiritualem vtilitatem; non autem in fauorem Religionum, vt hi iuri suo renunciantes vouentem obligatione sua liberare possint.

18. *Voui me in Religione laxa professurum, possum eligere strictiorem?* Potes. *Et si strictiorem voui, & laxiorem ingressus sum?* Peccasti; quia minùs præstas, quàm promiseras. Non tamen

tamen valida est professio? Valida est; quia votum solemne, in quo personæ traditio fit, & Religioni ius in ipsam acquiritur, derogat priori simplici voto, per quod nullum tale ius strictiori Religioni acquisitum erat.

19. *Voui ingredi, & experiri Religionem strictiorem: possum uecommutare in votum profitendi laxiorem?* Potes; quia votum perseuerandi in laxiori melius est, & plus obligans, quàm votum tantùm ingrediendi, & experiendi.

§. 2. *Professus ad alium Ordinẽ trãsiens.*

20. *Potest ne professus unius Ordinis ad alium strictiorem transire?* Potest, petita tamen, ne bonum obedientiæ contemni videatur, licet non obtenta sui Prælati licentia. Mendicantes quidem non possunt ad alium Ordinem non mendicantium transire (excepto Carthusianorum) sub excommunicatione Papæ reseruata, & licet cum licentia Papæ, seu Ordinis transeant, non tamen habent vocem in Capitulo, nec administrationes, nec Prioratus, nec Officia consequi possunt.

21. *Quænam Religio strictior habetur?* In transitu quidem ad Religionem strictiorem attendi debet ad maiorem seueritatem externam præsertim circa silentium & solitudinem. Vt etiam optimè Baldellus adnotauit, austeritas Ordinis attendenda non est secundùm institutum regulæ, sed secundùm præsentem obseruationem adeò, vt professus in strictiori Ordine, vbi regulæ non seruantur, possit ad laxiorem transire, nisi spes reformationis.

22. *Possunt ne Canonici regulares ad Monachos transire, & vice versa?* Possunt quidem transire ad Monachos, Monachi autem minimè ad Canonicos regulares; quia Monachorum Religio austerior est.

23. *Vouit quis absolutè Religionem: quidnam censetur promisisse?* Nisi de alia eius intentione constet, censeri debet solùm ingressum, & probationem promisisse. *Quid si sine iusta causa egrediatur?* Censetur contra votum peccare mortaliter; quia vouit ingredi sicut & reliqui, vt probationis tempore videret, num possit instituti rationi se accingere.

24. *Consilio ingrediendi Religionem cum parentibus communicato, me volunt impedire: quid præstandum? Num ingredi licet?* Ipsis inuitis licet ingredi, ac profiteri; quia solà causa, qua licitum non est obedire parentibus, Deus est.

25. *Quidnam debet præstare filius circa Religionis ingressum, aut egressum parentibus aut fratribus, seu sororibus in necessitate constitutis?* Si parentes in extrema necessitate sint, filius etiam professus licet Prælatus iniuriosè licentiam abneget,

neget, egredi potest, & succurrere; quia præceptum iuris naturalis, & diuini nullo voto tolli potest. Si parentum inopia sit grauis, filius ingressum Religionis differre debet, dum ipsis succurratur; quia maiore præ aliis hominibus obligatione tenetur filius ad subueniendum parentibus in graui necessitate constitutis. Quod si fororibus, aut fratribus subuenire debeat, maior debet esse necessitas, quàm parentum. Si autem editis votis filius Religiosus factus sit, non potest egredi ad subueniendum parentibus in graui sine licentia Prælati; quia status Religiosus id postulat.

§. 3. *Nouitij.*

26. *Nouitij ne præceptis obligantur?* Regula Ordinis non ligantur sub culpa; quia adhuc eam non promiserunt: tamen iustis præceptis conuenienter eorum statui à Prælato impositis obligari videntur; quia nouitij subiiciuntur spirituali potestati Prælatorum, & consequenter eorum iustis præceptis possunt obligari; alioquin tanquam vagabundi nullius proximi Ordinarij iurisdictioni subessent.

27. *Num Ecclesiastici fori & Canonis nouitij priuilegijs gaudent?* Ita equidem, & Prælati iurisdictioni subiiciuntur.

28. *An Nouitius Ordines possit accipere ab Episcopo diœcesis, in qua Monasterium situm est?* Maximè; quia per ingressum Monasterij, habitusque assumptionem domicilium censetur acquisiisse: ingressus est enim cum proposito manendi nisi mutatio aliqua alibi eueniat. *aliunde*

29. *Nouitius ab Ordine recedens est ne obligatus ad expensas Ordini soluendas?* Minimè; vt libera nouitiis egredientibus voluntas relinquatur, quæ quidem impedita foret, si ad soluendas expensas teneretur. Excipe nisi consuetudo sit vt de expensis soluendis pactum ineatur, qualis communiter in Monialium Monasteriis viget.

§. 4. *Expulsi.*

30. *Possunt ne Religiosi iustas ob causas per sententiam à Religione eijci?* Possunt. Primò quidem in crimine notorio incorrigibiles existentes. Secundò, si ob criminis infamiam sine graui Ordinis detrimento tolerari non possint. Tertiò, si quis reticeat morbum epilepticum per fraudem. Porrò Monialis incorrigibilis perpetuo carceri debet amandari.

31. *Manet ne electus votis substantialibus adstrictus?* Manet, & rerum dominium non acquirit, sed solùm habet vsum, & administrationem. *Quid si Religiosus electus alicui inseruiat Ecclesiæ?* Bona ab ipso acquisita ad eandem Ecclesiam debent spectare. *Fugitiui autem bona ad quemnam pertinent?* Ad Monasterium, à quo fugit, modò illud sit capax; quia Apostatæ non sunt à iure, ac potestate Monasterij liberati.

32. Electus

32. *Eiectus per sententiam est ne omnino liberatus ab obedientia & voto?* Non, licet magna ex parte eius executio cesset, donec in Ordinem recipiatur. Vnde voto obligatus manet, virtualiter.

33. *An eiectus per sententiam interim monasticis observationibus adstrictus sit?* Probabile arbitror esse liberum; quia ea non comitantur professionem trium substantialium votorum absolutè, sed quatenus seruari debent, sub regula, seu statu vitæ regularis, à qua tamen ille expulsus est.

34. *Eiectus ne ob crimen, debet se corrigere, ac redire, si ab Ordine recipiatur?* Ita planè; quia talis Religiosus substantialibus votis, ac religiosa professione absolutus non est, vnde tenetur sese idoneum, quatenus potest, reddere, vt sua vota æquè possit. *Tenentur ne Prælati Apostatas, siue eiectos recipere redeuntes, aut reducere?* Non semper præsertim si incorrigibiles videantur: aut sine scandalo, vel Ordinis detrimento recipi nequeant; quia si ob talem causam interdum eiici possunt Regulares, multò magis postquam malitiosè exierint, non recipi.

35. *Quid si eiecti, & curantes regredi, non recipiuntur?* Tutò in seculo degunt, cùm per ipsos non stet, quin in statum, quem vouerunt reuertantur.

36. *Interdum Prælati ob iustam causam professum tali pacto eiciunt, vt aliam Religionem profiteatur: num talem conditionem professus teneatur implere?* Si acceptauit, tenetur planè, vel regressum ad suam Religionem impetrare.

CAPVT III.

De Professione, & votis substantialibus.

37. *Quotuplex in Religione Professio?* Duplex, alia expressa verbo, aut scripto: alia tacita, v.gr. si quis post annum probationis professorum habitum proprium triduo gestet, vel intra triduum post probationis annum actum professorum exerceat, v.g. in Capitulo suffragium ferat. §. 1. *Professio.*

38. *Potest ne probationis tempus iustam ob causam produci?* Potest, v.gr. ob morbum aut defectum ætatis.

39. *Quænam necessario requiruntur ad professionem?* Tria. Primum, qualitas seu aptitudo personæ vouentis, legitima ætate, anno exacto probationis, in habitu religioso, & sine impedimento substantiali. Secundum, consensus, & acceptatio

eius, ad quem pertinet aliquem in Religione incorporare. Tertium, vt professio sponte fiat, non graui metu cogente.

aliquem errorem quatenus infirmetur / *tabis aut accidentalis* / *& conditionis* / *Sic Layman C5 n4*

40. *Num Religionis assumptio per tria vota substantialia* ... *infirmetur?* Minimè, sicut carnale Matrimonium. v.gr. si quis simulet se sanum, cùm sit leprosus: & legitimum, cùm sit illegitimus.

41. *Requiritur ne ad professionem eam acceptari à Prælato cum consilio, imò & consensu Capituli?* Ita sanè; quia professio continet in se quasi contractum & obligationem reciprocam inter professentem & Monasterium, cui incorporatur; vnde si altera pars non acceptet, nulla oritur obligatio.

42. *Num metus annullet professionem?* Metus grauis iniectus ipso iure infirmat: v. gr. si nouitius carceri mancipatus fuit, propterea quòd discessum petierit. Item metus reuerentialis: v.gr. si consanguinei nihil subsidij præbendum mentur, si è Religione egrediatur.

43. *Quid de reclamatione circa professionis nullitatem?* Post quinquennium à professionis die Religiosus foro in externo non auditur clamans professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuisse.

44. *Quid si alicuius professio irrita ipso iure fuerit, & conetur ratificare?* Subsequente expressa, vel tacita ratificatione coram prælato, iisque, quorum interest, facilè conualescit. Porrò qui actum ratificat scire debet eum ex iuris dispositione irritum esse; quia incogniti nulla voluntas potest esse, nec censeri possum ratificasse professionem, quam irritam esse ignorabam.

§. 2. *Votum paupertatis.*

45. *Ad votorum substantialium in professione emissorum tractationem veniamus. Ratione voti paupertatis ad quidnam obligatur Religiosus?* Ne quid proprium possit habere. Profectò retinet dominium nominis, & famæ, capaxque est iuris eligendi, & præsentandi beneficiatum regularem. Scholastici & coadiutores temporales qui vota simplicia post biennium probationis ediderunt, retinere, & acquirere possunt dominium verum radicale: v. gr. hæreditatem; priuati tamen actuali iure de iis arbitratu suo disponendi.

46. *Si re ipsa inter viuos aut mortis causa de bonis disponant absque Superioris consensu?* Valida videtur esse dispositio, licet ipsi contra votum paupertatis delinquant; quia retinent dominium radicale bonorum, donec se iis per solemnem professionem abdicarint. Itaque sine Superioris consensu expressa

so, aut præsumpto, Religiosus nullam rem pretio æstimabilem accipere, retinere, aut absumere potest.

47. *Quid de comestibilibus, de commutationibus, & de alijs quæ Religioso assolent circa materiam paupertatis familiariter accidere?* Comestibilia accepta in notabili quantitate mortale constituunt. At in his maior quantitas requiritur, quàm in aliis quę comestibilia non sunt. Profectò tantam materiam ad voti transgressionem grauem assigno, quantam in furto, si pecuniæ aliave non comestibilia pignora dentur, aut recipiantur: si autem comestibilia, fructúsve consumptibiles sint, materiam aliquantulũ affirmo producendam. Esculenta ex mensa pro se posita clam auferre sine intentione procedendi ad alia vsque ad materiam grauem, solummodo veniale peccatum; quod si ex intentione surripiantur huiusmodi comestibilia, materia quæ excedat notabiliter communem grauis furti materiam assignatam mortale constituet; quia ampliùs filiofamilias Religionis concedendum, quàm extraneo. Commutatio autem rei pro re, v.g. breuiarij imagines, dummodo excessus valoris notabilis non sit, culpam venialem non excedit.

48. *Religiosus parcè viuendo aliquid reseruat: num sibi acquirit?* Acquirit Religioni; quia ipse dominij incapax est.

49. *Res sibi ad vsum concessas Religiosus per culpam crassam perdit: delinquit ne grauiter?* Si materia sit grauis, grauiter peccat; quia hic actus est propriè dominij, posse rem suo arbitratu destruere.

50. *Acquirit contractu, donatione, vel hæreditate Religiosus? num sibi?* Minimè, sed Monasterio planè, penes quod dominium. *Quid si Religiosus contrahat delictum ex quo sumptus oriantur?* Non obligatur Monasterium nisi quatenus consensum præbuerit influens in ipsum delictum, aut aliquod inde commodum accepit.

51. *Abscondit Religiosus aliquid valoris notabilis, ne Prælatus habere sciat, aut auferre possit: delinquit ne contra votum paupertatis?* Delinquit; quia tales sunt actus dominij independentis, seu iuris proprietarij.

52. *Administratores, & Oeconomi Religionis quidnam dare possunt?* Solum quod Ordinis regula, consuetudo, vel Superioris voluntas permittit.

53. *Quandonam Prælati regulares contra votum paupertatis delinquunt?* Cùm bona Conuentus aliter expendunt, aut donant, quàm Ordinis regula, aut consuetudo permittit; quia Prælati non sunt bonorum communium domini; sed solummodo administratores.

54. *Num Religiosi possint peculium siue pusillum temporale subsidij habere?* Possunt secundùm possessionem, & administrationem dependentem à Prælati voluntate: v.g. beneficium parochiale cum licentia Prælati, vestes, & alia necessaria eorum quotannis à propinquis pro Monasterij consuetudine solent impendi. Profectò Concilium Tridentinum prohibuisse videtur, ne Religioso designentur stabiles redditus instar cuiusdam peculij, quamuis dependentis si superiorum voluntate: sed cum Laymano & aliis Doctoribus non sine probabilitate id Concilio affirmo non aduersari.

55. *Dixisti Monasterium non teneri ex Monachi delicto: quid si peculium ille habeat?* Resarciendum quidem damnum ex Monachi peculio, præsertim si extra Monasterium degat.

56. *Potest ne Prælatus religiosus licentiam dare res absumendi in vsus vanos, aut illicitos?* Minimè; quia Prælatus maiorem facultatem subdito dare non potest, quàm ipse habet: cum autem is bonorum Monasterij dominus non sit, sed administrator, ea arbitratu suo inutiliter, aut illicitè non potest expendere, ergo nec facultatem subdito concedere.

57. *Potest Religiosus rem aliquam donatam absolutè acceptare in fauorem alterius non intercedente licentia Prælati?* Peccat contra paupertatis votum. Secus si se habeat tantùm vt intercessor, eleemosynarius, aut internuncius. Scio tamen hoc Societatis nostræ regulis repugnare; quia (in priori casu à fortiori) etiam in posteriori Religiosus ius aliquod Pretio æstimabile sibi vsurpat, si accipiat pecuniam suo arbitratu pauperibus dispergendam, ita vt à dante reuocari non possit.

58. *Quidnam de Religioso beneficiario?* Dum beneficio potitur, administrationem reddituum habet à sacris Canonibus sibi concessam, quas ad pias causas, aut ad sui sustentationem potest applicare; quia talis natura beneficij Ecclesiastici, vt tribuat cuique ius impendendi fructus ad vsus pios, vel necessarios. Redditus autem ex hoc beneficio relicti post mortem Religiosi, ad Ecclesiam cui inseruiuit, pertinent. Quæ autem aliunde, v.g. hæreditate, aut donatione, vltra beneficium acquisiuit, Monasterium sibi vendicare potest.

59. *Potest ne Religioso concedi facultas ad vsum alicuius rei tanquam irreuocabilem?* Minimè; quia voto paupertatis repugnet vsum habere alicuius rei independentem, aut reuocabilem à Prælato.

60. *Monacho legatum relinquitur ea lege, vt ad ipsum, & non ad Monasterium debeat pertinere: num potest eo frui?*

Expli

Explicari debet voluisse testatorem, vt ad Monachum pertineat cum consensu Prælati; quasi si Prælatus consensum neget, corruit legatum; quia verba testatoris intelligi debent secundùm conditionem personæ, cui legatum cedit; at Religiosus aliter capax non est hæreditatis. Profectò Religiosus potest legatum sibi relictum Monasterio resignare; quia in gratiam Monachi cum esset legatum, quisque potest suo iuri renunciare.

61. *Quænam Religioso proprietario pœnæ à iure Canonico decretæ sunt?* Prima si absque pœnitentia mortuus fuerit, in loco sacro non sepelitur: aut sepultus extrahitur à tumulo. Secunda, ad agendam pœnitentiam detruditur in carcerem. Tertia, biennio voce actiua, & passiua priuatur.

62. *Est ne aliquid circa Religiosæ castitatis votum aduertendum?* Religiosus quidem contra castitatem delinquens duo peccata committit, sacrilegium scilicet, & impudicitiam. Recurre ad materiam luxuriæ circa sextum Decalogi Præceptum sigillo 1. §. 3. *Votum Castitatis.*

63. *Ad Obedientiæ votum accedamus. Si Prælatus inflè aliquid præcipiat Religioso cum voluntate eum obligandi, peccat ille non obediendo?* Ita planè in graui materia lathaliter; quia voti in re graui transgressor. Fateor planè non eandem esse in omnibus Religionibus voti obedientiæ perfectionem; quare nec eadem præcipiendi potestas, & obediendi necessitas est. Rarò equidem Superiores Ordinum sub culpæ obligatione præcipere aliquid censendi sunt, nisi vtantur his verbis: *in virtute sanctæ obedientiæ.* §. 4. *Votum Obedientiæ.*

64. *Præcipit Prælatus Monacho austeriora, quàm regula requirit: tenetur ne obedire?* Minimè; quia præcipiendi limites excedit; nec enim potest præcipere nisi quod directè, aut indirectè ad regulam pertinet.

65. *Potest ne Prælatus propter votum obediendi in omnibus, quæ iusta sunt, etiam actus internos præcipere?* Posse est probabile, licet consuetum, aut consultum non sit, vt talia sub peccato præcipiantur; quia cùm Prælati possint vota interna irritare, habent gubernatiuam in actus internos potestatem.

66. *Ordinis regula sub generali obligat: v. gr. regula Sancti Francisci imponit silentium sub peccato: num transgressio sit contra votum?* Ita quidem; quia lex seu regula non minùs præceptiua est, quàm vox Superioris, qui iuxta regulam debet præcipere.

67. *Si Ordinis regula sub culpa non obligat, eius transgressor*

peccat ne contra obedientiæ votum? Non; quia votum obedientiæ intelligitur de iis tantùm, quæ continent propriè præceptum.

68. *Non obligant regulæ ad culpam in aliquibus Ordinibus v.g. Prædicatorum, aut Societatis nostræ: delinquit ne qui frangit?* Transgrediens bono aliquo fine; v. g. si extra tempus loquatur cum socio, non peccat. Si verò regulam violet ob corporem, aut libidinem, peccat saltem vniuersaliter; imò si quis frequenter transgrediatur, & aduertens ideò religiosam disciplinam grauiter perturbet, mortaliter peccat.

69. *Tenentur ne Professi regulares nouam regulam, seu arctiorem viuendi morem acceptare, quàm nec explicitè, nec implicitè professi sunt?* Minimè; quia per votum obedientiæ non transtulerunt omnem voluntatem in Superiorem, vt quælibet ipsis possit imperare; sed ea solùm, quæ ad obseruationem regulæ, quam profitentur directè, vel indirectè spectant. *Quid si strictior obseruatio necessarium medium ad substantialium votorum in tali Ordine obseruationem videatur?* Imponi potest authoritate Prælatorum, licet eam subditi expressè non vouerint; quia talis obseruatio indirectè pertinet ad regulam.

Caput IV.

De Religiosi status prærogatiuis, & Priuilegijs.

§. 1. *Prærogatiuæ Regularis status.*

70. *Quænam susceptionis status religiosi prærogatiuæ?* Susceptio status huiusce maculas legales furti aufert, quoad actus temporales, ita vt damnatus de crimine v.g. furti, postea ad testimonium in iudicio, & similes actus legitimos admitti possit. *Professiones autem prærogatiuas recensent.* Per vota religiosa in gratiam constitutus omnium peccatorum remissionem consequitur; quia qui partem bonorum in eleemosynam pauperum dat, pro peccatis satisfacit, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*: ergo qui omnia sua, & seipsum diuinis tradit obsequiis, satisfacit. *Num perfectius, & plenius, quàm per plenariam indulgentiam consequatur?* Ita planè; quia cùm indulgentia sit condonatio quædam ex authoritate summi Præsulis, causam concedendi iustam requirit; at verò ad remissionem peccatorum iunctam cum professione religiosa alia insuper quæ recipiat magis, aut minus

minus causa non requiritur; quandoquidem ea remissio ex natura, & præstantia ipsius operis per modum cuiusdam iustæ exolutionis ex meritis Christi promanat.

71. *An per renouationem votorum factam bis quotannis in Societate* IESV *hoc beneficium possit obtineri?* Cum Laymano, & aliis probabiliter affirmo; nam vota Religiosa ideo afferunt plenariam remissionem peccatorum, qui continent perfectam hominis erga Deum traditionem: cùm autem hæc traditio reiterari possit, etiam remissio peccatorum iteratò valet acquiri.

72. *Quidnam vlterius per professionem recipimus?* Omnia iuramenta, & vota pia ipso iure expirant; quia per obligationem professionis religiosæ omnes hominis facultates ac vires in perpetuum, & irreuocabiliter Deo offeruntur: ideo eminenter in se continent omnes alias particulares obligationes: quemadmodum si quis erga hominem debitis quibusdam adstrictus omnia bona illi offerat. Illegitimi, & spurij absque alia dispensatione Ordines suscipere possunt, sed ad Prælaturam & dignitates promoueri non debent. Soluitur per professionem patria potestas; tamen dimissus è Societate nostra redit ad patriam potestatem, nisi sit in sacris constitutus. Tollit insuper professio ingratitudinis notam, ob quam hæres necessarius alioquin possit exhæredari; æquum est enim, vt per conuersionem ad religiosum institutum prioris delicti macula saltem in ordine ad temporales actus, & iure expurgetur. Professio denique solemnis dirimit matrimonium contractum, sed non consummatum: professio verò simplicium solùm dirimit contrahendum.

73. *Num Religiosus in iudicio possit stare?* Neque vt actor, neque vt reus stare potest; quia cùm omne ius in monasterium transtulerit, seruo comparatur, qui in iudicio nec agere, nec conueniri valet. Excipiendus 1. Religiosus beneficiatus cum libera administratione, v.gr. parochus. 2. Si Religiosus absens sit à Prælato, v.g. in studiis, vt facilè licentiam petere non possit, & de ea concedenda rationabilem præsumptionem habeat. 3. Si Religiosus obligationem contraxit ante Ordinis ingressum. 4. Si Abbatem ex rationabili causa velit accusare. 5. Monachus ob delictum conueniendus est, non monasterium, sicut nec dominus ob serui delictum.

74. *Quænam munera exercere possunt ex curia, quænamque minimè?* Non possunt Religiosi esse Procuratores, nec aduocati in iudicio, nisi cum licentia Prælati, & vtilitate

Monasterij. Consilium quid secundùm iura in causa agendum sit, possunt dare; quia illis prohibitum non est. Munus Tabellionis non amplius possunt exercere; valent tamen illorum acta. Nec iudices esse possunt, nec Assessores, nisi cum Prælati consensu, & in causa ad vtilitatem Monasterij spectante. Prælati Ordinum constitui possunt iudices conseruatores. Licet autem Religiosus non possit esse Arbiter à partibus constitutus, vt secundùm iuris terminos sententiam ferat: potest tamen esse Arbitrator, nempe amicabilis compositor à partibus electus; vt pro bono pacis seruandæ vnius iuri demere, & alteri tribuere possit, vitata tamen magna læsione. *Si Religiosus absque licentia Prælati in Testamento ad causas profanas, atque in iudicio testimonium interponat?* Malè agit, sed interpositio testimonij valida est.

§. 2. *Priuilegia regularium.*

75. *Confessi Regularibus tenentur ne eadem peccata suis Parochis confiteri?* Minimè, imò contrarium asserentes puniendos ab Inquisitoribus tanquam de hæresi suspectos, Zanardus & alij affirmant.

76. *Possunt ne Regulares dispensare cum coniugatis, qui incestu, vel voto ad petendum debitum impediuntur?* Possunt, si à suis Prouincialibus ad id facultatem acceperunt. Quæ quidem dispensatio extra Sacramentum dari potest. Imò vrgente necessitate absentibus per scriptum immitti posse non improbabile ex Portello asseruerim.

77. *Regulares in vna dixcesi approbati possunt ne in itinere confessiones in alia audire?* Ita planè si non possunt facilè Ordinarium adire, & Parocho minimè repugnante.

78. *Regularis expositus ad excipiendas tantùm virorum confessiones, etiam fœminarum excepit virtute Iubilæi punitus ne?* Minimè; quia (vti ex Sanchez accepi) sese probabili opinioni accommodauit.

79. *Possunt Generales, & alij Prælati Religionum confessarium etiam extra Religionem eligere?* Possunt, dummodò ab eorum constitutionibus, & statutis hoc illis non prohibeatur. Nec Capitulum generale potest huic derogare priuilegio, ni fuerit à Papa confirmatum.

80. *Num Prælati regulares, & quilibet Religiosi facultatem habentes eligendi confessarium possunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiam si ab Episcopo non fuerit approbatus?* Possunt; quia Tridentinum nihil hac in re innouauit, sed loquitur tantùm de confessionibus secularium ad quas audiendas vult confessarios ab Ordinario approbatos accedere, vti Suarius affirmat. Imò Præpositi Regularium possunt illis quemcumque confessa-

confessarium extra Religionem etiam non approbatum eligendi facultatem impertiri, dummodo constitutio Religionis, aut statutum contrarium non præscribat; quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam subdito delegare.

81. *Potest ne quis Regularem ex præsumpta Superioris voluntate absoluere?* Potest, si præsumptio fundatur in signis; quæ sufficienter præsentem Superioris voluntatem valeant indicare.

82. *Quisnam præterea Regulares priuilegijs gaudent?* Possunt vbique vti altari portatili, præsertim itinerantes, non contradicente Episcopo; nec enim (vti *Præpositus* adnotat) Tridentino est hoc priuilegium reuocatum. Possunt ab Episcopo ordinari extra tempora, vel etiam non seruatis interstitiis. Possunt Præpositi Religionum quæ priuilegiorum communicatione gaudent, concedere Nouitiis dimissorias, vt ab Episcopo ordinentur. Sic *Suarius*. Possunt item Regulares Præpositi, si Episcopus diœcesis abfuerit, vel ordinationes non sit habiturus, ad quemcumque alium Episcopum subditis suis litteras dimissorias concedere. Vult tamen Concilium Trident. in illis dimissoriis absentiæ Episcopi diœcesani, seu Ordinationum ab eo non habendarum causam exprimi.

83. *Regularis scit suam professionem esse irritam: suscipit tamen sacros Ordines: quid? delinquit ne?* Mortaliter quidem, & suspensione afficitur; quia sine titulo patrimonij ordinatur.

Caput V.

De Monialium, Regulariúmque virorum clausura.

84. *Quid de Monialium professarum clausura?* Eis seueriſſimè præcipitur, nisi ob causam necessariam licentia ab ordinario Prælato fuerit obtenta.

85. *Quænam causa legitima Moniali exeundi?* Pestis, aut lepræ, periculum incendij, hæreticorum incursus. *An ad ædem mutandum ob morbum periculosum possit egressus permitti?* Non; quia Canones sacri significant, causam ob quam egressus permitti possit, debere esse publicam. Aliter egredientes excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt.

86. *Quid*

86. *Quid de ingressu intra Monialium claustra?* Sub excommunicatione prohibitus est, præterquam si ob causam necessitatis licentia ab Ordinario in scriptis obtenta sit. Excipiendi pueri ante rationis vsum.

87. *Potest ne ingredi Episcopus?* Potest ob iustam causam cum sociis. Item Sacerdos ad communicandum, Medicus, Chirurgus, fabri ferrarij, & lignarij ad necessaria, aliique necessarij aut aquæ asportatores, aut horti ministri. Admonuerim consuetudines de clausura Monialium, & prohibitiones ingressus intra septa Monasterij non vbique quoad omnem modum esse receptas.

88. *De ingressu mulierum intra claustra Regularium virorum quid?* Non ita constat sub mortali, & excommunicatione prohibitum esse. Nam in pœnalibus nomine masculino non comprehenditur fœmininum. Porrò constitutionem Pij V. quoad prohibitionem hanc, non vbique receptam asfero cum Laymano.

89. *Sunt ne certi casus, quibus mulieres seculares ad regularium virorum habitationem sine scandalo, & peccato admittuntur?* Ita quidem. 1. Reginæ cum comitatu. 2. Fundatrices Monasterij. 3. Aliæ fœminæ illustres cum comitatu. 4. In sepultura Ecclesiastica simul mulieres comitantes admittuntur. 5. Si Religiosi in residentia viuunt, Monasterio nondum constituto. 6. Honestæ mulieres, secluso scandalo, ad aulam Abbatis semotam à claustro possunt admitti.

CAPVT VI.

De Regularium Prælatis.

90. *Quidnam possunt Abbates ex Pontificum priuilegio alique Prælati Regulares?* Abbates quidem possunt calices, campanas, altaria, vestimenta consecrare ac benedicere, non tantùm ad suarum Ecclesiarum vsum, sed etiam alienarum. Priuilegium autem quorundam Abbatum minores Ordines conferendi non esse reuocatum per Tridentinum *Sanchez* affirmat. Possunt item Clericis secularibus sibi subditis litteras dimissorias concedere. Prælati autem reliqui possunt commutare, & dispensare vota Nouitiorum: suos subditos à casibus Bullæ Cœnę absoluere secundùm *suarium*, imò & malè ad Ordines siue ante legitimam ætatem, siue per saltum promotos. Possunt item dispensare votum subditi de

de transeundo ad strictiorem Religionem. Ita *Suarius*. Possunt benedicere paramenta Ecclesiarum, etiam externorum. *Possint ne aliquia sub pœna excommunicationis sibi reseruata vetare?* Minimè; quia (vt *Sanchez* affirmat) ex decreto Clementis VIII. omnis reseruatio illis est interdicta.

91. *Num Prælati Regulares (queis eligendi cura) digniores eligere ad gubernationis munera teneantur?* Affirmat Turrianus teneri; quia Prælaturæ Regulares beneficia sunt Ecclesiastica curam animarum habentia. Ego cum *Filliucio*, & *Reginaldo* sufficere existimo, si dignum eligant digniori non assumpto.

92. *Possunt ne Prælati regulares à suis Prælaturis ad libitum Superiorum etiam sine causa amoueri?* Ita planè, si non sint electiui; dummodo accusatio, aut inquisitio contra ipsos non pendeat.

93. *Prælati Regulares tenentur ne subditorum etiam venialia peccata corripere?* Tenentur cum communiter transgressio diuagatur, imò Regulæ transgressionem communem, licet non obliget sub veniali, ne Religiosa disciplina collabatur. committitur.

94. *Quonammodo sese circa criminum Inquisitionem Regularis Prælatus gerere debet?* Potest, ac debet in peccata occulta subditorum inquirere, vt illa fraternè corrigat, modò absit nimia, & anxia solicitudo. *Num liceat priuato Religioso inuitam fratrum inquirere, vt fraternè corrigere possit?* Minimè; quia vbi muneris obligatio non exigit, non sunt quærenda peccata, vt corrigantur.

95. *Potest ne Monialis vidua eligi in Abbatissam?* Maximè; lex enim id prohibens per contrarium vsum est abrogata. *Quid de illegitima?* Etiam sine dispensatione potest in Abbatissam assumi: & quamuis requireretur dispensatio, ab ipsarum Prælatis Monialium concedi posset.

CAPVT VII.

Praxis circa materiam de Statu Religioso ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De statu Regulari.* Suar.

96. *Regularis Nouitio idoneo negat suffragium: delinquit ne grauiter?* *Suarius* respondet affirmatiuè; quia non tantum illum ab ingressu Religionis retrahit, sed etiam à Religione sine iusta causa expellit.

97. *Quanam*

97. *Quonammo implendum est tempus ad professionis vtilorem?* Cum eodem *Suario* affirmandum, complendum esse annum nouitiatus de momento ad momentum, vti & annus decimus sextus ætatis. Suar.

98. *Dubium est, num circa professionem emittendam metus interceſſerit, vel an fuerit iustus, vel an ratione metus adfuerit animus se obligandi: iudicandum ne est in fauorem professi, an Religionis?* Semper ex *Sanchez* sententia in fauorem Religionis, ac professionis præsumendum. Sanch.

99. *Reticet quis in examine morbum gallicum, v.g. num efficiat irritam professionem?* De iure communi non facit irritam, sed, vt bene adnotat *Lessius*, sufficientem exhibet causam sic professum à Religione expellendi. Less.

100. *Dubium est, num parentum necessitas grauis sit: potest ne filius ingredi Religionem?* Potest, teste *Sanchez*, quia possidet libertatem. Sanch.

101. *Potest quis ad facilius impetrandam receptionem suam in aliqua Religione conferre Superioribus, vel aliis munera?* Cum *Valentia* affirmatiuè respondeo, si gratis & sponte fit. Valent.

102. *Ignorat quis suæ professionis nullitatem, vel impeditur intra quinquennium reclamare: potest ne adhuc reclamationi operam impendere?* Potest ex *Sanctio*. Sanch.

103. *Quandonam Religiosus sine excommunicatione potest habitum exuere?* Si in loco secreto exuat, vt commodius ei sit, vel vt meliùs currat, & saltet. Vel si iniustè grauatus à Prælato immediato fugiat ad Superiorem sine habitu, ne agnitus comprehendatur. Vel si ad turpem causam, v.g. vt furetur occultè, vel fornicetur, illam dimittat mox reassumptur, *Sanchez* ita. Sanch.

104. *Peccat ne mortaliter Religiosus etiam ex consuetudine extra chorum recitans horas canonicas?* Affirmat *Suarius* non peccare. Suar.

105. *Possunt ne Regulares compelli ab Episcopis per censuras ad processiones?* Minimè ex *Sanchez* sententia. Non tamen debent extra ambitum Conuentus processiones ducere absque licentia Episcopi de iure communi. Sanch.

106. *Potest ne Regularis exemptus qui incurrit excommunicationem ob crimen notorium, ab Episcopo denunciari vt ab aliis vitetur?* Sentit *Henriquez* posse, licet quidam id tantum admittat in casibus specialiter Episcopo permissis, quibus hæreo. Henriq.

107. *Regularis, qui iustam habet causam appellationis, potest ne, omissis mediis Superioribus, ad Papam prouocare?* Cum *Sanc.* asserto Sanch.

assero posse, quando Prælati corrigentes manifestè limites Religiosæ disciplinæ excedunt.

108. *Quotnam causis potest quis à Religione strictiori ad laxiorem transire?* Tribus præcipuè. 1. Ob corporis imbecillitatem. 2. Si indignè tractetur, aut sit exosus. 3. Si est infamatus, ita vt semper in pudore, & subinde magna tristitia sit victurus. Admonuerim hoc præstari debere Superioris licentia, non aliter. Mecum sentiunt *Lessius*, & *Sanctius*. Less. Sanct.

109. *Bona Religiosi ad aliam Religionem transeuntis ad quodnam pertinent Monasterium?* Ad primum planè ex *Suarij* assertione, quod quidem ad summum illi dare sufficientia alimenta tenetur. Suar.

110. *Potest ne secum huiusmodi Religiosus sine speciali licentia deferre?* Potest libros à se compositos, aut scripta, vti ex *Reginaldo* accepi. Regin.

111. *Religiosus Episcopus factus eximitur ne à paupertatis voto?* Eximi asserit *Vasquez* adiiciens non teneri ad observantiam regularem nisi ex quadam honestate. Vlteriùs asserit *Sanchez* haud incurrere excommunicationem, licet habitum suæ Religionis dimittat. Addit *Molina* expulsum à Religione non teneri se emendare, vt ad illam redeat, neque obligari voto obedientiæ; paupertatis tamen voto ita obligari, vt quidquid acquirit, Monasterio acquirat. Sanch. Molin.

112. *Religiosus electus ab Ordine, si emendatus petat recipi, tenentur ne eum Superiores admittere?* Non, neque ipse ad aliam Religionem transire tenetur ex *Sanctio*. Imò probabiliter neque ad suam. Sanct.

113. *Ære alieno oppressus potest ne in Religione admitti?* Olim quidem poterat Religionem ingredi, & sic quasi cedere bonis; nunc tamen non potest admitti, nisi priùs satisfaciat creditoribus ex noua Sixti V. constitutione, moderatione Gregorij XIV. addita. Sic *Saa*. Saa.

114. *Valet ne Nouitij obligatio?* Extra Societatem Iesv minimè sine licentia Episcopi, aut eius Vicarij, idque intra duos menses ante professionem, ante quam nullum sortitur effectum, ex Trident. sess. 25. vbi non prohibetur testamentum, sed donatio inter viuos: nec dispositiones de bonis suis ante susceptum habitum, modò non fiat intuitu Religionis. Ex *Molina*. donatio Molin.

115. *Si nouitiatus annus interrumpatur per egressum, opus ne est de nouo incipere?* Affirmatiuè respondeo cum *Saa*, alioquin inualida professio. Admonuerim tamen non interrumpi manendo ex causa extra Monasterium de licentia Superioris: Saa.

perioris : id quod posse etiam post Concilium Trident. fieri assero.

116. *Possunt ne parentes offerre Religioni filios impuberes inuitis tutoribus?* Possunt, imò pater auo inuito, non autem

Saa. auus inuito parente. Sic *Saa.*

117. *Cuinam acquirit Religiosus professus?* Pensionem, & hæreditatem Monasterio acquirit. Quod si ille hæreditatem sibi relictam repudiet, potest Monasterium acceptare: etsi moriatur ante aditam patris hæreditatem, succedit Monasterium. Acquirit equidem Religiosus Monasterio, cui se dedit profitendo; quod si generaliter Ordinem profitetur, nulli se

Molin. Monasterio addicens, toti ordini acquirit. Ex *Molina* colligi.

118. *Superior aliquid infra regulam præcipit: tenetur ne*

Saa. *subditus obedire?* Affirmat *Saa*, saltem quantum se vel tacitè

Less. eius vota extendunt. Ego autem cum *Lessio* non teneri inferiorem assero, nisi iusta causa Superiori infra regulam præcipienti subsit. Nec etiam si quid supra, nisi in iustam alicuius criminis pœnam imponatur, aut putetur necessarium ad seruanda vota, vt clausura Monialium. Nec si quid contra, nisi fortè possit Superior in ea parte regulæ dispensare, & iusta causa subsit.

119. *Quonammodo Carthusianus abstinere à carnibus teneatur?*

Azor. Respondeo ex *Azorio* teneri vesci carnibus, si aliter non possit à morbo liberari, aut viuere. Sunt & qui affirment (teste *Saa*) non peccare illos mortaliter, si carnibus vescantur extra morbum, abstracto scandalo; non enim ex voto abstinent, sed ex consuetudine.

120. *Potest ne secularis iudex de facto Religios. ante ingressum Religionis cognoscere?*

Saa. Minimè; nam, vt adnotat *Saa*, iam est forum mutatum.

§. 2. *De largitione munerũ circa Bullam Cl. VIII.*

121. *Circa munerum elargitionem quid Religiosi possunt post Bullam Clem. VIII.* Huius Bullæ (authore *Sancio*) duo sunt fines præcipui, nempe ne Monasterij bona dilapidentur, & ne detur ambitionis occasio. *Granadum* sequor confirmantem. Porrò hæc Bulla quò ad pœnas non videtur vsu recepta, nec quotannis in Capitulis Monasteriorum legitur. Neque edita

Gran. est ad nouum ius, seu nouam obligationem inducendam, sed ad ius commune restituendum, ac confirmandum.

122. *Num Milites D. Iacobi, Alcantarę, &c. in hac Bulla*

Sanch. *includuntur?* Non includuntur teste *Sanctio*; quia expresè Pontifex licet eos verè Religiosos innuat, excludit. *An Nouitij?* Non includi Nouitios sub nomine Religiosorum asserit

Filliuc. *Filliucius*; quia tantùm in fauorabilibus hoc nomine gaudet.

123. *Reli-*

123. *Religiosus in aliquo speciali casu non dissipat bona Religionis, nec vlla adest ambitionis occasio largiendo munera: num incurrat Bullæ pœnas?* Non quia (vt *Granados* ait) cessante ratione, & fine legis, cessat eiusdem obligatio. Granad.

124. *Religiosus sine Superioris licentia dat munusculum duorum aureorum: incurretne in Bullæ pœnas?* Cum *Filliucio* scio peccatum quidem furti graue ab eiusmodi Religioso admitti, non tamen incurrere in Bullæ pœnas; quia ad Monasterij dilapidationem parum confert hæc quantitas. Filliuc.

125. *Casus in Bulla excepti extendine possunt ad alios similes?* Extendi posse assero cum *Filliucio*. Quare licet excipiat tantùm leuia comestibilia, & ad deuotionem pertinentia, possunt etiam leuiuscula alterius generis dari. Filliuc.

126. *Religiosus rogat amicum, vt det aliquod alteri suo nomine munus: delinquit ne contra Bullam?* Neque contra Bullam, neque contra paupertatis votum peccare cum *Suario* existimo; quia non disponit de re aliqua Monasterij sine Superioris facultate. Suar.

127. *Peccat ne contra Bullam Monialis, aut Regularis dans eleemosynam?* Non; quia bulla tantùm prohibet munerum largitionem. Vnde assero nec prohibere sumptus, qui fiunt diebus festis solemnibus in musicam, in sustentationem concionatoris, & eorum, qui altari ministrant; hæc enim omnia pertinent ad commodum Monasterij.

128. *Num Regulares largientes aliquod donum in remunerationem, Bullæ contraueniant?* Minimè; quia remuneratio donatio gratuita non est. *Quid si remuneratio hæc merita, & beneficia accepta excedat?* Licet in quarta parte, v.gr. excedat, non adhuc est contra Bullam; quia id postulat gratitudo.

129. *Quia plerumque Regulares concionandi muneri incumbunt, aliquas difficultates à te enodandas subijciam: rogo, num peccato sese concionator illiget in crimine lethali concionando?* Non est peccatum, si occultum sit crimen, secus si publicum; quia actus concionandi non est consecratus neque ex sua natura, neque ex institutione Ecclesiæ, neque certo Ordini deputatus; cum multi nondum sacris Ordinibus initiati prædicare soleant. Idem dicendum de Lectore sacræ Scripturæ & Theologiæ, modò absit scandalum. Ita *Suarius*. 2. §. 3. *De concionatore.* Suar.

130. *Necessum ne Religiosos in ordine ad conciones ab Episcopo approbari?* Scio à pluribus Doctoribus affirmari necessarium non esse. Quin & non me fugit, alios asserere contradicente Episcopo in suis Ecclesiis concionari posse. Tamen in

praxi melius non concionari; ne ex huiusmodi concione plus scandali, quàm fructus oboriatur.

131. *Quid si in alienis Ecclesiis sine Episcopi licentia concionentur?* Non possunt ab ipso puniri, sed à suis puniendi Superioribus, vti ex Declaratione Cardin. constat.

132. *Quandonam Concionator mortaliter in concione delinquit?* Respondeo ex *Saa*, (qui à Nau. & Caiet. accepit) graviter delinquere si prædicat valde inutilia, aut scienter falsa in fidei doctrina, vel morum, vel miraculis, aut vita Sanctorum, aut detrahendo ferè nominatim Prælatis Ecclesiæ. Scio non esse graue crimen fabellam recitare: imò si id fit animo excitandi auditores ad piè audiendum, nullum peccatum est. Porrò prædicare quem principaliter ob gloriam, aut pecuniam, mortale non esse affirmo. Saa.

133. *An Episcopo contradicente quis concionare possit?* Concilium Trid. vetat. Excipit tamen Pius V. Mendicantes suis in Templis prædicantes, nisi ipse Episcopus concionari velit. Certè Episcopus non potest sine rationabili causa eos à prædicatione suspendere. Nec Mendicantes in vna Diœcesi ad prædicandum examinatos in eadem ampliùs examinare; quod si sint graduati in Theologia, aut Lectores, examine Episcopi non egent. Profectò Mendicantes etiam cum in Cathedrali prædicatur, concionari posse affirmo *in sua Eccles.*

134. *Mendicantium concionem agentium indulgentias à Pontificibus concessas exprime.* Possunt Prædicatores, & Minores, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, v. g. Societatis IESV concionatores, & alij Mendicantes concionantes suis in domibus quocumque anni tempore, concedere auditoribus suis 18. annos, & 320. dies indulgentiæ: extra suas verò Ecclesias 18. annos, & 222. dies tantùm. Tempore verò Quadragesimæ in suis domibus feria secunda, quarta, & sexta 156. annos & 24. dies. Monuerim tamen, debere eos expressè nomine suæ Sanctitatis has indulgentias concedere, aliàs essent nullæ.

TRA

TRACTATVS SEPTIMVS

LIBRI THEOLOGIÆ MORALIS,

Sacramenta.

Vbi materiæ de Sacramentis in genere, & in ſpecie, de indulgentiiſque diſcutiuntur.

EXPRIMO *placita præcipuè* Suarij, Coninch, Toleti, Henriquez, Cardinalis de Lugo, Caſtro Palao, Filliucij, Laymani, mei Doctiſſimi Magiſtri Franciſci de Lugo.

EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Sacramentis in genere.

CAPVT PRIMVM.

De definitione Sacramenti, numero, ac necessitate Sacramentorum.

1. *Quotnam ad rationem Sacramenti requiruntur?* Tria. Primò quidem vt sit signum sacrum, sensibile, voluntarium, & permanens. Secundò, vt sacræ rei sit signum. Tertiò, vt aliquam eo vtendi conferat sanctitatem. Porrò vt sit nouæ legis Sacramentũ duo insuper requiruntur, nempe vt conferat aliquam sanctificationem, quando recipitur, & vt illa vi Sacramenti conferatur.

2. *Quid igitur est nouæ legis Sacramentum?* Res sensibilis, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet. Qua quidem *efficiendæ* particula, nouæ legis Sacramenta ab antiquis maximè secernuntur; hæc enim ex opere operato gratiam conferunt, illa autem ex opere operantis, vno vel altero dumtaxat excepto.

3. *Sacramentorum nouæ legis numerum expone.* In felicissimo innocentiæ statu Sacramenta non fuere, vti fert probabilius Doctorum placitum. Profectò in lege naturæ saltem pro infantibus fuit Sacramentum. In lege scripta Circuncisio, aliáque complura esse cœperunt. Donec in lege gratiæ septem sapientissima Christi institutione perfecta sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema-Vnctio, Ordo, Matrimonium. Cuius numeri congruitas ex corporeæ vitæ cum spirituali comparatione desumpta est. Nascitur Baptismate homo, Confirmatione adolescit, Eucharistia nutritur, Pœnitentia ab ægritudinibus liberatur, Vnctione extrema à criminum expiatur reliquiis. Ordine ad Sacra peragenda instituitur, Matrimonio humana species propagatur, cuius congregatione Ecclesia resultat.

4. *An sint Sacramenta ad salutem necessaria?* Non sunt absolutè, & ex natura rei necessaria ad salutem, quia Deus potuisset alia media ad nostram salutem instituere. Suppositâ tamen Christi institutione sunt necessaria saltem aliqua necessitate medij, & similiter necessitate præcepti.

CAP.

CAPVT II.

De causa efficienti, ac finali, materia ac forma Sacramentorum.

5. *Causam efficientem Sacramentorum assigna.* Principalis efficiens causa vnus est Deus; instrumentalis coniuncta humanitas Christi, separata autem ipse minister, qui virtute Christi Sacramentum conficit.

6. *Quare Sacramenta instituta?* Ad hominis iustificationem solius. Congruè quidem ad id huiusmodi assumpta sunt media, quæ & diuinam misericordiam, iustitiam, sapientiam, & potestatem maximè decerent: & homini tum ad eruditionem, humiliationem, exercitationémque prodesse possent tum illum velut errantem, & vagum sub vnico Christianæ Religionis signo reducerent. retinerent

7. *Num Sacramentorum nostrorum dignitatem valebis exponere?* Minimè planè. Tanta enim eorum dignitas, vt si cum antiquis conferantur, iis & magnitudine vtilitatis, & virtutis efficacitate, & vsus facilitate, & numeri paucitate præcellant. Si verò inter sese conferantur, de fide quidem est, ea paria non esse, cum Eucharistia simpliciter omnium sit præstantissima: licet Baptismo vni, atque Pœnitentiæ post culpam admissam, sola spectata necessitate, primatum iure concedat.

8. *Quænam materia ac forma Sacramentorum?* Constant quasi materia rebus, ac veluti forma verbis. Remota quidem materia in omnibus res aliqua naturalis est, v.g. in Baptismo aqua, &c. proxima ferè semper actio quædam est, aut passio, quæ remotam magis actuat, & ad subiectum vna cum forma determinat, v.g. ablutio in Baptismo. Vtraque à Christo determinata est, vnde non licet immutare. Forma verò Sacramentorum verba sunt, v.g. in Baptismo illa, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c.* Profectò si in forma sensus varietur, nihil fiet; quod si seruetur, admitti poterit aliqua mutatio, etiam si minister ritum aliquem intentet inducere, modò illum ita non exprimat, & verborum sensus ambiguus reddatur. aliorum

CAPVT III.

De Ministro, & suscipiente.

§. 1. *Minister Sacramenti.*

9. *Quisnam Sacramentorum Minister?* Vnus homo, non quicunque, sed qui ritè in Ecclesia sit initiatus, Baptismo, ac Matrimonio dumtaxat exceptis.

10. *An Ministri intentio sit necessaria?* Porrò intentio ac voluntas faciendi, quod Christus instituit, omnino ad Sacramentum perficiendum est necessaria. *Quænam intentio?* Actualis est optima sed non necessaria: virtualis sufficit, & necessariò requiritur, nam habitualis insufficiens est.

11. *Obest aut infidelitas, aut malitia ministri Sacramenti?* Minimè, modò cætera requisita non desint; quia diuinâ Christi virtute operatur.

12. *Quotnam Ministro obseruanda sunt ex præcepto?* Quatuor, Primò, vt debita adsit potestas tum Sacramentum conficiendi, tum confectum licitè ministrandi, siue quia nulla sit censura prohibitus, siue quia conuenientem obtineat iurisdictionem. Secundò, vt consuetas Sacramentorum materias & formas in vsu retineat; alioquin si aut aliquid in iis ad substantiam pertinens immutet, aut materiam, quam Ecclesia præscripsit, non obseruet, lethale peccatum admittit. Tertiò, vt se ad gratiam per actionem paret vt minimum, quam tamen ipse contritionem existimet; alioquin si ex officio Sacramentum administret, illud conficiendo, se grauiter in culpa esse deprehendens, mortaliter peccat; non ita qui in necessitate Sacramentum confert. Quartò denique, vt eas in Sacramento administrando cæremonias ac ritus obseruet quos Ecclesia Spiritu sancto edocta præscripsit.

§. 2. *Susceptor Sacramentorum.*

13. *Quinam capax suscipiendi Sacramenta?* Solus homo hac in vita degens.

14. *Quænam ei obseruanda?* Duo præcipuè. Primum, vt Sacramenta aliquando suscipiat, siue quia aliquod eorum absolutè necessarium sit, siue quia ob vrgentem aliquam tentationem, aut circunstantiam, ad ea confugere sit necessum. Secundum verò, vt tam ex parte Sacramenti omnia illa exhibeat, quæ & ad substantiam ipsius, & ad conuenientem ex præcepto modum requiruntur, v.gr. intentio debita, capacitas, & concursus actiuus, vbi ille necessarius est: quàm ex parte dispositionis ita paratus accedat, vt saltem gratiam

tiam iustificantem, quæ principalis effectus est, recipere possit.

15. *Num possit ab omnibus Ministris Sacramenta petere?* Ab eo non debet petere, qui siue validè, siue licitè dare non possit. Neque ab eo, quem certò nouit in peccato daturum, nisi fortè aut seruandi præcepti necessitas, aut alterius ministri defectus excuset. Absolutè tamen petere, vel accipere Sacramentum ab eo, qui cum possit dignè dare, ex malitia tantùm sua dignus non est ad ministrandum, nullum iudico esse peccatum, quia ab eo actu potest per se eiusmodi separari malitia.

Caput IV.

De Sacramentorum effectibus.

16. *Quinam præcipuus Sacramentorum effectus?* Primus quidem est gratia eáque iustificans, quam ex opere operato ab omnibus Sacramentis effici de fide est. Illam virtutes ac dona consequuntur. Præter hanc vnumquodque suam specialiter efficit, quam sola quadam ratione à communi illa distinctam esse reor. Vtramque quidem secundùm propriam quisque mensuram, & dispositionem accipit, non diuino solo beneplacito, aut merito, seu impetratione ministri. Profectò prior semper confertur, obicem non ponenti in ipsomet receptionis momento: posterior verò quando ea gratia opus erit ad actiones ab eo Sacramento dependentes. Illam porrò Sacramenta tanquam separata instrumenta efficiunt, & probabile quidem est ad modum causæ physicæ, probabilius autem ad modum causæ moralis.

17. *Alterum minus principalem effectum Sacramentorum assigna.* Character est, qualitas videlicet supernaturalis, & spiritualis, in animæ substantia~~lia~~ per habitus modum impressa, cuius munus est aptum reddere ad diuinum cultum, configurare nos Christo, & à cæteris siue infidelibus in Baptismo, siue trepidis ob persecutionem in Confirmatione, siue à secularibus in Ordine, quasi sacro quodam signo, notáve distinguere.

18. *Propria characteris quænam?* Primò, vt deleri nunquam possit, cum semel est habitus, & si vnum Christum excipias, in cæteris omnibus noui Testamenti patribus vna cum ipsius sanctissima Matre, iure optimo ponitur. Secundò, vt

animam Deo, veluti quoddam templum, reddat sacram. Tertiò, vt homo vi illius in ius, & potestatem Dei specialissimè transferatur. Quartò, vt per eum Christo, eiusque membris similis fiat. Quintò denique, & ad alia Sacramenta vel recipienda, vel administranda disponat.

CAPVT V.

Praxis circa materiam de Sacramentis in genere ex Societatis IESV *Doctoribus.*

19. *Dixi sit tribus perfici Sacramentum, materia, forma, & intentione ministri: rogo, an requirant Sacramenta intentionem?* Præter Eucharistiam omnia Sacramenta requi-
Hurt. runt intentionem in suspiciente adulto. *Gaspar Hurtado de Sacram. in gen. d. 4. diffic....*

20. *Requiriturne actualis in ministro intentio?* Triplicem scio esse posse intentionem actualem, virtualem, & habitualem. Actualis est, quando actu cogito, & intendo agere, quod ago. Virtualis, cum fuit mihi talis intentio, sed postea absque retractatione cessauit, manente adhuc opere, vel effectu ipsius intentionis, à qua ortum habuit, vel cum ea immediatè, vel mediatè connexum est. Habitualis, cum aliquando habui intentionem aliquid faciendi, quam nunquam retractaui: sed nec in se, nec in alio perseuerat, quod habeat cum
Regin. illa connexionem. Porrò *Reginaldus tom. 2. lib. 26. cap. 3. n. 48.* docet, sufficere in ministro intentionem virtualem in alia intentione suapte natura, vel ex Ecclesiæ intentione implicitam. v. gr. intentio celebrandi, quæ includitur in intentione induendi vestes Sacerdotales iuxta morem Ecclesiæ; quia ob similem connexionem intentio vouendi castitatem in intentione suscipiendi subdiaconatum includitur; ex institutione enim Ecclesiæ connexa sunt, & qui vult vnum, velle
Henriq. etiam aliud censetur. At *Henriquez lib. 1. cap. 10. num. 2.* existimauit, ad conficienda Sacramenta quæcumque non aliam intentionem esse necessariam ab ea, qua quis sacros suscepit Ordines, vt Sacerdos fieret, & Christi minister euaderet. Profectò cum communi Doctorum assero, nec actualem intentionem requiri, nec habitualem sufficere; sed requiri, & sufficere virtualem.

21. *Quænam autem intentio requiritur in suscipiente?* Suffi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ficit intentio generalis, quam omnis Christicola habet catholicè viuens, vt sibi Sacramenta conferãtur, quandocumque indiguerit. v.gr. huiusmodi consensum Ecclesia in moribundo præsumit, dum Extremam ei licet non petitam exhibet Vnctionem. *Hurtado d.4.diffic.14.* Hurtad.

22. *Scio in ministro omnia Sacramenta gratiam requirere, vt licitè efficiantur: requiro, quid in necessitate, dum Parochus existens in mortali vocatur ad ægrum morientem festinanter, qui moraliter videtur disponi non posse per confessionem, aut contritionem? Card. de Lugo de Sacram. d.8. sect.9. num.151.* Lugo. talem ministrum ab obligatione dispositionis excusat; quia necessitas proximi, in cuius subsidium Sacramenta sunt instituta, præcepto de ministrandis illis in gratia, præponderat.

23. *Conferunt ne omnia Sacramenta primam gratiam?* Baptismus & pœnitentia ex sua institutione conferunt gratiam primam, id est, eam, quæ nullam aliam supponit in subiecto; reliqua verò Sacramenta ad augendam gratiam sunt instituta, & supponunt suscipientem in gratia constitutum, nec conferunt primam gratiam primariò & per se, per accidens autem conferre posse, Doctores affirmant. *Hurtado d. 3. diffic. 4.* Hurt.

24. *Accipit quis aliquod Sacramentum cum fictione, v. gr. quando intentio deficit: sublata ne illa fictione, & mutata voluntate, recipit effectum?* Minimè; culpa graui omnia vitiante, (de Baptismo autem suo loco dicendum.) Secus quidem de eo, qui recipit Pœnitentiæ Sacramentum prætermissa inculpabiliter attritione: sublata enim fictione, id est attritione posita consequitur Sacramenti effectum, & gratiam respondentem Sacramento præterito. Sic *Coninch.* Conin.

25. *Sunt ne publico peccatori indignè petenti administranda Sacramenta?* Minimè. Secus dicendum de peccatore occulto publicè petenti, & qui sine scandalo, & infamia repelli non possit. Profectò nomine publici peccatoris intellige Histrionem, qui comœdias turpes turpiter repræsentat; aut vsurarium publicum & notorium. Fateor posse Sacerdotem publico peccatori ob metum Sacramenta administrare; affirmóque non posse huiusmodi peccatori hostiam non consecratam exhibere, ne ad idololatriæ materialis barathrum alliciat. Ex eodem *Coninch.* Conin.

26. *Num fides sit necessaria in Sacramentorum ministerio?* Respondeo ex *Busæo* necessarium non esse, primò quia sic est in Concil. Nicæno 1. definitum. Deinde quia minister nihil in Sacramento agit nisi virtute diuina. Busæ.

27. *Existit quis in mortali; necessum baptizare, aut aliud Sacramentum ministrare: quidnam ei præstandum?* Ex *Suario* Suar. respondeo ad ministrandum Sacramentum, quod simul efficitur, contritionem requiri, nisi quis baptizet in necessitate sine solemnitate, aut Matrimonio, vt parochus assistat. Contritionem dixero saltem secundum conatum & inculpabilem hominis opinionem.

28. *Si cognosco Ministrum esse excommunicatum, possum ne ab ipso Sacramenta accipere?* Cum *Toleto, Suario, & Valentia* Tolet. Suar. Valent. respondeo Sacramentum accipienda à Pastore etiam si sciam quis esse irregularem, aut suspensum, aut excommunicatum, modò denunciatus non sit aut notorius Clerici percussor. Illum verò subdito petenti ministrando peccare si per ipsum stet: at si non stat per ipsum quominus absoluatur, aut aliter subdito satisfacere nequeat, non delinquere.

29. *Quid in mortis articulo?* Licet tunc accipere Baptismum, & pœnitentiam à nominatim excommunicato, etiam Tolet. ab hæretico. Ex *Toleto*, qui quidem adiicit, quouis tempore licere accipere Sacramenta ab eo, qui non est denunciatus excommunicatus, aut notorius Clerici percussor, si non potest commodè ab alio habere & tuæ necessitati aut spirituali vtilitati prouidere.

30. *Peccant ne contrahentes Matrimonium in peccato mortali?* Multos ob ignorantiam excusari *Sanchez* affirmat, quia Sanch. non sunt ministri consecrati.

EXAMEN II.

Circa materiam de Baptismo.

CAPVT PRIMVM.

De Baptismi definitione, institutione, proprietatibus ac ritu.

§. 1. *Baptismus triplex.*

1. QVid Baptismus? Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem. Institutus planè Baptismus, quando Christus à Ioanne fuit in Iordane dilutus. Necessarius quidem

quidem non solum necessitate medij, verùm necessitate præcepti; quia sine Baptismo in re, vel in voto, non potest salus obtineri.

2. *Quotuplex Baptismus?* Triplex, Flaminis quidem, sanguinis, & fluminis, Baptismus Flaminis est pœnitentia, seu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem. Baptismus sanguinis est Martyrium, sic dictum, quod effectus efficiat Baptismi, & illius vices aliquando gerat. Porrò Martyrium est passio seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Conditiones ad Martyrium requisitæ sunt, vt in adultis adsit voluntas suscipiendi simul cum attritione supernaturali, si adultus peccato mortali illigetur. Deinde qui patitur, pati debet ob fidei Catholicæ conseruationem, vel castitatis, vel immunitatis Ecclesiæ, vel alterius veræ, virtutis. Præterea necessaria est passio seu cruciatus lethalis in odium Christi, vel in contemptum fidei illatus. Confert equidem Martyrium gratiam ex opere operato, tribuítque omnis culpæ & pœnæ remissionem. Baptismus fluminis est verus & proprius Baptismus, verúmque ac proprium Sacramentum.

3. *Quo differt Baptismus fluminis à reliquis?* A Baptismo flaminis in eo potissimum differt, quod ille tantum ex opere operantis gratiam conferat; at noster ex opere operato. A Baptismo sanguinis verò, quod tantùm ex priuilegio conferat, cum noster ex iure ordinario institutionis Christi. Quod si dignitate cum his conferatur, diuersa quidem ratione vnus alterum excellit; at in ratione Sacramenti, vel medij necessarij Baptismus cæteris longè præstat. Denique Ioannis Baptismus nec Sacramentum fuit, nec habuit vim gratiam conferendi ex opere operato, nec vllum characterem impressit; sed fuit tantum præparatio quædam de consilio ad Christi Baptismum, qui multiplici nomine illum superabat.

4. *Proprietates, seu ritum Baptismi exprimas precor.* Aliquas cæremonias optimo quidem iure tum ad institutionem nostram, tum ad Sacramenti significationem, efficaciam, ac reuerentiam Catholica Ecclesia præscripsit. Profectò antequam eo quis initietur, quasi sub Christi, vexillo depugnaturus, sua primò dat nomina. Deinde examinatur, abrenunciat operibus Satanæ, fidem profitetur, tum à Sacerdote signo Crucis, exorcismo, exsufflatione, manuum impositione, vnctione munitur. Denique lingua sale, nares, & aures saliua tanguntur, totique corpori indicitur abstinentia. Cum verò sacro

§. 2. *Ritus Baptismi.*

sacro mysterio imbuitur, primò nomen imponitur, eique susceptor datur, tum aqua consecratur, ad extremum illa perfunditur. Demum post illam datur osculum pacis, Chrismate inungitur, cereum gestat accensum, candidam vestem induit, & lac vna cum melle delibat. Atque hæc quidem adultis. Infantibus autem illa tantùm adhibentur, quæ per ætatem licent; præcipuè verò susceptor qui nouo Tridentini iure vnus tantùm, vel vna, vel ad summum vnus & vna esse poterunt. Hic spiritualem cognationem cum baptizato, quemadmodum ac baptizans cum patre, & ipsius matre dumtaxat contrahit, omni alia fraternitate sublata.

CAPVT II.

De materia & forma Baptismi.

§. 1. *Materia Baptismi.*

5. *Quænam Baptismi materia remota?* Aqua est naturalis, eáque vera, non quæ ab arte proficiscitur: & simplex, non autem ita cum alio liquore permixta, vt aquæ denominatio pereat. Deinde elementalis, & quæ appelletur vsualis ab eo, quod apta sit vsui ablutionis,

6. *Quænam autem proxima materia?* Ipsa erit ablutio. Physicus planè ac realis corporis abluendi contactus, tantus, quantum ad hoc vt quispiam dicatur ablutus, morale periti exigit iudicium; talis quidem esset, qui veram corporis ipsius partem moraliter sufficientem attingat: siue contactus huiusmodi per aspersionem fiat, vt in necessitate: siue per infusionem, vt mos in aliquibus Prouinciis: siue per immersionem, vt olim.

§. 2. *Forma Baptismi.*

7. *Quænam Baptismi forma?* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In qua quidem si pronomen solummodo demas, quo persona baptizantis exprimitur, cætera omnino necessaria esse affirmo, quippe baptizandi ipsemet actus, ille etiam qui baptizandus est, & expressa Trinitatis inuocatio, quæ reliquis verbis, omissa duplici coniunctione, continetur, in forma Baptismi necessariò sunt exprimenda.

8. *An expressio Dei, aut Christi, aut Trinitatis sufficiat?* Profectò solius nominis Dei expressio, aut Christi sufficiens non est; neque solùm expressio Trinitatis absque eo quod exprimatur vnitas Dei comprehensa illa particula *in nomine.*

Quin

Quin etiam Trinitatis expressio sub aliis nominibus quàm Patris, & Filij, & Spiritus sancti etsi speculatiuè probabile sit satis fore ad valorem: practicè tamen nullo modo est vsurpanda, tum propter periculum, cui sese baptisans exponit, tum quia contra Christi institutionem ageret, & contra communem vsum & traditionem Ecclesiæ.

CAPVT III.

De Ministro Baptismi, eum suscipientibus, ipsiusque effectibus.

§. 1. *Minister Baptismi.*

9. *QVinam Minister Baptismi?* Ex officio Sacerdos, isque Parochus, Diaconus solus illius commissione; vel in ipsius absentia, si necessitas exigat, potest etiam solemniter baptizare. Cæteri hominum, modò loqui, & abluere simul possint, in necessitate sufficiunt. Plures sanè si singuli per se & integrè vnum eundemque baptizent, verum conferunt Sacramentum.

10. *Quid si vel actum ablutionis externum ita vt vnus materiam, alter verò formam apponat: vel intentionem ipsam inter se partiantur, ita vt vnus non habeat intentionem baptizandi sine alio?* Nihil prorsus efficient.

11. *Assigna vberius Ministrum Baptismi ex præcepto, & ex necessitate.* Minister ex præcepto solus est Pastor, in necessitate quilibet, eo tamen ordine seruato, vt cæteris præferatur Sacerdos, deinde Diaconus, tum Clericus, postea laicus, vltimo fœmina.

12. *Hunc ordinem peruertere est ne peccatum?* Peruertere cum persona Pastoris aut Sacerdotis, lethale peccatum est, cum aliis minimè. Adde in necessitate etiam hæreticum, & paganum baptizare posse, modò habeat intentionem baptizandi. *Num anima separata?* Non, quia non est homo, nec humano more potest formam exprimere. Posset quidem Angelus ex speciali Dei dispensatione.

13. *Qui bis baptizat, cuinam pœnæ obnoxius est?* Irregularis fit ipso facto, & ad superiores Ordines prohibetur ascendere, etiamsi secretè deliquerit. Eadem sequitur pœna semel iterumque baptizatum, nisi fortè inculpabilis vtriumque siue facti, siue iuris excuset ignoratio.

14. *Dixisti Baptismum necessarium esse ad salutem: exprime quammodo necessarius adultis, & paruulis?* Omnibus absolutè

absolutè necessarius est: adultis quidem si re vera eius suscipiendi copia desit, saltem in voto: infantibus etiam re ipsa, si Martyrij priuilegium excludas. Huic necessitati, quæ est re medio, conformis est necessitas, ex vi præcepti, quo iure diuino omnes homines astringuntur, etiam infideles. Infantes quidem ante rationis vsum non obligantur, sed eorum parentes, vt videlicet quando primum commodè possint, iis baptismum procurent. Si filij Christianorum sunt, baptizandi debent ante rationis vsum, non ita si parentes infideles habeant, & Baptismo resistant.

15. *Quid si serui sint? & mancipia Christianorum?* Etsi licitè possint Baptismo perfundi, non adest tamen obligatio id faciendi: nisi fortè in extrema sint necessitate constituti.

16. *Requiritur ne in baptizando assensus?* In adulto quidem consentire necesse est, licet vi, metúve eiusmodi assensus extorqueatur. Porrò in infantibus nulla exigitur dispositio ob ætatem, nec ipsorum quidem parentum consentiens voluntas infirmæ ætatis vicem supplens requisita est.

§. 2. *Effectus Baptismi.*

17. *Quinam Baptismi effectus?* Culpam omnem tam Originalem, ob quam præcipuè institutus est, quàm actualem abstergit. Pœnam etiam inde à Deo inflictam remittit. Iustificantem gratiam, virtutes, & dona; quæ illam necessariò sequuntur, propriam item ad munera Christiani ritè obeunda vnà cum charactere gratiam confert.

18. *Quanam in adultis dispositio requiritur?* Qui mortale peccatum coniunctum habet cum originis culpa cum attritione saltem peccatorum, eaque supernaturali accedat, oportet; quia ea deficiente nullus gratiæ consurgit effectus.

19. *Quid si fictè Baptismum suscipiat, id est, non se rite contritione, aut attritione præparare?* Eiusmodi fictione, qua regulariter peccatum mortale est, vera contritione sublata vim Baptismi iam recepti quoad omnia consequetur. Neque enim iterandus Baptismus vti Pœnitentia; quia Sacramenta quæ Characterem imprimunt, non iterantur. Vnde quicquid in pœnitentiæ fictione delinquitur, rursum iterata pœnitentia expiatur; at fictio Baptismi non ipso itérato, sed contritionis actu est abluenda.

Ca-

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Baptismo ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. De Baptismi Ministro

20. *SCio, in necessitate quemlibet hominem etiam Paganum, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, esse Baptismi ministrum: rogo igitur, num ideo quilibet homo, vel saltem obstetrix teneatur scire formam Baptismi saltem lingua vernacula?* Docet *Suarius in 3. p. tom. 3. d. 21.* Suar. *sect. 5.* consulendam esse piam sententiam *D. Antonini p. 3. cap. 15. §. 4.* teneri obstetricem. At ipse *Suarius* asserit nullum specialiter teneri; quia quamuis lex charitatis iubeat, vt posita pueri necessitate, quilibet illum baptizare teneatur: si potest: non tamen iubet, vt vnusquisque sit paratus, & instructus. Potest igitur obstetrix nescire formam Baptismi, quia rarissimè eueniet, vt vrgente necessitate nemo adsit, vel expectari possit præter obstetricem, qui infantem possit diluere. Sic Doctor. Cuius venia credidero obstetricem teneri, quia sæpe partibus secretis adest, nec aliquis expectatur; prius enim fœmina, cuius fama periclitatur, permittet infantem sine Baptismo perire, quàm admittat alium ministrum præter necessariam obstetricem aduocari.

21. *Baptizandus ne rursum sub conditione infans ab obstetrice dilutus?* In nostris Regionibus, vbi diligenter examinantur à viris doctis interrogatæ de verbis formæ, de quantitate aquæ, & de parte corporis, in qua diluit infantem, haud iterum diluendus, sed omissæ solemnitates in Ecclesia supplendæ. Quid si in necessitate à Pagano baptizaretur infans? Sub conditione existimo rursus diluendum ob defectus intentionis suspicionem, licèt examinatus aptè formam expressisse, & materiam applicasse comperiatur.

22. *Pestis occasione cæremoniæ Baptismi omissæ sunt: quidnam?* Post pestilentiam suppleantur. *Layman lib. 5. tract. 2.* Laym. *cap. 8. num. 9.* Monet Posseuinus non esse mortale omissas cæremonias in Ecclesia non suppleri secluso contemptu.

23. *Seruandus ne ordo inter adstantes Baptismi ministros, casu necessitatis, qui ex officio non diluunt?* Præsente viro, non baptizet mulier; præsente Ecclesiastico, laicus non diluat. *Quo piaculo diluet inferior?* Docet *Vasquez in 3. p. tom. 5. d. 147.* Vasq. *cap. 5.*

cap. 5. esse mortale; quia est de iure diuino, & materia grauis
Hurt. quod magis aptus minus apto præferatur. *Hurtado Compl. de Bapt. d.* 2. *diff.* 3. putat, non esse mortale inuertere hunc ordinem inter inferiores Diacono. v. g. baptizare laicum præsente subdiacono: esse verò mortale, quod subdiaconus, vel inferior diluat Diacono præsente; quia hic ex iure diuino aliis sibi inferioribus præfertur, & ex vi sui Ordinis est
Granad. aptior. Porro *Granado in* 3. *part. contr.* 4. *tract.* 2. *d.* 2. *num.* 4. existimat non esse mortale, si inferior præsente Superiore etiam Diacono diluat; quia cum nemo istorum sit ex officio minister, haud grauis inordinatio alium potius, quàm alium ministrare. Porrò Sacerdotem etiam excommunicatum cuilibet non Sacerdoti præferendum censeo, *Suarij* venia; quando enim pluribus conceditur facultas, seruandum inter ipsos ius commune, *l. assiduis, C. qui potiores.* Sacerdoti autem solo
Suar. competit de iure communi munus baptizandi, ratione sub consecrationis.

24. *Laicus, præsente, & non renuente Sacerdote, baptizando delinquit ne grauiter?* Non, contemptu secluso, *Valentia*
Valent. *tom.* 4. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. docuit.

25. *Ministrum Baptismi vnum fore scio: rogo tamen, an necessitate possit à duobus conferri, vno muto abluente, altero*
Hurtad. *manibus orbato proferente verba? Hurtado de Sacram. disp.* 2. *diffic.* 6. docet licere, addita conditione: *Si ita conferri potest*; debere autem elapso periculo iterari Baptismum, addita altera conditione: *Si non es baptizatus*; quia in necessitate satius est Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem suscipere: quam fortassè sine huiusmodi dilutione perire.

26. *Extra casum necessitatis minister Baptismi est solus Parochus, vel alius Sacerdos, imò Diaconus ex commissione Parochi, vel Episcopi potest baptizare solemniter: rogo tamen, an Diaconus possit in necessitate solemniter diluere sine commissio-*
Suar. *ne?* Asserit *Suarius in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 23. *sect.* 3. Negat *Comitol.*
Conin. *de Sacram. quæst.* 67. *a.* 5 6. *dub.* 3. *n.* 27. ex *c. Diaconos*, vbi clarè innuitur Diaconum sine commissione Sacerdotis non aliter diluere posse, quàm laicum. Vtrumque probabile.

27. *Num Monachus diluere possit?* In *Canon. placuit* 21. *dist. quæst.* 1. præcipitur ei, ne baptizet. Puta addendum, sine licentia Ordinarij. *Quoniam piaculo baptizaret solemniter?*
Granad. *Granadus in* 3. *part. contr.* 4. *tractat.* 2. *disp.* 1. *num.* 3. putat id non præcipi sub mortali, & aliquando sine veniali posse diluere.

28. *Requiritur ne, ministrum in gratia esse?* Minister solem-
nis

nitet diluens ita planè. At in necessitate Clericus vel laicus baptizans in mortali non peccat lethaliter: quia non tenetur conformari se sanctitati Christi, & Ecclesiæ, cum non se vti eius minister gerat. *An hoc etiam in Sacerdote verum?* Ita quidem; quia quamuis sit minister ex officio, in casu necessitatis non diluit vt minister ex officio: sed vt minister necessitatis; sicut laicus absque solemnitate. *Granado contr. 3. tract. 5. d. 5. num. 6.* scio *Vasquez* contrarium asseruisse *in 3. p. d. 136. cap. 3. num. 30.* Granad.

29. *Extra necessitatem Sacerdos baptizans in peccato mortali, mortaliter delinquit: rogo, an excommunicatione minori illigatus, licitè baptizare possit?* Asserit *Vasquez in 3. part. tom. 4. dub. 4. de excomm. num. 4.* delinquere mortaliter ob irreuerentiam Sacramento irrogatam. *Suarius* autem *d. 24. sect. 2. n. 12.* & *Præpositus in 3. part. quæst. 2. dub. 3. num. 16* putant nullo modo peccare; quia excommunicatio minor non prohibet administrationem, sed tantum susceptionem Sacramentorum. Vasq. Suar. Præp.

30. *Dixisti intentionem in ministro requiri faciendi quod intendit Ecclesia: suppletur ne huiusmodi intentio in ministro iniquo, qui intendit occultè hominem irridere?* Docet *Valentia tom. 4. d. 3. quæst. 5. part. 3.* defectum intentionis ministri in paruulis suppleri à Deo per priuilegium; in adultis verò per fidem, & deuotionem suscipientis, Deo etiam peculiariter concurrente. Non subscribo; quia Deum illum defectum supplere, in nulla promissione fundatur. Alioqui autem de fide est, intentionem ministri esse necessariam. Valent.

31. *Obstetrix ex peruersa intentione multos diluit inualidè: tenetur ne sese prodere Magistratui etiam capite plectenda?* Affirmat *Layman lib. 2. tract. 3. cap. 3. num. 3.* si aliter non potest huic malo succurrere, speculatiuè loquendo teneri; quia salus corporis ex charitatis lege plurium animarum saluti postponenda. Laym.

32. *Scio hominem, vel homines simul multos subiectum esse Baptismi: rogo, cum in casu necessitatis, vel in vrgente mortis periculo multi simul baptizantur vnica forma prolatione, sit vnus Baptismus, an multi?* Putat *Gaspar Hurtado de Bapt. d. 2. diffic. 4.* plures Baptismos: quia illa forma: Ego vos baptizo, æquiualet his: *Ego te baptizo, & ego te baptizo,* &c. & sic est virtualiter plures. §. 2. De suscipiente Baptismum. Hurt.

33. *Baptizari ne potest infans in vtero matris?* Respondet *Præpositus in 3. part. quæst. 66. art. 2. dub. 3. num. 91.* posse, si aliquo modo minister valeat in puerum existentem in vtero Præp.

aquam immittere; quia infans in eo statu est homo distinctus à matre sufficienter natus ex nihilo. Quid si ex hac dilutione secutura mors matris nimium viribus iam desituræ præuideatur? Debet (ait *Præpositus*) consentire; quia tenemur cum nostræ vitæ discrimine prxoimi saluti succurere, quando moraliter certum est nos posse, & cum eo alias perituros.

34. *Paganus quis Baptismum petijt, & postmodum delirio, aut somno premitur: potest ne baptizari?* Potest; quia præcedens voluntas, de cuius retractatione non constat, sufficit, vt
Henriq. Baptismus voluntarius dicatur. Vnde *Henriquez lib. 2. cap. 4. num. 4.* docet furiosos, & amentes, vel alio pacto vsu rationis priuatos, in articulo mortis diluendos, si antea Baptismum petiisse constet. *Vndenam constare poterit petijsse?* Ex dicto vnius testis, etiam Pagani. *Dubitant audientes, num testis verum dicat, vel an re vera asseruit, moribundum infidelem Ba-*
Hurtad. *ptismum postulasse.* Respondit *Henriquez lib. 2. cap. 14. num. 4.* Si in dubio fit coniectura, quod moribundus petierit Baptismum, dilui debere sub conditione.

35. *Ante vsum rationis scio intentionem infantis parentes supplere: rogo, an infantes infidelium vasallorum, aut mancipiorum possent ipsis inuitis, præter mortis periculum baptizari?*
Azor. Negat *Azor tom. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 10.* Suarez *in 3. part.*
Suar. *tom. 3. d. 25. sect. 4.* putat, filios infidelium seruorum vendi posse, & sic à parentibus abstractos baptizari, etiam si in hunc finem alienentur; quia iam non sunt sub cura parentum cu-
Laym. ius vices dominus exerit. *Layman. lib. 5. tract. 3. cap. 6. num. 11.* existimat posse, etiam si peruersionis periculum timeatur; quia ius naturale paternum non potest concedere, vt emendare non eurem in filio, id in quo pater errat; neque ius di-
Vasq. uinum id concessisse constat, auctore *Vasquez in 3. part. tom. 3. d. 155. cap. 4. num. 50.* *Coninch.* affirmat non licere seculo mortis periculo. Omnia probabilia satis.

36. *An in dubio, si filius infidelis habeat vsum rationis, possit inuitis parentibus, iuxta primam sententiam, baptizari?*
Azor. Negat *Azor.* Sed asseruero; quia in dubiis in fauorem fidei interpretatio gerenda.

§. 3. *De materia Baptismi.*
37. *Materiam remotam Baptismi aquam elementalem scil. non succum herbarum, aut florum: an sit sufficiens materia aqua ex sale resoluto?* Negat *Coninch. de sacr. quæst. 66. art. 4. dub. 1.*
Conin. *num. 22.* quia putat diuersæ speciei esse ab elementali. At
Fern. *Fernandez 3. part. cap. 2. §. 4. num. 5.* & alij asserunt. Addit elementarem ad id munus aquam esse quæ fluit ex parietibus,

lus, & lapidibus: non autem quæ ex vitibus, ac arboribus effluit.

38. *Sufficit ne glacies nondum resoluta?* Respondet *Tanner. tom. 4. d. 4. quæst. 1. dub. 2. num. 44.* Si in manibus ministri ante ablutionem resoluatur, sufficientem esse: secus si in corpore baptizandi; quia tunc baptizans non propriè abluit, sed potius baptizandus à se ipso diluitur. Approbatur hæc sententia à *Vasquez* doctrina asserentis *in 3. p. tom. 2. d. 141. c. 2.* ablutionem tam vt actiuam, quàm vt passiuam esse Baptismi proximam materiam. At *Suarius in 3. part. tom. 3. d. 20. sect. 2.* docens materiam proximam Baptismi sitam esse in ablutione non vt actiua, sed vt passiua, consequenter sentit niuem, aut glaciem liquefactam in corpore baptizandi, sufficientem materiam existere. Tann. Vasq. Suar.

39. *Dubium est, an aqua sit elementalis, v. gr. ius carnium, aquarosacea, &c. potestne Baptismo adhiberi?* In casu necessitatis potest sub conditione, si est sufficiens. At reperenda postea diluio, si cesset necessitas in materia certa, sub conditione tamē: *Si non es baptizatus. Gran. in 3. p. contr. 4. tr. 1. d. 3. dub. 2.* Gran.

40. *Adest liquor dubius, nec possum ob tenebras, non sufficiente oboratu examinare, num sit aqua, vel aliud: possum ne in extrema necessitate eo vti ad Baptismum?* Potes; quia præceptum de non baptizando sine tali materia oritur ex reuerentia Sacramenti, cui summa indigentia proximi præponderat. *Card. Lugo d. 8. sect. 8. sect. 140.* Lugo.

41. *Circa materiam proximam, nempe ablutionem, rogo, qualis futura?* Sufficit aspersio, vel infusio. Hac vtplurimum vtuntur Ecclesiæ; illa creduntur Apostoli diluisse, quando die vna quinque millia hominum Baptizarunt. *Hurtado Complut. de Baptism. d. 1. diffic. 4.* Hurt.

42. *Sufficit ne si baptizandus, digito in aquam immerso, intingatur?* Sufficit vna gutta, dummodo per aliquam corporis partem diffluat; quia absolutè homo dicitur ablutus aqua. *Meratius tom. 3. de Bapt. d. 2. sect. 4.* Contrarium asseruit *Granadus in 3. part. contr. 4. tract. 1. d. 4. num. 12.* Sed concedit, in casu necessitatis ita esse ministrandum Baptismum; quia cum opinio sit probabilis, nulla Sacramento irrogatur iniuria. Merat. Granad.

43. *Quænam pars corporis abluenda?* Validum esse Baptismum, quæcumque pars corporis abluatur, imo etiam si sit excrementalis, v. gr. capilli, & vngues, non quia hæc viuant, sed quia vt partes hominis reputantur: asserit *Vasquez in 3. part. tom. 2. d. 146.* Alij autem abnegant. Profectò in extrema necessitate Baptismum sic conferendum censuerim cum condi- Vasq.

tione : *si sufficit* ; quia melius est puero moribundo adhibere incertum salutis medium, quòd fortasse proderit, quàm puerum sine vllo medicamine deperire. Ita *Præpositus in* 3. *part. q.* 66. *art.* 8. *dub.* 3. *num.* 90.

Præp.

44. *De vmbilico abluendo, & de suum pelle, quam Medici secundinam appellant, quid?* De vmbilico aliquis externus asseruit. At de secundina *Præpositus* affirmat; quia pellis illa veluti pars pueri reputatur, & veluti eius cutis, qua lota puer dilutus dicitur. Dubius hæresco.

Præp.

45. *An iterandum huiusmodi Baptismum, quod in solo casu necessitatis adhibendum est?* Ita planè; quia quamuis probabile sit esse validum; non est tamen probabile, recipi posse in materia dubia saltem extra necessitatem. *Præp. art.* 9. *dub.* 2. *n.* 101.

Præp.

Laym.

46. *Quanam ergo extra necessitatem pars abluenda? Laym. lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. seruandum monet aliquarum Ecclesiarum morem per immersionem baptizandi. Aliæ Ecclesiæ infundunt in caput; aut humeros aquam. Aliæ aspergunt. Seruetur modus in singulis Ecclesiis visitatus.

§. 4. De Baptismi particulis.

47. *Dixisti Baptismi formam esse : Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti : assigna particulas necessarias.* Vox *ego* de essentia non est; quia in voce *baptizo* includitur. *Te* est essentialis; quia forma debet subiectum explicare. Particula *baptizo* de essentia est, ad determinandum actum applicationis aquæ ad corpus baptizati, quæ posset etiam fieri ad refrigerationem, medicinam, &c. Particula *In* non est de essentia; vnde Baptismus collatus *nomine Patris*, &c. validus est; quia census non violatur, sed tollitur Hebraismus.

Henriq.

Henriquez lib. 2. *cap.* 8. *num.* 6. contra *Comitolum lib.* 1. *qu.* 9. *n.* 3. Addo particulam & essentialem non esse; quia absque illa tota Trinitas significatur. Itaque formæ essentia : *baptizo te in nomine Patris, Filij, Spiritus sancti.*

Suar.

48. *Quid si particula, In nomine, ad vnam quamque personam replicetur, In nomine Patris, & in nomine filij, & in nomine Spiritus sancti?* Docet *Suarius in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 21. *sect.* 3. validum fore Baptismum; quia illa replicatio : *In nomine* non ponit plura nomina, sicut *τὸ In nominibus*; quemadmodum nomen *Deus* potest sæpius iterari sine pluralitate; nō autem *Dij*; hoc enim significat naturarum pluralitatem, non autem illud.

Henriq.

49. *Erit ne Baptismus inualidus, si paulò ante, vel post ablutionem verba proferantur?* Negat *Henriquez lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. dummodo accedat intentio significandi eo modo, quem moralis, & humana loquendi, & agendi consuetudo requirit; quia eodem pacto, qui poculum manibus accipit ori

statim

statim applicaturus, vt bibat, dicere moraliter potest,& assolet: *ego bibo.* Quod quidem Sacramentis Ordinis, Confirmationis & Extremæ vnctionis accommodandum.

§. 5. De Baptismi necessitate.

50. *Tam necessarium dixisti esse Baptismum, vt de lege ordinaria, qui non est sacra dilutus vnda, non possit Dei Regnum inire: rogo tamen, an teneatur adultus cum vitæ discrimine baptizari?* Si exigat causa fidei, tenetur; quia bonum fidei vita maius. At si excluſa fidei causa quis mortem minaretur adulto, si diluereturr: posset ille Baptismum omittere, siue credatur postea futura commoditas recipiendi, siue non futura sciatur. Sic *Suarius citat. d.* 31. *sect.* 3. quia ad salutem sufficit votum Baptismi cum peccatorum actualium contritione: & amor vitæ maximus, maximáque illam obligatio tuendi. Suar.

51. *Tenetur ne quis tali in casu Baptismum differre?* Non tenetur, si certò sciat defuturam Baptismi copiam; quia quamuis eius defectum supplere possit contritio, tamen iustificatio per Baptismum est facilior: & contritio, præsertim in nouiter credentibus incerta. *Gran. de sacr. cont.* 4. *tr.* 4. *d.* 2. *n.* 8. Granad.

52. *Delicatissimi pueri vita in Baptismo periclitatur: debet ne differri?* Si Baptismus differri possit sine periculo, debet differri. Si verò periculum sit in mora, quia infans est moribundus, magna adhibita diligentia vt vitę infantis omnimodè prospiciatur, est diluendus, esto mortis fiat acceleratio; quia æternæ vitæ, cui renascitur infans temporaria postponenda. *Granad. in* 3. *p. contr.* 4. *tract.* 4. *d.* 4. *n.* 6. Granad.

53. *Licet ne puerum moribundum in flumen proijcere, aut in puteum, baptizandum, si aqua ad manum non sit & instet periculum obeundi?* Esto ad Baptismum huiusmodi proiectio, seu submorsio sufficiat. Negat *Præp. in* 3. *p.* 7. 66. 2. 8. *ub.* 5. posse id fieri; quia nemini licet, priuata auctoritate citra sui defensionem aliquem occidere, etiam si inde alteri aliquod bonum proueniat. Ast aliquis ex externis asseruit; quia illa parua, & pene insensibilis acceleratio mortis nihil pendenda bono Baptismi præcipuè comparata. Præp.

54. *Licet ne secare pragnantem iam morituram, vt viuus infans diluendus extrahatur?* Non tenetur mater consentire in sectionem, sed potest permittere, si adsit spes, quod infans vinus extrahatur. *Conինch de sacr. q.* 68. *art.* 11. *n.* 92. Conin.

55. *Debēt ne infantes expositi sub conditione baptizari?* Magna est præsūptio, quod non sint diluti; quia impudica mulier tota tegēdo sceleri addicta, salutē spiritualē infantis cōtēnit. Vnde *Tan. in* 3. *p. d.* 4. *q.* 2. *dub.* 4. *n.* 113. asserit sub cōditione diluēdos. Tanner.

56. *Collo infans schedulam habet appensam: quidnam?* Haud

Hurt. rursum diluendus, auctore *Gaspare Hurtado de Bapt. d. 1. diffic. 12.* quia tunc moraliter certum, infantem esse baptizatum. Nisi circunstantiis specialibus dubitetur, an parentibus fidelibus, an infidelibus natus sit: tunc enim schedula suspectæ fidei existeret.

57. Possunt ne infidelium filij in articulo mortis inuitis parentibus infantes baptizari? Imò debent; quia tunc eam parentum potestatem reputantur, & abest periculum decc-
Hurt. ptionis, & apostasiæ. *Hurtadus et at d. diffic. 3.*

§. 6. *De Baptismo varia.*

58. *Addit quis formæ Baptismi post Spiritus sancti, & in nomine Virginis: an Baptismum conferat?* Affirmo cum Suarez conferre dummodo per illa verba non intendat baptizare
Suar. in nomine Virginis, sicut in nomine Patris &c. Sed tantum velit opem B. Virginis implorare, vt eius intercessio baptizato prosit.

59. *Baptizantes sub conditione incurrunt ne irregularitatem? Suarius* non incurrere affirmat; quia hæc non est rebaptizatio simpliciter.
Suar.

60. *Ob periculum mortis quis baptizauit filium suum adstantibus multis, qui hoc facere poterant, & sic cum vxore sua cognationem contraxit: rogo, num possit petere debitum?* Respondet *Suarius* affirmatiuè; quia nullo textu id prohibetur.
Suar.

61. *Quis per errorem de sacro fonte suscipit filium Antonij, quem existimabat esse Pauli filium: an vllam cum Antonio contrahat cognationem?* Docet *Sanchez* probabiliter non contrahere. Et re ipsa maritus qui per ignorantiam leuauit filium vxoris, à debiti petitione non arcetur.
Sanch.

62. *Teneo in Baptismo infantem nomine alterius: contrahne ipse spiritualem cognationem?* Non; quia non tuo, sed alieno nomine tenes. Ita *Sanchez* adiiciens probabile esse negot-
Sanch. ipsum principalem, qui legatum misit, cognationem vllam contrahere.

63. *Num necessarium sit adhibere patrinum in priuato Baptismo necessitate vrgente?* Negatiuè respondeo; quia tunc vix
Suar. possunt parentes idoneum eligere. Sic *Suarius.* Quo casu quis infantem teneat etiam ex proposito, vt patrini munus obeat, probabile reputo cum *Sanctio* nullam contrahere spi-
Laym. ritualem cognationem. Adiicio ex *Laymano* non esse improbandam consuetudinem, qua quibusdam in locis Catholici patrini sunt filij hæreticorum, illos hæretico ministro baptizante.

64. *Baptizari ne possunt hæreticorum filij etiamsi sub cura parentum*

parentum probabiliter timeatur subuersionis periculum? Secutus *Laymanum* assero dilui posse; quia fortè ante vsum rationis obibunt, aut aliquando dogmatis Catholicæ fidei imbuentur, aut ignorantia inuincibili excusabuntur, atque ita per lauacrum salutem consequentur. Laym.

65. *Baptizari ne possunt si iterum rogitarim, filij infidelium seruorum etiam antequam vendantur, existentes sub cura parentum inuitorum? Ruiz* posse baptizari affirmat; parentes enim indigni sunt illo naturali iure ratione abusus, vnde nulla eis fit iniuria, dum à dominis iure suo iniustè possesso priuantur. Addo ex *Vasquez* & *Turriano* eos ius non habere, vt ipsi soli curam salutis spiritualis filiorum gerant. Imò, eisdem Doctoribus attestantibus, domini sub peccato mortali ratione charitatis tenentur tali in casu illos baptizare. Ruiz. Vasq. Turr.

66. *Mulier damnatur ad mortem, & est periculum ne ex aliquo morbo ante partum vnà cum prole moriatur; potest ne seruato iuris ordine prius secari, si spes sit fore, vt fœtus baptizari valeat?* Posse *Suarius* & *Coninch* asserunt; nihil enim fit contra ius. Suar. Conin.

67. *Potest aliqua infantis pars tingi in vtero matris: num baptizare liceat?* Licet *Suario* authore, etiamsi natiuitas proprie dicta non præcedat, laudo equidem nouam apud nostrates fœminarum sectionem, dum spirante matre, aliquid oris imponitur ne infanti in vtero degenti obturetur respirationis via, & mox inciditur vterus, vt infans diluatur. Multos audiui hac diligentia salutem consecutos. Vidi Iuliobrigæ aliquem. Suar.

68. *An amentes & furiosi baptizandi sint?* Si ab ipsa natiuitate rationis expertes, baptizentur. Si aliquando compotes rationis fuerint, baptizari possunt cum ante amentiam petierint Baptismum, aut propensionem perspicuam ad eum ostenderint. Si habeant lucida interualla, diluantur in amentia dum petierint ante ipsam Baptismum, & periculum mortis immineat.

EXAMEN III.

Circa materiam de Sacramento Confirmationis.

CAPVT PRIMVM.

De Confirmationis essentia.

1. QVid *Confirmatio*; Sacramentum nouæ legis speciale robur Spiritus sancti per vnctionem Chrismatis in fronte, & certa verba significans & conferens.

2. *Quando instituta?* Si antiquæ credendum traditioni ab ipso Christo in extrema nocte Cœnæ instituta est, & ab Apostolis post Pentecostem fidelibus in vsum adhibita.

3. *Quænam Confirmationis materia?* Remota quidem est Chrisma, quod oleo constat & balsamo, est certa materia probabilis oleum oliuarum, cui consecratio Episcopi, vel Sacerdotis à Summo Pontifice ad id munus per priuilegium deputati necessariò adiungenda est. Proxima autem est vnctio ipsa in fronte per Episcopi pollicem in modum Crucis adhibita.

4. *Quænam verò forma?* Illa sufficiens ac necessaria: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

CAPVT II.

De dispositione ad Confirmationem, & ritu eam recipiendi.

§. 1. *Dispositio ad Confirmationem.*

5. DIspositionem exprime *ad Confirmationem recipiendam?* Sua natura gratiam in suscipiente supponit. Per accidens verò sat est attritio cognita, vel contritio existimata. Dignè igitur, & cum debita intentione suscipi debet, & semel tantùm. Quod si iteretur, liber confirmatus erit ab irregularitate, non autem à mortali crimine.

6. Cur

§. 2. *Ritus Confirmationis.*

6. *Cæremonias huius Sacramenti exprime.* Iure optimo in eius materia tum consecranda, tum in ipso conferendo tot adhibentur cæremoniæ. Primò enim oleum separatim Episcopus benedicit & balsamum. Deinde super os ampullæ id continentis vnà cum duodecim Sacerdotibus halat; inde postquam admiscuit balsamo, reuerenter salutat. Cùm verò conferendum est, Episcopo sacris vestibus induto, in Ecclesia, vel alio decenti loco, susceptor confirmati adsit oportet, qui distinctus esse debet ab eo, qui in Baptismo suscepit. Tunc variæ dicuntur preces, & confirmandus inungitur in fronte, quo facto linea vitta adstringitur, ne Chrisma defluat; & alapam accipit. *Quare?* Alij dixerint ob Sacramenti suscepti memoriam. Ego, vt intelligat se contra verbera pro Christo patientia armandum, quam quidem sustinentiam Confirmationis Sacramentum specialiter operatur.

Caput III.

De Ministro suscipiente, de effectibúsque Confirmationis.

§. 1. *Minister Confirmationis.*

7. *Ministrum Confirmationis assigna.* Ordinarius Minister necessariò est Episcopus. Ex Papæ singulari concessione Sacerdos, non autem eo inferior.

8. *Si Minister sit hæreticus, aut excommunicatus?* Profectò eius administrationem neque hæresis, nec vlla censura, reddit inualidam.

9. *Obligationes huiusce Ministri aperias.* Triplici ille obligatione illigatur. Prima est, vt aliquoties hoc Sacramentum administret. Alioquin ex negligentia omittens Episcopus lethaliter peccat. Secunda, vt conferat validè, & licitè: Quod si bis conferat, grauiter delinquit, non tamen incurrit irregularitatem; quia nullo in iure expressa inuenitur. Tertia denique, vt dignè, se videlicet ad gratiam præparando, vtendo nouo Chrismate, celebrando cum debita solemnitate, personásque sibi subditas tantùm in sua confirmando diœcesi.

10. *Quisnam suscipit Confirmationis Sacramentum?* Omnis & solus baptizatus, fœmina, puer, infans, amens, è vita discussurus.

§. 2. *Suscipiens Confirmationem.*

11. *Quænam suscipiendi obligatio?* Non est necessarium neque necessitate medij, neque necessitate præcepti. Vnde non peccat mortaliter, secluso contemptu, vel alia circumstantia, qui Confirmationem sponte omittit. Scio *Fillium* asseruisse olim ob frequentes contra fidem persecutiones adfuisse præceptum diuinum obligans semel in vita ad eam recipiendam, & eascessante, expirasse, vel contraria consuetudine abrogatum esse.

§. 3. *Effectus Confirmationis.*

12. *Effectus denique Confirmationis indica.* Primus ac principuus est gratia, quæ eam, quam in Baptismo recepimus, confirmat, & roborat, vnde, vt innui, sua natura gratiam aliquam in suscipiente supponit. Addit etiam propriam Sacramentalem gratiam qua fidelis specialem Spiritus sancti protectionem ad fidei confessionem coram persecutoribus accipit. Animam insuper proprio quodam charactere consignat tantò Baptismi signaculo perfectiore, quantò est Sacramentum ipsum illo perfectius.

Caput IV.

Praxis circa materiam de Confirmatione ex Societatis Iesv *Doctoribus.*

§. 1. *De Confirmationis Ministro.*

13. *Scio, Ministrum Confirmationis esse Episcopum: potest ne & simplex Sacerdos aliquando?* Aliqui affirmant, alij negant apud *Fernandez p. 3. c. 2. §. 3. n. 3.*

14. *Peccat ne Episcopus mortaliter in sua Diœcesi alterius subditum confirmando?* Non peccat grauium Doctorum ex placito.

Fern. Præp.

15. *Peccat ne mortaliter confirmando extra Ecclesiam? Propositus in 3. p. q. 71. a. 12. n. 54.* asserit non peccare.

§. 2. *De subiecto Confirmationis.*

16. *Homo baptizatus subiectum Confirmationis est: potest ne infans confirmari?* Consuetudo repugnat, *Valentia* negat *tom. 4. d. 5. q. 2. de Conf. part. 4.* At *Hurtado Complut. de Confir. diffic. 10.* ait, non esse prohibitum infantes etiam sine causa confirmari. Assero cum *Laymano lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2.* plures casus esse in quibus licet infantem confirmare. v. g. si manifestè discurrat. Si post illam opportunitatem non facilè possit postea confirmari. Si sit Principis filius. Si talis in Diœcesi vigeat consuetudo. Præter hosce casus, & mortis articulum, in quo (si commodè fieri posset) confirmari

Valent. Laym.

deberet

deberet authore *D.Thom.2.2.q.72.a.8.ad 4.* indecens erit infantes confirmare, non tamen lethale piaculum. D.Thó.

17. *Ministranda ne Confirmatio perpetuò amantibus spiritualis Militiæ incapacibus?* Ita planè; quia sunt capaces sacramentalis gratiæ, & augmenti gratiæ sanctificantis. Per accidens autem Militiæ spiritualis capaces non sunt. *Coninch de Sacram.q.72.a.8.n.83.* Conin.

§.3. *De Confirmationis materia, & forma.*

18. *Scio materias Confirmationis esse Chrisma, seu vnguentum ex oleo oliuarum & balsamo, consecratum quidem ab Episcopo: rogo, an possit à simplici Sacerdote consecrari?* Asserit *Valentia tom.4.disp.5.quæst.1.part.2.* ex commissione Pontificis posse. Negat autem *Coninch de Sacram.d.72.art.3. dub.1.concl.4.*

19. Materiam proximam dixisti vnctionem faciendam in fronte per modum Crucis cum pollice ministri: rogo, an aliter ministrata sit nulla? Asserit *Layman. lib. 5. tract.3. cap.2.num.5.* Vnde v. gr. tempore pestis non potest per pennam, aut aliud instrumentum à longè ministrari; quia in hoc Sacramento necessaria est manuum impositio. *Quid si pollice non fiat, sed indice v.g.* Non irritat Sacramentum, & probabile est non esse lethale. Conin. Laym.

20. *Confirmationis formam dixisti: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: rogo, an tota sit essentialis?* Porrò essentialis est Trinitatis inuocatio; quia Confirmatio ordinatur ad finem in Baptismo acceptam perficiendam eamque constanter profitendam. Sunt & essentialia illa verba: *Signo & Confirmo*; quia actio ministri debet exprimi necessariò. Et quidem vtrumque; quia non sunt æquipollentia; aliud est signare, aliud confirmare. Probabile est, esse necessariam particulam *signo Crucis*; quia verbum *signare* habet generaliorem significationem. Necessarium est addere *Chrismate salutis*; quia hæc non exprimuntur ipso verbo *Confirmo*, sicut per verbum *Baptizo* materia, & effectus Baptismi declaratur. Tandem exprimi debet subiectum. Vnde particula *Te* omitti non potest. Accepi ex *Coninch de Sacram.q.72.art.4.n.65.* Conin.

21. *Peccaret ne mortaliter, qui sub hac confirmaret forma: Consignetur seruus Christi, &c.* Ita planè; quia contra communem vsum Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ. Cui quamuis concessum est baptizare sub simili forma: *Baptizetur seruus Christi*; non tamen sub eiusmodi forma confirmare. *Coninch.* Conin.

22. *An*

§. 4. *De Confirmationis necessitate.*

22. *An mortale sit, Confirmationem omittere?* Non si abſit contemptus, & ſcandalum; quia Pontifices & Concilia in contrarium adducta loquuntur de neceſſitate non præcepti, ſed vtilitatis. *Vaſque apud Hurtadum de Confirm. diffic. 11.*

Vaſq.

23. Qui data copia recipiendi hoc Sacramentum, quàm poſtea non facilè eſt habiturus, delinquit ne vt contemptor?

Fern.

Minimè, (ait *Fernandez p. 3. c. 2. §. 5. num. 2.* multa enim animæ ſalutaria negligimus, quia putamus neceſſaria non eſſe: & tamen non illa contemnimus. Puto eſſe aliquando per accidens peccatum veniale temeritatis, ſine Confirmatione facilè ſuſcipienda periculis mortis tradi.

Præp.

24. *Quid de gratia per Confirmationem accepta?* Aſſerit *Præpoſitus in 3. p. q. 72. art. 7. dub. 1. n. 35.* cæteris paribus maiorem gratiam per illam conferri, quàm per Baptiſmum & quoduis aliud Sacramentum, excepto Ordine.

§. 5. *De Confirmationis Sacramento varia.*

25. *Num Ordinibus neceſſariò præmittenda Confirmatio?* Eſt qui affirmet non peccare qui primam tonſuram ante Confirmationem acceptam recipit; qui etiam recipientem ſic, reum delicti facere. Aſſeruerim receptionem primæ tonſuræ abſque præuia Confirmatione non excedere culpam venialem leuem; Ordinum autem minorum veniale commiſſum grauius quidem æquare: Ordinum denique maiorum ad dignitatem eleuatos abſque præcedente Confirmatione, mortali ſeſe inquinare delicto, graui equidem Subdiaconum, Diaconum grauiori, adhuc denique plus graui Preſbyterum: non autem eſſe ad Ordines ſimpliciter neceſſariam.

26. *Poteſt ne Epiſcopus confirmare eum qui à ſuo Epiſcopo litteras dimiſſorias offert vt ordinetur?* Poteſt, & ſi ordinandus ille eſt, debet; quia, vt arguit *Laymanus*, qui concedit finem, concedit ad finem neceſſaria: at Confirmatio ritè eſt Ordinibus præmittenda: ergo poteſt Epiſcopus illum confirmare.

Laym.

27. *Num Patrinus Confirmationis obligationem contrahat inſtruendi confirmatum?* Cum *Coninch* negatiuè reſpondeo; quia id iure non eſt ſtatutum.

Conin.

28. *Si non confirmatus teneat alterum, in hoc Sacramento contrahit ne cognationem ſpiritualem?* Non; quia non eſt legitimus ſuſceptor. At probabile eſt non confirmatum confirmandum tenere non eſſe mortale peccatum. Ita *Coninch.*

29. *An debeat Confirmationis ſuſceptor alius eſſe, ac ſuſceptor, ſeu patrinus Baptiſmi?* Ita ſanè, niſi neceſſitas id non ferat.

Quid

Quid si aliter absque necessitate fiat ? Non peccatur mortaliter, ipso *Coninch* authore. Conin.

30. *Num Religiosi mendicantes possint esse patrini in Sacramento Confirmationis, & Baptismi ?* Possunt ; quia nomine Monachorum excluduntur tantùm ij, qui colunt solitudinem. Ex eodem *Coninch* accepi. Conin.

31. *Scio vnum tantummodò debere esse Confirmationis patrinum : rogo tamen, si plures adhibeantur, an omnes cognationem spiritualem contrahant ?* Contrahunt quidem Doctore *Suario*. Suar. Porrò *Toletus* asserit posse duos patrinos velut in Baptismo adhiberi. Tolet.

EXAMEN IV.

Circa materiam de Sacramento Pœnitentiæ.

CAPVT PRIMVM.

De Pœnitentiæ virtute.

1. *POEnitentia, vt virtus, quidnam est ?* Virtus quidem hominem ad peccati detestationem inclinans cum efficaci voluntate satisfaciendi Deo per illum offenso.

2. *Quodnam huiusce virtutis obiectum materiale ?* Vt fugiendum planè malum est culpæ internæ, siue externæ ; propriæ, siue alienæ ; vt verò amplectendum bonum aliquod opus est, & indirectè etiam Deus ipse, cui per actus suos æquivalens reddit.

3. *Quodnam autem formale obiectum ?* Diuinam resarcire iustitiam, & pro pœna velle dignè satisfacere. Hinc quidem moralem quandam virtutem esse per se infusam, & partem imperfectam iustitiæ, quam potentialem vocant, esse affirmo.

4. *Quodnam est huius virtutis subiectum ?* In voluntate quidem tanquam proximo subiecto residet ; remotè autem (Christum, & eius Matrem si excipias) in aliis omnibus hominibus viatoribus, beatis, & in purgatorio existentibus : non in damnatis, incapacibus planè, si ratio status eorum habeatur.

5. *Virtutis Pœnitentiæ actus recense.* Profectò pœnitentiæ huiusce

huiusce actum, qui detestatio dicitur, honestum, & supernaturalem esse assero: Externos verò actus in vniuersum omnes eos esse, quibus commissum peccatum expiatur, & sub ieiunio, eleemosyna, & ratione rectè posse comprehendi affirmo. Sermo de Pœnitentia Sacramento nobis vberior.

CAPVT II.

De Sacramenti Pœnitentiæ institutione, necessitate, præcepto, materia, & forma.

§. 1. *Pœnitentia Sacramentum.*

6. *Quid est Sacramentum Pœnitentiæ?* Sacramentum reconciliationis post Baptismum, in actibus pœnitentis, & Sacerdotis absolutione consistens. Vnum quidem est natura sua, cuius materia tres continet actus, Contritionem, Confessionem, satisfactionem.

7. *Potest ne iterari?* Maximè, non modò ratione diuersarum culparum, verùm etiam circa eadem peccata, diuersa confessione retecta; quia nescimus, vtrum sint pœnitentiæ lauacro purificatæ stolæ.

8. *Distinguuntur ne in Pœnitentia tria illa, Sacramentum tantùm, res tantùm, & vtrumque?* Ita planè; Sacramentum enim tantùm sunt externi pœnitentis, & ministri actus: res tantùm est gratia, & peccati remissio: res autem & Sacramentum est interior contritio; hæc enim ab externa significatur, & gratiam significat, cuius est causa.

§. 2. *Necessitas Pœnitentiæ.*

9. *Expende Pœnitentiæ necessitatem.* Necessaria quidem est necessitate medij in re, vel in voto: ita enim à Christo instituta est, vt eius susceptio ad integram, necessariámque dispositionem pertineat: sufficit autem implicitum in contritione votum supposita Pœnitentiæ institutione necessariò inclusum: vnde, iure diuino, iustificatus contritione Pœnitentiæ Sacramentum suo tempore recipere, & remissa peccata confiteri debet.

§. 3. *Materia & forma.*

10. *Pœnitentiæ quænam materia?* Remota actualia peccata sunt post Baptismum commissa. Proxima, vt innui, tres pœnitentis actus, Contritio, Confessio, & satisfactio. *Materiam remotam necessariam & sufficientem distingue.* Necessaria quidem materia sola mortalia peccata sunt: sufficiens autem venialia, vel mortalia semel confessa.

11. *Quænam Pœnitentiæ forma?* Illa equidem: *Ego te absolu-*

solue à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c. Ex quibus verbis essentialia duo tantùm sunt, *Absolue te*, id est, confero tibi gratiam expulsiuam peccati. Et per se quidem eorum peccatorum remissionem significat, quæ pœnitens confessus est; ea enim dicuntur absolui: per accidens autem etiam aliorum remissionem, quæ indirectè remittuntur.

12. *Potest ne forma huic vlla addi conditio?* Tunc intelligi mente conditio potest, cùm Sacerdos vel dubitat de pœnitente, an vsum rationis habeat: vel de peccatis an ea verè peccata fuerint nec ne.

13. *Iterari ne potest absolutio?* Potest tam in ordine ad peccata post receptum Sacramentum commissa, quàm in ordine ad illa, quæ ante illud commissa fuissent, sed oblita naturaliter, vel legitima de causa omissa; in ordine autem ad iam remissa sacramentaliter, vtiliter quidem, non tamen necessariò iterari potest.

14. *Absenti ne potest absolutio impendi?* Minimè, quinimo contraria sententia tanquam falsa, temeraria, & scandalosa damnata est, & nullo modo licet eam in praxim, vsúmque deducere.

Caput III.

De Pœnitentiæ effectibus.

15. *Quot sunt effectus primarij Pœnitentiæ?* Quatuor. Primus quidem mortalis peccati remissio; ad id enim tollendum sufficiens est, non modò si semel, sed & quoties homo peccauerit: & nullum adeò graue peccatum est, nec tam multa, vt per veram pœnitentiam deleri in hac vita non possint.

16. *An vnum mortale sine alio commisso deleri valeat?* Minimè, ne sibi Deus contrarius esse videretur; vnde etiam crimina oblita indirectè remittuntur, ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti confertur. Secundus effectus est æternæ pœnæ in temporalem commutatio; hæc verò temporalis non semper tota, neque eius pars certa remittitur, sed iuxta contritionis excellentiam. Tertius, Sacramentalis gratia est; speciale nimirum auxilium, quo pœnitens à peccatis facilius præseruatur. Quartus denique, reliquias peccatorum ex parte tollere:

sic

sic enim per hoc Sacramentum ad altaris cœleste conuiuium ritè disponimur.

17. *Quotnam autem sunt Pœnitentiæ secundarij effectus?* Tres. Primus est venialium peccatorum remissio. Nam & gratiæ beneficium venialis culpæ condonatio est, & absque gratuito Dei auxilio naturæ viribus non potest comparari. Porrò in subiecto sanctificantem hæc condonatio gratiam supponit, quæ vel tunc fiat, vt cum per Sacramenta quis iustificatur, vel extra illa vi contritionis: siue quæ præcesserit, & adhuc maneat. Et quamuis de facto nunquam absque gratiæ infusione venialia remittantur, vel eius augmento: per se tamen ea non requiritur. Profectò Pœnitentiæ virtutis actus & sufficit, & ad veniale tollendum necessarius est; non semper formalis exigitur, sed satis est virtualis, is nimirum actus erga Deum, & diuina, vt ob eius excellentiam, ac bonitatem tanquam condignam dispositionem vel omnia, vel aliqua deleat ex suæ sapientiæ dispositione. Talis est actus amoris Dei super omnia, & quilibet meritorius, si ab operante referatur ad effectum, vt per eum venialis remissio obtineatur. Contritio quæcumque, si vera sit, omnia illa venialia delet, de quibus habetur per modum dispositionis meriti de condigno. Si cum veniali peccato quis moriatur, in ipso separationis animæ à corpore momento per actum dilectionis veræ deletur. Redeo ad primum secundarium Pœnitentiæ effectum: per Sacramenta ex opere operato peccata venialia remittuntur, siue lethalibus coniuncta sint, siue per se sola, vt in homine iusto. Sacramentalia item, venialia delendi vim habent siue ex opere operato, vt probabile est: siue ex opere operantis, ratione scilicet boni motus, cum quo sæpè fere coniuncta sunt, vt probabilius *Filliucio* videtur. Secundus effectus est viuificatio operis tum Sacramenti fictè susceptì, tum alterius cuiuspiam quod speciali ratione dicatur opus Christi, vt Pœnitentiæ à Confessario iniunctæ, satisfactionis Missarum respectu offerentium; vel eorum pro quibus offeruntur: deniquè indulgentiæ; nam etiam si in lethali peccato exerceantur, validæ sunt ad satisfaciendum: sed pœnæ remissio non conceditur, nisi cum à peccato resurgitur. Tertius effectus minus principalis Pœnitentiæ est, in primam virtutum dignitatem restituere; virtutes enim infusas restituit, quæ gratiam consequuntur; opera bona mortificata reuiuiscunt. Non ita peccata semel dimissa redeunt, cùm denuò quis peccat, sed tantùm imperfecto quodam modo redire dicuntur, quatenus eadem gratiæ priua-

tio

tio redit, & pœna maior ob accepti beneficij ingratitudinem.

CAPVT IV.

De Contritione, prima quidem parte Pœnitentiæ.

18. *Dixisti partes integrantes Pœnitentiæ esse Contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Ad primam igitur Pœnitentiæ partem, siue actum primum pœnitentijs accedo. Quid est Contritio?* Animi dolor, & detestatio de commisso peccato, cum proposito non peccandi de cætero. Porrò si detestatio ista sit quatenus offensa Dei est, & propter Deum summè dilectum propria Contritio est, Attritioni condistincta; si de peccato quomodocumque, siue ob temporale motiuum, siue ob æternum, v. g. ob peccati fœditatem, & inferni pœnam, Attritio est; quæ quidem cum sacramento sufficiens est ad hominem disponendum ad gratiam, modò supernaturalis sit, & ex motiuo æterno, vt pœnæ inferni, priuationis gloriæ, offensæ etiam Dei, sed non summè dilecti. Profectò Contritio formaliter detestatio quædam est, ad eámque amor Dei super omnia requiritur, non qui tunc eliciatur, sed qui virtute maneat. Necessarium item est ad illam propositum non peccandi de cætero, si per se loquamur: at per accidens, satis est virtuale, si transigendus vitæ cursus in mentem non veniat. §. 1. *Contritio & Attritio.*

19. *Quo differunt Contritio, & Attritio?* Contritio semper cum gratia iuncta est, siue quæ in eodem infundatur instanti, siue quæ antea infusa supponatur. Attritio verò à gratia potest esse disiuncta, vt in peccatore, qui Sacramenta, ad quæ sufficienter Attritio disponeret, non recipit. Contritio quidem sine Sacramento in voto, post eius institutionem, non iustificat: Attritio verò sine Sacramento in re.

20. *Requiruntne ad singula peccata expianda singulæ Contritiones?* Vnus actus sufficit ad omnia delenda. Neque tenemur eodem actu mortalia & venialia detestari; quia possumus remissionem mortalium obtinere, non obtenta venialium remissione.

21. *Potest ne aliquis per Contritionis actum iustificari nisi cognitionem habeat peccatorum?* Debet planè aliquam cogni-

tionem saltem confusam peccatorum habere; quia Contritio est actus voluntatis, quæ in obiectum non fertur incognitum. Admonuerim tamen pluribus in casibus debere pœnitentem peccata sua distinctè recogitare: v. gr. quando post Contritionem facienda est Confessio, quando restitutionis faciendæ extat obligatio, & quando remedium aliquod ad euitanda crimina est adhibendum. Porrò iustificatur tamen qui Contritionis elicit actum vnius solummodo peccati, cuius recordatur, facto diligenti conscientiæ examine.

22. *Quandonam quis actum Contritionis teneatur elicere?* Non statim ac peccat, sed statu tempore, nempe in mortis articulo, & in vita aliquoties si solum ius naturale spectetur, & probabile est quinto quoque anno.

23. *Quid si ad ius positiuum respiciamus?* Nullum determinatum tempus est ad quod adultus obligetur extra Pœnitentiæ Sacramentum, & tunc sufficit imperfecta Contritio, seu Attritio, quæ perficitur per Sacramentum. Quare nec singulis annis deficiente Confessario, nec singulis festis, nec ratione periculi obliuionis peccatorum vrget obligatio. Ex accidenti profectò vim obligandi potest habere siue ob mortis spiritualis periculum, siue ob Sacramenta dignè administranda, vel recipienda.

24. *Exigitur ne certus intensionis gradus ad Contritionem?* Minimè; satis enim est ipsius substantia in quocumque sit gradu.

CAPVT V.

De Confessione secunda Pœnitentiæ parte.

§. 1. *Confessionis conditiones.*

25. *Quid nomen Confessio?* Criminis in Sacramento pœnitentiæ manifestatio ad veniam consequendam eiusdem. *Quandonam instituta Confessio?* Quando in lege Euangelica Christus suis Discipulis Ioann. 20. dixit: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita describitur à Doctoribus: legitima peccatorum accusatio facta coram Sacerdote in Sacramentali iudicio Dei locum habente, ad veniam peccatorum virtute Clauium obtinendam.

26. *Præcipit*

26. *Precor Confessionis recensea conditiones.* Ad duo reuoco capita: ad materiam scilicet, & ad modum. Vt materia sit integra, simplex, pura, fidelis, nuda, discreta, fortis, frequens, & accelerata: modus autem, vt fiat cum animi dolore, humilis, libens, verecunda, lacrymabilis, & parere parata, & vt fiat secretè.

27. *Est ne modus essentialis, vt fiat Confessio secretè?* Etiamsi publicè fieret, vera Confessio esset; quamuis honestus valde, & humanæ naturæ accommodatus secretæ Confessionis vsus habeatur.

28. *Num sit de absoluta necessitate, vt humana voce fiat?* Minimè; consuetudo tamen, cum id fieri potest, obligationem præcepti iam introduxit. Potest & per interpretem, nuncium, & testes fieri: & quamuis natura sua Sacerdos præsens esse debeat pœnitentis Confessioni, vt illam audiat: attamen in casu, quo Sacerdos ad morientem accederet, à quo nullum peccati, vel doloris signum posset extorquere, contentus esse posset intermedio nuncio, vel teste, qui affirmaret, pœnitentem Confessionem petiisse, & illum in præsentia absoluere; quod decreto Clementis VIII. non repugnat; talis enim in præsentia, non in absentia absoluitur, Confessarióque per testem quasi crimina præsentantur.

29. *Integritatem exprime Confessionis?* Præcipua quidem Confessionis conditio integritas est, aut formalis, aut materialis. Ad materialem quidem pertinet, vt Confessio fiat de omnibus mortalibus commissis post Baptismum non confessis hactenus, quorum pœnitens habet conscientiam. Omnia quidem quò ad species moraliter distinctas, quoad numerum, & quoad circunstantias, quæ speciem immutant: non autem necessariò quoad circunstantias aggrauantes intra eandem speciem, nisi in casibus sigillo secundo appositis.

30. *Peccata semel confessa aperienda ne sunt?* Non, nisi peculiari Religionis alicuius regula, vel voto quis ad id obligaretur; modò prior Confessio valida fuerit; si enim fuisset inualida, necessariò iterum aperienda erunt.

31. *Quid de venialibus?* Nec omnia, nec aliquod ex necessitate declarandum. *Dubia ne de mortali?* Sub dubio sunt exprimenda.

32. *Mendacium est ne mortale in confessione?* Si circa materiam sit necessariam mortale est: si circa non necessariam, veniale, per se loquendo.

33. *Explica necessitatem formalis integritatis.* Ita necessaria

est formalis integritas, sicut Confessio; quia sine sufficienti dolore, & proposito fit irrita.

34. *Est ne causa sufficiens materialis integritatis omittendæ?* Ita planè. Et quidem in articulo mortis potest adesse occasio sufficiens materialis integritatis omittendæ; quin etiam contritionis dumtaxat signa possunt sufficere ad absolutionem impendendam, siue cum conditione mente intellecta, *si capax es*: siue etiam absque illa absolutè, vnde etiam si huiusmodi signa data fuerint in absentia Sacerdotis, satis erunt, modò absolutio (vt innui) in præsentia concedatur. Præterea proprium, vel alienum nocumentum satis esse aliquando poterit, ad omittenda eius generis peccata, vnde nocumentum timetur, modò tamen alia exprimantur, cum rationabilis adest causa Confessionis faciendæ, alioquin ipsam Confessionem præstabit omittere. Nec tamen cum aliquod peccatum reticet ex causa prædicta, primo quoque tempore, cùm aderit occasio Confessionis integræ, ad eam tenebitur; sed expectare poterit tempus necessarium.

35. *An reseruatio sola peccati sit causa sufficiens diuidendæ Confessionis?* Quidquid alij docuerint, ego iudico, sufficientem causam non esse ac etiam inferiori Sacerdoti omnia esse tam reseruata, quàm non reseruata manifestanda, vt absolutio eorum, quæ reseruata non sunt, directè habeatur, de aliis indirecta, donec directè Superior absoluat.

36. *Est ne sufficiens causa dimidiationis Confessario complicis notitiam non dare?* Quando alius non sit, qui complicem non agnoscat, non est sufficiens causa, nisi ex notitia nocumentum aliquod complici secuturum timeretur; quando autem alius adsit complicem non agnoscens, dimidari Confessio potest.

37. *Excusat ne ab integritate ignorantia?* Si inuincibilis sit, excusat, sicuti naturalis obliuio; si vincibilis, non excusat, nisi minima esset negligentia, quæ scilicet peccatum veniale non excederet: quando verò vincibilis est etiam mortaliter, sed non est per se intenta, probabile quidem est efficere Confessionem validam; securior tamen est contraria sententia, quæ nullam esse pronunciat; tunc autem valere assero, quando ignorantia, quæ reuera vincibilis est, inuincibilis reputaretur.

§. 2. *Dispositio pœnitentis.*

38. *Quænam ad Confessionem in suscipiente requiritur dispositio?* Primò quidem ad effectum gratiæ dolor aliquis necessarius est, quo cum admissæ culpæ pœniteat. Is verus esse debet, non tantùm existimatus, & supernaturalis, donum scilicet

scilicet Dei non inhabitantis adhuc, sed mouentis, siue ad contritionem attingat, siue intra Attritionem consistat. Præterea dolor hic vniuersalis esse debet, omnium videlicet peccatorum saltem mortalium, quæ remissa non sunt, etiam oblitorum: satis autem est Attritio etiam cognita. Secundò, ad valorem Sacramenti aliquis dolor exigitur, cum essentialis ipsius pars sit, isque efficax, & absolutus cum proposito non peccandi de cætero.

39. *Num necessarius sit dolor supernaturalis?* Sufficit naturalis, qui tamen supernaturalis existimetur.

40. *Necessarium ne ad omnia peccata confessa se extendere dolorem?* Si quodpiam ex iis excluderetur, quod mortale esset, nullam efficeret Confessionem.

41. *Propositum non peccandi de cæteroformale ne, an virtuale debet esse?* Bona fide intercedente virtuale sufficit, præsertim in venialium Confessione. Ex defectu debiti doloris dari ne potest Confessio informis, sed valida? Potest planè, primò scilicet, si dolor ex naturali motiuo fuerit, supernaturalis autem reputetur. Secundò, si dolor ad omnia mortalia se quidem non extendat, inculpabiliter tamen eius peccati obliuiscatur, ad quod attritio se non extendit: vel si culpabiliter, ignoretur tamen culpa. Porrò informis Confessionis fictione recedente, Sacramentum suum effectum sortietur.

42. *Potestatem Clauium explica.* Ea est soluendi, ac ligandi facultas, qua Ecclesiasticus iudex dignos valet ad cœlorum Regnum admittere, & indignos repellere, Ordinis & iurisdictionis continens potestatem. §. 3. *Claues.*

43. *Quidnam potestas Ordinis?* Nil aliud quàm Character, quatenus ex diuina ordinatione Sacerdos deputatur, vt per illum in pœnitentiæ foro iudex esse valeat.

44. *Iurisdictionis potestas quid?* Auctoritas qua vnus alteri Superior fit in foro Pœnitentiæ. Vtraque ad peccata remittenda necessaria, illa quidem in ipsa Sacerdotis ordinatione confertur, hæc per extrinsecam Ecclesiæ concessionem: vnde hæc ab Ecclesia tolli, illa nullo modo potest.

45. *Quinam Pœnitentiæ, seu Confessionis est Minister?* Solus Sacerdos etiam malus, neque alius in extrema necessitate esse potest. *Num omnis?* Non sufficiès est omnis Sacerdos, nisi fortè peccator extremè indigeret, aut tantùm venialia peccata cõmisisset, aut mortalia iam ritè confessa rursum confessioni sola exponeret. Igitur iurisdictio Ordini est adiungenda. §. 4. *Minister Confessionis.*

46. *Quotuplex iurisdictio?* Duplex. Altera quidem Ordinaria, cum ex vi proprij muneris est aliquis Superior alteri

in Pœnitentiæ foro. v.g. Summus Pontifex, Episcopus, Parochus, ad quos alij ferè Ordinarij reducuntur. Altera iurisdictio dicitur Delegata, quæ nimirum ab habentibus Ordinariam aliis conceditur. Vnde Papa cuicumque Sacerdoti, pro quolibet loco, & pro quibuscumque peccatis eam delegare potest, Episcopus in sua diœcesi tantùm, Parochus in sua parochia, si adsit Ordinarij approbatio.

47. *Potest ne Papa delegare sine Episcopi, aut Parochi licentia, aut Episcopus sine Parochi facultate?* Ita planè, vnde delegatus à Papa non potest ab Episcopo, nec delegatus ab Episcopo, v.gr. Regularis, non potest à Parocho, imo etiam si subditus eius esset, à Confessionibus audiendis prohiberi.

48. *Est ne ad delegandam huiusmodi potestatem vlla necessaria forma?* Nulla, sola sufficit voluntatis declaratio, porrò ratihabitionem de futuro non satis esse existimo; præsens enim Superioris consensus requiritur sufficienter expressus.

49. *Quot modis de facto delegata huiusmodi facultas est?* Tribus. Primò à iure respectu pœnitentium, quibus Confessorem eligendi concessa est potestas. Secundò, à consuetudine, quo pacto Sacerdos quiuis in articulo mortis & à venialibus peccatis, vel mortalibus iam confessis potest absoluere. Tertiò ab homine, siue sit personalis, siue communis, v.g. quæ Religiosis per priuilegia tradita est; vnde & confessio iis facta Sacramentalis, & valida est, & pœnitens ea peccata confiteri amplius non tenetur.

50. *Quandiu iurisdictio delegata durat?* Quandiu non reuocatur; neque enim per delegantis mortem finitur; quia sequitur regulam gratiæ, quæ concedentis obitu non expirat.

51. *De iurisdictione delegata ex parte pœnitentis, cui datur facultas Confessarium eligendi, disserere.* Dare possunt Ordinarij Pastores tres, scilicet Pontifex, Episcopus, & Parochus huiusmodi facultatem. De facto autem iure Diuino solus Papa Confessarium sibi potest eligere; iure Ecclesiastico Episcopi Superiores, & inferiores Prælati exempti; consuetudine autem Parochi, aliique simplices Sacerdotes Confessarium sibi eligunt. Ab homine denique illam habere solent Reges, aliique Principes, & per Bullam Cruciatæ Hispaniæ, & Siciliæ Populi.

52. *Sufficit ne facultas interpretatiua, aut præsumpta?* Non, nisi aliquibus signis fundetur, quæ præsentem voluntatem Superio

Superioris sufficienter indicent; nec satis est vt facultas petatur, si non obtineatur.

53. *Requiritur ne vt Sacerdos, cui facultas hæc, seu iurisdictio conceditur, idoneus sit?* Ita planè. Adesse debet in primis in eo bonitas, hoc est, fidelitas intentionis in conferendo Sacramento. Sanctitas ad valorem Sacramenti non requiritur; ad vsum rectum, & licitum est necessaria. Secundò, scientia, vt causam pœnitentis valeat diiudicare.

54. *Quid si scientia tanta non sit, vt absolutionis nouerit formam, & mortalis peccati à veniali distinctionem?* Secundùm generalem, & communem rationem inhabilis esset ad hoc Sacramentum conferendum. Tertiò requiritur approbatio ab Episcopo, nisi Parochiale beneficium obtineret. Porro approbatus simpliciter, pro omnibus est ex se locis approbatus; non ita qui pro certo loco tantùm, vel pro certo genere personarum.

55. *Durat huiusmodi approbatio?* Quandiu non reuocatur, nec ob mortem (vt innui) concedentis expirat: quinimò absque iusta causa assero non posse reuocari.

§. 2. Casus reseruati.

56. *Quia ad Ordinariam iurisdictionem pertinet etiam casuum reseruatio, hoc est, negatio iurisdictionis circa aliquod peccatum: rogo, quænam crimina reseruari possunt?* Peccata quidem sola culpæ ratione habita reseruari valent, non tantùm ratione censuræ, & de facto multa sunt eo modo ab Episcopis reseruata, licet à Papa omnia ferè etiam censuram habeant adiunctam. Sola mortalia reseruari possunt.

57. *Quid requiritur vti sit valida reseruatio, & vt sit licita?* Extrema debent esse peccata, vt expediens reseruatio sit: vt valida, potestas tantùm in reseruante adesse debet, saltem respectu eius, qui tantùm delegatam habet confitenti potestatem: vt iusta, iusta etiam causa exigitur. Vnde à Tridentino aliisque Pontificum decretis, paucos ab Episcopis reseruandos, eosque graniores edicitur.

58. *Quinam ab vs potest absoluere directè?* Qui reseruauit, eiusque Superior, isque, cui à reseruante commissa est facultas. Iter agens si reseruatum suo Episcopo casum habeat, ab eo potest absolui, cui in eo loco potest confiteri. Inferior autem Sacerdos non potest nisi in mortis articulo.

59. *Tenetur ne Superior petenti subdito largiri potestatem, vt absoluatur?* Tenetur aliquando ex iustitia, aliquando potest denegare. Si tamen graue damnum timeat, ex charitate, & sui muneris debito concedere tenetur, ideoque regulariter facilem se potius exhibeat. In eius equidem potestate est,

vel absolutè illam committere prudenti Confessario, vel certum pœnitentiæ onus adiungere ; vel etiam comparendi Superiori, si casus habeat annexam censuram.

60. *Potest ne à diis reseruatis sacramentaliter absolui?* Potest aliquando, si iusta causa adsit, & pro aliis ad inferiorem. Admonuerim satius facturum, si omnium alteri committat absolutionem.

mittere absoluere directè à non reseruatis

61. *Sermo de absolutione indirecta procedat.* Poterit etiam inferior rationabili de causa omnium peccatorum Confessione audita, à reseruatis, pro absolutione directa ad Superiorem remittendo.

62. *Quandonam ab inferiori poterit pœnitens absolui directè?* Semel à reseruatis absolutus à Superiori, ab inferiori quolibet, cui possit peccata confiteri, de iisdem potest absolui. Aufert planè reseruationem Superior, etiam si quis in Confessione apud eum facta omittat aliquod ex non reseruatis: multóque magis si quis vitute Iubilæi absolutus ab omnibus alicuius reseruati oblitus esset.

§. 6. *Confessionis sigillum.*

63. *An illi Confessionis extrema obligationem.* Ad illud Confessarius obligatur Sacramenti supposita institutione iure quodam naturali: tantáque est eius obligatio, vt neque pro tuenda Republica à quocumque malo siue temporali, siue spirituali violari liceat, nedum pro vita propria defendenda.

64. *Vndenam oritur obligatio hæc? num ex sola Confessione perfecta?* Imò ex inchoata oritur, facta non solum Sacerdoti vero, sed & existimato.

65. *Quænam reticenda?* Peccata, & quæcumque circunstantiæ eorum, & omnia, quæ ad peccatum declarandum manifestata sunt etiam publica peccata quatenus habita in Confessione. Porrò hæc omnia ita sunt reticenda, vt pœnitens minimè detegatur: alioquin de peccatis in Confessione auditis, si generaliter sermo instituatur, modò prudenter, & cautè id fiat, non violatur sigillum : satius nunquam in huiusmodi sermonem incidere.

66. *Quinam ad sigillum seruandum tenentur?* Confessarius, interpres, vel nuncius, consiliarius, & qui furtiuè audit fortassè Confessionem, & is cui sacrilegus Sacerdos alterius peccatum reuelaret.

67. *Licet ne ipsi Confessario de rebus in Confessione acceptis cum pœnitente extra Confessionis occasionem loqui?* Minimè, nisi de eius facultate expressa, quam solum cogente necessitate petere curauit.

68. *An indirectè frangi potest sigillum?* Seruandum planè omnibus

omnibus modis, tam directè, quàm indirectè. Vnde dicere non licet: *Hunc non absolui.* Seruari debet verbis, signis, factis, denique in Ordine ad quamcunque interrogationem, quæ siue in iudicio, siue extra illud fieri posset, debet obseruari.

69. *Licet ne vti notitia in Confessione habita?* Minimè, si cum morali periculo reuelationis directè, vel indirectè sit.

70. *Publica ne pœnitentia imponi potest à Confessario?* Non nisi voluntaria à pœnitente acceptetur; nec actio vlla externa debet exerceri, vnde probabilis suspicio reuelationis possit oriri.

71. *Cuinam pœnæ subiacet sigilli violator?* Depositionis pœnam à iudice inferendam incurrit, & in Monasterium detruditur.

72. *Quonammodo circa personam complicis secretum obseruandum est?* Absque rationabili causa detecto in Confessione complice, mortalis ex suo genere culpa committitur. Si malum aliquod complici probabiliter ex reuelatione timeatur, reuelare non licet; si tantùm id damni, quod ex notitia sub sigillo Confessori commissa sequitur, tunc licet, quando alius Sacerdos non adsit, cui complex ignoratus sit. Porrò eodem sigillo complicis peccatum tenetur seruare Confessor, quo peccata pœnitentis: nec ea scientia licet vllo pacto vti, quo manifestari complicis persona possit.

73. *An de licentia ipsius pœnitentis vti Confessario liceat peccati complicis scientia in bonum pœnitentis?* Licet; at prudenter id fieri necesse est, ne iure conqueri complex queat.

§. 7. *Obseruanda à Confessario.*

74. *Quænam præcepta pertinent ad Ministrum Confessionis?* Primò, debet pœnitentis dolorem explorare; & si quidem non debitè eum dolere agnoscat, absoluere non debet; tunc autem multò magis explorandus est dolor, & propositum non peccandi de cætero, cum vel peculiaris restituendi ineſt obligatio, vel proxima est occasio relinquenda. Secundò integritas exploranda prudenti interrogatione, tum Confessionis initio, tum progressu, & fine. Tertiò, cùm pœnitens est in statu de se malo, vt in validi matrimonij, si quidem de veritate eius rei dubitet pœnitens, illam debet Confessarius aperire; quod si non profuturam credat admonitionem, vel in proprium damnum vertendam, potest, & debet recipere. pœnitentis

75. *Inter pœnitentem & Confessarium opinionum varietas intercedit, pœnitente volente absolui, Confessario autem absolutione*

lutione indignum iudicante: quidnam præstandum est? Sua adhærere Confessarius opinioni debet; quia tunc iudicis debet prænalere sententia.

76. *Quid si oriatur dissidium ex eo, quod Confessarius propriùs Sacerdos non sit, & pœnitentem, auditæ eius Confessione, nolit absoluere, quia sibi videatur obligatus non esse: pœnitens autem absolutionem efflagitet?* Pœnitentis sententia Confessori sequenda est; quia audita Confessione tenetur absoluere.

77. *Si pœnitens vni probabili sententiæ adhæreat, contrarium verò probabiliorem Confessor existimet, quid?* Pœnitentis sententiæ probabili, probabiliori reiecta, se debet Confessor conformare.

Caput VI.

De Satisfactione, tertia parte Pœnitentiæ.

78. *Quid est Satisfactio?* Voluntaria solutio, & quædam compensatio iniuriæ Deo per peccatum illatæ; cum proposito non peccandi ampliùs. Confert maximè ad pœnæ temporalis remissionem, quam per opera sua iustus posset absolutè obtinere.

79. *Quænam conditiones requiruntur vt quis per opera sua pœnæ temporalis obtineat remissionem?* Aliquot requiruntur. Prima, vt qui satisfacit in gratia sit; quia dum in peccato moratur, nec pro remissis peccatis satisfacere potest, nec bona opera in illo facta vnquam ad satisfactionem reuiuiscent ex opere operantis. Secunda, vt sit viator. Tertia, vt opus liberum sit moraliter bonum, & honestum, siue sit ex consilio, siue etiam ex præcepto, siue internum, siue externum. Quarta, vt sit pœnale; scio probabile esse opus omne bonum & meritorium, esse quoque satisfactorium. Porrò pro quolibet peccato satisfieri per quodlibet opus pœnale potest, si ratio habeatur solutionis pœnæ: non ita si ratio medicinæ spectetur. Etiam per pœnas extrinsecus illatas, v. gr. ægritudines, bella, aliáque incommoda satisfacere possumus, modò propter Deum voluntariè acceptemus. Quinta denique ex parte Dei requiritur eius promissio, vt opera nostra infallibiliter satisfactoria sint, & alterius vitæ pœnas remittant. Hisce conditionibus opera nostra de condigno satisfactoria dicuntur pro illa purgatorij pœna quæ peccato respondet, non adhuc plenè quoad pœnam remissio.

80. *Iam*

80. *Iam de Sacramentali satisfactione integrali quidem Sacramenti parte non essentiali, differas precor.* Hæc planè aliquem habet effectum ex opere operato, nempe eius pœnæ remissionem, quæ præter illam, quæ merito respondet operantis confertur. Datur per eam præseruans auxilium ad peccatorum emendationem.

81. *Tenetur ne Confessor semper pœnitenti satisfactionem imponere?* Regulariter, & per se loquendo tenetur, non quidem semper per modum præcepti, sed aliquando per modum consilij, nonnunquam spectato doloris documento externo etiam potest absoluere nulla imposita pœnitentia.

82. *An propterea in libera Confessarij voluntate relictam dicis pœnitentiæ, seu satisfactionis impositionem?* Minimè, sed consideratis debitis circunstantiis imponi ab eo congruentem satisfactionem debere, & ex iusta causa leuiorem, & nullam specialem aliquando ob dolorem affirmaui, sufficienti ad integritatem Sacramenti speciali dolore, & illa clausula superaddita formæ absolutionis: *Quidquid boni feceris*, &c.

83. *Conditiones satisfactionis Sacramentalis enumera.* Debet esse opus moraliter bonum, personale regulariter, (ex consensu tamen Confessarij potest etiam per alium confici) denique particulare, & determinatum.

84. *Potest ne huiusmodi satisfactio imposita tolli, & commutari?* Potest tum ab eodem Confessario in Sacramento pœnitentiæ, tum ab alio, sed audita Confessione saltem in specie, si æqualis Confessarius est primò; tum à Superiori Confessario eodem modo. Profectò Indulgentiæ plenariæ applicatio valet priorem pœnitentiam extinguere. Denique inferior potest commutare in ordine ad ea peccata, in quibus habet iurisdictionem; nam circa reseruata non posset nisi in necessitate, cùm facilis non esset ad Superiorem recursus.

85. *Debet ne pœnitens pœnitentiam acceptare?* Debet, & Confessor ad id eum valet obligare, supposito quod se velit Clauibus subiicere. Est autem obligatio suo genere grauis.

86. *An possit in statu peccati impleri?* Profectò ad Sacramenti integritatem satis est eam in statu peccati impleri; sed venialem in eo culpam committi existimo.

CAP.

CAPVT VII.

Praxis circa materiam de Pœnitentia ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. *De Contritione.*

87. TEnetur ne quis, *statim post peccatum contritionis actum elicere?* Respondet *Gaspar Hurtado d. 3. diffic. 4.* negatiue, neque in diebus festis, neque quando imminet populo aliqua magna calamitas, neque quando peccator est in probabili periculo obliuionis omnium pecatorum. *Quandonam ergo tenetur? Suarius in 3. part. tom. 4. d. 15. sect. 6.* teneri asserit ante articulum mortis, sed sine aliqua temporis determinatione. *Vasquez* autem *in 3. p. tom. 4. quæst. 86. art. 2. dub. 6.* putat, peccatorem teneri tantùm in articulo mortis, vel periculo, quando iustificari non potest per Sacramentum; quia præceptum contritionis obligat, quando est iustificationis necessitas.

Hurt. Suar. Vasq.

78. *Confitetur quis in mortis periculo cum attritione cognita: tenetúrne contritionis actum elicere?* Non; quia, Tridentino asserente, sufficit ad salutem attritio cognita cum Sacramento. Quod quidem incertum esset, si quis ita confessus, in mortis articulo non esset de sua salute securus. *Fagundez præc. 2. lib. 2. cap. 4. num. 13.* & *Granadus in 3. part. contr. 7. tract. 3. d. 3. sect. 4. num. 17.* monens, melius facturum, qui in maximo periculo elicere contritionis actum conaretur.

Fagund. Granad.

89. *Sufficit ne attritio ad delenda in homine iusto peccata venialia extra Sacramentum?* Negat *Vasquez in 3. part. tom. 4. d. 87. art. 16. dub. 1. num. 6.* quia cum sit suo modo recessus a Deo, non debet remitti nisi ob dolorem conceptum propter Deum. At *Coninch de sacr. d. 2. dub. 14. num. 124.* Sufficere attritionem edocet, & pluribus rationibus confirmat. Certè leuis illa recessio leuiori pœnitudine vindicatur.

Vasq. Conin.

90. *Sufficit ne cum Confessionis Sacramento: si non sit existimata contritio?* Respondet *Vasquez in 3. p. tom. 4. quæst. 92. art. 1. dub. 3.* sufficere. *Debet ne esse attritio hæc omnium venialium, cum eorum tantum (& nullius mortalis) sit Confessio?* Non; quia vnum veniale sine alio remitti potest. *Hurtado de sacr. d. 6. diffic. 10.*

Vasq. Hurtad.

91. *Ob malum ne æternum debet quis pœnitere?* Ita plane, vt attritio sufficiat cum Sacramento. *An non sufficit ob malum*

lum temporale, v. g. salutis corporeæ nocumentum, bonorum amissionem, &c. Negat *Suarius d.20. sect.2.* quia aliàs sequeretur, peccatorem posse se disponere ad Sacramentum,& illius effectum solis naturæ viribus. At *Hurtado citatus* distinguit: si quis doleat de peccato propterea quod Deus in pœnam illius malum temporale immisit, sufficit. Si autem doleat sine vllo respectu ad Deum, non sufficit. Suar. Hurt.

92. *Debet ne contritio, aut attritio melioris vitæ propositum includere?* Ait *Bellarminus lib.1. de Pœn. cap 6. & 7.* propositum implicitum in ipsa detestatione implicitum non sufficere; sed requiri explicitum; quia Tridentinum propositum ab amore Dei distinctum indicit. At *Granado in 3. part. contr.7. tract.10. d.3. sect.1. num.6.* distinguit, existimans in contritione requiri propositum formale, in attritione sufficere virtuale. Bellar. Gran.

93. *Potest ne cum proposito non peccandi stare iudicium probabile reincidentiæ?* Asserit *Præpositus in 3. part. qu. 86. art.1. dub.6. num.31.* Præp.

94. *Requiritur ne contritio vel attritio in Confessione peccatorum, quæ iam semel fuere Confessione expressa?* Ita quidem; quia materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ non est sola Confessio,sed etiam contritio. *Henriquez lib.4. cap.26. n.7.* Monet *Hurtado d.6. diffic.7.* repetentem plura mortalia satis esse dolere de vno,si omnia legitimè confessa iam fuerint. Henriq.

95. *Debet ne contritio, seu attritio cum Confessione temporis instantia copulari?* Ait *Hurtado d.1. diffic.11.* multum temporis posse intercedere, & absolutionem pœnitenti dari toto tempore,quo illius actus virtualiter perseuerat: id est, quandiu nec explicitè, nec implicitè tractatur; quia in forensi iudicio, quod hoc exprimit Sacramentum, absolutio, vel condemnatio multo postquam causa fuerit discussa,solet exponi. At *Granado in 3. part. contr. 7. tract. 3. d.3. sect.1. num.7.* putat, virtualem doloris permanentiam sufficere ad absolutionem, sed illam debere explicari sicut in cæteris euentibus, vt tandiu perseuerare dicatur, quandiu, si pœnitens interrogetur, cur doluerit, possit sine noua deliberatione respondere, se vt confiteatur doluisse, & non retractasse dolorem; quia vult confiteri Approbat *Hurtadi* sententiam *Præpositus in 3. part. quæst. 2. dub. 1. numero 30.* asserens si quis vespere actum doloris eliceret, & mane accederet ad Confessionem sine alio dolore, Confessionem hoc ex capite esse validam. Hurtad. Granad. Præp.

96. *An debeat dolor huiusmodi elici ante Confessionem?*

Coninck

Coninch de Sacram. d.4. dub.6. num.4. conc.2. docet dolorem debere Confessionem præcedere, eumque non consequi absolutionem qui Confessionem sine dolore faceret, quamvis postea ante absolutionem doleret. Attamen cum *Hurtado disp. 6. diffic. 10.* & aliis censeo hanc opinionem retinendam; sufficit enim si dolor ante absolutionem eliciatur.

Hurt.

§.2. *De Confessionis necessitate, & modo.*

97. *Potest ne dari Confessio valida, sed informis ex defectu doloris?* Negat *Layman, lib.5. tract.6. cap.9. num.2.* Asserit autem *Henriquez lib.5. cap.11. n.1.* & alij, dari posse v.g. quando quis ex morali negligentia, vel ignorantia quadam culpabili dolorem adhibet insufficientem.

98. *Quandonam obligat Confessionis præceptum?* Semel in anno, præterea in mortis articulo, & quotiescumque quis deliquit grauiter, vult Eucharistiam suscipere. *At Confessionem frequentia intra annum obligat ne, si adsit periculum in mortis crimina recidendi, nisi Confessione muniaris?* Asserit *Fagundez, Card. Lugo* negat.

Fagund.

99. *An cum Confessionis necessitas urget, teneatur quis confiteri per scriptum, si aliter non possit?* Asserit *Turrianus de Pœn. q.9. art.2. d.32. dub.2. Becanus de Sacram. c.37. q.7. num.2.* quia necessitas illa aut ex præcepto annuo, aut ex mortis articulo, ad adhibenda media haud difficultatis magnè obligat. Certè non magnus labor peccata scribere; nec periculum publicationis, cum possit scriptum statim igni tradi. At alij probabiliter negant; quia peccata scribere, & Confessario scripta tradere, & modus est insolitus, & de se publicus.

Turr.

100. *Tenetur ne quis saltem in mortis articulo per interpretem confiteri?* Negat *Vasquez in 3. p. tom.4. q.99. art.4. dub.3.* ob prædictam rationem. *Granadus* autem *in 3. part. contr. tract.1. d.9. sect.6. num.28.* teneri asserit; quia alioquin moribundus graue damnationis periculum subiret, cum Contritionem in illa instantia habere, difficile. Porrò *Fagundez pr.2. cap.6. num.8.* docet, si moribundus habet probabilem existimationem quòd sit contritus, non teneri in mortali existens illud per interpretem aperire. Si autem probabiliter dubitat, teneri cùm ex præcepto diuino, tum ex naturali propriæ charitatis, ne damnationis periculo subiaceat.

Vasq. Granad. Fagund.

101. *Ægrotus nec audit, nec loqui potest, contundit autem pectus, absoluendus ne?* Ita planè; quia adest tacita petitio, illa enim signa in articulo mortis sunt doloris manifestandi; & medicinæ requirendæ. *Layman. lib.5. tract.6. cap.8. num.4.*

Laym.

101. *Quidam*

102. *Quidam ad pedes Confessarij prostratus apoplexia corripitur, Sacerdos Missam inchoaturus proferens illa:* Confiteor Deo, *eadem ægritudine tenetur: absoluendi ne vnus, & alter?* Primus absoluatur; (ait *Layman*) quia procedere ante pedes Confessarij signum est Confessionis gerendæ. Secundus autem non; quia non exprimit verbum illud: *Confiteor Deo* verum Confessionis affectum. Alij probabiliter vtrumque absoluendum, asseruêre. Laym.

103. *Ægrotus Confessionem petijt, aut signa pœnitentiæ dedit, absente Confessario: accedens ne hic, potest absoluere moribundum, si testentur præsentes?* Negat *Turrian. de pœn. q. 9. a. 2. d. 32. dub. 4.* Sed cum *Vasquez in 3. p. tom. 4. q. 91. a. 2. dub. 1. n. 4.* asserendum absolui posse; quia huiusmodi Confessio non fit omnino absenti, cum adstantes asserant petiisse, aut signa pœnitudinis expressisse. Turr. Vasq.

104. *Quotnam ad id testes requires?* Vnus sufficit, cum non agitur de præiudicio alterius. Ita *Sanctius ex Felino in c. veniens.* Nec oportet Christianum esse, sed quicumque sufficit. De quo iam alibi me disseruisse recordor. Sanch.

105. *Potest ne dari sub conditione absolutio moribundo, qui nec Confessionem petijt, nec vlla signa pœnitentiæ dedit?* Negat *Henriquez lib. 3. cap. 10. num. 9.* quia non potest dari absolutio, vbi nulla est accusatio. Scio aliquos asseruisse absoluendum, si erat pius vir vitæ quidem probatæ. Henriq.

106. *Scio neminem teneri publice proferre peccata: rogo, an in naufragio sufficiat vnicum leue peccatum exprimere, aut aliquo signo declarare se pœnitentem, v. g. genuflexione, aut pectoris contussione?* Affirmat *Hurtadus de Pœn. d. 9. diffic. 10.* Confessarium posse sic omnes in communi absoluere: *Ego vos absoluo à peccatis vestris.* Hurt.

107. *Mentiri ne in Confessione est peccatum mortale?* Mendacium de peccato veniali veniale est, nisi illud veniale esset totalis Confessionis materia; quia tunc daretur absolutio sine materia, & Sacramentum nullum esset. *Suarez tom. 4. in 3. part. d. 22. sect. 10. num. 6.* Alij negant; quia omne mendacium de veniali est res leuis, & parum lædit Confessarij iudicium. §. 3. *De Confessionis integritate.* Suar.

108. *Dubito, an aliquod peccatum commiserim, vel an illud sim confessus, vel ita dubito, vt iudicium pro neutra parte ferre possim, & maneo suspensus, & negatiuus: vel habeo assensum probabilem in vtramque partem: teneor ne tale dubium confiteri?* Affirmat *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 66.* At *Coninch. de Sacram. tract. 2. d. 7. dub. 8. concl. 7.* docet, neminem Sanch. Conin.

nem teneri ad explicandum aliquod peccatum, nisi saltem probabiliter iudicet, se deliquisse; quia peccatum præsumi non debet. *Præpositus in 3. p. q. 5. dub. 3. num. 117.* speculatiuè id probabile iudicat. *Laymann. lib. 1. tract. 1. ca. 5. n. 1. num. 3.* addit, saltem extra mortis articulum; quia nullum adest præceptum dubia crimina confitendi.

Præp.
Laym.

109. *Quid, si dubito me peccasse, cum assensu probabili in vtramque partem, & sit æquè probabilis assensus?* Non teneris huiusmodi piaculum confiteri; quia cum probabile sit, te non deliquisse, vel iam peccatum esse confessum, potes hanc sequi opinionem. *Suarius in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 3. num. 6.*

Suar.

110. *Probabilius si iudico, me deliquisse, aut non esse confessum, quid geram?* Asserit *Coninch. de Sacram. d. 7. dub. 8. n. 68.* confiteri te debere cum dubio, & gradu probabilitatis; ne te periculo errandi circa Confessionis integritatem exponas. Alij probabiliter affirmant, non teneri; quia potest quis opinionem probabilem relicta probabiliori, sequi.

Conin.

111. Me deliquisse grauiter recordor, sed species peccati lapsa est è memoria: teneor ne confiteri? Teneris planè sub illa generalitate aperire; quia peccatum mortale in genere est materia sufficiens, imò necessaria Confessionis. *Laymann lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 7.*

Laym.

112. *Dubium peccatum, aut in genere, confessus sum: teneor ne certior factus, certum vel in specie confiteri?* Asserit *Turrianus de Pœn. q. 9. a. 2. d. 29. dub. 6.* quia peccata aperienda, vt sunt in conscientia pœnitentis: hoc autem peccatum determinatum ita, & certum nunquam apertum fuit. Porrò *Sanchez sum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 69.* excipit dubium de peccato mortali, aut veniali; nam si quis confessus est integrè factum, dubius, an fuerit mortale, iam plenè suum peccatum manifestauit, nec aliqua circunstantia de nouo occurrit,

Turr.
Sanch.

113. *Potest ne Confessio esse integra formaliter, licet non materialiter?* Potest, v. g. si surdus, aut mutus, aut balbutientis linguæ non possit omnia peccata exponere: si dum quis confitetur, mortis vrgeat periculum: si mors imminet multis, vt in naufragio, & bello: si pœnitens morbo contagioso inficeretur: si quis debet confiteri alicui, cui non potest aliquod peccatum explicare: si pœnitens habeat reseruata, & Confessarius non possit absoluere: si Superior absoluat tantum reseruata. Hisce omnibus in casibus pœnitens absoluitur cum onere faciendi integram Confessionem cessante necessitate.

sitate. Omnia ex Henriquez lib. 5. cap. 12. num. 3. Sa v. Absolutio num. 9. & alijs. Henriq. Saa.

114. *Potest ne dimidiari Confessio, quando non potest sine graui scandalo omitti Communio, & alioquin Confessio longa necessaria quidem perfici non potest?* Docet Granados in 3. part. contr. 7. d. 5. sect. 3. num. 20. posse pœnitentem præmissa contritione, communicare; si verò contritio non eliceretur, & timeretur prudenter non eliciendo, posse Confessionem dimidiatam præmittere, ne alioquin nouum peccatum perpetret. Granad.

115. *Verum sit integra Confessio formaliter, in qua peccata, quæ non æstimantur peccata, omittuntur?* Quis dubitet? Monet Laymen lib. 4. tract. 6. cap. 8. num. 3. huiusmodi ignorantiam inuincibilem contingere etiam posse in pollutione voluntaria. Addit Reginaldus num. 1. l. 6. cap. 5. sect. 3. n. 153. si ignorantia esset vincibilis, & mortifera, non irritare Confessiones; sed sufficere, peccatum ignoratum, adueniente mala fide manifestare. Non subscribitur illum. Laym. Regin.

116. *Scio præmitti debere examen ad Confessionis integritatem: tenetur ne quis peccata scribere, ad accuratiorem discussionem?* Non; quia non adest præceptum confitendi memoriam peccatorum, sed aperiendi ea, quorum recordaris. Vasquez in 3. part. tom. 4. tract. 90. cap. 1. num. 14. Suadendum autem esse peccatorum scriptionem monet Cuiuch. in 3. part. d. 7. dub. 9. num. 72. quia hac in re laudanda diligentia, modò scrupuli vitemus. §. 4. De Confessionis examine. Vasq. Conin.

117. *Quis inuincibiliter putat se sufficiens examen adhibuisse, cum tamen sit: inualida ne Confessio?* Minimè. At si vincibiliter, inualida est Confessio; quia accedens absque examine sufficienti peccat mortaliter in ipsa Confessione. Sic Vasquez quæst. 92. n. 2. & 3. Vasq.

118. *An Confessio generalis integritatem requirat?* Quo ad peccata aliàs confessa non requirit. Dicit quis confessario, se velle cum ipso confessionem generalem facere, non ideo tenetur omnia mortalia expiimere; quia quamuis mentiatur, id tamen parum refert ad Confessarij iudicium, cum ad eius forum non pertineat. Henriquez lib. 2. cap. 12. num. 2. gloss. lit. D. Henriq.

119. *Dicitne debere repeti Confessionem, quando fuit inualida: an iterandæ, ex eo, quod facta fuerit alio fine principaliter, quam ob remissionem peccatorum?* Non, dummodo remissio inueniatur saltem vt finis minus principalis, & in eo non peccetur mortaliter; quia talis in casu est intentio recipiendi Sacra- §. 5. De Confessionis iteratione.

Vasq. mentum, & omnia ad eius valorem requisita. *Vasquez q. 92. art. 3. dub. 2.*

120. *Si Confessio inualida iteranda coram eodem Confessario est, & hic neque in confuso recordatur pœnitentis statum, neque pœnitentiam iniunctam: rogo, an sufficiat, pœnitentem, se vnico verbo accusare de omnibus peccatis confessis, sacrilegio, & pacto, quod obticuisset, v. gr. ex quo Confessio inualida fuerat redita?*

Hurtad. Non sufficit (ait *Hurtadus de sacr. d. 8. diffic. 8.*) sed requiritur aliqua saltem confusa Confessio, & explicatio eorum peccatorum, quantum sufficiat Confessario ad taxandam prudenter pœnitentiam. At *Granados in 3. part. contr. 7. tract. 9. d. 11. num. 5.* contrarium asseruit; quia nulla ratio nos cogit ad imponendum tam graue onus pœnitenti in materia adeo difficili. Porro illa repetitio (ait) in speciali non requiritur ad hoc, vt verum sit pœnitentem omnia peccata esse confessum; quia iam supponitur in inualida Confessione aperuisse. Neque requiritur, vt Confessarius proportionatam iniungat pœnitentiam; quia supponitur iniunxisse, & à pœnitente fuisse impletam. *Quid si impleta non fuisset?* Pœnitentia non est cum tanto rigore proportionanda, vt non possit aliquando rationabiliter imminui.

Gran.

§. 6. *De Contritione, & Confessione, varia.*

121. *Est ne contritus qui mauult fuisse mortuum, quàm Deum offendisse?* Contritum videri si id ex Charitatis motiuo procedat, ex Lopez *Saa* affirmat.

122. *Num sufficiens cum Sacramento dolor est, dolere quod non satis doleam?* Idem *Saa* ex Nauarro asserit sufficientem esse; itémque displicentiam ex peccato cum proposito cauendi.

Saa.

Saa. 123. *Infirmus in articulo mortis constitutus tenetur ne in rigore, & ex præcepto de omnibus peccatis mortalibus, quæ commisit in vita, actum contritionis elicere?* Minimè, sed sufficit Confessio cum attritione cognita de solum non confessis; quia Tridentinum docet ad salutem & gratiam à Deo impetrandam attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ sufficere. Optimum tamen factu cum *Conincb* reor, in articulo mortis ob Dei amorem perfectam de peccatis dolorem excitare.

Conin.

124. *Moritur quis absente Confessario, tenetur ne reuocare in memoriam omnia peccata sigillatim, vt de illis contritionis actum eliciat?* Negatiuè cum *Laymano* respondeo; sufficit enim vt illa in vniuersum detestetur.

Laym.

125. *Pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Confessario resedit ob surditatem, somnolentiam, aut animi vagationem.*

vagationem : validè ne & fructuosè absoluitur à non percipiente omnia crimina confessa ? Ita planè, modò pœnitens postea cognoscens vnum, vel plura peccata mortalia non fuisse â Confessario intellecta, ea sola cum aliis postea commissis in sequenti Confessione iterum aperiat. Sic *Laymanus*, & *Henriquez*. Laym.

126. *Per ignorantiam quis aliquod peccatum in Confessione omisit, eo quod erroneè putaret tale non esse, si postea cognouerit illud esse mortale, tenetur ne priorem Confessionem repetere ?* Ex *Reginaldo, Vasquez*, & *Cardin. Lugo* censeo non teneri, etsi error vincibilis fuerit : sed tantùm quod fuit omissum confiteri. Regin. Vasq. Lugo.

127. *Post confessionem aliquam inualidam, fecit quis debitè alias intermedias, in quibus ex obliuione non est confessus inualidæ Confessionis defectum : an opus sit omnes Confessiones priores iterare ?* Ex placito *Vasquez, Card. Lugo*, & *Toleti* affero opus non esse sed sufficere solum nullitatis defectum, & peccata ea Confessione explicata aperire ; quia Confessiones mediæ validæ fuerunt. Vasq. Lugo. Tolet.

128. *Confiteor de peccato, vt dubio post ea comperio me illud peccatum commisisse : teneor ne illud iterum vt certum in Confessione aperire ?* Teneris *Turriano* & *Sanctio* authoribus; quod tamen non procedit, quando pœnitens integrè confessus est, quod fecit, dubitans tamen an esset mortale ; quia ad Confessionis valorem non est necessum pœnitentem, aut Confessarium scire determinatè peccatum illud esse mortale, vel non. Turr. Sanct.

129. *Testis simul rogatur de pluribus articulis, sub iuramento & in omnibus mentitus est : tenetur ne in Confessione aperire se in omnibus esse mentitum ?* Minimè, sed tantùm debet dicere : Transgressus sum iuramentum ; quia tantùm est vnum peccatum. Sic *Sanchez*. Vnde *Fagundez* vnum tantùm peccatum committere ait, qui sæpiùs vouit, aut iurauit, se aliquid facturum, violando votum, aut iuramentum, neque hanc circunstantiam repetiti voti aut iuramenti esse aperiendam in Confessione. Addit *Azorius* eum, qui voto vel præcepto prohibitus est ludere, si tota nocte cum quatuor vel quinque ludat, vnicum peccatum committere. Sanch.

130. *Diu quis fuit in prauo statu, & inueterata alicuius peccati consuetudine, nec potest numerum designare.* Satisfaciet, (vti *Suarius* docet) tempus, quo in tali statu vixit, declarando. Tamen debet præter tempus præcipuas peccatorum species dinumerare, v. gr. si peccauit cum coniugato, affine, Suar.

fine, Sacerdote, &c. Colligit hinc *Fagundez* haud esse cogendos rusticos, ad priores Confessiones repetendas sine specificatione, numero, & diligentia factas.

131. *An in eodem actu physico plures malitiæ morales numero distinctæ inueniri possint in Confessione exprimendæ?* Inueniuntur planè, *Vasquez* authore, v. gr. qui statuit per totam Quadragesimam non ieiunare, tot peccata committit, quot sunt dies Quadragesimæ. Qui eodem verbo lædit grauiter famam trium, tribus criminibus implicatur. Qui vnico verbo decem ad peccandum inducit, decem commisit peccata: denique coniugatus, qui cum alterius vxore adulterium committit, bis contra iustitiam peccat. *Qui tres Clericos vno ictu cecidit ictu, in quot incurrit excommunicationes?* In tres, *Molina* & *Salas* asserentibus; secus qui ter eundem Clericum vulnerat.

Vasq. Molin. Salas.

132. *Repetit quis sæpiùs eodem actu, & tempore eandem blasphemiam,* *Reginaldus* docet vnum tantùm blasphemiæ peccatum commisisse in Confessione aperire debere. Nec necesse esse exprimere quænam verba contumeliosa in Deum vel Sanctos fuisse prolata; quia omnes contumeliæ eiusdem speciei sunt.

Regin.

133. *Habet quis casus reseruatos, vrgétque communicandi aut faciendi sacrum necessitas: potest ne ad vitandam grauem infamiam, confiteri solum peccata non reseruata, & reseruata reticere: vel elicere actum contritionis, & absque prauia Confessione sic communicare?* Vtrumque affirmo probabiliter. Quod si tantùm attritus esset, posset confiteri inferiori Sacerdoti non reseruata.

134. *Vocauit quis proximum ebrium, furem,* &c. *Sufficit ne in Confessione dicere: toties contumelia proximum affici?* Affirmat *Azorius* sufficere; quia omnes contumeliæ eiusdem speciei sunt, & conueniunt in ratione formali, quæ est intentio alterius famam lædendi.

Azor.

135. *Duos quis adit Confessarios, quorum alteri mortalia, alteri venialia confitetur, vti bonam famam apud ordinarium Confessarium tueatur: rogo num delinquat?* Cum *Suario* assero non delinquere; quia est Confessio integra, neque est vera hypocrisis, neque mendacium. Admonuerim tamen per accidens posse esse peccatum mortale, si ob hanc causam pœnitens in occasione peccati mortalis maneret.

Suar.

136. *Accedit quis ad Confessarium (rursum quæritarim) dicens se facturum generalem Confessionem: debet ne omnia mortalia aperire?* Negatiuè respondi cum *Henriquez*, si iam fuit Confessio

Henriq.

Confessione alia expiata. Addo, facientem Confessionem generalem, & nolentem manifestare se aliquod peccatum ab vltima Confessione commisisse, posse illud inter alia peccata priùs confessa aperire. Sic *Lugo* & alij. Lugo.

137. *Confessio sine venialiter malo peragitur: redditur ne inde inualida?* Minimè (*Vasquez* docet) quandiu suscipiens per hoc non peccat mortaliter. Vasq.

138. *Confitetur quis peccata præterita olim confessa: tenetur ne elicere nouum dolorem?* Teneri assero cum *Henriquez* & *Filliucio*, quia debet semper adesse nouum motiuum erubescentiæ, & doloris, quoties quis confitetur. Profectò necessarium non est de omnibus de nouo dolere, sufficit de vno vti de venialibus certum esse diximus. Henriq. Filliuc.

139. *Verecundia prohibitus, non audeo peccata ore confiteri: possum per scriptum?* Non peccare te mortaliter *Vasquez* affirmat, modo Sacerdos præsens sit. Vnde (vti adnotat *Laymanus*) si ægrotus præ faucium dolore, ægrè posset ore confiteri, posset autem facilius per schedam, omnino absoluendus esset quia consuetudo ore proprio confitendi, in hoc casu tam grauiter non obligat. Laym.

140. *An teneatur (rursum rogo) per interpretem peccata aperire?* Dixi non teneri, ex *Vasquez*, quia esset aliquo modo publica Confessio. At si ægrotus probabiliter dubitat, an habeat contritionem, tunc tenetur ex charitate per interpretem confiteri, si aliter nequit; ne se exponat damnationis periculo. *Potest tamen (addo) peccata maioris infamiæ subticere?* Potest; imò cum *Coninch* probabiliter assero posse confiteri aliqua peccata venialia in specie & generatim omnia mortalia. Attamen satius consulendum omnia speciatim crimina aperiri, quia interpres tenetur obseruare sigillum, vt dixi. Vasq. Conin.

141. *Nullum (dixisti) post mediocrem adhibitum in discussione conscientiæ diligentiam in ordine ad Confessionem teneri vlterius de anteacta vita cogitare. Quid si aliquid occurrat, quod explicatum in Confessione non videatur?* Potest sibi pœnitens persuadere, illud cum cæteris fuisse memoratum. Ex *Vasquez*.

142. *Potest Confessarius propter delinquendi consuetudinem absolutionem differre?* Quidquid alij arguant in contrarium, posse cum *Suario* iudico. §. 7. *De Absolutione.*

143. *Pœnitens vnum tantùm peccatum confitetur, quod reseruatum esse videtur, at Confessarius probabiliter credit non esse reseruatum: valet absolutio?* Valere crediderim cum *Lessio*; quia Suar. Less.

quia probabilis Doctorum opinio facit, vt Ecclesia impendat Confessario iurisdictionem.

144. *Dubito de pueri capacitate quoad vsum rationis.* Da ei absolutionem sub conditione saltem animo retenta; quia in dubiis pœnitenti fauendum. Sic *Laymanus.*

Laym.

145. *Debitor est in mora soluendi, sæpius confitetur, neque restituit, habet tamen animum restituendi: peccat ne mortaliter, vel est ei neganda absolutio?* Cum *Molina* negatiuè respondeo, si ex illa dilatione detrimentum creditori non sequitur.

Molin.

146. *An absolutio ab excommunicatione à laico moribundo homini data valida sit, ita vt in loco sacro possit sepeliri?* Imò aliqui censent hominem laicum hæreticum in articulo mortis absoluere posse ab excommunicatione. Sequor negatiuam sententiam cum *Auila*; quia solis Sacerdotibus absoluendi est concessa facultas.

Auila.

147. *Potest ne Confessarius alicuius Iubilæi virtute ab hæresi occulta pœnitentem absoluere?* Non posse, si non sit purè mentalis *Suarius* docuit Attamen *Fagundez* & alij decem graues Authores contrariam asseruere. *Henriquez.* Granados & alij censent Episcopos vigore Tridentini posse ab hæresi occulta absoluere, nec per Bullam Cœnæ illi potestati derogari. At Sanchez & alij probabilius contrariæ adherent sententiæ quam sequor.

Suar.

148. *Possunt ne Prælati Regulares ab hæresi occulta suos subditos absoluere?* Assero ex *Molina* minimè posse: hæreticum tamen regularem non solùm ab Inquisitore absolutionem posse obtinere, sed ex licentia Superioris se Episcopo subiicere, & ab illo absolui, etiam Superiori renitente. Id quod etiam procedit, quando Prælatus iniustè licentiam denegaret. Profectò (vti ex *Sanchez* didici) Inquisitores Hispaniæ possunt ab hæresi absoluere non solùm in foro externo, sed etiam in conscientiæ foro; ita vt quilibet Inquisitor eandem cuilibet Confessario possit facultatem impertiri.

Molin.

Sanch.

149. *Quonam à crimine ad Tribunal S. Inquisitionis spectanti absolui poterit quisnam Cruciatæ vi tutè?* Sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, solicitatio in Confessione, blasphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defensio eorum, & id genus alia, quæ si quis committat, modò non habeat errorem in intellectu, & de rebus fidei bene sentiat poterit Bullæ Cruciatæ virtute à quolibet Confessario absolui; quia hæc Bulla solam excipit hæresim. Ita *Suarius.*

Suar.

150. *Absol*

150. *Absoluendus ne moribundus iterum rogarim, qui à Confessario tantùm nutibus absolutionem petit?* Absoluendum docui, ex *Suario*; quia Deus à nobis aliam confessionem non exigit, quàm quæ nobis hîc & nunc est possibilis. Profectò moribundus, qui vsu sensuum amisso pectus tundit, oculos ad cœlos tollit, esse absoluendum sub conditione, asserebat *Laymanus*; licet dubium sit num hæc signa ex dolore, an ex mortis angustiis oriantur; quia illo articulo hæc pectoris tunsio tacita censetur peccatorum confessio. Porrò in casibus in præsenti, & supradictis in quibus moribundus (seu confessario absente testantibus præsentibus signa dedisse, seu præsente ipso videnti) potest absolui, Sacerdotem non tantùm posse, sed debere ratione charitatis cum *Vasquez* assero; nec necessarium esse si ex opinione probabili absoluit, sub conditione absolutionem impertiri; quia hoc tantùm debet fieri in dubio propriè dicto, non autem in opinione. Suar. Laym.

§. 8. *De Confessario.*

151. *Successiuè quis, & sine notabili interruptione multorum confessiones excipit in statu peccati mortalis: committitne tot sacrilegia lethalia, quot confessiones audit?* Profecto semper existimaui tot peccata committere, quot absolutiones impertitur; quia toties Sacramentum efficit, quoties absoluit. At *Fagundez* ex Roderico accipiens asseruit peccatum vnum tantum committere, sufficeréque si in Confessione dicat: Administraui Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali. Non mihi improbabilis videtur opinio propter actionem continuatam. Imò doctissimus vir ex Societate nostra *Alphonsus Vasquez* de Theologia morali optimè meritus asseruit sententiam posse defendi ex paritate Episcopi successiuè sine interruptione multos confirmantis, qui vnico sese adstringit Sacrilegio. Fagund. Alph. Vasq.

152. *Confessarius ex ignorantia vincibili non obligauit pœnitentem ad restitutionem, cùm deberet: tenetur ne ipse restituere? Suarius* negatiuè respondet, modò pœnitenti obligato restituere non dicat, vt non restituat, vel cogat restituere, cùm non tenetur. Suar.

153. *Si bono confessionem priorem invalidam fuisse ob peccatum celatum: si confessor saltem confusè recordetur pœnitentis statum, tenetur ne pœnitens propria peccata repetere?* Non teneri cum *Vasquez* affirmo. *Quid si nec in confuso recordetur, sed tantùm sciat sibi fuisse confessum, & ita absoluat?* Validam esse absolutionem *Laymanus* ait; peccare tamen Confessarium; quia non potest rectè circa pœnitentiam imponendam suo munere fungi. Vasq. Laym.

154. *Scit Confessarius pœnitentem commisisse peccatum, & non esse confessum; debet illum absoluere?* Iudico cum *Suario*, non debere; quia non est forma Sacramenti non dispositò applicanda.

Suar.

155. *Intelligit Confessarius pœnitentem ignorantia inuincibili, vel saltem non culpabili laborare, & nullum sperat fructum ex admonitione, sed potiùs animi inquietudinem, rixas, vel scandala: an dissimulare debeat?* Affirmat *Suarius*; quia cum admonitio nihil sit profutura, ignorantia pœnitentem excusabit à peccato.

Gord.

156. *Licet ne Confessario pœnitentem de complice in ordine ad ipsius correctionem interrogare?* Negatiuè respondeo cum *Gordono* & aliis; quia finis Sacramenti Pœnitentiæ est pœnitentis iustificatio, non emendatio complicis.

Sanch. Suar.

157. *Dubium est de Sacerdotis iurisdictione: num licitum sit sequi opinionem probabilem probabiliori relicta?* Licere *Sanchez* docet. *Quid si non adsint rationes, sed ambigua hæret animus?* Non potest (authore *Suario*) Sacerdos absoluere nisi vrgente necessitate, idque cum onere eadem peccata iterum confitendi Sacerdoti certam habenti iurisdictionem.

Conin.

158. *Assolent incautè sese gerere Confessarij interrogando de quibusdam peccatis pœnitentes, maximè fœminas: rogo, an teneantur huiusmodi interrogationibus vti, si aliter non possint statum pœnitentis agnoscere?* Respondeo cum *Conincb* præstare aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis agnoscere, quàm vel illi, vel sibi scandalum generare.

Suar.

159. *Confessarius quis in Burgensi Diœcesi approbatus est, non in Vallisoletana: rogo num possit pœnitentem Burgensis Diœcesis in Vallisoletana absoluere?* Posse iudico cum *Suario*; quia cum huiusmodi Confessarius habeat iurisdictionem in personas pœnitentium, non est territorij ratio habenda.

Sanch.

160. *Sufficit ne ratihabitio de præsenti, vt Sacerdos valeat posse Confessiones audire?* Sufficit; (*Sanctium* sequor) quia ratihabitio de præsenti est tacitus consensus, & interpretatiuus, qui sufficit.

Henriq.

161. *Confessarius secularis Burgensis Diœcesis potest ne pœnitentem Vallisoletanæ Burgis commorantem à casibus Vallisoleti reseruatis absoluere, qui quidem Burgis non reseruantur?* Posse existimo cum *Henriquez*, modò id non fiat in proprij Ordinarij fraudem; quia quilibet iuxta forum loci, in quo est, iudicandus.

162. Potest

162. *Potest ne Confessarius in vna approbatus Diœcesi vbique audire confessiones per Bullam, vel Iubilæum, absque noua Ordinarij approbatione?* Cum *Henriquez* affirmo; quia & potest à quocumque eligi in Confessarium, Bulla enim solummodò requirit Confessarium ab Ordinario esse approbatum. Idem *Suarius* de habente beneficium Curatum asserit: quia talis per Tridentinum est absolutè approbatus. Henriq. Suar.

163. *An possit Episcopus approbationem semel concessam ad confessiones audiendas reuocare?* Sine iusta causa (*Suario* affirmante) non potest: imò nec debitè præsentatum, & examinatum reiicere; quia potestas illi data est in ædificationem, & hæc reuocatio, vel reiectio est nulla. Suar.

164. *Approbatus quis est cum limitatione ad confessiones virorum, non autem fœminarum audiendas: potest ne priuilegio Bullæ à fœminis eligi?* Posse docet *Henriquez*; quia est simpliciter approbatus si quidem illa limitatio ex defectu ætatis, non scientiæ apponitur. Henriq.

165. *Possunt ne Episcopi restringere Religiosorum approbationes ad audiendas confessiones virorum solummodo?* Ex iusta causa posse *Suarius* asserit. *Quid si limitatio iusta causa careret?* Esse inualidam sentit *Henriquez*. Iudico non faciliter huiusmodi causam adesse, cùm Clerici viginti & quatuor annorum seculares quidem, quia tam spirituali instituto non sunt imbuti per beneficium Parochiale sine vlla limitatione approbentur. Suar. Henr.

166. *Quid si Religiosus ex odio ab Episcopo non approbaretur?* Probabile reputat *Fagundez* posse confessiones audire; quia ipso iure approbatus in *Clement. Dudum, de sepult.* quam existimo à Tridentino minimè reuocatam. Fagund.

167. *An Prælati Religiosorum possint sine approbatione Ordinarij confessiones audire?* Quidquid affirmet *Henriquez*, cum Suario iudico secularium minimè posse audire confessiones. Henriq.

168. *Potest ne Parochus ad suorum excipiendas confessiones simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum exponere?* Scio Ledesmam & alios affirmatiuè respondere, non obstante Tridentini decreto. Attamen cum *Suario* & *Vasquez* assero minimè probabile esse post DD. Cardinalium Tridentini interpretum declarationem. Profectò quando quis semel approbatus est ab Episcopo aliquo, poterit vbique seu à Parocho, seu à Superiore Regularium ad suorum confessiones audiendas assumi, absque noua Ordinarij approbatione, vti *Suarius* affirmat. Suar. Vasq.

§. 9. *De Casibus reseruatis.*

169. *Dubitatur num casus reseruatus sit aliquod delictum: est ne reseruatus?* Respondeo cum *Suario* præsumi non esse reseruatum, posséque pœnitentem absolui; quia reseruatio odiosa quidem strictè interpretanda.

Suar.

170. *Casus à Superiori reseruati pertinent ad Nouitios?*

Azor.

Non pertinere docet *Azorius*; quia ad Religionis onera non tenentur.

171. *Reseruato lapsu carnis, quidnam censetur reseruatum?*

Henriq. Gran.

Asserit *Henriquez* & *Granados* censeri reseruatum illud solum, quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certò constat esse mortale.

172. *Potest ne Superior Regularis sibi reseruare tactus quscumque, & oscula?*

Suar.

Minimè; (*Suarius* ait) quia non comprehenduntur verbo: *lapsus carnis voluntariè opere consummati.* Secus, si tactus impudici, quia nunquam indifferentes.

173. *Obtinuit quis licentiam aliquam absoluendi à reseruatis: potest ne etiam absoluere abijs, quæ post concessam licentiam commisit?*

Præp.

Ex *Præposito* & aliis respõdeo affirmatiuè; quia concessio tacitè intelligitur de similibus casibus, qui post illam concessionem Clauibus bona fide subijcientur. Quod verum arbitror etiam si petens licentiam scripsisset non esse relapsus periculum, si id bona tunc fide fecerit.

174. *Dixisti habentem reseruata, si confessus est legitimo Superiori, vel habenti potestatem absoluendi, & si per obliuionem omiserit reseruata, tolli reseruationem, vti* Conineh *ait: quid, si quando confessus est reseruata, inualidè, id est, sine dolore*

Conin.

confitetur?

Præp.

Tollitur reseruatio *Præposito* authore.

175. *Superior absoluit subditum tantùm à reseruatis: quidnam ei faciendum, vt ab aliis absoluatur?*

Conin.

Teneri postea illa ipsa reseruata cum non reseruatis inferiori Sacerdoti confiteri. Ex *Conineh* accepi.

176. *Absoluitur quis in articulo mortis à reseruatis per inferiorem Sacerdotem: tenetur ne, si conualuerit, coram Superiore*

Suar.

comparere? *Suarius* non comparendum docet; quia in mortis articulo nulla reseruatio. Alia est ratio de Censurarum reseruatione, de qua supra.

177. *Subditus ex facultate concessa (v. g. ob peregrinationem) absoluitur à reseruatis cum onere comparendi: tenetur ne comparere?*

Vasq. Hurtad.

Non teneri affirmant *Vasquez* & *Hurtado*, si ante absolutionem dictum onus ignorauit.

178. *Episcopus in casum incidit reseruatum summo Pontifici:*

ſci: poteſt ne abſolui à ſubdito? Poſſe abſolui à caſu, à quo ipſe poteſt alios abſoluere aſſerit *Suarius*, delegando eam facultatem alteri. Porrò & Epiſcopi Vicarius, qui habet poteſtatem ſubdelegandi, poteſt abſolui ab alio, ſi in caſum Epiſcopo reſeruatum incidit; quia ſubdelegatus à Vicario primi delegantis vice fungitur, & perinde eſt, ac ſi ipſe primò delegans delegaſſet. Quam doctrinam Superioribus Regularium accommoda, ſi aliàs non prohibeantur. Suar.

§. 10. *De ſatisfactione.*

179. *Poteſt ne Confeſſarius pœnitenti imponere in Sacramentalem ſatisfactionem opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas?* Poſſe *Turrianus* verè affirmat, licet alij negarint. Turr.

180. *Eſt ne imponenda pœnitentia ſub obligatione?* Sufficienter eſſe Sacramentalem, ſi per modum conſilij imponatur, docet *Suarius*, qui addit opus alioqui præceptum poſſe aliquando in pœnitentiam iniungi. *Satisfacit ne pœnitens per ieiunium ab Eccleſia indictum, ſi Sacerdos iniungit ieiunium abſolutè? Coninch* negat, niſi ex Confeſſarij verbis aliud colligi poſſet. Suar. Conin.

181. *An poſſit Confeſſarius pœnitentiam omnino liberè faciendam arbitrio pœnitentis imponere?* Ex *Suarij* ſententia affirmo non ſemper requiri, vt aliquod opus in particulari iniungatur, præſertim ſpiritualibus perſonis: ſed ſufficere, ſi dicat: Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie, vel hac hebdomade boni feceris, vel mali paſſus fueris. Suar.

182. *An poſſit per alium impleri pœnitentia?* Poſſe aſſerit *Suarius*, modò iuſta adſit cauſa. Suar.

183. *Valet ne Confeſſarius pro pœnitentia iniungere pœnitenti, vt à ſacra abſtineat Communione?* Scio nuper Ioannem Sanchez negare, ſed cum doctiſſimo *Fernando* de *Salazar* aſſero huiuſmodi abſtinentiam locum pœnæ fideli quidem grauis obtinere. Salaz.

184. *Dixiſti pœnitentiam in peccato mortali ab exiſtenti geri poſſe: rogo, num huiuſmodi Sacramentalis pœnitentia per contritionem reuiuiſcat, cum homo reſurgit?* Reuiuiſcere cum *Suario* iudico; quia cum ſatisfactio ſit pars Sacramenti pœnitentiæ, recedente culpa, conſequenter ſuum ſortitur effectum non tantùm quoad gratiam, ſed etiam quoad pœnæ remiſſionem. Colligo ex *Vaſquez* ſententia ſatisfactionem in Sacramento pœnitentiæ gratiam ex opere operato cauſare: ideoque non peccare mortaliter, qui eam in ſtatu peccati implet; quia non ponit obicem effectui eſſentiali Sacramenti. Sed tantùm effectus perfectioni, & integritati. Vaſq.

185. *Leuem*

185. *Leuem quis, aut grauem pœnitentiam accipit venialibus, aut mortalibus aliàs confessis, quam quidem culpabiliter omittit: num delinquat mortaliter?* Laym. Assero ex Laym non peccare grauiter; nisi ex illa omissione sequatur peccati mortaliter periculum, v.g. si ob necessariam medicinam venalis transgressionis iniuncta esset.

186. *Est ne absoluendus pœnitens nolens pœnitentiam satisfactoriam sibi à Confessario impositam acceptare?* Suar. Vasq. Cum Suar. & Vasquez assero non esse absoluendum; quia sub onere peccati mortalis illam debet acceptare.

187. *Peccat ne Confessarius mortaliter culpabiliter pœnitentiam non adiungens?* Suar. Ex *Suario* respondeo licèt culpabiliter à Confessario omittatur Sacramentum esse; quia pœnitentia satisfactoria pars Sacramenti essentialis non est, sed integralis: peccare tamen mortaliter ex genere suo, venialiter quidem si confessio venialium sit, aut mortalium aliàs confessione dilutorum.

187. *Scit pœnitentem pro peccatis satisfeciisse.* Si per reuelationem cognosceretur, potest pœnitentiam grauem non imponere, sed leuissimam imponere debet ad Sacramenti integritatem.

188. *Quid si affirmet se velle Purgatorij pœnas subire?* Leuem pœnitentiam adhuc imponat ad Sacramenti integritatem; præcipuè cum agnoscat grauem non acceptaturum.

189. *Quid in mortis articulo?* Si compos sensuum satis infirmus, id est voce vti possit, iniungat, vt semel nomen Iesv & Mariæ proferat, ad valetudinem grauiorem satisfactionem imponens.

190. *Tempore Iubilæi potest pœnitentia imminui?* Tolet. Posse assero cum *Toleto*. *Delinquit ne grauiter qui die assignato pœnitentiam non adimplet?* Existimo grauem culpam non esse, modò aliàs adimpleat. Confessarius moneat non intendere ad culpam grauem illigare.

191. *Si irrationabiliter grauis pœnitentia fuit?* Non tenetur implere, quia nec Confessor ligare eum potuit, nec pœnitens sese intendit illigari.

192. *Quonam temporis interuallo adimplenda est?* Saltem per vnius anni circulum, si aliter Confessarius non disposuit, aut medicaminis expetiuit instantia.

193. *Excidit ex memoria pœnitentia iniuncta?* Suar. Non debere confessionem iterare cum *Suario* existimo. Se negligentiæ accuset, & Confessarius iniungendæ pœnitentiæ aliquid super addat.

194. *Confes*

§. II. De sigillo Confessionis.

194. *Confessarius commisit defectum in confessione; quia v. gr. pœnitentem ad restitutionem non obligauit: potest ne cum illo loqui de supradicto defectu?* Minimè sine ipsius expressa licentia, vti Fagundez asserit. *Quid si pœnitens neget?* Culpa erroris à Confessario in pœnitentem transferetur. Quæ vera esse iudico, etsi huiusmodi error statim à finita confessione deprehenderetur. Fagund.

195. *Scio ex confessione aliquem esse dignitatis alicuius ac muneris indignum: possum ne, cum secreta sunt suffragia, meum denegare?* Minimè; quia fugiendum quidquid illud Sacramentum potest reddere odiosum, ex *Coninch* doctrina. *Quid si habet alios defectus, ætatis, scientiæ, &c. Teneor dare suffragium ei, quem aliàs indignum esse ex Confessione cognoui?* Non teneris. Conin.

196. *Confessor in loco vbi confessiones audit, asserit committi graue aliquod peccatum. v.g. Sodomiæ, &c. Violat ne Confessionis sigillum?* Non violari affirmo cum *Henriquez* addenti, si coram infirmioribus & sine spirituali vtilitate hoc dicat, grauiter peccare propter offendiculum: quia audientes facile possunt à confessione alienari. Henriq.

197. *Manifestauit quis aut sine necessitate, aut necessariò complicis delictum in Confessione: potest ne Confessarius sine sigilli violatione complicis crimen aperire?* Non posse *Suarius* docet; quia peccatum complicis est ita coniunctum cum peccato pœnitentis, vt vix vnum sine alio possit agnosci. Suar.

198. *Confessarius cum pœnitentis licentia petendi consilij causa, aperit alteri Sacerdoti Theologo peccata in Confessione audita: quæro, num Theologus sigillum Confessionis frangat, si postea cum alijs de illis peccatis loquatur?* Non peccat contra sigillum, sed contra naturale secretum; quia (vti ait *Vasquez*) non refert in Confessione audita. Vasq.

CAPVT VIII.

Practica adhuc speciales Resolutiones, Confessarium ad munus rectè obeundum instruentes.

Confessarij prudentia circa pœnitentem.

199. QVonammodo *Confessarius peccati grauitatem dignoscet?* Cùm contra legem delinquitur, consideret pœnam impositam transgressori: si grauis, v. gr. mortis, vel grauiorem;

triremium, flagellorum, &c. grauis trangressio; si leuis pœna, v.gr. paruæ nummorum quantitatis, leue delictum. Ob graue proximi incommodum grauis culpa committitur. Peccatum quod de se grauiter Dei, aut proximi charitati opponitur lethale quidem. Cùm lex humana aliquid præcipit vi valde graue, & necessarium, obligat ad mortale, si materia & finis grauis sit, & verba legislatoris huiusmodi indicant obligationem, id quod ex pœnæ collige grauitate. Peccata Capitalia tunc esse mortalia dignosces, quando aut Decalogi, aut Ecclesiæ aliquod præceptum grauiter læditur. Ita *Azorius*, *Sanctius*, *Suarius*, *Reginaldus*, & alij.

Azor. & alij.

200. *Quonammodo se in principio Confessionis geret?* Cognoscat, num subditus sit iure ordinario, aut priuilegio. Num præmisso sufficienti examine accedat; Num sit excommunicatus? An aliquod peccatum ob verecundiam tacuerit? An pœnitentiam sacramentalem impleuerit? statum denique pœnitentis recognoscat, vt officij vel muneris speciales discutiat obligationes.

201. *Quid in ipsa Confessione?* Ex officio quidem haud tenetur interrogare. Attamen cùm probabiliter ex circunstantiis agnoscit aliquod peccatum præteriri lethale, interroget necessum est. Peccatorum numerum, & circunstantias faciat aperiri, si grauia crimina, & speciem mutantis circunstantiæ. Si certum numerum adæquare non possit pœnitens ad singulos menses, hebdomadas, aut dies descendat. Prius audiat pœnitentis meditatam conscientiæ relationem, mox ad interrogationes necessarias procedat, post totam quidem Confessionem, modò periculo obliuionis non exponatur. Periculum nimiæ disquisitionis fugiat, præcipuè cum fœminas, moniales, pueros in materia luxuriei audit. Apud mercatores nimium acutè fraudum materias non euoluat, ne medicina sit ægritudinis occasio. Haud sunt ab omnibus omnia interroganda. Non indicet se per transennam huic muneri incumbere, sed sedeat ac si nullum aliud negotium instaret. Non sese ostendat aut impatientem, aut iratum, aut ob grauia, vel enormia crimina scandali vulnere affectum; ne pœnitens confusioni cedens aliquod crimen audeat obuelare. Curet, ne complices sine necessitate nominatim assignetur ne se pœnitens vltra malitiam damnet; ne dubium pro certo referatur aut certum pro dubio. Attendat, num veniale sit ob cõsensus imperfectionem, aut attentionis defectum aliquod crimen; an annexam habeat censuram; an sit restitutionis obligatio Si error in Confessione Confessionarij culpa commissus est

non

non moneat pœnitentem cum scandali periculo; si autem facilè possit, corrigat cum pœnitentis licentia sub eodem sigillo. Ita *Suarius*, *Reginaldus*, *Filliucius*, *Laymanus*, *Azorius*, *Palaus*, & alij. Suar. & alij.

202. *Quonammodo sese Confessarius gerere debeat circa pœnitentes variis criminum speciebus pressos, vel diuersimodè illigatos, percurramus: Quis necessariam Christianæ doctrinæ non callet cognitionem.* Haud eum ideo sine absolutione dimittat. Sufficit cognoscere pœnitentem hoc aut illud non esse fidei contrarium, Deumque ac Ecclesiam hoc aut illud præcipere, licèt non suo ordine cognoscat. Quod si hoc etiam ignoret, præcipua eum mysteria doceat, suadens accuratius studium. Sic *Sanchez* & *Toletus* adiiciens adeo pœnitentem benigniter esse excipiendum, vt non renuat redire. §. 2. *Varijs ægrotis adhibeat medicinam.* Sanch. Tolet.

203. *Quis varijs negotijs implicatur.* Attendat Confessor pœnitentis munia, contractus; vt cognoscat num aliqua sit aut elapsi criminis, aut futuræ instantiæ restitutionis obligatio. Sic *Reginaldus*. Regin.

204. *Quis se de venialibus quasi de mortalibus accusat.* Illum à conscientiæ errore liberet, post commissa ob erroneam conscientiam crimina eum profiteri faciet. Ex eodem *Doctore*. Regin.

205. *Scrupulis quis irretitur.* Si Dei timore illi donentur quocumque examine præmisso admittat, curétque vt tempus in conscientiæ discussione impensum in contritione impendatur. Adhuc *Reginaldus*. Regin.

206. *Tenetur pœnitens seu facultates, seu famam restituere.* Aperiat ei obligationem, procurans vt quamprimum impleatur, præcipuè cum post aliquam confessionem nondum proximo est satisfactum.

207. *Aliquod votum pœnitentis commutandum est.* Aduertat sub confessionis fine quænam futura sit vtilior operum commutatio iuxta Sacerdotis aut pœnitentis facultatem.

208. *Accedit artifex.* Cognoscat num muneris, aut officij obligationes sciat: si ignorat, aperiat, suadeátque, quamprimum fieri certiorem. *Sanchez* sic. Sanch.

209. *Dubitat quis, an teneatur aliquam legem implere.* Non absoluat, donec diligentia adhibita cognoscatur, num lex obliget. Quod si post diligentiam veritas non apparuerit, absoluat eum quasi inuincibili ignorantia preditum. Si autem certò constet legem obligare, & pœnitens nolit obedire, absoluendus non est, affirmante *Sancto*. Sanct.

210. *Publi*

210. *Publicus peccator confessurus adstat.* Non repellat, sed benigniter exceptum curet ad contritionem allicere, *Reginaldo* authore.

Regin.

211. *Mutus à natiuitate accedit.* Curet aliquod saltem peccatum deseruientibus signis, aut nutibus corporis ad materiam Sacramenti exponi, & absoluat. *Quid si nullum peccatum declarare valeat?* Signo doloris præmisso est absoluendus sub conditione capacitatis in articulo mortis, & quando Confessionis præceptum obligat. Vti equidem mutus potest interprete, qui signa, ac nutus dissertius calleret. Ita *Toletus.*

Tolet.

212. *Alienæ linguæ pœnitens confessurus adstat.* Si callens propriam eius linguam inuenitur, ad illam remittatur, aut, si vult pœnitens ipse, interpres aduocetur. In mortis articulo sufficit doloris signa proferre, aut signis aliquod crimen aperire. Quod si valens, non expectetur per longi temporis interuallum illius linguæ peritus Confessor, potest aliquod aperiens peccatum absolui, & non alio tempore; quia præceptum integræ confessionis strictius planè quàm expiationis annuæ obligatio. *Quid si Sacerdos plures culpas licet non omnes percipiat?* Potest absolui, vti annuæ Confessionis, &

Regin.

Communionis præceptum impleatur. *Reginaldus* & alij.

213. *Affirmat quis se nunquam peccatorum mortalium numerum explicasse.* Si rusticus, non semper credendus. Si consultò, seu mala fide non prætermisit, haud eum cogat confessionum peccata repetere, sed cum adhibito auxilio, ad numeranda peccata alliciat. Sic *Reginaldus*, & *Azorius.*

Azor.

214. *Adstat qui peruit peccatum mortale in Confessione.* Si verecundia, aut ignorantia grauiter culpabilis fuit, iterandæ confessiones. Si postquam culpabiliter tacuit, bona fide dehinc confessus sæpè fuerit, solummodò confessionem, aut confessiones illas, quas mala fide gessit, debet iterare, *Suario* doctore.

Suar.

215. *Litem quis aut odio, aut iniustitia persequitur.* Si iustè agit licet odio instigante, non absoluatur nisi proponat ius sequi sine affectu vindictæ. Si autem iniustè minimè absoluendus, nisi aut dimittat, aut dimittere firmiter proponat. *Suarius* & *Reginaldus.*

Suar.

Regin.

216. *Vtitur quis æquiuocatione iuramenti, ita vt audiens ignoret, quandonam verum, seu falsum affirmet.* Contra humanum commercium delinquit. Quod si iusta causa non adsit, non licet huiusmodi vti æquiuocationibus, ideo pœnitens incusandus, vti *Sanchez* affirmat.

Sanch.

217. *Qui*

217. *Quis sine titulo Ordines susceptit.* Absoluatur à peccatis & remittatur ad eum, qui potest à suspensione absoluere. *Quid si Episcopus agnouit illum sine titulo ad sacrum Ordinem accedere?* Suspensionem Clericus non incurret, Episcopus autem tenebitur de eius sustentatione prouidere. Ita *Suarius.* Suar.

218. *Accedit Clericus, qui in sacris constitutus, aut Beneficio fungens, nec tonsuram, nec Clericalem vestem gestat.* Se gerat Confessarius, si propositum non mutat pœnitens, tanquam cum eo, qui peccandi occasioni haud vult nuncium remittere. Sic *Reginaldus.* Regin.

219. *Quid si Clericus, aut Beneficio fruens Officium Canonicum non persoluat, nec emendationem promittat?* Minimè est absolutionis beneficio donandus, *Reginaldo* authore. Regin.

220. *Inualidè quis nupsit, aut consensus defectu, aut alicuio impedimento intercedente.* Curet dispensationem de impedimento obtineri, aut consensum prudenter eliciat, ex noua contrahentium vnione.

221. *Sacramentum confessionis init ea, quæ secundis nuptiis operam dedit putans coniugem obijsse, sine indicijs, aut testimonio sufficienti.* Debet absolutionem abnegare, si nolit à peccato recedere. *Sanchez* indicium sufficiens obitus esse ait, si maritus erat prolixæ ætatis, & post discessum plures anni elapsi sunt; vel scit se bello commisisse, à quo non redit. Sanch.

222. *Coniux affirmat fore, vt non consequatur salutem æternam, si à coniuge non separetur.* Si admonitiones salutares non sufficiant, & diuortium Sacerdos iudicat medicinam, absoluat pœnitentem. Sic *Reginaldus.* Regin.

223. *Quonammodo se geret cum libidinis mediatore?* Sunt actiones intrinsecè malæ, v. gr. auxilium præstare, vt amasij fœminæ quam quis consequi curat, interficiantur: & actiones indifferentes, v. gr. comitari, vel tueri eum, qui peccatum commissurus accedit. Epistolas amatorias manifestè turpes deferre, malum est intrinsecè, epistolæ, quibus aduocatur amasia, indifferentes sunt; quia potest in alterum finem vocari. Igitur eis qui serui non sunt, siue famuli, vnum non licet, quia intrinsecè malum; alterum, quia valde graui crimini propinquum est. Familiæ autem actiones indifferentes licitæ erunt, quando sine graui incommodo non possunt mutare domicilium, & inibi perseuerantes graue damnum timent, præcipuè si dominus vehementer ab ira corripi soleret. Indicabo quænam actiones communiter à famulis

assumptæ indifferentes sint. Parare equum quo profecturus dominus ad amasiæ domum: eum inibi commorantem foris custodire: amasiæ mensam apponere: cibos præparare: ad domum reducere: epistolas deferre de quarum turpitudine gaui non moraliter constet, licèt affectu sint exaratæ: dona ferre, ac referre, ostia, aut fenestram aperire, dominum amasiæ ostendere: auxilium domino præstare, vt ascendat: scalam tenere. Porrò vt licitè famulus teneat scalam opus est, vt grauius solito damnum timeat; quia ascensus per scalam in domum iniuria est domus domino inusta. *Sanchez lib. 1. c. 7.* consulatur.

Sanch.

224. *Consuetudine quis grauatus aut iurandi mendaciter, aut voluntariò polluendi.* Si ægrè ferat, haud ei absolutio differatur, præcipuè cum non adest spes reuersionis ad confessarium. Attamen si inueterata sit consuetudo, & remissum propositum differat absolutionem prius pœnitente de non sufficienti dispositione conuicto. *Henriquez.*

Henriq.

225. *Decimas quis multis ab hinc diebus debet Ecclesiæ.* Tridentinum præcipit hominem huiusmodi non absolui donec debitum reddat, excommunicatione adhibita. Profectò si potens soluere, mox necesse est soluat, vti absolutionis beneficio fruatur. Si autem est impotens, in foro conscientiæ ab excommunicatione, & peccatis absoluendus cum cautione solutionis, quia constat eum non malitiosè decimas retinere. Quod si excommunicatione percussus non fuerit, sufficit, vt à peccatis absoluatur cum proposito soluendi accedere, vti *Auila* affirmat. Nec quidem extra iuris casus expressos minimè ab eo est solutionis iuramentum extorquendum.

Auila.

§. 3. *Occasio proxima delinquendi adest.*

226. *In proxima quis est occasione peccandi?* Proximam illam occasionem appello, quia circunstantiis spectatis rarò quis à peccato assolet abstinere. Certè peccatum ipsum ex huiusmodi occasione exsurgens debet esse mortale; occasio etiam particularis vsuræ, v.g. debet esse; quia mercaturam facere non est occasio proxima, licet munere, seu officio quis abutatur. Præterea talis debet esse occasio, qua nunquam aut rarò non delinquatur; quia occasio proxima non est ea, qua rarò delinquitur; v.g. qui repentino affectu ter aut quater per vnius anni circulum cum famulante fœmina deliquit sine animo vlterius delinquendi. Demum circunstantiæ spectandæ sunt; quia quod vni occasio est proxima peccandi, alteri non erit, v.g. iuueni fœminæ vna in domo socieras in proxi-

mam

mam occasionem cedet, quæ seni nullum minatur nocumentum. Igitur occasio proxima est immoderatæ iuuentuti cibis calidis vesci, vnde experimento edidicit se voluntaria pollutione fœdari; aut Comœdiis interesse; quibus rarò sine graui culpa recedit, &c.

227. *Quandonam tenebitur pœnitens ab occasione proxima recedere, priusquam absoluatur?* Cum occasio proxima est voluntaria, secus cum voluntaria non fuerit. v.g. quando filiusfamilias sæpè cum famula, aut consanguinea deliquit, quam ipse haud potest à domo deturbare. Sic *Suarius*. Tali in casu debet pœnitens vero dolore affici de præterito, cum proposito in futurum, specialiter quidem proponendo minimè solum cum sola mansurum: quod si casus tulerit solitudinem, minimè peccaturum. Profectò quoties aliqua adest causa notabilis, qua separatio fieri non potest, voluntaria occasio non erit, & præmissa dispositione, & prudentia ad cautionem futuram Confessoris adhibita absolui poterit. *Quid si affectus sit ingens, labilis pœnitens, exigua spes emendationis?* Absolutio differatur; quod si non omnino emendatus rursum accedat, si tamen Confessarius cognoscat affectum aliquantulum frigescere, aliquámque abstinentiam adhibitam, &c. sæpius potest eum absoluere. v. gr. si nupsit fœminæ, cui adhæresci animo; aut fœmina nupsit viro qui eam custodit. Sic *Suarius*. Suar.

228. *Quid denique si amasia pœnitentis in domo commoretur?* Aliqui asserunt semel aut bis absolui posse, solo emendationis proposito præmisso. Alij affirmant prius è domo deturbandam, quàm possit absolui. Ego autem cum *Reginaldo* & aliis iudico non esse absoluendum ante eiectionem si domi solo amasiæ titulo commoratur, & illico potest deturbare; quia tali in casu occasio proxima voluntaria est. Verùm si famulandi fungitur ministerio semel ille absoluatur cum proposito aliam famulam exquirendi quamprimum. Suar. Regin.

229. *Casu quis reseruato illigatus est.* Casus reseruatus est ille (vti diximus) à quo solus ille absoluit, cui reseruatus, aut qui illius vices exerit. Sunt quidem casus reseruati Pontifici, Episcopo, Tribunali DD. Inquisitorum, ac Regularium Prælatis. Doctores quidem sex casus Episcopo communi ex iure numerant. 1. Quando peccatum à iure publicam pœnam habet assignatam. 2. Quando maiorem excommunitionem habet annexam. 3. Quando irregularitatem. 4. Peccatum incendiarij. 5. Blasphemia publica. 6. Homicidium voluntarium, ac mutilatio. Porrò ex consuetudine octo §. 4. *Casu reseruato pœnitẽs illigatur.*

insuper sunt reseruata crimina Episcopo. 1. Omne enorme publicum peccatum. 2. Filiorum aut casu, aut consilio occisio. 3. Quodcunque homicidium. 4. Falsum testimonium, aut instrumentum. 5. Periurium. 6. Incestus. 7. Monialium corruptio. 8. Bestiales. Profectò cum *Filliucio* & aliis affirmo nullos ex iure communi Episcopo casus nec excommunicationem reseruatam esse, propriè loquendo. Fateor casus esse reseruatos arbitrio Episcopi, varij quidem ob Diœcesium varietatem. Omnes quidem quicunque sint huiusmodi casus subiacent cuiuscunque Confessarij potestati beneficio Bullæ Cruciatæ. Præterea Regulares priuilegiorum suorum vi ab eisdem possunt absoluere, si ab Episcopo sint approbati. Certè Papa Clemens VIII. Regularium Prælatis vndecim casus reseruari iussit, facultatem Capitulo generali, aut Prouinciali exhibens vti alios casus reseruare possent, quo Ordinis maiori vtilitati consulerent.

Filliuc.

230. *Quando quis facultate potitur, vt à casibus Papæ reseruatis absoluat, potest ne etiam absoluere à censuris?* Cum *Toleto* assero posse; quia censuræ cum ipsis peccatis annectuntur.

Tolet.

231. *Quodnam sacrilegium est Episcopo reseruatum?* Illud tantùm quo sacer locus furto, sanguine, aut semine humano violatur. Scio *Emanuelem Saa* affimare ex iure non reseruatum esse sacrilegium, sed *cortilegium*, communi errore *Sacrilegium* legente. Quid de publica *Blasphemia*? Solummodo exteriori foro est Episcopo reseruata, nisi ipse contrarium exponat. Sic *Saa*.

Saa.

Saa.

232. *Ordinarius itaque Confessor quonammodo se geret cum eo, qui reseruato casu pergrauatur?* Si ipse non potest absoluere ad Prælatum remittat, aut ad delegatum extra mortis articulum, aut probabile vitæ discrimen.

233. *Si affirmet pœnitens se Superioris licentia frui?* Credat, & absoluat. Quod si ex iusta causa subditus ad Prælatum accedere nequeat adeat Confessarius illum, vicésque impetret, nullo præmisso verbo, vnde possit pœnitens Superiori reuelari.

§. 5. *Absolutio & satisfactio impertienda, iniungenda.*

234. *Quonammodo Confessarius satisfactionem Sacramentalem imponet?* Relege quæ Superius asseruimus. Haud ita pœnitentem aggrauet, vt causa fit omittendi. Peccata carnis acriora flagellorum, ciliciorúmque requirunt medicamina. Quod si implendæ non sint pœnitentiæ asperiores, sufficiant Indulgentiæ, Iubilæi, Communionis frequentia, eleemosynæ, orationes præcipuè quidem Virginis

Virginis obsequium nouem Angeli Salutationibus emissis, sub purissimæ Conceptionis memoria quotidie iuuenum probata est medicina.

235. *Quonammodo denique circa absolutionis Sacramentalis expeditionem se geret Confessarius?* Si Confessarius ipse, aut excommunicatus aut suspensus, aut interdictus sit nominatim, prius à Censuris expediatur, quàm absoluat; aliàs peccabit mortaliter & iuris alias pœnas incurret. Nec quidem valida erit absolutio; quia priuatus est iurisdictione. Si autem pœnitens excommunicatione quacumque illigetur, prius à Censura, quàm à peccatis absoluatur. Scio ex *Suarij* doctrina validum Sacramentum, licet absolutio à Censuris non præcedat. Quod si in mortis articulo non possit pœnitens prius à Censura, quàm à peccatis absolui, sufficit proferre Confessarium illa verba: *Absoluo te*, cum intentione absoluendi ab vtroque vinculo. Rarò tamen tam vrgens aderit occasio, qua non possit adiici: *Ab omni excommunicatione*, Curet moribundo Bullæ indulgentiam applicari, suadeátque secundam Bullam in indulgentiæ augmentum accipi. *Quisnam verbis absolutio Sacramentalis proferenda?* Sufficiunt illa verba: *Absoluo te*, sed iuxta Ecclesiæ præscriptum illa dicenda: *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Post Confessionem diuturni temporis præmittat: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te in vitam æternam.* Deinde sic formam expediat semper: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipius mihi licet indigno concessa absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis* (si sit Clericus addat, *suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges. Deinde eadem authoritate ego te absoluo à peccatis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Laudabiliter additur: *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Videndi *Suarius, Azorius, Reginaldus, Henriquez, & Laymanus.* Suar. & alij.

EXAMEN V.

Circa materiam de Indulgentiis.

CAPVT PRIMVM.

De Ecclesiæ Thesauro.

1. *Via Indulgentiarum lucratio satisfactionis exercitium vices, tractatio huiusce materiæ attexenda: Quinam igitur Thesauri Ecclesiæ nomine intelligendus?* Est collectio ex operibus satisfactoriis, quæ sancti egerunt non illis pro culpis propriis necessaria.

2. *Vbinam hic Thesaurus?* In sola diuina acceptatione, quæ omnia hæc opera ad remunerationem seruat.

3. *Ex quibusnam præcipuè operibus hic Thesaurus coalescat?* Præcipuè ex operibus Sanctorum, qui nunquam aut rarò delinquentes longè latéque pœnam pro culpis debitam excedere. Talia (v.gr.) opera Deiparæ nunquam delinquentis, Ioannis, Iacobi: talia Christi opera natura ipsa impeccabilis, pro quibus solis infinitum hunc Thesaurum esse sub Clemente VI. fides asseruit.

4. *Possunt ne Sancti, & iusti viri satisfactorijs suis operibus, quæ apud Ecclesiæ Thesaurum custodiuntur, pro pœnis debitis alienæ culpæ satisfacere?* Possunt, & de condigno. Quamuis enim non possint alteri gratiam de condigno mereri; (ea quippe excellentia meritorum soli Christo concessa,) possunt tamen de condigno satisfacere. v. gr. si Antonius iustus pro Petro ieiunaret iusto, satisfaceret pro Petro tantum quantum pro se ipso satisfacturus esset, vti ex Tolet. didici.

5. *Penes quem in terra huiusce Thesauri clauis assidet?* Penes Ecclesiam, & eius caput summum Antistitem: vnde apud ipsum potestas Thesaurum aperiendi, & claudendi cùm voluerit.

CAP.

Caput II.

Quid, & quotuplex Indulgentia?

6. *Quidnam est Indulgentia?* Relaxatio pœnæ debitæ pro peccato satisfaciens diuino rigori ex operibus Sanctorum, & Christi reseruatis in Ecclesiæ Thesauro per liberalem Papæ condonationem extra vllum Sacramentum. In cuius definitionis expositionem tria suppono. Primum, quouis in peccato præter culpæ reatum contrahi ad pœnam culpæ debitam quandam obligationem, quæ quidem pœna aut soluenda hic per satisfactionem, aut in vita alia per satispassionem; aut in hac & in alia vita per liberam relaxationem à Pontifice factam, qui ex Ecclesiæ Thesauro tantum satisfactionis soluit, quantum nos ex nostris operibus solu re tenebamur. Secundum, non semper in hac vita cum remittitur culpa, (quæ tota simul remittitur) vel per Pœnitentiæ Sacramentum, vel per Contritionem, semper totam remitti pœnam: sed tantum pœnæ remitti, quantum apud æstimationem diuinam satisfactorio operi nostro respondet. Ea autem pars pœnæ, quæ remanet, vel in hac est vita soluenda per alia opera satisfactoria, vel per ignem Purgatorij in alia. Tertium, quoduis opus hominis bonum in gratia existentis, & esse meritorium gratiæ, & satisfactorium pœnæ. Hæc tria ad materiam nostram maximè obseruanda.

7. *Quotuplex Indulgentia?* Duplex, Plenaria scilicet, & Temporalis. Per Plenariam simpliciter tota pœna remittitur vel in aliquo genere certo. Per Temporalem non remittitur tota pœna, sed quanta in Bullis exprimitur.

8. *Quando in Bulla septem annorum, aut quadraginta dierum Indulgentia conceditur, quid significat?* Hominem, qui talem indulgentiam consequitur, tantam pœnæ remissionem obtinere, quantam obtinuisset, si tanto tempore iuxta Canones peregisset pœnitentiam.

9. *Differt ne Iubileum ab Indulgentia plenaria?* Non differt, nisi quòd per Iubileum committatur commutandi vota facultas, & à reseruatis absoluendi.

10. *Suspenduntur ne Indulgentiæ anno Iubilei?* Profectò in anno Iubilei, quod Romæ à primis vesperis Natiuitatis Dominicæ incipit vsque ad annum sequentem duraturũ, reliquiæ suspenduntur indulgentiæ, imò & facultates absoluendi

à casibus Pontifici reseruatis. Denique Iubileum in anno Sancto toties obtineri potest, quoties præscripta opera geruntur. Sic declarauit Vrbanus VIII.

CAPVT III.

De ijs, qui possunt Indulgentias concedere.

11. *Quisnam potest Indulgentias concedere?* Solus Pontifex primario; alij quidem, quatenus eis à Pontifice conceditur Episcopi cum limitatione hanc ab illo potestatem accipiunt. In Dedicatione Ecclesiæ vnius tantùm anni Indulgentiam concedere possunt: In Anniuersario Dedicationis quadraginta dierum; quas quidem subditis solummodò in hac vita degentibus valent impertire. Concedit item Episcopus cuiusuis operis pij prætextu fidelibus congregatis quadraginta dies Indulgentiæ. v. gr. sub Concionis termino, &c.

12. *Num Episcopus in mortali culpa existens valide concedat Indulgentias?* Ita planè. Imò licèt sit excommunicatus (modò non sit denunciatus, & vitandus) per culpam aut excommunicationem hanc iurisdictionem non amisit.

13. *An possit hanc facultatem non solùm Vicario, sed & cuilibet concionatori, & Clerico demandare?* Potest; quia Episcopo competit hæc facultas iure Ordinario, vnde eam potest delegare. *Num laicis?* Minimè. Solus Papa de potestatis plenitudine eam potest laicis delegare; quia solus potest in iure dispensare communi.

14. *Possunt ne Clerici quacunque dignitate condecorati Indulgentias concedere?* Non possunt, etiam si Cardinales non Episcopi sint; quia non sunt Ecclesiastici Thesauri dispensatores, nisi ad id facultatem obtineant.

15. *Num Capitulum Sede vacante, siquidem Episcopi vices gerit, valeat concedere Indulgentias?* Nequaquam; quia non succedit Episcopo in potestate extraordinariæ iurisdictionis, scilicet in iis, quæ sunt Episcopali reseruata dignitati.

16. *Abbas ne suis in locis iurisdictionem obtinens Episcopalem, potest Indulgentias impertire?* Non, licèt valeat alios participes satisfactionis, & orationum, quæ fiunt in Religione, facere; quia circa Indulgentias non sit Thesauri dispensator.

17. *Pœni*

17. *Pontifex, aut Episcopus fruine potest indulgentijs, quas alijs concedit?* Potest; quia non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi. *Tenentur ne ad id opus iniunctum ad lucrationem indulgentiæ præstare?* Opus quidem generaliter iniunctum agere non tenentur; sed secum possunt hac in parte dispensare: loco illius aliud pium opus præstando.

Caput IV.

De causa Indulgentias concedendi.

18. *An causa ad Indulgentiæ concessionem requiratur?* Ita planè; quæ quidem causa tam ex parte concedentis, quàm ex parte petentis indulgentiam, considerare oportet.

19. *Causæ huiusce exprime sufficientiam.* Erit equidem causa sufficiens quidquid in Dei honorem, aut Ecclesiæ cedit vtilitatem. Concedi autem affirmo cum *Henriquez* ex motiuo solius misericordiæ pro animabus Purgatorij. Præterea Principi optimè de Ecclesia merito conceduntur, vt alij ad eadem facinora excitentur; quasi Principis egregia facta sint causa indulgentiæ. Peccator denique magnus à Papa vt pio parente ex Thesauro ad satisfaciendum pœnis debitis potest adiuuari.

20. *Peccat ne qui pro parua causa indulgentias largissimas concedit?* Peccat; quia concedens indulgentias non est Dominus, sed prudens dispensator.

21. *Quid si sine causa, aut leui tales Indulgentiæ concedantur? Validene?* Ita planè, vti *Henriquez* ex grauibus anti- Henriq.
quis Doctoribus egregiè ostendit.

22. *Possunt ne pro quolibet opere, aut actu pio etiam leuissimo validè à Pontifice Indulgentiæ concedi?* Imò sic plerunque concedi edocet experientia. An non plenaria indulgentia pro Oratione Dominica, aut Angelica salutatione dispensatur? Certè indulgentiæ frustra concederentur, si ad earum consecutionem æquiualens opus esset necessarium. Scio Pontificem aliquando posse indulgentias concedere nullum opus requirendo. v. gr. si defuncto viro Ecclesiæ benefactori indulgentias applicet.

CAPVT V.

De suscipiente Indulgentias.

23. *QVisnam est Indulgentiæ capax?* Qui & Baptismo, & fide decoratur. Vnde hæreticus, aut apostata à fide incapax est. Item excommunicatus licet contritus; quia vna ex pœnis excommunicationis est communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum priuatio.

24. *Est ne capax fidelis, qui in crimine mortali existit?* Minimè; quia pœna remitti non potest, nisi prius culpa remittatur.

25. *Sufficit ne contritum esse?* Si in Bulla Confessio indicitur, Confessio necessaria est ei, qui lethalis criminis reatu illigatur. Nam qui post Confessionem vltimam nullum mortale commisit, nec recordatur alicuius nondum per Confessionem expiati, sine præmissa tunc Confessione indulgentiam potest lucrari; quia quando in Bulla Confessio indicitur, sermo assolet esse respectu illius, qui lethali crimine fœdatur. Quod si, non indicta in Bulla Confessione, in lethali existens contritionis elicit actum, sufficit ad indulgentiæ consecutionem.

26. *Tempore Iubilei peccata quis confessus est, sed postea in peccatum mortale incidit, antequam reliqua opera præscripta adimpleret: obligatur ne ad Indulgentiæ consecutionem, nouam Confessionem inire?* Minimè; quia impleuit iam conditionem à Iubilæo assignatam. Vnde solum tenetur de lethali post Confessionem commisso conteri in fine.

27. *Necessum ne est, vt consecuturus indulgentiam sit in gratia toto tempore, quo opera præscripta præstat?* Sufficit esse iustum, dum vltimo actui, quo posito indulgentia datur, operam nauat; quia opus præscriptum non debet necessariò esse satisfactorium, sed tantùm est conditio, qua posita, Pontifex indulgentiam applicat.

28. *In peccato mortali existens vltimum quis præstitit opus: expiato deinde peccato per pœnitentiam, Indulgentiæ ne donabitur?* Minimè; quia sicut Sacramenta non reuiuiscunt, quando in ipsorum susceptione appositum fuit impedimentum repugnans substantiæ Sacramenti: ita neque indulgentia reuiuiscit, cuius essentiæ & naturæ status peccato mortali repugnat.

29. *Electo*

29. *Eleemosynam quis à Bulla præscriptam ob vanam gloriam largitur: lucratur ne Indulgentiam?* Si tantùm ob vanam gloriam præstitit opus, non lucratur; quia non honestum. Secus si ob vanam gloriam & honestam finem simul eleemosynæ operam dedit.

30. *Intricitur ieiunium ad Iubilei consecutionem: licet ne lacticinijs, & ouis vti extra Quadragesimam?* Iuxta locorum consuetudinem licet, aut non licet; quia abstinentia ab ouis non est de essentia ieiunij, nec iubileum strictius ieiunium, quàm indulgentia. alia exigit

31. *Indulgentia offertur eis, qui Coronam Virginis recitarint: lucrabor ne ego te pro me Coronam recitante?* Minimè, opus enim iniunctum per te ipsum ex intentione Pontificis præstare teneris; quia sunt actiones personales. Eleemosyna quidem tuo nomine facta opus tuum esse non abnego.

32. *Potest ne Indulgentia per opus aliquod internum obtineri?* Potest; quia à Pontifice sæpe vel conscientiæ examen, vel nominis IESV inuocationem ex cordis ore præscribitur.

33. *Habeo plures calculos benedictos, queis à varijs Pontificibus variæ conceduntur Indulgentiæ pro recitatione Rosarij; vel varias obtinui Bullas, quæ mihi ob eandem Rosarij recitationem varias Indulgentias exponunt: lucror ne eas omnes semel Rosarium recitando?* Lucraris; quia eadem Canonicarum horarum recitatione & voto, & præcepto satisfacio. Imò possum vno & eodem tempore diuersis actibus consequi plures indulgentias, quando vnus actus non impedit alium, v. gr. conceditur vna indulgentia audienti Missam, altera Coronam recitanti: lucror vtramque, dum recitans Coronam, Missam simul exaudio.

34. *Bulla duas hebdomadas assignat, vti commodè omnes fideles sese lucrationi Iubilei accingant: possum ne prima hebdomada ieiunare, Ecclesiásque visitare, in secundam dilata Confessione?* Potes; neque enim Pontificis intentioni repugnat.

CAPVT VI.

De Indulgentiarum valore.

35. *QVantum valent Indulgentiæ?* Quantum sonant. Vnde qui statim post obtentam indulgentiam plenariam moritur,

moritur, ad cœlum mox auolat; quia indulgentia plenaria sonat omnis pœnæ remissionem accipi.

36. *Est ne Indulgentiæ concessio latè explicanda?* Ita planè, quando de concedentis potestate constat; quia fauor est, & beneficium Principis.

37. *Quantum Indulgentiæ durant?* Iuxta concedentis intentionem, & non vltra. *Si absolutè concessa est?* Per se loquendo, perpetuò durat, nec expirat obitu concedentis. *Conceditur Communitati.* Durat quandiu durat Communitas, nec cum personis singularibus desinit. *Ecclesia, cui concessa est Indulgentia, destructa noua exædificatur.* Adhuc valet indulgentia illo loco concessa. *Templum aliò transfertur.* Quando debita authoritate fit, vna transfertur indulgentia illi Templo concessa: secus si solo tantum concessa fuisset.

38. *Excipiuntur ne in suspensione indulgentiarum anni Iubilei indulgentiæ aliquæ?* Ex S. D. N. Vrbani VIII. viuæ vocis oraculo, declaratione suspenduntur indulgentiæ in articulo mortis concessæ: nec indulgentiæ pro defunctis: nec à priuilegiatis tolluntur facultates, & priuilegia absoluendi; exceptis iis, quæ concedi aliàs solent ratione Indulgentiarum.

39. *Potest ne successor Indulgentias ab antecessore concessas reuocare?* Potest, quia vt dignitati succedit, ita & potestati. Inferior verò non potest.

40. *Reuocatur indulgentia; sed non statim reuocatio meas peruenit ad aures: extinguitur ne statim ac reuocata est?* Minimè, sed cum primùm mihi notum fit. Vnde si quis inuincibiliter ignorans sibi indulti concessi reuocationem, bona fide confessus est peccata reseruata, vel à censuris absolutus est, virtute indulti iam aliàs reuocati, manet à crimine, & censura expeditus.

41. *Concedi ne potest perpetua indulgentia, ob causam temporalem?* Potest; quare cessante causa, ipsa non cessat.

42. *Conceditur mihi indulgentia pro mortis articulo, semel accepta non obij: possum ne eadem, superueniente rursum mortis articulo, frui?* Ita planè, si contrarium in Bulla non exprimatur; quia proposito indefinita æquiualent vniuersali.

CAP.

CAPVT VII.

De Indulgentia pro Defunctis.

43. *De Purgatorio mihi notitiam aliquam reddas.* Locus adest intra terræ viscera, in quo animæ descendentes à seculo à pœnis expiantur, quæ, remissa culpa mortali & veniali, sunt sine satisfactione relictæ. Porrò Purgatorium in corde terræ residere, quemadmodum infernus quo damnatorum animæ concremantur, commune Doctorum, imo Ecclesiæ placitum certum adeò, vt plusquam temerarium sit abnegare. Purgatorij itaque locus proximus sursum versus ascendendo inferorum sedibus, vti ex D. Thoma collegi. Cremantur quidem eodem, quo damnatorum animæ, igne. Quonammodo autem verus ignis agere possit in animas corporibus exutas nulli mortalium reuelatum. Est Purgatorij pœna maior quacumque hoc in seculo inflicta, qua Deus non per ministrum vllum animas corripit; ab ipsóque igne velut à carcere cohibente detinentur illæ, donec debitum omninò persoluant. Erit certè cuicunque tanta pœna illo in loco, quantam homo hîc citra mortem non posset tolerare. Eodem temporis momento, quo anima corpus deserit, iudicatur, & ei sententia lata innotescit, rectáque tendit, quo pergere iubetur, Angelo Custode euntem in Purgatorium comitante, quid ni auolantem ad superos? Profectò non semel ad nos animæ à Purgatorio docturæ rediere, quod è diuina fit dispensatione. Ex eadem aliquando effectum, vt apud nos animæ purgentur, Hugone testante. Animæ denique duplici pœna in Purgatorio afficiuntur, altera damni præcipua quidem, quæ in visionis Dei consistit priuatione: sensus altera, quam ab igne patiuntur. §. 1. *Purgatorium.*

44. *Quonammodo Indulgentiæ defunctis prosunt?* Non quidem per modum iudicij, quamuis plenariæ sint; quia Ecclesia non habet iurisdictionem, aut ordinariam potestatem in animas extra Ecclesiæ forum constitutas; sed prosunt per modum suffragij, seu auxilij Ecclesiastici illis applicati. §. 2. *Indulgentiæ pro defunctis.*

45. *Necessum ne est eum, qui opus præstat ad consequendum Indulgentiam pro defuncto, in gratia esse?* Minimè; quamuis enim peccati mortalis reus non possit suis operibus pro se aut pro alio satisfacere, nihilominus potest indulgentiam pro defuncto lucrari agens opus præscriptum; quia tunc illa non

non dicitur satisfacere sed facere opus, quo posito, Pontifex defuncto indulgentiam applicat, satisfactiones scilicet Christi, & Sanctorum.

46. *Indulgentia pro defuncto accepta prodest ne tantum illi, quantum profuisset accipienti viuo, si eam sibi applicasset?* Ita quidem. Vnde si indulgentia plenaria sit, prodest defuncto ad remissionem omnis pœnæ, modo Deus eam acceptet.

47. *Quænam suffragia animabus prosunt?* Eleemosynæ, orationes, Sacrificium Missæ, ieiunia, humicubatio, flagellatio, gestatio cilicij, & alia huiusmodi. Profectò præstantissima suffragia sunt Missa, & plenaria indulgentia. Si tamen pro vno defuncto iam Missæ multæ fuerint celebratæ, & aliunde vrgeat necessitas magna viduarum, & pauperum non ingratior Deo, me authore, per eleemosynam satisfactio.

48. *Est ne laudabile, vt vna Missa, cui inest ex altari priuilegiato, seu speciali indulto plenaria defuncto indulgentia, celebrata pro illius satisfactione, alia, imò ingens Missarum numerus pro eodem applicetur?* Ita planè. Rationes plures pro re tam graui congeram ex Societatis meæ Doctoribus. Quia potest fieri, vt aliquis defectus in concessione indulgentiæ intervenerit, vnde à Deo non acceptetur. Quia potest defectus contingere ex parte accipientis indulgentiam, propter quem sit irrita. Quia fieri potest, vt Deus tunc non acceptarit, non enim habet infallibilem effectum respectu animæ defuncti. Hinc fit, vt indulgentiæ, Missæ, ieiunia, &c. eisdem defunctis sæpiùs applicentur, vt repetitis suffragiis à pœnis eruantur.

49. *Remittitur ne in Purgatorio etiam culpa venialis, quæ cum animus iustus è viuis excessit?* Cum Vasquez affirmatiuè respondeo, licet sententiam cum eis, qui in illo separationis instanti per actum dilectionis remitti affirmant, de quo supra.

CAPVT VIII.

Praxis circa materiam de Indulgentijs & Iubilæo ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§. 1. De Indulgentiarum vi.

50. *VT aliqui præter Pontificem possint concedere indulgentias, requiritur Pontificis consensus saltem tacitus, quia concedere indulgentias est relaxare pœnas Deo debitas, quod absque ipsius, vel eius Vicarij potestate fieri non potest:*

rogo tamen, an potestas concedendi indulgentias possit per consuetudinem acquiri? Id communis sententia edocet apud Sanchez de potestate dispensandi vota, & iuramen. quæ dispensatio eodem modo animas in Dei foro absoluit. *Layman lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 3.* Laym.

51. *Requiri causam ad indulgentias piam concedendas dixisti: rogo, an hæc pia causa debeat esse proportionata indulgentiæ?* Asserit *Suarius in 3. part. tom. 4. d. 54. sect. 3. num. 5.* pro parua causa non licere indulgentias magnas concedere. At *Valentia tom. 4. disput. 7. qu. 20. part. 4.* & *Reginaldus tom. 1. lib. 7. cap. 12. numero 137.* probabiliter affirmarunt, huiusmodi proportionem ad validitatem indulgentiarum non requiri. Suar. Valent. Regin.

52. *Quid si absque vlla causa Papa concederet?* Docet *Saav. Indulgentia num. 1.* validam esse. Saa.

53. *Prodest ne Indulgentia omnibus Christianis viuis, atque defunctis?* Prodest si in gratia existunt. Imò defunctis Catechumenis; quia hi susceperè Baptismum in voto, & sunt beatitudinis capaces, potestque pro illis sacrificium offerri. *Granad. in 3. p. cont. 12 tract. 15. d. 6. num. 2.* addens etiam viuis Cathecumenis prodesse indulgentias. Gran.

54. *Prosunt ne defunctis certò, & infallibiliter?* Asserit *Laymanus lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 3.* prodesse defunctis per modum impetrationis secundùm liberam Dei acceptantis voluntatem. At alij affirmarunt certò & infallibiliter prodesse; quia satisfactio Christi, & Sanctorum sufficit etiam pro illis; iuxta promissionem illam: *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Mat. 16. Limitat *Caietanus* hanc doctrinam ad illos defunctos, qui id in vita meruerunt ob pietatem & curam erga alios defunctos; quam limitationem auctor assertionis huiusce *Accosta in Cruc. qu. 19.* non admittit. Laym.

55. *Liberat Indulgentia ab onere implendi pœnitentiam Sacramentalem?* Liberat planè, si (v.gr.) Confessarius ieiunium quadraginta dierum imposuit, pœnitens liberatur ab eo ieiunio per indulgentiam quadraginta dierum, ex *Granado contr. 12. tract. 7. d. 4. num. 5.* At *Valentia tom. 4. d. 7. q. 20. part. 3.* contrarium aduerit; quia obligatio implendi pœnitentiam est iuris diuini, in quo Pontifex dispensare non potest. Porrò quamuis pœnitenti ex iure diuino ad integritatem Confessionis aliqua satisfactio imponi debeat: tantam tamen, vel tantam, hanc, vel illam de iure humano imponit Confessarius pro libito, aut secundùm ius. Granad. Valent.

56. *Templo*

Laym. 56. *Templo huic indulgentia concessa est, diruitur: rogo, an pereat indulgentia?* Perire *Layman. lib. 5. tractat. 7. cap. 3. num. 5.* docet; quia non loco simpliciter, sed Ecclesiæ conceditur.

Lugo. *Redit Ecclesia, an indulgentia redeat?* Dubitat Can. Lugo *de Pœnit. disp. 27. sect. 8. num. 131.* quia re vera Ecclesia est alia physicè, & moraliter, nouámque requirit consecrationem. Secus si dirueretur, & reficeretur per partes.

§. 2. *Requisita ad indulgentiæ lucrationem.*

57. *Dixisti indulgentiam non acquiri nisi ab existente in gratia: rogo, an qui pro defunctis indulgentiam lucrari intendunt debeant in gratia existere?* Sufficit ipsas animas in gratia esse, quibus indulgentia applicatur, & Ecclesia, cuius nomine illud opus geritur; ob quod Pontifex satisfactionem Christi & Sanctorum dispensat. *Præpositus in 3. part. q. 14. dub. 10. num. 93.*

Præp. 58. *Vt viuus sibi acquirat indulgentiam, necessum ne est, toto tempore quo gerit opera iniuncta, in gratia esse?* Sufficit esse in gratia eo instanti, quo possit verè dici: *Completa sunt omnia requisita.* quia indulgentiæ effectus prouenit ex satisfactione Christi, & Sanctorum: opera verò iniuncta requiruntur solum vt conditio: vnde non refert, quod in peccato gerantur. Granad. *Granadus c. 12. tract. 5. d. 2. n. 5.*

Granad. 59. *Scio debere apponi opera, ieiunium scilicet, eleemosynas, Confessionis, &c. Rogo, si huiusmodi opera moraliter bona, ex circunstantiis fiant mala aut venialiter, aut mortaliter, sufficiunt ne ad indulgentiæ lucrationem? Granadus d. 4. num. 10.* sufficere docet opus esse bonum ex suo genere, licet ex circunstantiis (& in indiuiduo malum sit; quia præcepta diuina, & humana implentur per opera ex suo genere bona, licet indiuidualiter peccaminosa. *An opus est, opera illa potissimum ob indulgentiam effici?* Satis est, in eum finem executioni mandari, licet alius finis æquè, aut magis principaliter intendatur. *Granadus.*

Granad. 60. *Pontifex Vrbanus (v.g.) concessit certum opus gerentibus die Circunciſionis Domini quadraginta annos indulgentiæ. Innocentius autem Dominus noster alios quadraginta annos, eodem die, eidem operi gerendo apposuit: an per vnum illud opus duplex indulgentia acquiratur?* Gerens semel illud opus die illa, octoginta indulgentiæ annos acquiret. Secus si vterque Pontifex opus exigeret nullo alligatum tempori; quia tunc vnusquisque opus exigeret independenter ab alio. *Granad. tract. 6. d. 2. n. 8.*

61. *Indictum*

61. *Indicitur eleemosyna ad indulgentiæ lucrationem: sufficit quælibet?* Sufficit obolus, si non indicatur fieri cum proportione ad facultates. Quid si pauper vel obolo careat? Commutandam eleemosynam in aliud pium opus aliqui asseruere. Ast ego cum Antonio *Fernandez de Corduba part.* 3. *cap.* 3. 8. *num.* 3. affirmo mentem esse Pontificis, quod qui eleemosynam exhibere non potest, absque vlla commutatione indulgentiam consequatur. Fernād.

62. *Necessariò ne imponitur Confessio & Communio gerenda?* Existimo Confessionem, & Communionem, (si aliud non exprimitur) exigi, vt homo in gratia constituatur, vt possit lucrari indulgentiam. Vnde qui solum venialibus illigatur, non tenetur Confessioni, aut Communioni operam impendere. *Turrianus select. part.* 2. *d.* 31. *dub.* 64. Turr.

63. *In rubrica indulgentiarum quinque Sanctorum exprimitur, si admittatur granum, posse pro illa vice aliud subrogari, Profectò grano amisso, aliud substitui; sed postmodum amissum inueni: cuinam, precor indulgentia remaneret affixa?* Non priori, sed subrogato; quia verificata fuit conditio, vt possit secundum eligi. At ex quo huic applicata fuit, in priori cessauit. Tutius tamen erit vtrumque retinere. *Lugo de pœn. d.* 27. *sect.* 8. §. 3. *num.* 150. Lugo.

64. *Quonammodo noua applicatio nouo grano facienda?* Sufficit actus mentalis; quia non est concessio indulgentiæ, & sic iurisdictionis actus; sed sola deputatio grani, tanquam conditio à summo Præsule requisita ad hoc, vt ab ipso talis indulgentia tali grano concessa sit. Adhuc *Cardinal. Lugo citatus.* Lugo.

65. *Quidnam significat verbum, Plenaria, Plenissima, Quadragena, Media, aut Quarta pars peccatorum?* Ex doctrina *Toleti* respondebo. Inter *Plenariam* & *Plenissimam* nullum est discrimen, quoad pœnæ remissionem; tota enim simul remittitur tam per Plenariam, quàm per Plenissimam, quàm per Iubileum. Distinctio tamen aliqua assolet esse respectu facultatum, aut priuilegiorum, quibus in Bullis conceduntur. *Quadragena* spatium significat quadraginta dierum, in quibus à carnibus abstinemus, qui quidem olim arctiori pœnitentia colebantur, dum fideles solo pane & aqua vescerentur. *Media* autem, aut *Tertia pars peccatorum* significat remissionem pœnæ debitæ pro dimidia aut tertia peccatorum parte. §. 3. *De indulgentijs variis.*

66. *Qui alienam habet Coronam aut calculum benedictum inuentum, vel sibi commodatum, potest ne eandem con-*

sequi indulgentiam, quam Dominus illius Coronæ aut gra-
Henriq. *ni consequeretur?* Affirmat *Henriquez* posse modo Coronam, seu granum apud se, non tantùm domi, habeat.

67. *An lucretur indulgentias, qui illud opus exequitur, cui*
Laym. *adnexæ sunt, licet id ignoret? Laymanus* ait indulgentiam plenariam ab Adriano VI. concessam non solum Regularibus, sed & omnibus Christi fidelibus recitantibus ad tria signa campanæ post Solis occasum tria AVE MARIA cum versiculis, *Angelus Domini*, &c. ex probabili aliquorum sententia etiam lucrari illos, qui nesciunt tales indulgentias illi operi annexas. Non improbo.

68. *Sunt ne exempti capaces Episcopales indulgentias participandi?* Licet indulgentiæ solis subditis concedantur, exempti tamen participes reddi possunt indulgentiarum huiusmodi. Imò vnus Episcopus, *Laymano* authore, subditis suis dare potest facultatem lucrandi alterius Episcopi indulgentiam.

69. *Possunt-ne sæpius in die indulgentiam localem lucrari?* Si indulgentia localis posita est cum limitatione temporis, v.gr. diei; tum qui sæpius in die Ecclesiam visitat, semel tantùm indulgentiam lucratur; secus si absque determinatione
Laym. indulgentia Ecclesiam visitantibus sit concessa. Ita *Laymanus*, addens nomine Ecclesiæ, cui indulgentia conceditur lucranda à visitantibus etiam adiunctum cœmeterium intelligi oportere.

§. 4. *De quotidianis stationibus.*

70. *Quidnam conceditur visitantibus quinque Ecclesias, aut quinque Altaria, precibus pro libito effusis ex Pontificis intentione?* Egregia quidem indulgentia est, cuius pauci adæquant cognitionem. Bullæ quidem hæc verba: *Item concede su Santidad a los que en dias de Quaresma o otros dias del año en que ai Estaciones en Roma, visitaren cinco Iglesias, o cinco Altares, ganen, y consigan todas las indulgencias, y perdones, que ganan los que personalmente visitan las Iglesias de la Ciudad de Roma, y extra muros della, como las ganarian, si personalmente visitassen las dichas Iglesias.* In Basilica D. Petri septem Altaria adsunt, vbi stationes per totius anni circulum. *Autt. Primi. mendic. Inter alia: sunt septem Altaria principalia, in quibus per totum annum integrum sunt stationes. fol. 286.* Bulla præscribit eum, qui inuisit Altaria, cum stationes Romæ habentur, cunctas illas lucrari indulgentias: quotidie huiusmodi habentur Romæ stationes; ergo qui quotidie Altaria inuisit, quotidie lucratur illas indulgentias. Profectò apud Ecclesiam

D. Pauli

D.Pauli adsunt alia septem Altaria, vbi indulgentiæ eædem ac in Petri Basilica impenduntur. Æquat equidem vtramque Ecclesiam Templum D. Sebastiani, vti *Hieron.Sorb.fol.287.* affirmat. Præterea tria loca Romæ iacent, vbi quotidie fideles plenariam possunt lucrari indulgentiam, nempe Sacellum Baptistæ apud Ecclesiam S. Ioannis Lateranensis: Sacellum D.Laurentij dictum *Sanctum Sanctorum*: & Sacellum S. Helenæ in Templo S.Crucis. *Rodriq.§.8.fol.61.* Apud Ecclesiam D.Ioannis Lateranensis antiqua tabella conspicitur, vbi verba Syluestri Papæ ad Imperatorem Constantinum exarantur: *Dominus* IESVS CHRISTVS, *qui te mundauit à lepra per suam misericordiam mundet, & purificet omnes venientes huc sine peccato mortali: & authoritate Apostol.Petri & Pauli, & nostra fit eis remissio omnium peccatorum quocumquetempore anni.* Porrò hæc indulgentia à multis Pontificibus confirmata est, aliis innumeris superadditis, de quibus sic Papa Bonifacius: *Tot ac tantæ sunt indulgentiæ D. Ioannis Lateranensis, vt solus Deus possit annumerare. Et ego omnes illas confirmo.* Quid apud reliquas Vrbis Ecclesias. Hæ quidem omnes quotidie visitatione quinque Altarium, Bulla attestante, à nobis acquiruntur; quia quotidie institutæ sunt stationes. *Rogo num quotidie sæpius hæc Altarium indulgentia comparari possit?* Toties quidem quotidie lucramur, quoties Altaria inuisimus, imò, authore Roderico, animabus Purgatorij potest applicari lucratio repetita. Bulla plumbea sic: *Omnes & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis tam pro se, quàm per modum suffragij (pro defunctis pro quibus visitauerint, consequentur.* Ad hæc qui visitant diebus Mercurij Templum D. Pauli Purgatorij animam liberant à cruciatu. *Quid si ob Templi frequentiam non possim ingredi?* Iuxta ostium sufficit preces effundere. *Sufficiet ne sine situs mutatione cuncta Altaria inuisere?* Sufficiet, *Saa* authore, si singulis Altaribus caput inclines. *Tria solummodo apud templum Altaria.* Bis duo inuisantur. Quòd si vnicum Altare fuerit, quinquies vnicum inuisendum est.

72. *Vtrum pœnitentiæ, aut satisfactionis loco indulgentiæ lucratio deseruiat?* Dixi applicante Confessario, deseruire. Addo ex *Toleto*, etiam non applicante Confessore, posse pœnitentem impositam satisfactionem in indulgentiæ lucrationem commutare, modò medicinalis sit vti ferè semper. Mihi credite impositam à Confessario pœnitentiam implere in gratiæ augustius incrementum maioris quidem momenti, quàm pœnæ remissio. non

72. *Episcopus vltra potestatis suæ limites indulgentiam concedit: num validè?* Irritam planè quoad excessum *Laymanus* affirmat. v.gr. concedit sexaginta dierum indulgentiam, valet solum quoad quadraginta. Porrò (vti idem Doctor adnotat) viuis, non mortuis potest Præsul illam indulgentiam impertiri. Laym.

73. *An indulgentia quæuis viuis concessa valeat defunctis applicari?* Negat *Laymanus*, nisi expressum in concessione fuerit. Possunt tamen illa opera egregia quemadmodum preces, & reliqua iusta opera in pœnæ remissionem. *Vndenam sit non ita certò & infallibiliter indulgentiam prodesse defunctis, quemadmodum viuis?* Dixi, quia viuis Pontifex indulgentias dat per modum iudiciariæ absolutionis: defunctis autem non sic, sed per modum suffragij. Credibile tamen cum *Laymano* iudico eas Deum acceptare, facilius quidem pro iis defunctis oblatas, qui ex hac vita plus digni hac condonatione decessere. Laym.

§. 5. *De Iubileo.*

74. *Circa Iubilæi consecutionem præter illa, quæ innuisti, occurrunt ne aliqua digna obseruatu.* Plura quidem. Hæc in primis ex *Filliucio* adnoto. Iubileum, quod remissionis annus fructuosus & germinans olim apud Hebræos vocabatur, apud Christicolas indulgentias significat, quæ in amplissima forma conceduntur non solum in anno, qui *Sanctus* dicitur, verum etiam extra illum. Filliuc.

75. *Vt acquirantur huiusmodi indulgentiæ Iubilei, quænam præstanda?* Primò Ecclesiæ quatuor vrbis deuotè semel saltem in die visitandæ à Romanis, & incolis Romæ per dies triginta, à peregrinis & exteris per quindecim: in quo tamen tempore Confessarij dispensant. Deinde pro totius Christiani populi salute rogandus est Deus. Denique verè pœnitentes & confessi esse debent. Apertionis Sanctæ Portæ ceremonia vetustissima est; non tamen ad indulgentiam lucrandam eius ingressus est necessarius. Profectò pluries in anno lucrari quis potest Iubilei indulgentias, nisi alia Pontificis mens fuerit verbis expressa.

76. *Veni ad indulgentias, quæ in forma Iubilei conceduntur.* Opera sex iniungi solent, Ecclesiæ visitatio, oratio, ieiunium, eleemosyna, Confessio, & Communio cum circunstantijs in Bulla expressis. Vnaque cum eis singulis quidem Christianis, etiam Regularibus potestas conceditur eligendi Confessarium ex approbatis, Confessariis verò facultas vota quæcunque commutandi, excepto Castitatis, & Religionis. Eius publicatio

publicatio in singulis quibusque Prouinciis, aut ciuitatibus expectanda est. Eius verò consecutio etiam potest à Confessario electo iustas ob causas differri. Confessio ante Dominicam diem peragenda, cætera, si quæ essent commutanda, etiam in ipsa die. Satis est semel eleemosynam largiri quantacunque sit. Omnes Regulares etiam suis constitutionibus prohibiti, quemlibet ex approbatis eligere sibi Confessarium possunt. Iubileo completo, etiam potest quis à reseruatis oblitis absolui, modò eo animo Iubilei tempore confessus sit. Qui animo lucrandi Iubileum reseruata confessus est, etiamsi postea mutata intentione, illud non lucretur, ab iis manet absolutus. Profectò iuramenta vigore Iubilei commutari non possunt. Hæc ex *Filliucio*. Filliuc.

77. *Iubilei peractis omnibus quis in casum incidit reseruatum: potest ne virtute Iubilei absolui, etiamsi antea sit Iubileum lucratus?* Potest quidem; quia tempus Iubilei nondum effluxit. Sic *Henriquez*.

78. *Egit quis Confessionem sacrilegam, & sumpsit Eucharistiam indignè, in vltimo autem Iubilei termino per actum Contritionis redit in gratiam: consequitur ne Iubileum?* Consequitur authore eodem *Henriq.* qui adiicit posse quemlibet idem Iubileum duabus hebdomadibus lucrari. Veram puto contrariam *Laym.* & *Filliuc.* sententiam semel tantùm lucrari te posse affirmantem. Attamen *Henrici* & aliorum probabilis est opinio, si diligentiæ adhibeantur. Consequenter si plures hebdomadæ præscribuntur, vt accidit hoc anno quadragesimo primo super sexcentos, cunctis poteris lucrari probabiliter, Confessarium eligere, &c. Henriq. Laym. Filliuc. Henr.

79. *Qui ex inuincibili ignorantia nesciuit promulgatum esse Iubileum, poterit ne, illo transacto, intra alias duas hebdomades lucrari?* Posse idem asserit *Henriquez*. Imò qui neglexit in patria, alibi poterit ex eiusdem Doctoris placito, lucrari. Henr.

80. *Duobus immediatis diebus duo Iubilea concurrunt, v. gr. Iubileum D. Ignatij Parentis nostri, & Portiunculæ: num necesse repetere Confessionem, & Communionem ad vtraque lucranda?* Minimè, sed alia opera solùm repetenda; quia Confessio & Communio solùm ad emundationem animi requirebantur. Ita *Turrianus*. Turr.

81. *Cœpit quis confiteri sub finem temporis, quo durat Iubileum*, (idem de Bulla Cruciata affirmarim) *nec potuit iustas ob causas absolui: potest ne post tempus virtute Iubilei præcedentis absolui à quocunque crimine reseruato?* Posse *Sanctius* asserit; quia Confessio fieri cœpta est tempore idoneo. Sanct.

82. *Tempore Iubilæi omisit quis in Confessione peccatum reseruatum ex iusta causa, v. gr. ne complicem cum damno manifestaret: potest ne, elapso Iubilæo, à quocunque Confessario ab hoc crimine absolui?* Potest; quia reseruatio indirectè ablata est. Hinc ex *Sanctio* adiicio eum, qui fuit absolutus virtute Iubilæi à peccatis, quod tamen non est lucratus, si postea meminit se per obliuionem omisisse aliqua reseruata, posse ea cuicunque Confessario aperire, & ab eo validè absolui; quia per priorem Confessionem, in qua fuit ab omnibus peccatis absolutus, sublata reseruatio fuit Iubilæi virtute, etiamsi postea lucratus ille non esset. Sanch.

83. *An per Iubilæum, etiam Anni Sancti, aut per Bullam Cruciatæ suspendantur Regularium priuilegia commutandi vota, & in eis dispensandi, à reseruatisque absoluendi?* Docet *Sanctius* non suspendi. Adiicit ille posse Confessarium transacto Iubilæo commutare vota pœnitentis illius, qui Iubilæum est consecutus; quia priuilegium commutandi vota, &c. non est addictum vlli tempori præfinito, vt constat ex ipsius Bullæ tenore, in qua cum sermo de priuilegiis adest, hæc clausula additur: *Absque vlla temporis limitatione.* *Suarius* confirmat. Sanch. Suar.

§. 6. *Alia Iubilæo exactiores Resolutiones.* Præp.

84. *Opera iniuncta ad Iubilæum possunt ne intra duas hebdomadas, v. gr. ieiunando in prima, ac confitendo; in secunda autem communicando?* Asserit *Præpositus in 3. part. qu. 14. dub. 10. num. 87.* dummodo omnia ieiunia vna in hebdomada compleantur; quia Pontifex intendit carnem ieiuniis macerari, quod efficacius ieiunia vnita præstant. At alij sine limitatione affirmant adnotantes ita à sacra Pœnitentiaria Romana declaratum.

85. *Possunt ne duobus in locis impleri?* Potest quis in Burgensi Vrbe Templa inuisere, & si discedat, in Vallisoletana ieiunare, confiteri, &c. quia fauor Iubilæi est personalis, non localis. Laym. *Layman lib. 3. tract. 7. c. 8. num. 11.*

86. *Potest Confessarius commutare opera ex legitima causa omissa: sed rogo, an possit omissa ex malitia?* Potest asserere *Filliucio tom. 1. tractat. 8. cap. 10. num. 268.* v. gr. in die Dominica secundæ hebdomadæ inspiratus, doleo, quod præscripta opera non impleuerim, peto alia mihi iniungi, aut prorogari tempus: potest Confessarius præstare; quia & ego hîc & nunc sum iam impotens, & Confessarij facultas nondum expirauit. Filliuc.

87. *Alia opera præstiti, sed die Dominica secundæ hebdomadæ inaduertenter bibi, nec communicare possum: quidnam?* Potest

Potest tibi Communio in aliud pium opus commutari. *Henriquez lib.7.cap.10.n.8.*

88. *Famulo commisi eleemosynæ largitionem, qui quidem aut sibi retinuit raptor, aut deses tempore præscripto non impertijt: lucror ne Iubilæum?* Aliqui abnegarunt; qui opus præscriptum ad Iubilæi lucrationem non implesti. At *Emanuel à Saa v. Indulgentia, num.* 4. contrarium probabiliter asseruit. Saa.

89. *Quotnam Ecclesiæ visitandæ?* Ait *Filliucius tom.*1. *tract.*8.*c.*10. *n.*274. sufficere visitare duas. At probabilius iuxta Breuis tenorem te geres. *Deputat Episcopus plures Ecclesias in ciuitate, aut oppido, quàm Pontifex deputauit in Vrbe.* Sufficit visitare quot deputauit Pontifex; quia Episcopus non potest Papæ priuilegium onerare. Si verò Episcopus pauciores, aut vnam tantum deputaret, illa sufficeret. Filliuc.

90. *An ex Cœmeterio possit Ecclesia visitari, si præ fidelium confluxione non detur ingressus?* Potest. Imò nomine Ecclesiæ etiam Cœmeterium adiunctum reputatur; quia in fauorabilibus verba latè debent interpretari. *Layman. lib.*5.*tract.*7. *c.*3.*num.*9. Laym.

91. *Circa Confessionem in Breui dicitur?* Omnibus verè pœnitentibus, & confessis, *vel* omnibus contritis, & confessis, qui visitauerint, &c. concedimus indulgentiam, &c. *Exigitur ne tunc Confessio, vt opus iniunctum?* Non, sed vt dispositio. Vnde si quis aliàs esset in gratia per Contritionem cum voto, seu proposito confitendi tempore debito iuxta præceptum Ecclesiæ, lucraretur Iubilæum. Ita *Coninch de Sacr. d.*12. *dub.*7.*n.*38. addens nec si Confessio, vt opus iniunctum requiratur, emitti necessariò debere ab eo, qui tantum venialibus infectus est. Conin.

92. *Quis die Veneris confitetur, & in Sabbato antequam indulgentiam consequatur, mortaliter delinquit: debet ne iterum confiteri? Suarius in* 3.*p.tom.*1.*d.*22.*sect.*3.*n.*7. asserit; sed negat *Granadus in* 3.*p.contr.*12. *tract.*5.*d.*4.*num.*8. quia Iubilæum vnam tantum exigit Confessionem, quæ cum possit fieri aliquot diebus antequam indulgentiam cõsequamur, & qui deliquit possit ad statum gratiæ redire per Contritionis actum: non est, cur Confessionis onus multiplicetur. Suar. Gran.

93. *Quid si in Confessione aliquis aliquod peccatum mortale esset oblitus: tenetur ne aliam inire Confessionem, vt aperiat ad lucrationem Iubilæi?* Sufficit prælapsa Confessio, in qua virtualiter, seu indirectè remissum fuit. *Præpositus in* 3.*p.*7.14. *dub.*10.*n.*84. Præp.

94. *Sufficit ne confiteri Confessario à proprio Prælato approbato?* Negat *Henriquez lib.6.c.6.num.4. Gloss.litt.K.* quia Henriq. in Breui dicitur, *Approbatum ab Ordinario*, Prælatus autem Regularis non est Ordinarius.

95. *Tempore Iubilæi quis obtinuit absolutionem à reseruatis animo lucrandi Iubilæum, quod postmodum sua causa non* Suar. *lucratur, an reincidit in reseruationem?* Negat *Suarius in 3. part. tom.4. disp.31. sect.4.num.5.* quia non fuit absolutus ad reincidentiam, nec Confessarius absoluere sub conditione posset: *si lucraberis Iubilæum*; quia absolutio debet esse absoluta.

96. *Is in Confessione aliquot reseruata oblitus fuit, potest ne iam à quolibet Confessario absolui?* Potest; quia cum illa Confessio fuerit valida, absolutio etiam oblita complexa est: & Confessarius absoluendo habere debuit intentio- Sanch. nem quamcunque reseruationem auferendi, *Sanchez de Matr. tom.2.lib.8.d.15.n.21.* Scio *Suar.citatum n.23.* contrarium asseruisse.

97. *Quis Iubilæum lucratus est sine Confessione præmissa, quia non fuit recordatus se peccatum quoddam reseruatum commisisse: postea ne memor, potest virtute Iubilæi transacti Con-* Henriq. *fessarium eligere?* Negat *Henriquez lib.6.cap.16.num.6.* quia nulla peccatorum absolutio data fuit quæ indirectè oblita peccata complecteretur. At probabiliter alij putant Confessarium postea adhuc eligi posse, à quo à reseruato crimine absoluatur; quia Iubileum lucratus est, & consequenter priuilegium eligendi sibi Confessarium acquisiuit; quo vti potest, Iubilæo transacto; quia ad tempus Iubilæi non restringitur.

98. *Quis absolutus est à reseruatis Iubilæi intuitu, quod postea acquirere, aut lucrari noluit: an deliquit mortaliter non* Suar. *perficiendo?* Asserit *Suarez de Rel.tom.2.lib.2.c.6.n.11.* At alij probabiliter negant; quia is nihil promisit nec Confessarius illi aliquam obligationem imposuit, nec Pontifex ipse: haud ergo est, cur pœnitens oneretur.

99. *Scio, per Iubilæum posse omnia vota commutari, quæ per cruciatam diximus: rogo, an commutentur vota peregrinationis Romæ, Ierosolymæ, Compostellæ?* Quando in concessione Malder. generali non excipiuntur, probabile est ex *Maldero* commutari posse, licet non exprimantur. Probabilius tamen cum Suar. *Suario* asserendum *tom.2.de Relig.lib.6.c.15.n.4.* commutari non posse. At si Malderi sententiam velis amplecti, adnota discrimen inter vota castitatis perpetuæ ac Religionis, & alia

Pontifici

Pontifici reseruata, quod illa duo non comprehenduntur in generali concessione, nisi exprimantur: reliqua autem satis expressa censentur, dum non excipiuntur.

100. *Potest ne quis in vno, vel duobus bis lucrari Iubilæum quoad omnia priuilegia?* Negat *Layman lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 9.* Laym. *Filliucius tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 278.* Clementem VIII. respondisse testatur, Iubilæum tam in anno Sancto, quàm in aliis semel tantum sumi posse. Rationem redit *Torres 2. 2.* Torr. *tom. 1. cap. 188. a. 12. d. 6. num. 8.* quia in Breui dicitur, gratiam consequendam esse vna è duabus hebdomadibus disiunctione. Porrò *Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 3.* contrarium Henriq. affirmauit; quia cum Iubilæum propter opera concedatur, & bis iiuncta opera possit quis implere: non est, cur Iubilæum bis obtinere non possit; præcipuè quia gratiæ sunt ampliandæ.

EXAMEN VI.

Circa materiam de Sacramento Eucharistiæ.

CAPVT PRIMVM.

Definitio, institutio, necessitas Eucharistiæ.

1. *Quidnam Eucharistia?* Sacramentum, quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi ad conseruationem spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ.

2. *Quando institutum hoc Sacramentum?* Ab ipso Christo in vltima Cœna perfectum est, quando post Agnum typicum, & lotis Discipulorum pedibus ante communem Cœnam, illud instituit, primus sumpsit, & omnibus Discipulis dedit, etiam Iudæ, quo tempore, vti ex Patrum constat sententiis, conuenientissimè institutum est.

3. *Quàm necessaria sit Eucharistia?* Ex fine quidem maximè eius necessitas agnoscitur. Finis quippe instituendi huiusce Mysterij non originalis, aut mortalis culpæ remissio, sed gratiæ augmentum, & spiritualis vitæ nutritio fuit. Et quamuis ad perseuerandum in gratia siue re ipsa, siue in voto medium absolutè necessarium non sit, non paruulis modò,

sed neque ipsis adultis: ita tamen efficax est, & præpotens, vt moraliter ad id necessarium videatur, vt propterea iustificatos omnes illius votum habere aliqua ratione dicendum sit.

Caput II.

De materia & forma Eucharistiæ.

4. *Quænam Eucharistiæ materia?* Necessaria quidem huius Sacramenti materia panis & vinum est. Materia equidem panis ex tritico conficienda; vnde nec apta legumina, nec granum quod triticum non sit, v.g. hordeum, milium, panicum. Porrò naturali aqua subactus esse debet, & solo igne decoctus siue azimus, siue fermentatus sit: quamuis azimus aptior iuxta Ecclesiasticam consuetudinem materia sit. Vinum ex vite, cuiuscunque illud sit conditionis, modò ex vuis maturis sit expressum. Certè huic ex Ecclesiæ præcepto parum aquæ naturalis miscendum.

5. *An vtriusque materia, panis scilicet & vini iungenda sit in consecratione?* Ita planè, non Sacramenti necessitate, sed diuini præcepti obligatione: in quo tamen grauissima de causa Pontificem posse dispensare probabiliter affirmo.

6. *Vertuntur ne in sanguinem aqua?* Si Consecrationis tempore fuerit iam in vinum conuersa, vertetur in sanguinem; sin minus, nil prohibet quo minùs aqua pura remaneat, vti communior docet opinio.

7. *Quænam forma panis, & vini?* Verba determinata, ac certa, quæ à ministris recitando, & significando proferuntur. Forma corporis est: *Hoc est enim corpus meum*: Sanguinis autem: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Profectò verba efficacissima, Christi enim præsentiam efficiunt, ex cuius existentia veritas pendet. Per illud pronomen *hoc*, in forma Corporis designatur Christi corpus, pro vt in termino prolationis verborum accidentibus panis præsens est; quemadmodum per pronomen, *hic* in forma sanguinis designatur Christi sanguinis prout in fine verborum accidentibus panis præsens est.

8. *Quænam verba sunt in vtraque forma de necessitate?* In forma corporis, *Hoc est corpus meum*: Coniunctio, *enim* haud,

haud de necessitate, sed de præcepto. In forma sanguinis; *Hic est sanguis meus*, vel *Hic Calix sanguinis mei*: cætera de præcepto tantùm sunt.

Caput III.

De effectibus Eucharistiæ.

9. *Formæ vtriusque admirabiles effectus recense.* In primis vi sua tanquam instrumenta Corpus & sanguinem Christi conficiunt, ita vt sub panis specie Christi corpus: sub vini autem speciebus Christi sanguis verè & substantialiter contineatur, panis ac vini nullatenus substantia remanente. Hæc præsentia Christi per veram conuersionem substantiæ panis in Corpus, & substantiæ vini in sanguinem fit, ita vt non modò sub prædictis speciebus Christi corpus adducatur, & sanguis: verùm etiam ita intimè in substantiam Christi pertingat, vt sufficiens esset terminum producere, si iam productus non esset; quæ conuersio Transsubstantiatio dicitur. Deinde totam Christi substantiam præsentem efficiunt: humanitatem scilicet, quæ corpus, animam, & sanguinem eius amplectitur, & ipsam Verbi Diuinitatem. Præterea totam quantitatem, quam habet in cœlo; quæ tamen non per modum extensiuum in ordine ad locum, sed per modum tantùm extensiuum in ordine ad totum, & partes in Sacramento reperitur. Ad hæc, ex vi verborum sub panis quidem specie Corpus est Christi, cætera per concomitantiam; sub vini autem specie sanguis tantùm est, cætera concomitanter.

10. *Huiusce Sacramenti reliqua edisseras, precor, mysteria.* Ita in ordine ad species Christi præsentia se habet, vt totus Christus sub singulis specierum partibus diuisis sit, sub iisdem totus coniunctis. Profectò moueri Christi Corpori per accidens conuenit. Ab agentibus naturalibus alterari, neque per accidens conuenire affirmo, sicuti neque videri ab oculo corporeo; nec videre, aut audire seu alias actiones externorum sensuum exercere. Cùm desinit in Sacramento esse, aliqua ratione mutatur accidentaliter, neque species deserit, nisi quando alia succedit substantia. Christus ipse non videtur in se, cùm in Eucharistia visibiliter apparet, nec eius caro, vel sanguis, sed color & figura tantùm exterior, illum

illum repræsentans; ideo consumendus non est, sed decenti loco conseruandus. Certè ipsæ species post consecrationem absque substantia remanent, & cætera quidem accidentia hærent in quantitate, quæ sine substantia miraculosè existit. Agunt autem, & patiuntur vt antea, & misceri etiam queunt. Denique in hoc Sacramento Christus interno, & externo cultu Latriæ adorandus est, absoluto quidem, & perfecto, ac si propria in specie viseretur.

11. *Quosnam Sacramentum ipsum in animam, gignit effectus?* In primis auget gratiam iustificantem. 2. Sacramentalem gratiam, ad vitanda peccata, charitatisque feruorem cum speciali spiritus dulcedine confert. 3. Condonat venialia tum immediatè ex opere operato, tum mediatè charitatis excitando feruorem. 4. Temporalem pœnam non nisi mediatè remittit excitando charitatem. 5. Primam gratiam aliquando per accidens confert.

12. *Quanam dispositio requiritur ad huiusmodi effectus recipiendos?* Vt augmentum gratiæ quis recipiat, in gratia esse debet; vt auxilia specialia, & feruorem charitatis, actuali gratia, & attentione est opus; vt venialium remissionem obtineat, eorum complacentia debet abesse; vt pœna temporalis condonetur, actualis requiritur deuotio; vt denique primam gratiam per accidens obtineat, veram, & supernaturalem attritionem de peccato mortali oblito habeat necessum est.

13. *Quandonam hi conferuntur effectus?* In ipsa sumptione, in eoque temporis momento, quo verum sit dicere, aliquid Sacramenti ex ore in stomachum esse traiectum.

14. *An placet illa opinio docens aliquam maiorem gratiam conferri, quandiu species in stomacho manent?* Minimè; quia si de gratia ex opere operato sermo sit, tota in instanti iuxta dispositionis mensuram confertur.

15. *In corpus autem quosnam effectus parit?* Primò, fomitem moderatur, cogitationes & effectus ad eum finem accommodatos excitando. 2. Gloriam resurrectionis impertit, dum auxilium speciale confert, ad perseuerandum in gratia. 3. Specialis vnio ratione eius fit inter Christum, & suscipientem vi Sacramentalis vnionis cum spirituali coniunctæ.

CAPVT IV.

De Ministro Eucharistiæ, eamque suscipiente.

§. 1. *De Ministro.*

16. *Quinam Minister consecrationis Eucharistiæ?* Ordinarius ac necessarius solus Sacerdos est, inferior illo non sufficit.

17. *Quidnam ei præstandum?* Necessum est eum intentionem habere faciendi quod Ecclesia facit; & integra verba proferre. *Fides aut bonitas deest.* Non ideo quidquam deest valori consecrationis & formæ. *Plures concurrunt ad consecrandum Sacerdotes.* Si partialiter, nihil efficient; si totaliter, & eodem tempore formam absoluant, omnes consecrabunt; si ex iis vnus altero prior, qui prior absoluit, solus consecrat.

18. *Dispensator Ordinarius Eucharistiæ quinam?* Sacerdos est Diuino iure; Diaconus autem tantùm Episcopi, vel Sacerdotis iussu.

19. *An licitum vsum quid aliud requiritur?* Debet Sacerdos iurisdictionem, vel Ordinariam habere, qualem Episcopus, & Parochus habent; vel delegatam, qualem alij eorum permissu, etiamsi ab Ordinario non essent approbati.

20. *Possunt ne Regulares die Paschatis ministrare Eucharistiam?* Iis tantummodò, qui præceptum communicandi in parochia iam impleuerint.

21. *An obligatio Eucharistiam ministrandi?* Duplex quidem adest obligatio, vna officij ratione habita ex iustitia v.gr. Pastor tenetur ministrare quoties oues rationabiliter, & opportunè Eucharistiam petunt; altera ex charitate, quæ tantùm in necessitate obligat.

22. *Vt dignè dispensetur Eucharistia, obseruandæ ne aliquæ circunstantiæ?* Ita planè. In primis, loci, vt in Ecclesia, non in priuata domo ministretur. Deinde temporis, vt non interdicti tempore, nisi cum moderatione proprio in loco assignanda. Denique vt non sit in statu peccati mortalis. Scio probabile esse huiusmodi dispositionem non requiri, de quo in Resolutionibus. Adde publico peccatori dandam non esse, occulto autem publicè petenti danda, secus si petat occultè.

23. *Quinam*

§. 2. *Suscipiēs Eucharistiam.*

23. *Quinam capax excipiendi Eucharistiam?* Solus & omnis homo baptizatus. Nec infans, nec amens, nec peccator incapaces sunt. Neque emergumeni, neque condemnati ad mortem excluduntur.

24. *Quinam verò obligantur?* Omnes fideles adulti, qui si ratione vti non possint, ad Pastorem attinet definire, an iis sit ministranda Eucharistia. Porrò non statim ac homo ad vsum rationis peruenit, obligatur, sed aliquod expectari tempus potest. Ideo eximo moraliter non ante decimum annum concedendam, nec vltra decimum quartum differendam esse communionem.

25. *Quotuplex Eucharistiæ vsus?* Triplex, Sacramentalis, spiritualis & vterque simul. Frequentior quidem vsus melior, quàm rarior; Dominicis diebus etiam à coniugatis laudabiliter sumi assero: bis in vnaquaque hebdomada, aut tertio quoque die spirituales viros aut fœminas communicare satis; quotidiana enim Communio seculares omninò à seculi curis (spirituali fame pressos) requirit abstractos.

26. *Licet ne seculari sub vtraque specie recipere?* Per se malum non est; iure tamen prohibitum, legitima tamen de causa posset etiam laicis in eo summus Præsul dispensare.

27. *Quidnam in animo necessarium ad dignam Eucharistiæ sumptionem?* Animus iustificante gratia præparandus est, hausturo planè iudicium cum mortali crimine accedente. Qui veniale tantùm peccatum habet non indignè absumit, sed aduertenter sine displicentia illius accedens, venialem culpam incurrit.

28. *Necessarium ne est, Confessionem præmitti Communioni?* Diuino quisque præcepto tenetur, si probabilem habeat peccati mortalis conscientiam, vel dubiam, & dubium deponere non valeat, Confessionem præmittere. Scio à præcepto huiusmodi excusare communicandi necessitatem, si grauis sit, & absque infamia, vel sine scandalo non possis omittere, deficiente quidem Confessario. Eius loco Contritionem existimatam habere curabis cum proposito quamprimum confitendi, si Sacerdos sit.

29. *Datur ne tertium tempus, in quo post lethale peccatum quis ab eius susceptione debeat abstinere?* Non datur; per se enim loquendo, sumere semper potest, si contritus de crimine, confessúsque fuerit, etiamsi paulò ante deliquisset. Ratione tamen aut scandali, aut periculi relabendi abstinendum esset.

30. *Corporis*

30. *Corporis iudica præparationem.* Qui leprosus est, à publica sese celebratione abstineat. Si fluxus seminis aut menstrui sanguinis adest, tempus in quo cessarint expectetur. Si culpabilis pollutio, pœnitentia præmittatur.

31. *Quid, si superstint adhuc turpes cogitationes, & mentis euagationes inde exortæ?* Me consiliario per integram diem communio differatur, nisi aliqua necessitas perurgeret. Requiritur præterea naturale ieiunium. Quod si à media nocte ad Communionem vsque ieiunus non sis, omnino tibi abstinendum est; alioquin etiamsi minimum quid per modum cibi aut potus assumpseris, sine mortali peccato non poteris communicare.

32. *Quid si articulus mortis instaret?* Si articulus mortis, vel periculum probabile mortis adesset, in quo per modum Viatici Eucharistiam sumere necessum esset, potest sumere non ieiunus. Item si fortè ita sacrificij inchoati perfectio requireret.

33. *An ob Viaticum alteri conferendum, quando non adest consecrata Hostia, possit Sacerdos non ieiunus facere sacrum?* Probabile quidem non ieiunum celebrare posse; quia etsi per se loquendo spectata Sacramenti dignitate maior eius ratio esset habenda, quàm priuatæ alterius vtilitatis, vti *Filliucius* contrariæ sententiæ assertor arguit: tamen considerata eiusdem Christi mirabili dignatione saluti ægrotantis consulendum est; ne Viatico priuatus fortè ad accidentalem illum primæ gratiæ effectum necessario, priuetur & gloria.

Caput V.

Praxis circa materiam de Eucharistiæ Sacramento ex Societatis Iesv *schola.*

34. *Sacerdos debet esse Eucharistiæ Minister, & ad consecrandum debet intentionem adhibere: rogo, an ad vitandam mortem, minante hæretico, se illum occisurum, nisi totum panem, qui apud forum est, consecraret, possit sine intentione verba proferre?* Aliquis externus asseruit, sed *Palaus tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *part.* 13. *num.* 8. Probabilius negauit. Tenetur quidem necem subire, ne scandalum excitet fidelibus, hæreticisque occasionem exhibeat irruendi in panem sacrilego procul dubio affectu. §. 1. *De Ministro Eucharistiæ,* Pal.

35. *Potest*

35. *Potest ne quis in necessitate laicus se ipsum communicare?* Si esset in articulo mortis, nec adesset minister idoneus,
Laym. posset. Sic Scotiæ Regina subitura Martyrium. *Layman lib. 5. tract. 4. cap. 7. num. 4.*

36. *An aliis etiam potest communionem impertiri, in eadem*
Valent. *constitutis necessitate? Valentia tom. 4. d. 6. quæst. 10. part. 1. Lay-*
Laym. *man citat. & Coninch de sacr. qu. 82. art. 3. num. 23.* affirmant;
Conin. quia id nec naturali, nec diuino iuri repugnat. *Can.* autem
peruenit loqui extra necessitatem. An non olim per laicos
Euseb. Eucharistia ad ægrotos ferebatur teste *Eusebio lib. 6. cap. 34.*
An non & nunc propter periculum irreuerentiæ potest laicus
Eucharistiam tangere, imò & se ipsum sacro pane reficere,
Gran. ne Eucharistia in manus infidelium veniat. *Granadus in 3.*
Lugo. *part. contr. 6. tract. 12. d. 1. num. 4. & Card. Lugo de Euch. d. 59. sect. 1. n. 22.* subscripsere.

37. *Potest ne Sacerdos se ipsum ex deuotione communicare*
ad magni Festi solemnitatem, cum Sacerdos alius non adsit, à
Filliuc. *quo possit Eucharistiam accipere?* Potest (venia *Filliucij tom. 1.*
tract. 5. cap. 9. num. 285.) dummodo non adsit scandalum.
Fagund. *Adest Diaconus. Fagundez part. 3. lib. 3. cap. 3. n. 7.* A Diacono
Præp. accipiat. *Præpositus in 3. part. q. 82. art. 3. dub. 1.* moribundo
Sacerdoti alius Sacerdotis defectu, à Diacono Eucharistiam
deferendam. At tunc existimo Sacerdotem ægrotum, si po-
test, sibi suis manibus ministraturum: Diaconi verò mini-
sterio, si non potest.

38. *An mortale piaculum, Eucharistiam in lethali ministra-*
Vasq. *re?* Abnego cum *Vasquez in 3. p. tom. 2. d. 136. cap. 3. num. 38.*
& aliis multis; quia ministrans Eucharistiam non efficit Sa-
cramentum, & sic non est proximus Dei minister ad iustifica-
tionem causandam: sed tantum applicat velut actiua passiuis.
Quod potiori iure procedit in laico Eucharistiam in neces-
sitate ministrante.

39. *Licet ne petere Eucharistiam in articulo mortis à Sa-*
cerdote excommunicato denunciato, hæretico, & ab omni eo, à
quo peti potest absolutio; absente alio Sacerdote? Alij asserunt,
Suar. si ægrotus alius Sacramentum non potuit recipere. At *Suarius in 3. part. tom. 3. quæst. 82. art. 3. sect. 4.* sine hac limi-
tatione affirmat. Subscribo, dummodo non adsit scan-
dalum.

40. *Negat Confessarius indisposito peccatori absolutionem,*
petit ipse publicè Communionem, scio debere conferre: rogo ta-
Vasq. *men, an secreto petenti possit abnegare?* Asserit *Vasquez in 3. p.*
tom. 3. d. 209. cap. 5. num. 51. quia sigillum non frangitur, &

Sacramen

Sacramentum indigno non confertur. At *Fagundez part. 3.* Fernād. *lib. 3. cap. 10. numer. 23.* negat probabilius; quia illa abnegatio sigilli fractio est. Sigillum enim adeò strictum, vt nec cum ipso pœnitente liceat de Confessione sine eius licentia loqui.

41. *Licet ne peccatori occulto indisposito ad vitandum scandalum, particulam non consecratam ministrare?* Posse aliqui docent, dummodo ita particula occultetur, vt nec videatur, nec adoretur. Ast ego cum *Henriquez lib. 6. cap. 22. num. 4.* Henriq. satius censuerim simulare Sacerdotem, se particulam in os peccatoris immisisse, quod non semel absque periculo scandali præstiti.

42. *Licet ne laico moribundo non valenti accipere Eucharistiam sub specie panis, sub vini specie ministrare?* Certum est ex *Vasquez in 3. p. tom. 5. d. 216. c. 4. num. 27.* laicum sumere Vasq. posse Sacratissimum sanguinem, si conseruari non posset absque periculo, v. g. si species accrescerent, aut esset in manus hostium aduenturus. Hinc aliqui asseruere posse moribundo laico in casu expresso ministrari; quia præceptum diuinum de communicando in articulo mortis Ecclesiastico de non ministrando, id laico sub specie vini, præponderat. Monent Episcopi adhibendum consensum. Ast *Suarius in 3. p. tom. 3.* Suar. *d. 80. sect. 3.* contrarium docuit.

43. *Scio, Græcos suis in Ecclesiis teneri in fermentato, sicut Latini in azymo consecrare: rogo, an Græcus in Latinorum Ecclesia celebrans possit & debeat sua Ecclesiæ ritu consecrare?* Ex mente *Suarij in 3. part. tom. 3. disp. 44. sect. 3.* assero posse seruare proprium ritum, sed non teneri. At non potest Latinus in Templo Græcorum existenti apud suos, celebrare in fermentato, aut Eucharistiam in fermentato Latinis ministrare; quia hoc priuilegium non est locale, sed personale. §. 3. *De Eucharistiæ materia.* Suar.

44. *Si vinum est congelatum, vt sæpe accidit in Germania, consecratur ne validè?* Ita quidem; quia vinum per congelationem non corrumpitur quoad substantiam, & potabile remanet in potentia; neque hoc Sacramentum consistit in vsu, sicut Baptismus. *Saa v. Missa, n. 2.* Saa.

45. *An consecratur licitè?* Minimè; quia est materia si non aliquatenus dubia, saltem non ita apta. *Coninch. de Sacram. q. 74. a. 5. num. 27.* Conin.

46. *Quid, si consecratum congeletur?* Sicut congelatum validè consecratur, ita si consecratum congeletur, non desinit

esse consecratum. Ideo Missali Romano monente, debet liquefieri, & absumi. *Layman lib. 5. tractat. 4. cap. 2. num. 6.*

Laym.

47. *Potest ne consecrari vinum mistum quod apud Hispanos Hypocras vocitatum?* Aliqui affirmant, dummodo non sit admistio, ad coccio talis, vt vinum corrumpat. At *Fagundez p. 3. lib. 3. c. 1. n. 17.* in hisce dubiis materiis consecrare in casu etiam necessitatis, sacrilegium asseruit; quia hoc sacramentum, aut non est necessarium necessitate medij: vel si necessarium, tunc solummodo cum debitè ac reuerenter haberi potest.

Fagund.

48. *An succus ex vuis passis elicitus sit materia sufficiens, aut hostia rubea, quia solemus literas sigillare?* De hostia negat *Amicus tom. 7. d. 16. sect 3. n. 34.* esse materiam sufficientem ad consecrationem de vino affirmat.

Amic.

49. *Scio vino admiscere debere modicum aquæ; an obliget sub mortali?* Ita planè, licet parua materia; quia magna in significatione. *Lugo Card. de Euch. d. 15. sect. 2. n. 22.*

Lugo.

50. *Quidnam de aquæ immiscendæ mero quantitate?* Addi posse decimam, vel octauam partem quantitatis vini *Laym. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 9* docet; quia aqua non prius conuerti debet in vinum, vt vertatur in sanguinem: sed in sanguinem immediatè conuertitur. *Lugo Card. d. 4. sect. n. 48.* Scio *Suarium sect. 4.* contrarium asseruisse.

Laym.

Lugo.

51. *Dixisti, materiam consecrandam debere esse præsentem, & certam ex Ministri intentione: rogo, si ferantur ad altare particulæ consecrandæ, & in cornu epistolæ collocentur, nec ea Sacerdos videat, numquid consecratæ?* Minimè; quia voluntas in omnino incognitum non defertur. *Coninch in 3. p. q. 74. a. 2. dub. 3. num. 39.*

Conin.

52. *Sacerdos in sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, quarum consecrationis tempore in cornu epistolæ existentium extra corporalia, oblitus est: num habendæ, vt consecratæ?* Negat *Suarius disp. 41. sect. 6.* quia Sacerdotis intentio non fuit particulas in loco indecenti consecrare. Alij affirmant; quia Sacerdos consecrandi habuit intentionem, quam non reuocauit. Porrò *Præpositus in 3. p. q. 74. a. 2. dub. 3. n. 19.* docet huiusmodi particulas reuertenter habendas, nec tamen sub dubio distribuendas seorsim; sed post certam Missæ Hostiam absumendas à Sacerdote, aut post certas particulas à fidelibus.

Suar.

Præp.

53. *An guttulæ vini separatæ in calice ab eo, quod adest infundo, remaneant consecratæ?* Ex vi particulæ *Hic* Sacerdos solum

solum intendit id, quod per modum vnius adest in calice, consecrare; vnde guttulæ illæ separatæ minimè consecrantur. *Layman. lib. 5. tract. 4. c. 2. n. 14.* Laym.

54. *Dixisti formam consecrandæ Hostiæ, Hoc est enim corpus meum, Calicis autem, Hic est enim calix sanguinis mei: Particulam, Enim, essentialem non esse, nec peccare mortaliter, qui illam sine contemptu, & scandalo omitteret: rogo, an hæc forma: Hæc est caro mea pro Hostiæ consecratione sit valida?* §. 3. De Eucharistiæ forma. *Granado in 3. part. contr. 6. tract. 8. d. 5. num. 5.* validam docet quia Christus ad signandum corpus suum, sæpe carnis nomine vsus est. Granad.

55. *Num hæc forma sit valida: Hic est corpus meum?* Si τὸ *Hic*, sit aduerbium locale, forma non est valida, quia mutatur significatio. Si autem est pronomen masculinum, forma valida est; quia est mutatio accidentis, & grammaticalis lis. *Granado.* Granad.

56. Quidnam de hac forma: Hoc est corpus meum, vel Meum est hoc corpus? Inualidam putat *Fagundez part. 3. c. 78. cas. 2.* quia pronomen *Meum* vtrobique sumeretur possessiuè hoc sensu: *Hoc corpus ad me pertinet.* Vnde mysterium conuersionis non exprimeret. Fagund.

57. *Eucharistiam conferre augmentum gratiæ scio: quandonam?* Quando perfectè sumitur, id est, deglutitur. *Henriquez lib. 8. cap. 13.* At *Becanus de Sacram. cap. 22. q. 6. num. 2.* Cum Hostia sumpta est, quamuis non sit transmissa. Alioquin ægrotus præ infirmitate transmittere non valens, haud gratiam acciperet. §. 4. De Eucharistiæ effectibus. Henriq.

58. *Semel transmissa excitato vomitu, à peccatore emittitur: confertur ne gratia?* Ita planè *Henriquez num. 1.* auctore. Becan. Henriq.

59. *An gratiam causet toto tempore, quo in stomacho commoratur, aut toto absumptionis tempore?* Non; quia si ita esset, sub multis Hostiis communicans potioris conditionis existeret; quod prorsum falsum. Monet tamen *Coninch de Sacr. q. 79. a. 1. dub. 2. n. 42. concl. 5.* gratiam Sacramentalem augeri per accidens, si dum species integræ manent in pectore, dispositio communicantis plurium actuum charitatis exercitamentis, accrescat. Conin.

60. *An Communio sub vtraque specie vberiorem gratiam causet; quam sub vna?* Respondet *Hurtado Compl. de Euch. d. 10. diffic. 6.* affirmatiuè; quia quælibet species ratione sui diuersimodè gratiam significat, & confert; ergo vnaquæque specialem gratiam producit. Hurt.

61. *Potest ne quis ita communicare, vt nec gratiam consequatur, nec peccatum committat?* Suarius *tom.* 3. *disp.*63. *sect.*2. affirmatiuè respondet. v.gr. si quis post diligens conscientiæ examen, non recordatus peccati, quod re vera habet, sine vllo dolore ad Sacramentum accederet. Is non peccabit, quia de peccato, cuius non recordatur, dolorem elicere non tenetur; nec gratiam acquiret, quia peccati obice impeditus est.

Suar.

§. 3. De dispositione ad Eucharistiam.

62. *Peccat ne venialiter, qui ante Confirmationem recipit Eucharistiam?* Non (*Præpositus in* 3. *p. q.* 72. *a.* 8. *num.* 38. ait) quia vsus Ecclesiæ, quod Baptismum Confirmatio sequeretur, iam exoleuit.

63. *Fatuitas ne impedit Eucharistiæ receptionem?* Impedit perpetua. Si aliquando sui compotes fuerint, nec constat mortali in culpa euasisse amentes, eis saltem in mortis articulo est impertienda, in quo ex præcepto diuino eam accipere tenebantur. *Henriquez lib.* 8. *c.* 41. *n.* 3. docet semifatuis dandam semel in anno, nempe ad annuæ Communionis præceptum implendum.

Præp.

Henriq.

64. *Peccat et ne bis, qui in peccato lethali non ieiunus acciperet Eucharistiam?* Aliqui asserunt; quia Religionis virtus bis diuersimodè violatur. At *Hurtado de Sacrament. disp.* 5. *diffic.* 1. vnum tantum peccatum, grauius quidem esse docet; quia duæ illæ malitiæ eidem virtuti Religionis eodem modo opponuntur, id est, contra reuerentiam debitam Sacramento.

Hurt.

65. *Ieiunium naturale ad Eucharistiam necessarium extra necessitatem, admittit ne paruitatem materiæ?* *Præpositus* asserit esse præceptum Ecclesiasticum, & intelligendum eo modo, quo Ecclesia in Quadragesima, & Quatuor temporibus præcipit ieiunium. Colligiur hinc paruitatem admitti materiæ. Addunt alij peccare venialiter, qui post modicum cibum Synaxi reficitur. At *Gaspar Hurtado disp.* 9. *diffic.* 15. improbans meritò opinionem vtramque asserit materiæ paruitatem non esse admittendam; quia Ecclesia non prohibet sumptionem cibi, aut potus ante Communionem; sed Communionem post cibum, vel potum; quod præceptum per Communionem post cibum, vel potum modicissimum violatur.

Præp.

Hurt.

66. *Scio aliquid per modum saliuæ traiectum permitti: quidnam id?* Respondet *Granado in* 3. *part. contr.* 6. *d.* 8. *num.* 8. per modum saliuæ traiici minimum, quod inaduertenter traiicitur. Henriquez apud ipsum, si musca in os apertum cali intrauerit

Granad.

intrauerit. Alij aquæ stillam ad captum putaminis auellanæ inaduertenter absumptam. Non admiserim quantitatem hanc, sed nimium scrupulosos erudierim.

67. *Frangit ne naturale ieiunium folium, aut puluis herbæ illius, quæ* Tabaco *vocitatur?* Respondeo ex *Præposito in 3. p.* Præp. *q.80.a.8. dub.1. n.39.* per os sumptum in folio non frangere, nisi deglutiatur. Addit *Tannerus tom.4. d.5.q.a.8.n.1.* neque si Tann. quid illius saliuæ incorporatum traiicitur in stomachum. De fumo idem asserendum *Granado in 3. p. contr.6. tract.10.* Granad. *d.8. n.4.* putat etiamsi sit tantæ quantitatis, vt ad aliqualem nutritionem sufficiat; qui fumus non sumitur per modum cibi. De puluere autem idem omnino censeo; quia ad hoc ieiunium obseruandum solum prohibetur cibus, & potus. At, *Fagundez* adnotante *p.1. lib.3.c.5.n.14.* ieiunium non violatur, Fagund. nisi cibus & potus per os sumptus in stomachum vitali quidem actione comestiua, & potatiua traiiciatur. At puluis per nares sumitur, per quas (ait *Suar. in 3.p. tom.3.d.68. sect.4.* qui Suar. aliquantulum aquæ traiecerit, non violat naturale ieiunium.

68. *Frangit ne terra, charta, moneta, plumbum, aurum, & huiusmodi materia? Gran. contr.6. tract.10. d.8. num.6.* asserit. Gran. Negandum tamen censeo; quia ieiunium naturale & Ecclesiasticum solum differunt, quod in illo non datur paruitas materiæ; in hoc datur. Ergo quidquid in magna quantitate non violat Ecclesiasticum, non potest naturale violare. Porrò *Card. Lugo de Euch. d.15. sect.2. n.20.* plumbum, &c. in quauis Lugo. quantitate absumpta comedentem asserit ieiunium in Vigilia non frangere.

69. *Quid de reliquijs cibi diei præcedentis dentibus adhærere solitis? Vasq. in 3 p. tom.3. d.11. c.4. num.30.* asserit frangere si ex Vasq. industria deglutiantur, secus si casu. At *Coniach de Sacr. q.80.* Conin. *a.8. num.47.* non violare putat; quia reliquiæ illæ pertinent potius ad prælapsæ diei, quàm præsentis comestionem; & quia per modum saliuæ absumuntur, cum ab extrinseco non adueniant.

70. *A quanam hora incipit naturale ieiunium?* A primo pulsu duodecimæ noctis. Si vnicum horologium, non est ad aliud appellatio. Si plura post duodecimam vnius comedens, posset communicare, alio postmodum personante; quia plura diuersa horologia se habent vti plures probabiles opiniones, nisi tantum primum valde sit iustum. Sic *Sanchez de Matrim.* Sanch. *tom.1 lib.2. d.41. num.4.*

71. *Dubito, num post mediam noctem aliquid absumpserim: possum ne communicare?* Negat *Fagundez pr.3. lib.3. cap.5.* Fagund.

*num.*18. quia possessio stat pro præcepto, non pro communicante. At ex *Laymani* mente *lib.*1.*tract.*1.*c.*5.§.4.*num.*36. puto posse communicare, si deponat dubium practicum, etiamsi in dubio speculatiuo maneat. Ait enim Doctor non teneri à Communione abstinere qui aliquid ruminans, dubitat, an deglutierit; si in vtramque partem inclinare possit.

Laym.

Tolet.

72. *Potest ne infirmus communicare post potionem, ad implendum præceptum Ecclesiasticum?* Asserit *Toletus lib.*2.*c.*28. *num.*4. si potio absque graui nocumento differri non possit.

Præp.

Negat autem *Præpositus in* 3. *part. quæst.* 80. *art.*8. *dub.*2. *num.*41. quia Communio posset differri: Ecclesia enim non intendit obligare ad Communionem eum, qui ieiunus non potest excipere.

Vasq.

Gran.

73. *Quotiens potest infirmus in eadem ægritudine permanens viatici Eucharistiam recipere?* Semel inquit *Vasquez in* 3. *part.tom.*3.*d.*211. *cap.*4.*num.*38. quia per vnam Communionem præcepto Communionis satisfacit. *Granadus* autem & alij multi asserunt posse sæpe; quia hoc Sacramentum non solum datur ægroto vt satisfaciat præcepto, sed etiam in præsidium aduersus tentamina. Lege Auctorem *in* 3.*part.contr.*3. *tract.*10.*d.*8.*num.*8. Addit *Layman.lib.*5.*tract.*4. *cap.*6.*n.*12. ex iusta causa. v.gr. si difficile à Communione abstineat, quia assuetus ob deuotionem sæpe communicare, posse statim altera die, dum modò mortis periculum instare videtur.

Laym.

74. *Potest ne dari Eucharistia ei, qui eadem die plectendus esset capite, non ieiuno?* Ita quidem; quia teneturin mortis articulo ex præcepto diuino communicare. Vnde qui postquam insciusententiæ capitalis instantis comedit, indicta mortis instantia, debet tanquam ægrotans grauiter se cœlesti munire viatico. *Hurtado de Euch.d.*9.*sect.*16. Addit *Sanch. Eucharistia, num.*2. dari posse viaticum damnato (vbi eadem die cruci addicuntur) vna hora ante patibulum.

Hurtad.

75. *Post Missam particula in patena conspicitur: quid faceret Sacerdos?* Sumere non potest non ieiunus; quia conuium finitum est Nisi fragmentum non possit decentius asseruari, quam absumi. Si plures Missæ Sacerdoti ieiuno tradatur in Missa suo tempore absumenda particula. Si vna Missa tantum, & Sacramemtum seruari non assolet: absumat eam non ieiunus; quia maiori irreuerentia seruaretur. *Fagundez prac.*3.*lib.* 3. *cap.* 5. *num.*3. Et nuper *Cardin. Lugo de Eucha.d.*14.*sect.*4.*num.* 82. Porrò *Granado d.* 8. *num.*11. non damnat Sacerdotem, qui antequam vestes sacras exuit, particulam absumit inuentiam; quia hanc non communionem

Fagund.
Lugo.
Granad.

nionem nouam existimat, sed præcedentis imperfectionem.

76. *Recordatur Sacerdos in altari, se non ieiunum accessisse: quidnam præstabit?* Si post consecrationem, Sacrificium perficiat. *Coninch. de sacr. quæst.* 80. *art.* 8. *num.* 63. Ante consecrationem, deferat altare, nisi infamiæ aut scandali adsit periculum. Idem de communicaturo accedenti ad communicantium mensam, ex sententia *Præpositi in* 3. *part. quæst.* 80. *dub.* 2. *num.* 4. & aliorum. Conin. Præp.

77. *Licet ne Sacerdoti non ieiuno celebrare, ad conferendum viaticum moribundo?* Negat *Hurtado de Euch. d.* 9. *diffic.* 17. quia maior ratio habenda reuerentiæ huic Sacramento debitæ, quàm proximi vtilitati. At *Granado in* 3. *part. contr.* 6. *tract.* 10. *d.* 8. *num.* 12. docet non solum posse, sed & teneri Sacerdotem Charitatis lege diuina, quæ debet præcepto Ecclesiastico communicandi ieiunè præferri. Porrò *Layman lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 11. in casu necessitatis id asserit, si scilicet moriturus aliud Sacramentum pœnitentiæ, aut Extremæ vnctionis suscipere non potuisset, & cessasset scandalum. Hurtad. Granad. Laym.

78. *Est ne lethale piaculum, ad Eucharistiam accedere cum peccati mortalis dubio?* Scio *Granadum* mitius fuisse opinatum *in* 3. *part. contr.* 6. *tract.* 10. *d.* 7. *num.* 13. Ast asserendum, peccare mortaliter, qui cum dubio mortalis accedit; quia sicut tenemur peccata certa, vt certa confiteri: sic dubia vt dubia tenemur aperire. Granad.

79. *Potest ne sine veniali accedere Eucharistiam, qui inculpabilem pollutionem patiatur ipsa die, aut rei illicitæ dum operam confiteturi* Consulendum ei, vt à Communione abstineat, si non adsit famæ periculum. Si timetur scandalum, potest à leui piaculo immunis communicare. Si non timetur, peccati venialis reus Eucharistiam accipiet. *Card. Lugo de Euchar. d.* 15. *sect.* 1. *num.* 4. Lugo.

80. *An liceat die feriæ sextæ in Paraseeue Communionem recipere?* Licet; quia Ecclesia nullam limitationem indicit. *Consuetudo abstrahit fideles valentes ea die ab Eucharistiæ receptione in signum mœroris.* Fateor, sed puto huiusmodi consuetudinem non necessitatem, sed solummodo congruitatem inducere. Sic *Hurtado de sacrif. d.* 4. *diffic.* 3. §. 6. *De Eucharistiæ Sacramento variæ.* Hurt.

81. *Licet ne quacunque diei horæ etiam post meridiem cuilibet communicare?* Affirmat *Azor part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 7. ieiuno licere, si absit scandalum. At *Coninch. de sacr. quæst.* 8. *art.* 10. *num.* 85. docet ex reuerentia non esse permittendum. Porrò ego nulla irreuerentia Sacramentum affici, si alia cun- Azor. Conin.

cta reuerenter expediantur, præsertim si Iubilæi, aut confluxus fidelium causa Communio in vesperum differatur.

82. *In Calicis consecratione quis dicit, Hic est Calix: consecrat ne?* Maximè; quia licet Calis habeat aliam significationem, quàm *Calix*, tamen ex communi modo percipiendi
Suar. idem sonat in consecratione. *Suarius* sic.

83. *Est ne veniale, accedere ad Eucharistiam ipso die habitæ copulæ à coniugatis?* Ita planè ex *Sanchez* doctrina, ob
Sanch. Sacramenti reuerentiam. Ego autem, tanti viri venia, assero, suadendum illis quidem, vt tunc à copula abstineant, non tamen vt non accipiant Eucharistiam, posito quod non abstinuerint.

84. *Ad linteum quis adstat communicare paratus, & recordatur alicuius peccati mortalis in Confessione per obliuionem omissi: tenetur ne ante Communionem ad Confessarium rursum*
Henr. *accedere?* Excusari ob Sacramenti reuerentiam *Henriquez* docet. Ego autem non ex reuerentia excusari affirmo, sed ne detur occasio suspicando adstantibus simul, vel ipsi Sacerdoti celebranti. Idem dicendum de Sacerdote stante ad altare; sufficit enim vtrique tunc elicere Contritionem cum proposito postea confitendi. *Num debeat tali in casu in quacumque temporis angustia ante Communionem actum Contritionis elicere?*
Vasq. Hurt. *Vasquez*, & *Hurtado* asserunt non teneri. Tenetur equidem, me authore; quia potest, cum Deus semper sit paratus auxilium præbere.

85. *Quando Regulares celebrant, in priuatis Oratoriis possunt aliis Eucharistiam ministrare, non obstante Episcopi prohibitione?*
Suar. Posse *Suarius* iudicat, cuius sententiæ adhæresco.

86. *Dixisti Sacerdotem ministrantem aliis Eucharistiam non peccare mortaliter: si grauiter delinquit sacrum indignè faciendo, quonammodo leuiter ministrando peccat?* Ex doctrina
Vasq. *Vasquez* respondeo. Quia ministrans est tantùm veluti applicans actiua passiuis. In aliis autem Sacramentis conficit,
Simul & ministrat. In Eucharistia conficit, quando sacro dat operam. Sic superius.

87. *Parochus Eucharistiam ministrat indigno: rogo an duplici peccato illigetur & contra proprium officium, & ex cooperatione peccati proximi?*
Præp. Cum *Proposito* assero vnico peccato teneri, quod Sacramentum conferat indigno; id enim necessariò inuoluit vtrumque.

88. *Quonammodo se habebit Parochus, aut Prælatus erga eos, qui sunt in mortis articulo constituti?* Æger sex aut octo diebus

diebus antequam in periculum mortis incideret, communicauit? Consulendum ei vt iterum Eucharistiam per modum Viatici accipiat. Verùm ad id non obligatur, cùm præceptum de Eucharistia ante mortem sumenda iam impleuerit. Sic *Laymanus*. Manè communicauit valens, aut sacrum fecit, & à prandio incidit in mortis periculum? Potest iterum communicare conformiter sententiæ asserenti per priorem illam communionem non esse præcepto diuino communicandi in articulo mortis satisfactum. Ita *Hurtado*, vberiùs tamen *Christophorus Garcia* ex nostra Societate Metimnensis, cuius opera moralia ægregiæ quidem notæ iam iam lucem aspicient. *Filliucius* præterea adnotat, si Eucharistia ob mortis periculum sumpta sit à non ieiuno, posse iterum ita accipi sexto post die. Vberiori permissione *Laymanus* docet ei, qui assuetus frequenter communicare aut sacrificare propter deuotionem ac desiderium ægrè abstineat, permitti posse, vt altero statim die communicet non ieiunus, dummodò mortis periculum instare videatur. Præterea *Hurtado Complutensis* censet generatim ab infirmis non ieiunis posse Eucharistiam toties sumi, quoties à sanis ieiunis; quia ab hac lege in Concilio Constantiensi infirmi sine vlla limitatione excipiantur, Denique *Præpositus* asserit ægroto laboranti difficultate aliquid transmittendi, posse communionem dari imposita hostiæ particula cum vino in cochleari, argenteo scilicet, propter reuerentiam Sacramenti.

Laym. Hurt. Garc. Filliuc. Hurt. Præp.

89. *An possit Sacerdos (rursum quæsierim) non ieiunus aliquando consecrare, aut sumere Eucharistiam?* Quatuor in casibus posse asserо cum *Henriquez*, *Vasquez*, & *Præposito*. Primò, si aquam pro vino infusam hausit; debet propter sacrificij integritatem vinum consecrare & absumere. 2. Quando post hausturn calicem, & ablutionem videt reliquias hostiæ in patena, vel corporali. 3. Quando post consecrationem moritur Sacerdos, aut superueniente ægritudine, non potest perficere sacrum, debet alius etiam non ieiunus succedere, si ieiunus non adsit, qui possit sacrificium perficere. 4. Quando post consecrationem recordatur se non esse ieiunum. Nam si ante consecrationem recordaretur, deberet ab altari recedere, nisi id sine nota fieri non posset.

Henriq. Vasq. Præp.

Circa ieiunium hoc naturale aliquas adhuc occurrentes quotidie difficultates euoluc. Misit Sacerdos in os aliquid succhari ante somnum, & dubitat an post mediam noctem aliquid in stomachum transmiserit? Non potest illo die celebrare; quia ieiunus non est. *Ex proprijs vngubus quis aliquid deglutiuit,*

deglutiuit, vel papyri, vel sanguinis ex proprio vulnere manantis, vel quid simile absumpsit? Potest communicare, aut celebrare; quia illa haud habent cibi, potus, aut medicinæ rationem.

EXAMEN VII.

Circa materiam de Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAPVT PRIMVM.

De Extremæ Vnctionis materia & forma.

1. *Vid est Vnctio Extrema?* Sacramentum, seu Vnctio olei consecrati, ægroti periclitantis corpori adhibita sub præscripta forma verborum.

2. *Quandonam hoc Sacramentum institutum fuit?* A Christo quò ad materiæ & formæ designationem in nocte Cœnæ efformatum est; quò ad potestatem verò post Resurrectionem, cum absoluendi Apostolis potestatem impertiit.

3. *Materiam Extremæ Vnctionis assigna.* Remota quidem Oleum est oliuarum ab Episcopo necessariò benedictum, (nisi specialis adsit à Pontifice Sacerdoti concessio:) proxima ipsamet vnctio quæ sensuum organis quinque necessariò adhibenda.

4. *An ex præcepto, aliæ corporis partes inungendæ?* Pedes ac renes in viris, vbi ea consuetudo viget; in renibus autem ob decentiam in fœmina omittitur.

5. *An vnctionum ordo necessarius sit?* Profectò de Sacramenti necessitate non est; seruandum tamen assero consuetudinem, vt scilicet prius oculi, tum aures, &c. inungantur.

6. *Formam indica.* * PER ISTAM SANCTAM VNCTIONEM, ET SVAM PIISSIMAM MISERICORDIAM INDVLGEAT TIBI DEVS QVIDQVID PER VISVM, &c. DELIQVISTI. Quæ quidem in singulis membris inungendis est repetenda, modo proferendo deprecatiuo.

CAP.

CAPVT II.

De Ministro & suscipiente.

§. 1. *Minister Extremæ Vnctionis.*

7. *Quinam Extremæ-Vnctionis Minister?* Ex officio solus Parochus, ex commissione quilibet Sacerdos, inferior hoc nullus.

8. *Num multi possint Ministri concurrere?* Vnus sufficiens est, si tamen multi adfuerint, & vnus efficiat vnam vel plures vnctiones formam proferendo, alius verò complea eas, quæ defuerint ad Sacramenti essentiam, validum erit.

9. *An id licitè tractari valeat?* Ita planè, si primus Minister ob legitimam causam non potuerit perficere; quod singulare est in hoc Sacramento; quia vnica formæ prolatione non perficitur.

10. *Expende Ministri huiusce obligationes.* Debet hoc Sacramentum solis fidelibus ministrare: dispositus esse ritè ad illius administrationem, hoc est in gratia, saltem per contritionem existimatam: requisita ad vsum eius adhibere, & indignis denegare.

11. *Tenetur ne semper hoc Sacramentum administrare?* Pestis tempore, si absque morali vitæ periculo ministrare potest, tenetur ad illud ministrandum; si non potest, absolutè non tenebitur, dummodò Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non omittat; quia non est Sacramentum necessitatis.

§. 2. *Sususcipiens Extremam-Vnctionem.*

12. *Quisnam suscipiendi Sacramenti capax?* Baptizatus adultus morbo periculoso laborans. Excluduntur amentes perpetuò, infantes, corpore valentes, etiamsi capite illicò plectendi sint.

13. *Quis incidit amentiam, sed ante signa Contritionis ostendit, vel creditur petiturum fuisse, si accidenti non corriperetur: potest ne iniungi?* Posse, imo debere affirmo. Addo lethaliter vulneratum, peste percussum, viperæ morsu læsum ob senectutem in lecto decumbentem inungendos.

14. *Suscipientis obligationes apertæ.* In mortis articulo constitutus non omittat hoc Sacramentum petere, vel illatum haud per contemptum respuat. Ritè paratus accipiat. In eadem ægritudine bis accipiendum non est, nisi diuersus incidat casus.

CAP.

CAPVT III.

De effectibus Extremæ Vnctionis, eiusdémque conferendæ ritu.

§. 1. *Effectus Extremæ Vnctionis.*

15. *Quinam Extremæ Vnctionis effectus?* Præcipuus planè est, peccatorum auferre reliquias; quæcunque sint peccata; vel relicta post Sacramenta non ritè susceptа, vel commissa post illa, & obliuioni tradita; siue, vt vno verbo complectar, omnia: deinde corroboratio infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore solent occurrere. Hunc effectum gratiæ, quando vltima perficitur vnctio, dari affirmo. Scio tamen probabile in singulis vnctionibus conferri. Præterea sanitas corporis huiusce Sacramenti effectus est; sed conditionatè, si ita animæ saluti proficuum sit futurum.

§. 2. *Ritus Extremæ Vnctionis.*

16. *Ritum ab Ecclesia in conferenda vnctione seruatum exprime.* Primò Christi imago in Cruce pendentis decumbenti affertur. Tum preces aliquæ siue quæ præcedant, siue quæ comitentur assolent adhiberi. Deinde infirmus inungitur, qui si ante vnctionem quintam decedat è vita, Sacramentum est nullum. Contrarium scio probabiliter defendi.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Extrema Vnctione ex Societatis IESV *schola.*

§. 1. *De Ministro Extremæ Vnctionis.* Mærat. Præp. Fernād.

17. *Minister non potest esse nisi Sacerdos: an necessariò vnus?* Si infirmus statim decessurus timeretur, possunt ei vnctiones simul à pluribus Sacerdotibus adhiberi; quia cum inter vnctiones partiales ordo non sit de essentia, in necessitate simul possunt adhiberi. *Mæratius tom. 3. d. 10. sect. 1. num. 1. & Præpositus in 3. part. quæst. vnic. dub. 5. num. 37.*

18. *Parochus est, extra necessitatem Minister; quia est iurisdictionis actus: potest ne alius Sacerdos simplex etiam Religiosus in necessitate sine licentia Parochi, imo resistente ipso, ministrare?* Potest auctore *Antonio Fernandez de Cordoba part. 3. cap. 10. §. 1. num. 8.* Addens, pœnam excommunicationis inflictam in *Clem.* Religiosis, hoc Sacramentum extra necessitatem

tem miniſtrantibus, quæ etiam à Sacerdote ſeculari incurritur.

19. *Tenetur ne, abſente Parocho, infirmum vngere ſimplex Sacerdos?* Tenetur ex charitate non tamen ſub mortali, niſi infirmus confiteri, & communicare non potuiſſet. *Layman lib. 5. tract. 8. cap. 7. n. 3.* Laym.

20. *Debet Miniſter reſponſorem, & preces adhibere: omittit vtrumque, peccat ne?* Non, ſi periculum vrget. *Tannerus tom. 4. d. 7. q. 1. dub. 1. num. 85.* Tanner.

21. *Poteſt ne Extrema Vnctio pueris poſt vſum rationis miniſtrari, ſi nondum fuerunt Euchariſtia refecti?* Poteſt; quia maior diſcretio requiritur ad Communionem, quam ad hoc Sacramentum. *Hurtado Compl. de Extrema-Vnct. diff. 10.* §. 2. *De ſubiecto Extremæ Vnctionis.* Hurt.

22. *Dubium eſt, an puer rationis compos, vngendus ne?* Ita planè ſub conditione: *Si es capax. Lugo Card. de Euch. d. 13. ſect. 4. n. 41.* Lugo.

23. *Agnouit Parochus ex Confeſsione puerum nunquam actualiter peccaſſe: neganda ne ei inunctio?* Non; quia iuuare illum poteſt, ne peccet; & conferre, ſi expediat, ſanitatem An falſificabitur forma, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliqui-ſti*, &c. Non, quia ſenſus eſt, *Conferat tibi Deus gratiam de ſe remiſsiuam.* Sicut non falſificatur abſolutionis forma, cum confertur ei, qui iam eſt per contritionem in gratia. *Suarius tom. 4. d. 42. ſect. 2. num. 10.* Suar.

24. *Neceſſarium ne peccatori inungendo præmitti Confeſsionem?* Si adſunt peccata mortalia, & timeatur tempus defuturum, debet præmitti Confeſſio; quia prius abhibenda ſunt Sacramenta neceſſaria, deinde vtilia. At ſi adſit vomitus periculum, debet dari, haud præmiſſa Communione. Si ita morbus infirmum illigauit, vt neque confeſſus fuerit, nec ſigna Contritionis expreſſit, inunctio impertienda. *Rogo, an quantum eſt ex ordine Sacramentorum, poſsit dari vnctio peccatori abſque Confeſsione prouia?* Poteſt; quia ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum ſatis eſt Contritio, vel attritio purata Contritio. *Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 5. n. 114.* Filliuc. §. 3. *De Extrema Vnctionis materia, & forma.*

25. *Scio oleum oliuarum huius Sacramenti materiam: poteſt ne Chriſma deſeruire?* Aſſerit *Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 4.* ſi quis per errorem Chriſmate infirmum inunxiſſet nihil innouandum, præcipuè cum vnctio plerumque non ſine ſcandalo iteraretur.

26. *Sufficit ne vna olei gutta in ſingulis vnctionibus?* Ait *Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 78.* non ſufficere; quia non ſatis eſt ad vngendum. At ex *Reginaldo tom. 2. lib. 28. cap. 9.* Laym. Filliuc. Regin.

cap.9.num.13. & *Tannero tom.4.d.7.q.1.dub.3. n.16.* sufficit gutta olei; quia non tota pars corporis, sed eius particula inungenda est.

Becan. 27. *Necessaria ne cunctæ inunctiones membrorum ad essentiam Sacramenti, & producendam gratiam?* Ex *Becani* sententia *de Sacr.c.25.q.7.n.6.* vnica sufficit; quia non aliud ex scriptura, & Ecclesiæ traditione colligitur. *Florentinum Concilium plures inunctiones indicit.* Non obstat, quia septem assignat, quarum certum, non omnes necessarias. Porrò debentur iuxta Ecclesiæ consuetudinem plures adhiberi; quæ vnum Sacramentum dicuntur, quemadmodum plures Ordines, & plures species in Eucharistia.

28. *Potest ne in necessitate vnica adhiberi inunctio?* Si timeatur, ægrotum ante quinque solitas vnctiones discessurum, vel Ministrum ipsum peste inficiendum, vel alios ægrotos absque vlla decessuras vnctione: potest. Probabile enim est, per vnam vnctionem aliquam habitualem gratiam acquiri, & actualem, imò & corporis (si opportet) sanitatem. Alioqui cum hoc Sacramentum sit necessarium, non fit iniuria infirmo; & cum adhibeatur conditio, neque Sacramento.

Granad. *Granado in 3.p.contr.8.tract.vnic.7.n.12.*

Filliuc. 29. *Sufficit ne in necessitate non solum vnius sensus, sed & vnius oculi, auris,* &c. *inunctio?* Sufficere asserit *Filliucius tom.1.tract.3.c.5.n.129.* vnctionem vnius oculi, auris, naris, manus, &c. cum forma generali: *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum,* &c. *deliquisti.*

Beccan. 30. *Peccatum ne mortale, absque necessitate signa Crucis omittere?* Aliquis ex externis asseruit. At ex *Becano de Sacram. cap.27. quæst.3. num.3.* assero non rectè se gerere, qui illa, absque necessitate, dimittit; sed mortaliter non peccare.

31. *Licet ne tempore pestis, ad vitandam contagionem infirmum virga argentea, aut lignea, aut pluma inungere longiori?* Licet; quia huiusmodi vsus Sacramento non infert irreuerentiam, & ius conseruandi vitam est nobis agnatum.

32. *Dixisti formam Vnctionis esse: Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: rogo, an vltima verba sint necessaria, & quidnam de aliis?*

Filliuc. Regin. *Filliucius* negat hæc necessaria esse *tom.1.tr.3. c.4.n.86.* At *Reginaldus tom.2.n.28.c.9.n.56.* idem affirmat de illis: *Sanctam & Piissimam*; quia sine illis integer sensus manet.

manet. *Suarius tom. 4. in 3. p. d. 40. sect. 3. n. 13.* fert idem iudicium de particula, *Per suam misericordiam*; quia causa principalis huius Sacramenti sufficienter exprimitur illis verbis: *Indulgeat tibi Deus.* Idem alij asserunt de particulis, *Per visum, auditum, &c.* Vnde de necessitate Sacramenti sunt illa, *Per istam Sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti.* At qui reliqua sine necessitate omitteret, proculdubio peccaret. Suar.

§. 4. De necessitate, & vtilitate Extremæ Vnctionis.

33. *Scio Vnctionem, cessante contemptu, & scandalo, non esse homini necessariam necessitate medij, nec præcepti sub mortali obligantis: rogo, an contemptum arguat posse ægrotum suscipere, & tamen hoc omittere Sacramentum?* Negat *Tannerus tom. 4. d. 7. q. 1. dub. 3. num. 56.*

34. *Scio Extremam Vnctionem delere peccata, si adsunt, & illorum reliquias; contra teneationes infirmum roborare; & sanitatem si ad salutem animi confert, exhibere: rogo, an ad hunc sanitatis effectum, accipienda sit Vnctio, corpore adeò viribus destituto, vt miraculum necessarium sit?* Minimè ad huiusmodi terminum differendum est; quia Sacramentum non operatur virtute miraculosa, sed supernaturali ordinaria. Adde deuotionem infirmi, & rationis vsum plurimum conferre. Attamen non multum est festinandum; quia ideo Vnctio appellatur extrema, quòd non debeat dari nisi in discrimine vitæ constitutis. Tann.

35. *Quandonam huiusce Sacramenti gratia confertur?* Quando vltima Vnctio quæ est quinta, cum sua forma essentiali confertur, *Suario* Doctore *d. 4. sect. 2. num. 13.* Ast qui existimant singulas Vnctiones esse integrum Sacramentum, asserunt post singulas conferri. Suar.

§. 5. De Extrema Vnctione varia.

36. *Potest ne moribundus oleo vetere inungi?* Renouandum certè quotannis, vetúsque comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum. Si tamen nullum adsit oleum, nisi vetus, potest eo iungi authore *Laymano.*

37. *Sufficit ne forma indicatiua in hoc Sacramento?* Affirmat *Becanus*, negat *Coninch.* Ex *Suarij* sententia hæc videtur forma sufficiens: *Vngo te oleo sancto, & Deus tibi remittat quidquid peccasti*, &c. Laym. Suar.

38. *Abest Parochus: tenetur ne alius Sacerdos ministrare ægroto Extremam Vnctionem?* Sub veniali solùm tenebitur lege charitatis. Secus si æger grauiter indigeret, vt quia aliàs sine vllis Sacramentis esset moriturus, vti aduertit *Laymanus.*

39. *Parochus adest, sed non vult, aut non potest infirmum inungere.*

inungere. Posse tunc Sacerdotem inferiorem etiam Parocho renitente, eum inungere *Henriquez* affirmat; quia Parochus se gerit iniustè. Henriq.

40. *Moribundus sensibus destitutus alia Sacramenta non potuit suscipere: potest ne inungi tempore interdicti?* Posse *Henriquez* idem ait; ne omnino sine Sacramentis decedat. Henriq.

41. *Adultus in articulo mortis baptizatus est: potest ne & Vnctio ei ministrari?* Absolutè posse *Henriquez* affirmat. Henriq.

42. *Cuinam ætati danda Extrema Vnctio?* Docet *Laymannus* omnibus pueris post septennium conferendam, nisi constet eos rationis vsu carere, licet nunquam acceperint Eucharistiam. *Quid si de rationis vsu dubitetur?* Sub conditione inungantur. Laym.

43. *Cognoscit Parochus puerum nunquam peccasse, quia eius audiuit Confessionem: num debeat eum inungere?* Debet authore *Suario*; quia illi proderit hæc vnctio, si non ad peccati reliquias abolendas, saltem ad robur acquirendum contra tentationes, & morbi molestias, imò ad gratiæ incrementum. Suar.

44. *Morbus est diuturnus, v. g. hydropisis: iteranda ne Extrema Vnctio?* Ex *Valentia* respondeo posse tali in morbo iterari, quoties redit periculum. Valent.

45. *An necessaria ad formam Trinitatis inuocatio?* In solo Baptismo, & Confirmatione necessariam esse certum est.

46. *Sufficit ne verba proferre paulò ante, aut post vnctionem?* Idem *Toletus* sufficere iudicat, sicut in Baptismo, aut Confirmatione. Addens quidem ad singulas vnctiones nouam stupam adhibendam, quæ postea comburenda est. Tolet.

47. *Dubitat Sacerdos, num viuat æger: vngendus ne?* Danda Vnctio sub conditione, si non est mortuus, vt ex Nauarr. *Saa* affirmat, adiiciens hoc Sacramentum remittere venialia, imò mortalia, faciens de attrito contritum. Saa.

EXAMEN VIII.

Circa materiam de Sacramento Ordinis.

CAPVT PRIMVM.

Essentia, institutio, numerus, materia, & forma huius Sacramenti.

1. *Vidnam Ordo?* Sacramentum est, quo spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ sacrificio traditur.

2. *Quandonam hoc institutum est Sacramentum?* A Christo Domino in vltima Cœna creditur institutum, cum Apostolis suo corpore, sanguinéque refectis illa adiunxit verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

3. *Numerum Ordinum exprime.* Sacramentorum esse ministri debuerunt, inter se quidem varietate distincti ex Diuina institutione. In Scripturis numerantur Presbyteri, Diaconi, à Patribus Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarij. Horum Ordines quo ad potestatem immutabiles sunt, quò ad vsum tamen censura, vel irregularitate aliqua possunt impediri. Profectò Episcopalis Ordo præter septem solet annumerari; at sub Presbyterio tanquam perfectum Sacerdotium continetur. Prima denique Tonsura non est Ordo, sed quædam ad illum præparatio.

4. *An plura Sacramenta?* Minimè; rectè enim omnes vnum Sacramentum efficiunt, cùm ad vnum proximum finem referantur omnes, nempe ad Eucharistiæ Sacramentum aptè ministrandum.

5. *Munia septem Ordinum expende.* Ostiarius aperiendis & claudendis Ecclesiæ ostiis dat operam. Exorcista Dæmones à corporibus hominum abigit. Lector fructus benedicebat, iam legit, & cantat. Acolythus necessaria ad Missam præparat, & ipsi ministrat. Subdiaconus solemni in Missa Epistolam canit. Diaconus Euangelium. Eiusdem etiam munus est populo doctrinam exponere, ex Episcopi aut Parochi licentia baptizare, concionari, & in casu necessitatis ministrare Eucharistiam. Presbyter denique in Missa consecrat corpus ac sanguinem Domini, omnia Sacramenta administrat, quoad

exercitium tamen ab Episcopo, aut ab eo, qui conferre possit, obtenta facultate.

6. *Quænam Sacramenti Ordinis materia?* Instrumentum aliquod initiandis Ordinibus traditum in spiritualis potestatis, quam recipiunt, signum. Proxima verò materies est huiusmodi instrumenti traditio, mutuáque receptio. Non est opus hanc materiam esse consecratam; at necessum est tangi tam ab eo qui ordines confert, quàm ab eo qui recipit. Etsi quidem per diuersa instrumenta in vno Ordine diuersa potestas conferatur, omnia tangenda sunt: si autem eadem, sufficit vnius contactus. v. gr. vnius vrceoli in Acolytho, vel calicis solius, non verò patenæ in Subdiacono: quamuis de præcepto, & ad omnem scrupulum abigendum, omnia tangi expediens sit.

7. *Indica essentiales singulorum Ordinum materiæ.* In Episcopo sola manus impositio de essentia est. Porrò vnctio in capite, mitræ impositio, traditio baculi in manu, & annuli in digito, liber Euangeliorum Sacramentalia quædam sunt, & accommodatæ ceremoniæ. In Sacerdote duplex est, vna Calicis cũ vino traditio, altera impositio manuum. In Diacono traditio libri Euangeliorum, cum impositione manus. In Subdiacono traditio tum Calicis vacui, & vacuæ patenæ, tum liber Epistolarum. Acolythi candelabrum cum cereo, & vrceoli vacui. Exorcistæ, lecteriſque liber, illius quidem exorcismorum, huius Prophetarum. Ostiario denique Claues cum Cymbalo traduntur.

8. *Indica Ordinum formam.* Ea est, vt verba quædam ab Episcopo proferantur, quibus imperatiuo quodam modo potestas singulis accommodata tradi significatur. *Accipe potestatem*, &c.

CAPVT II.

De effectibus Ordinis.

9. PRimum Ordinis effectum, nempe gratiam, indica. Duplicem gratiam hoc Sacramentum confert: iustificantem quidem, augendo ipsam ex opere operato; & propriam, qua dignè ministretur Ordo qui recipitur, a recipiente.

10. *De Charactere edissere.* Imprimit etiam Characterem tam in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus, qui quidem

dem tum integrè confertur, cum integra materia, & forma completur in singulis.

11. *Quid de Cœlibatus onere sacro Ordini adiuncto?* Proprium est sacrorum Ordinum, vt Cœlibatus Ecclesiastico iure onus sustineant. Ecclesiastico dixi iure, non diuino; ideo Ecclesiæ Græcę Sacerdos vsus Matrimonij non prohibetur, ita Romano Pontifice permittente: probabile tamen reor eodem Diuino iure prohiberi à nouo Matrimonio contrahendo. Profectò in Latina Ecclesia Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus Canonico præcepto solemne votum continentiæ emittere compelluntur; per quod inhabiles fiunt Matrimonio contrahendo, in quo tamen Pontifex legitima potest causa dispensare.

12. *Quid denique de effectu immunitatis?* A foro seculari immunes sunt Clerici, quod quidem priuilegium etiam ad eos, qui prima Tonsura initiantur, extenditur, de quo supra.

Caput III.

De Ministro, ritu, & suscipiente Ordines.

§. 1. *Minister Ordinis.*

13 *Quinam Minister Ordinum?* Ordinarius solus Episcopus est, quem nulla censura, aut irregularitas impedit; quo minus validè hoc conferat Sacramentum. Profectò Presbyteri Cardinales ministri etiam sunt minorum Ordinum in suis Titulis; & Abbates respectu suorum Regularium. Maiorum autem, excepto Sacerdotio, solus Presbyter potest minister esse ex iure extraordinario Pontificis. Inter Regulares ipsimet Abbates eorum Superiores etiam primæ Tonsuræ possunt esse ministri. Vbiverò Abbates non sunt, vt inter Mendicantes ad Episcopos diœcesium, in quibus habitant pro recipiendis ordinibus accedendum.

14. *An ad Abbates Ordinum maiorum collatio pertineat?* Minimè, sed ad loci Episcopos qui etiam eis ad illos dimissorias concedit, exceptis iis Religionibus, quarum Superiores id Pontificio priuilegio possunt.

15. *Ministri Ordinum obligationes euolue.* Ante ordinationem debet Episcopus generaliter ad cautelam ab omni censura absoluere, & in omni irregularitate dispensare, quantum potest, eos qui accedunt: & contentus diligenti examinatione non faciles aures exhibere occultum alicuius crimen proferenti.

ferenti. Porrò in ipsa Ordinatione materiam & formam ritè applicet; eos qui ordinibus initiantur, quando imprimitur Character, admoneat; absque grauis culpæ conscientia Ordines conferre curet, defectibus denique, si qui fortè incidant, sciat opportunè occurrere.

16. *Quid de Dimissoriis?* Episcopus concedit dimissorias, triplex quidem, aut Episcopus originis, aut Beneficij, aut domicilij. Episcopo absente eius Vicarius generalis. Et Capitulum vacante Sede post annum transactum.

17. *Ministrum Ordinarium Episcopatus indica.* Alij tres Episcopi sunt Ecclesiastico iure ab Apostolorum tempore; in quo tamen Pontifex dispensat. *Si exemptus Episcopus sit?* Papa consecrat, aut alius de ipsius commissione. Metropolitanum quidem Suffraganei tres consecrant, reliquis per literas consentientibus.

§. 2. *Ritus Ordinis, susci-piensque hoc Sacramentum.*

18. *Quænam ad ritum Ordinum pertinent?* Clericalis vestis, & tonsura in modum coronæ. Loci, temporisque circunstantiæ. Interstitiorum obseruatio. Vtque ne generalis interdicti tempore conferantur.

19. *Quinam capax Ordinis recipiendi?* Omnis homo, sed non omnis legitimè recipit.

20. *Inhabiles diuinò seu Ecclesiastico iure recense.* Diuino iure incapaces sunt fœminæ, non baptizati, & inuiti. *Quis per metum cogitur.* Ordinatus est, quia voluntate quantumuis coacta consensit; voto tamen non adstringitur; vnde Matrimonium contrahere, etiam absque illius dispensatione potest. Deinde infantes, furiosi, & amentes ordinandi non sunt.

21. *Quid si Ordinibus initientur?* Characterem recipiunt; quippe non sunt ad Ordinem inhabiles. Præterea naturali iure ad Ordines ministrandos apti non sunt perpetuò amentes, omnino cæci, muti, priuati manibus, & similes. Denique Ecclesiastico iure inhabiles sunt omnes irregulares hoc sensu, vt recipiendo peccent, & ab eorum vsu suspensi maneant, licet Characterem quidem recipiant.

22. *Quotnam requiruntur, vt Ordo sit validus?* Tria, debita materia, debita forma, & intentio tam Ministri, quàm recipientis, si adultus sit.

23. *Vt autem sit fructuosus, quidnam?* Requiritur in suscipiente conscientia sine mortali, recta intentio, ac vitæ probitas.

24. *Vt denique ritè sumatur?* Septem requiruntur. Primum, literæ dimissoriæ proprij Episcopi siue originis, siue Beneficij, siue domicilij. 2. Examen coram Episcopo. 3. Titulus

lus seu Beneficij, seu patrimonij, seu paupertatis in Regularibus. 4. Ordinata acceptio, vt scilicet non prius altior Ordo assumatur, quàm inferior. 5. Debita temporum interstitia seruentur. 6. Præscripta Ordinationum tempora. 7. Locus qui in solemni Ordinum collatione Cathedralis Ecclesia esse debet; in priuata autem Sacellum, & Capella.

25. *Ætatem ordinandorum aperi?* Ad primam Tonsuram & minores tres septennium completum. Pro Acolytho annus duodecimus completus. Pro Subdiacono viginti & duo. Pro Diacono 23. Pro Sacerdote 25. Omnes quidem incepti. Demum pro Episcopo trigesimus completus esse debet.

CAPVT IV.

Praxis circa materiam de Sacramento Ordinis ex Societatis IESV *Doctoribus.*

16. *Dixisti Episcopum debere esse proprium, vel cum proprij licentia, vt Ordines conferat; sub pœna quidem suspensionis per annum: rogo, an si Episcopus alienum subditum ordinaret cum spe rationabili eius ratihabitionis, censuram incurreret?* Docet *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 20. n. 13.* non posse Episcopum proprium huiusmodi ordinationem ratam habere. At *Reginaldus tom. 2. lib. 32. tract. 1. c p. 4. sect. 3. num. 15.* contrarium asseruit ex *c. vltim. 9. quæst. 2.* vbi factum D. Epiphanij allegatur eo modo in diœcesi D. Chrysostomi ordinantis. ¶ §. 1. De Ordinis Ministro. Sanch. Regin.

27. *Quandonam proprius Episcopus appellandus?* Aut ratione originis, v. g. si ordinandus, aut pater illius natus sit in alia diœcesi, etiam si tempore natiuitatis filij pater in aliam diœcesim domicilium transtulisset. Aut ratione domicilij, aut ratione Beneficij. Vnde si Episcopus suo familiari, aut famulo familiaris, statim conferat Beneficium, potest illum ante triennium ordinare; quia tunc non ordinatur titulo familiaritatis, sed Beneficij, ratione cuius in eius diœcesi domicilium acquirit. *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 25.*

28. *Scio, Episcopum ordinare non posse vel subditos in aliena diœcesi sine diœcesani Episcopi licentia: rogo, an possit hanc concedere Capitulum sedis vacantis, aut eius Vicarius?* Potest etiam infra annum non quidem pro subditis sedis va-

Henriq. cantis, sed ordinantis Episcopi. *Henriquez lib. 10. cap. 22. num. 1.*

29. *Inuitatur Episcopus ad ordinandum alienæ Diœcesis subditos: potest ne inibi sine alia venia suos ordinare?* Posse

Turr. quidem *Turrianus de censur. lib. 3. disput. 46. dubitat. vlt.* asseruit.

30. *Debet ne Episcopus præmittere edictum, ne quis ad Ordines suscipiendos accedat cum impedimento, sub censura?* Non debet, sed potius ad cautelam omnes absoluere in generali. *Recordatur quis postea sese illigatum aliqua censura, à qua poterat Episcopus ille absoluere.* Non indiget alia abso-

Filliuc. lutione, illa generali præmissa. *Filliucius tom. 1. tract. 9. c. 5. num. 99.*

31. *Quid si Episcopus per præconem protestatur, se irregulares, aut non habentes verum titulum, &c. ordines nolle?*

Lugo. Asserit *Card. Lugo de Sacram. disp. 81. sect. 7. num. 119.* non manere ordinatos, si re vera Episcopus talem haberet intentionem. Monet tamen huiusmodi protestationem ad terro-

Præp. rem fieri. Porrò *Præpositus in 3. p. q. vnic. dub. 17. n. 171.* omnes scrupulos tollit, asserens illam protestationem explicandam esse de illis illegitimis, & irregularibus, quos Episcopus tales cognouerit: non quos ignorauerit.

§. 2. *De subiecto Ordinum.*

32. *An ordinandus debeat prius Sacramentum Confirmationis accipere?* Asserit *Toletus lib. 3. cap. 71. num. 6.* sub peccati mortalis, & irregularitatis pœna. Alij negant adeò strictis verbis vti *Concilium Trid. sess. 22. cap. 4.* sed solum consulere

Tolet. Episcopus, vt non confirmatos non promoueant. Probabiliter ergo tam suscipiens, quàm conferens ordinem ante ordinandi Confirmationem, veniariter delinquit.

Requiri legitimam ætatem dixisti: rogo, an si vltimus dies ætatis sit inceptus, possit quis ante aliquot horas ordinari? Potest

Sanch. quia in fauorabilius dies cœptus pro completo habetur. *Sanchez opusc. tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 33. n. 6.*

33. *Scio ordinatum ante ætatem, suspensionem incurrere, præter Episcopum, aut minores Ordines suscipientem: rogo, an in Ordinibus maioribus excuset bona fides, aut ignorantia?* Excusat etiam vincibilis, & crassa; quia bulla lata est contra

Præp. præsumentes. *Præpositus in 3. part. quæst. vnic. de Sacr. Ord. dub. 17. n. 167.*

34. *Qui ex defectu legitimæ ætatis irregularitati est obnoxius, incurrit ne illam celebrando ipsa in ordinatione cum Episcopo?* Non; quia cum celebrat, nondum planè ordinatus, cum nondum absoluendi potestatem acceperit.

Gaspar

Gaspar Hurtado de susp. diffic. 15. num. 36. An Diaconus, & subdiaconus incurrant? Asserit ille; quia canentes Euangelium, & Epistolam illorum ordines perfectè collati supponuntur. At *Suarius disp. 31. sect. 1.* docet neque hosce irregulares; quia Ordinario vsque ad completum officium perseuerat. Hurt. Suar.

35. *Scio, ordinandos ab alio, quàm à proprio Episcopo debere habere dimissorias ab Episcopo, aut Capitulo sede vacante, & si sit Regularis, à Superiore suo: rogo, an Regularis Prælatus possit dare dimissorias ad quemcunque Episcopum?* Potest quidem, vt subditus ordinetur non solum à Diœcesano, sed eo absente, vel Ordinationes non habente à quocunque alio, ex priuilegio concesso Congregationi S. Benedicti Vallisol. à Clemente VIII. & deinde nostræ Societati Iesv à Gregorio XIII. cum amplitudine ad Nouitios, vt ait *Suarius tom. 3. de Rel. lib. 5. c. 16. n. 17.* Quæ amplitudo ad tollendos scrupulos expressa fuit; quia priuilegium Nouitios comprehendebat, cum hi omnibus professorum priuilegiis gaudeant. Suar.

36. *Requiri titulum in seculari ordinando, aut Beneficij, aut patrimonij, scio: rogo autem, an possit aliquando Episcopus dispensare?* Rarò quidem, v.gr. cum Collegiali docto, & insigni Collegij Salmanticensis Vallisoletani Sanctæ Crucis, aut Complutensis, &c. quia huic non deficiet cathedra, præbenda, aut Beneficium. *Henriquez lib. 3. cap. 37. num. 2. Gloss. litt. O.* Henriq.

37. *Ordinatur quis cum Beneficio ficto, peccat mortaliter: rogo, an incurrat suspensionem?* Ex *Henriquez lib. 13. c. 37.* negatiuè respondeo; quia suspensio illa *c. neminem, & c. Sanctorum*, in quibus suspenduntur ordinati absque titulo, iam reuocata est per *c. cum secundum 16. de præb.* Henriq.

38. *Potest ne, aut debet Clericus patrimonium fictè donatum retro donare?* Aliquis asseruit non teneri; quia clausula in donatione apposita de retro donando, cum sit contraria iuri, nullam inducit obligationem. At *Auila part. 3. disp. 5. dubitat. 5. conclus. 3.* docet in conscientia ad restitutionem obligari; quia in hoc foro donatio valet iuxta donantis intentionem. Porrò si restituat post susceptos ordines, antequam alia bona acquirat, vnde viuat, grauiter delinquere ait *Turrianus de cens. lib. 5. disp. 46. dubitat 1.* quia Concilij Trid. præscripta violauit non tamen incurrere suspensionem; quia hæc nullibi statuitur. Auil. Hurt.

39. *Ordines scio gradatim accipiendos; ordinatus enim per saltum incurret suspensionem Ordinis suscepti: an suscepti per*

saltum? Ita planè, non enim suspenditur ab exercitio aliorum Ordinum ritè susceptorum. *Suario de cens. cap.31. sect.1.* auctore.

40. *Recipi debent Ordines cum debitis temporis interstitijs, graviter scio delinquere, qui non seruant: rogo, an incurrat suspensionem?* Non; quia suspensio à Sixto V. sublata ex Clemente VIII. *Filliucius tom.2. tract.17.c.5.n.86.*

41. *Posse Episcopum in interstitijs dispensare, dixisti, pro necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ: exprime in specie.* Respondeo ex *Hurtado de Sacrament. Ordin. diffic.23.* posse ordinari sine interstitiis, qui habet beneficium; aut Capellaniam cum onere celebrandi. Et ex declaratione Cardinalium, qui in litteris, aut virtute multum profecit; quia hic ordinatus vtilis existet Ecclesiæ.

42. *An dispensatio interstitiorum quoad Regulares pertineat ad Episcopum?* Pertinet ad Superiores ipsorum Regularium ex priuilegio Gregorij XIII. concesso nostræ Societati. Quod quidem licet *Hurtado diffic.23.* ad solam Societatem restringit, ex *Suarij de Rel. tom.4. tract.8. lib.2.c.12.n.21.* sententia ad omnes Religiones communicantes est extendendum.

§. 3. *De Ordinis materia, & forma.*

43. *Materiam Sacerdotis duplicem esse asseruisti, traditionem Calicis cum vino, patenæ cum hostia: & manuum impositionem: an vtraque essentialis?* Asserit *Card. Bellarminus de Sacr. Ord. lib.1. c.9.* essentialem partialem, primam quidem ad potestatem consecrandi, secundam ad potestatem absoluendi. At *Valentia tom.4.d.9.q.1.p.5.* solam Calicis traditionem esse materiam essentialem docet, impositionem verò manuum solum Sacramentale ex præcepto adhibendum.

Bellar. Valent. Filliuc.

44. *Quænam subdiaconatus necessaria materia?* Ait *Filliucius tom.2. tract.9.cap.2.num.45.* duplicem esse traditionem Calicis vacui cum patena superposita, & traditio libri Epistolarum ex parietate rationis cum traditione Euangeliorum in Diaconatu. At *Coninch de Sac. d.20. dub.6. num.69.* solam Calicis traditionem necessariam materiam asserit. *An Calix necessariò consecratus ad id munus?* Negat *Henriquez lib.10. cap.5. Gloss. lit. F.*

Conin. Henriq.

45. *An debeat omnium Ordinum forma physicè cum materia coexistere?* Non, sed sufficit, coexistat simultate morali. *Granado in 3.p.contr.9.tract.1.d.6. num.16.*

Gran.

46. *Pro inualiditate Ordinis adsunt rationes probabiles: potest ne iterari?* Potest sub conditione, authore *Granado n.2.* *Debet ne?* Debet iterari Episcopatus, & Presbyteratus; ne

Episco

Episcopus non ordinandi, aut Presbyter non consecrandi, & absoluendi se periculo exponat, maximo cum fidelium detrimento. Id quod in inferioribus Ordinibus non procedit.

47. *An Diaconus, & Subdiaconus sæpius canentes Euangelium, & Epistolam in peccato mortali, mortaliter delinquant?* Negatiuè respondeo cum *Vasquez*; quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, vt est administratio Sacramentorum. Idem à fortiori dicendum de exercitio minorum Ordinum; quia probabile est hos non esse Sacramentum. §. 4. *De Ordine, varia.* Vasq.

48. *Num Ordo sacer per metum, aut vim susceptus Matrimonium dirimat?* Cum *Sanctio* assero non dirimere, nec impedire; quia votum ex graui metu factum nullum est. Sanch.

49. *Mala fide quis ante ætatem legitimam, vel sine litteris Dimissoriis, vel extra legitima tempora sacrum suscipit Ordinem.* In suspensionem incidere, & si celebrationi det operam, in irregularitatem cum *Auila* assero. Admonuerim, eum, qui bona fide id præstat, non incurrere suspensionem; neque irregularitatem si adueniente postea mala fide celebret. Quod si ob non legitimam ætatem sit, vbi ætatem legitimam attingat, poterit sine vlla dispensatione actum Ordinis bona fide suscepti exercere. eundem excreat Auila.

50. *Suscipit quis primam Tonsuram, vel minores Ordines cum intentione ad maiores non ascendendi; sed tantùm vt gaudeat priuilegio Clericali: delinquit ne mortaliter?* Negatiuè cum *Sanctio* respondeo. Sanct.

51. *An possit Episcopus die Dominica maiores Ordines iusta ex causa conferre?* Respondet *Henriquez* affirmatiuè si Dominica ista sit sequens Sabbatum, quo assolent conferri, & ieiunium Sabbati continuet vsque ad Dominicam. Henriq.

52. *An possit Episcopus extra Diœcesim propriis subditis primam conferre Tonsuram?* Posse *Azorius* ait; quia Ordo non est. Azor.

Quid si inuitatus in aliena Diœcesi fuerit ad Ordines conferendos? posset ne tunc etiam ordinare alienos habentes dimissorias suorum Episcoporum sine noua inuitantis Episcopi licentia? Ex *Toleti* placito assero posse, nisi manifesta Episcopi præscriptio ad solos subditos extendatur. Tolet.

53. *Accedit Regularis ad Presbyteratum Latinam linguam minus intelligens: potest ne ordinari?* Posse affirmo, si non ille ad animarum curam, sed ad chorum deputandus accedat.

54. *Num omnes Ordines Sacramenta sint?* Ex *Bellarmino* Bellar.

& aliis opinor Sacramenta esse. Vnde elicio minores Ordines in peccato mortali suscipere, mortale esse.

55. *Specialius assigna tempus, quo Ordines conferuntur?* Prima Tonsura, quæ ad Ordines est dispositio, potest quouis die conferri. Minores Ordines diebus festis, & quarta Feria quatuor Temporum, Episcopatus Dominica die; quia in ea Spiritus sanctus in Apostolos descendit. At Maiores Sabbato quatuor Temporum, & Paschæ, & mediæ Quadragesimæ dari solent. Non quidem conferuntur post prandium, nec Ordo sacer sine Missa. Ex *Emanuele.*

EXAMEN IX.

Circa materiam de Sacramento Matrimonij.

CAPVT PRIMVM.

De Matrimonij essentia, indissolubilitate, Ministro, solemnitate, Diuortio.

§. 1. *Essentia Matrimonij.*

1. *Vidnam est Matrimonium?* Considerari potest tripliciter. Vt officium naturæ ad liberos procreandos: vt remedium concupiscentiæ, ad seruandum in voluptatibus modum: vt nouæ legis Sacramentum, ad onera Matrimonij diuina gratia subleuanda. Profectò, vt naturæ est officium, definitur: Coniunctio legitima maritalis viri ac fœminæ in vsum coniugij indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Vt verò Sacramentum est, dicitur: Signum sacrum gratiam conferens, qua & reprimere concupiscentiam, & fideliter cohabitare, ad prolem educandam coniuges valeant.

2. *Quænam huius materia Sacramenti?* Remota quidem contrahentium corpora sunt: proxima verò mutua corporum traditio.

3. *Formam exprime.* Forma est mutua ipsorum corporum traditorum receptio, aut acceptatio iisdem expressa signis.

4. *Minister quisnam?* Ministri quidem contrahentes ipsi sunt; Parochus quippe principalis est testis. Hinc Matri-

monium

monium medio procuratore contractum validum est, si post Tridentinum coram Parocho & testibus fiat. Id quod de Matrimonio celebrato per litteras, si eadem adsit solemnitas, affirmo.

5. *An possit dissolui Matrimonium?* Indissolubilitas proprietas est Matrimonij, diuino iure positiuo Christi in lege Euangelica omnimoda, diuino autem naturali iure aliqua competens. Porrò consummato coniugio insolubilitatem conuenire etiam ei, quod inter infideles celebratur, affirmo. Scio tamen dispensatione Christi Matrimonium antea initum, per alterius conuersionem ad fidem, vtroque conuerso ante consummationem, separabile esse. Quod autem inter fideles consummatum est, omnino est insolubile. Tunc autem consummatum esse censetur, quando semen in vase naturali receptum sit, quacunque id ratione accidat. §. 2. *Indissolubilitas.*

6. *Quid si vi copula extorta fuisset?* Consummatum reddit Matrimonium. At probabile iudico sponsam vi cognitam intra tempus bimestre ad Religionem se posse recipere.

7. *Ratum ne & non consummatum est insolubile?* Pontificis summi dispensatione solubile est, iusta obueniente causa; seu Professione Religionis alterius, aut vtriusque accidente.

8. *Reliquos Ministros Matrimonij assigna.* Parochum & duos testes adhibe, qui quidem debēt adesse coniugio, etiam si in mortis articulo esset contrahendum, nec in eo Episcopus quacunque cogente necessitate valet dispensare, vbi fideles Tridentini legibus illigantur. §. 3. *Ministri Matrimonij.*

9. *Parochi conditiones expende.* Debet esse alterutrius contrahentium siue in propria parochia, siue in aliena Diœcesi, quo ad valorem. At de præcepto illius parochiæ debet esse Parochus, in qua Matrimonium celebratur. Non est necesse vt sit Sacerdos, nisi à Parocho esset assignatus; tunc enim haud potest assignare non Sacerdotem ex Congregationis Cardinalium declaratione. Præterea titulum coloratum habere debet, hoc est, à legitimo Superiore collatum, & eum communiter existimatum verum. Ordinarius Parochus dicitur is, quem ad audiendas Confessiones Episcopus deputauit.

10. *Num requiritur specialis licentia ad assistendum Matrimonio?* Satis est generalis exercendi ea, quæ ad curam pertinent animarum. Tacitam etiam ex ratihabitatione de præsenti sufficere affirmo.

11. *An verba illa à Parocho prolata:* Ego vos in Matrimonium

monium coniungo,&c. *Necessaria sint?* Ad valorem minimè; ad obseruantiam præcepti aptè proferuntur.

12. *Sufficit ne quæcunque Parochi, ac testium præsentia?* Sufficit planè, etiamsi coacta sit, modò adsit aduertentia, & rationis vsus.

13. *Idem ne de licentia Parochi affirmandum?* Profectò sufficit licentia quæcunque dolo, ac mendaciis impetrata. Imò & testes quoscunque modò sint præsentes satis esse affirmo.

§. 4. *Diuortium.*

14. *De diuortio quidnam?* Diuortium quidem legitima coniugis à coniuge est separatio, quoad totum, & habitationem.

15. *Diuortij causas indica.* Prima est alterutrius adulterium; sub quo quidem etiam alius innaturalis concubitus infandus, in quo caro cum alio diuiditur, comprehenditur. Secunda hæresis, vel apostasia à fide. Tertia alterius coniugis sæuitia. 4. Inductio ad peccatum diuortij legitimi causa esse potest.

16. *An detur compensatio vlla?* Profectò, vnus coniugis adulterium alterius adulterio compensetur, vel condonetur, *Vel* absque culpa adulterari contingat, diuortij ius amittitur. Cum autem compensatio fit altero adulterante, non refert alterum sæpiùs deliquisse. Certè non habet locum huiusmodi compensatio, quando post diuortij sententiam innocens cadit in adulterium. Præterea condonatio fieri etiam potest, aut copula scienter habita ab innocente cum adultera, aut cohabitatione, & retentione in consortio maritali. Denique adulter ante sententiam suum crimen cum hæresi compensare nonpotest; post sententiam autem hæreticus non potest vti adulterio pro compensatione.

CAPVT II.

De causa efficiente Matrimonij, id est, de consensu.

17. POtest ne sine mutuo consensu iniri Matrimonium? Tam necessarius quidem mutuus consensus, vt humana potestas aliquos Matrimonio iungere sine ipsorum consensu non possit.

18. *Quænam consensus huiusce materia?* Ius in corpora, ex quo

quo tanquam in effectum in ipsam copulam ex vi contractus consensus ipse fertur.

19. *Finis huius consensus quisnam?* Bonum Sacramenti prolis,& fidei, idque saltem implicitè contrahentes debent intendere.

20. *Sufficit ne consensus internus?* Profectò externus esse debet,verbis,aut signis expressus; vnde solis nutibus contractum,Sacramentum est. *matrimonium,*

21. *An necessariò simul tempore vtrumque consensum prastari?* Satis est simultas moralis.

22. *Quid si fictus alterius consensus fuisset?* Denuò verè consentiat necessum est,saltem internè.

23. *Subest aliquis error aut facti, aut iuris.* Si vterque tamen consentiat quantum in ipsis est,validum est Matrimonium.

24. *Contracto aliquo Matrimonio, quod ex errore validum existimatur, denuo consentitur in illud: num erit validum?* Non ideo conualidatur, sed tantùm ratificatur contractum, quod nullum est.

25. *Impetrata dispensatione, vel impedimento cessante, de nouo consentiendum est in Matrimonium antea scienter nullum.* Tunc vtriusque coniugis consensus requiritur externè quidem renouatus.

26. *Ratificandum est Matrimonium inualidum ob occultum impedimentum.* Coniux inscius de priori nullitate certior fieri debet, celata nullitatis causa, & renouandus consensus.

27. *Scandalum timetur, aut rescissio Matrimonij cum infamia.* Eo in casu satis erit cautè inscij consensum de nouo exquirere,dissimulata nullitate. Monuero Confessarios,impedimentum coniugibus in bona fide viuentibus non semper manifestandum esse,sed vel cùm ab ipsis dubitantibus interrogatur de veritate, aut cùm probabilis spes profuturæ esset admonitionis.

28. *Metus ne reddit inualidum Matrimonium?* Si ad Matrimonium extorquendum incussus non est,minimè.Porrò si incussus est ad extorquendum Matrimonium,irritat in vtroque foro,quando grauis & iniustus fuit; si autem iustus est, non vitiat,nec leuis iniustus. Profectò metus iure solùm Ecclesiastico Matrimonium inualidat. Nemo igitur cogendus ad nuptias nec à parentibus,nec à principe, at suauiter allici non quisquam prohibetur.

29. *Quid si inuitis parentibus quis Matrimonium ineat?* Validum

Validum planè erit, tamen si iustam causam non habeat, parentibus inuitis, contrahendi, eorum consilium tenetur exquirere, non tamen sequi.

30. *Quid autem si quæ parentibus inuitis sit nupta?* Si filia minor vigintiquinque sit annis, Ciuili iure exhæredari à patre post, Canonico minimè. Maior si nubat, tenetur parens dotare.

31. *Potest ne consensus conditiones recipere?* Potest quidem, licet Matrimonium ipsum per se minimè recipere valeat. Vnde generaliter contrahentium intentioni standum est, si de foro conscientiæ agatur. Si dubius animus sit apponentis conditionem, externi fori præsumptioni credendum, conditionéque reiecta, Matrimonium valere iudicandum. In dubio denique pro vtroque foro, pro Matrimonio feratur iudicium.

CAPVT III.

De Matrimonio Clandestino. Vbi de denunciationibus.

32. *Matrimonium Clandestinum quid?* Quod clam, siue furtim sine præscripta Ecclesiæ sit solemnitate.

33. *Quotuplex est?* Duplex; Primum, quod sine Parocho & testibus; secundum, quod absque denunciationibus contrahitur. Vtrumque Clandestini pœnis subiicitur; tam enim contrahentes, quàm assistentes grauibus à *Tridentino sess. 24. cap. 5.* flagellis percutiuntur.

34. *Num primum coniugium Clandestinum sit validum?* Ante Concilium Tridentinum Matrimonium sine Parocho & testibus validum erat, & nunc etiam est validum apud terras, in quibus Tridentinum receptum non est. Vbi verò eius decreta recepta sunt, irritum est, tum personis redditis inhabilibus ad contrahendum, tum irrito facto contractu, vnde etiam inualidum manet Sacramentum.

35. *Validum ne secundum Clandestinum coniugium?* Matrimonium absque denunciationibus contractum, validum quidem est; attamen Parochus assistens & ipsi contrahentes mortaliter peccant, nisi Episcopus alterutrius contrahentis iusta ex causa dispenset.

36. *Tenetur ne Episcopus dispensare ne præcedant denunciationes?*

tiones? Aliquando tenetur, v. gr. cùm timentur scandala, & malitiosa impedimenta. Aliquando non tenetur, sed gratiosa eos potest concessione donare.

37. *Quid si ante denunciationes Matrimonium celebretur?* Consummari non debet ante ipsas; vti appareat num aliquod dirimens impedimentum exsurgat.

38. *Licet ne ante benedictiones sponsos de præsenti consummare?* Licet absque mortali saltem culpa; ne fornicandi periculo se contrahentes exponunt.

39. *Ad quidnam tenetur, qui impedimentum aliquod adesse novit?* Qui vi denunciationum aliquod impedimentum noscit, etsi occultum sit, secreto modo extra Sacramentalem Confessionem tenetur Superiori denunciare. *Quid ipsi contrahentes?* Ipsi etiam ab Ordinario de occulto interrogati impedimento veritatem tenentur profiteri.

Caput IV.

De Sponsalibus.

40. *Sponsalium exprime definitionem.* Sunt futurarum promissio nuptiarum. Hinc adulterium non esse concubitum cum alterius sponsa patet. At *Filliucius* docet circunstantiam ab sponsa esse considerandam; quia magna sponso irrogatur iniuria. §. 1. *Sponsalia.*

41. *An promissio mutua sit necessaria?* Ita planè, quæ quidem externa debet esse, obligans suo in genere & mortaliter. Ad eam sufficiens deliberatio, & animus se obligandi requiritur. Verba communi intelligentiæ accommodata esse debent. *Si dubia essent?* Intentioni contrahentium standum est in conscientiæ foro.

42. *Num verbis deficientibus possit aliunde expressio consensus, aut promissionis suppleri?* Subharratio annuli, vbi ea consuetudo vigeat, signum est sufficiens loco verborum. Præsentia etiam & taciturnitas ipsa filiorum, parentibus contrahentibus pro illis, satis est, modò ipsi saltem interne consentiant.

43. *An ficta sponsalia valida sint?* Nulla quidem sunt ex defectu consensus. Si tamen alia vera illis subsequantur verba, valida erunt sponsalia. Porrò ficte contrahens debet verè consentire.

44. *Num*

44. *Num Clandestina sponsalia & valida, & licita?* Sunt planè, etiam post Tridentinum. Nec quidem contrahentium notabilis disparitas, intercedente scientia, illa reddit irrita.

45. *Quinam sunt habiles ad sponsalia contrahenda?* Ij inter quos nullum est impedimentum, & adest ætas à iure præscripta, scilicet completum septennium, nisi malitia suppleret ætatem.

46. *Oritur ne ex sponsalibus aliqua obligatio?* Implendi quidem sub mortali. *Quandonam implenda promissio?* Si nullus terminus est præfixus, satis est ei qui promisit, si tum impleat, quando ab eo requiritur, cui promissio est facta. Profectò qui absque iusta causa recusat implere aut termino præfixo transacto, aut quando sponsus vnus requirit, post monitionem per censuram cogendus est, nisi exitus non felix timeatur.

47. *An pœnæ, siue arrhæ valeant?* Pœnæ quidem sponsalibus adiectæ irritæ sunt, etiamsi iuramento firmarentur. Arrhæ autem valent, per violatorem quidem amittendæ. Scio alia interuenire pacta posse pro Matrimonij securitate.

§. 2. *Sponsalium dissolutio.*

48. *Quesnam modis sponsalia dissoluuntur?* Primò, lapsu præfiniti temporis appositi in sponsalibus, & absentia alterius in longinquam Regionem. Secundò soluit superueniens fornicatio, morbus, inimicitia, notabilis morum asperitas, sæuitia. Tertiò, idem præstat impedimentum iuris, si dirimens sit. Quartò, soluuntur per Matrimonium de præsenti cum alia; eóque soluto, ad priora sponsalia non manet obligatio. Quintò, mutuo dissensu, si impuberes ambo sint, vel eorum alter. Solo impuberis dissensu pubertate adueniente laxantur, nisi iurata sint. Sextò, Religionis ingressus, etsi iurata essent, sponsalia soluit; sed is licitus non esset, quando virgo sub eorum spe esset defiorata. Septimò, idem efficit Religionis votum; non autem castitatis, vt probabilius iudico. Octauò denique ad sponsalia dissoluenda causa, quæ sufficiens est, si subsequatur, erit etiam sufficiens, si præcessit, & fuit ignota.

49. *An requiratur iudicis authoritas ad dissoluenda sponsalia?* Si occurrens causa sit certa de iure, non requiritur: item si certa sit de facto; si autem dubia, vel occulta, & publica sponsalia, iudicis requiritur authoritas.

CAP.

CAPVT V.

De debito coniugum.

50. *SCio ex sponsalibus & Matrimonio mutuæ redditionis consurgere obligationem, ipsumque coniugalem actum ex se licitum esse, & absque culpa exerceri posse. Rogo num redditio hæc obligatoria sit?* In præcepto quidem est, siue expresè, siue tacitè petitio fiat.

51. *Potest ne coniux adhibere medicamina, vt sese debiti reddendi impotentem reddat?* Non potest absque culpa lethali illicitis mediis se coniux impotentem ad debitum soluendum efficere. Ieiunia tamen & alia ex deuotione moderatè, & prudenter obseruare potest.

52. *Exhibeas precor regulam ad cognoscendum, quandonam alter petendo peccare possit, alter verò reddendo non delinquat?* Si petere peccatum est ob circunstantiam personalem tantùm, non est peccatum reddere, v.g. in habente votum castitatis, & reddente. Si verò peccatum sit petere ob ipsius actus circunstantiam, tunc etiam reddere peccatum erit.

53. *Coniugum alias exprime obligationes.* Ad cohabitandum tenentur, eademque mensa, & lecto saltem vt plurimum, regulariter vti, nisi ex iusta causa excusentur; ad idque possunt Censuris adigi. Præterea coniugalis actus bonus est si ob prolem fiat, vel ad debitum reddendum; ob alios fines veniale non excedit, v.g. ob delectationem, sanitatem, & similes.

54. *Num dies festus, aut Communio vsum coniugij prohibeat?* Dies minimè, Eucharistia autem sumenda illum quidem non vetat ex præcepto, sed admonet abstinentiam ex consilio.

55. *An sacro in loco licitus sit actus coniugij?* Sacer locus sub mortali respuit huiusmodi actum, extra casum necessitatis.

56. *Num delictum in modo?* Modus quidem dummodo debitum vas seruetur, rarò mortale saltem peccatum inducit.

57. *Est ne copula simul complenda?* Si possit, complenda esset simul; si non possit, alteri expectandum, dum perficit alter, non autem est necesse.

58. *Quid si vir incidat in impotentiam?* Si in eam incidit impotentiam, vt intra vas non valeat seminare, debet abstinere ab actu maritali. Si sit complendi spes, conan-

do non delinquit; quia tunc accidentaliter extra vas profundit.

59. *Potest ne coniux desistere à copula incepta?* Vir quidem absque causa non potest, donec perficiat, si fœmina perficit.

60. *Menstruane, aut prægnatio impediunt à copula?* Menstrua minimè. Prægnatio autem fœminæ tunc, quando periculum abortus timeretur, aut damnum graue fœtui obueniret, aut manifestum periculum effusionis seminis instaret. Profectò cum propriæ salutis damno nemo reddere tenetur.

61. *Coniux impedimenti alicuius conscius est.* Nec petere, nec reddere potest. *Dubius est solummodò.* Reddat tantùm, & post adhibitam diligentiam petat etiam.

62. *Quid si Matrimonio ex copula cum consanguinea affinitas superueniat?* Intra gradum secundum non petat, nisi prius dispensetur.

63. *Licent ne tactus venerei inter coniuges?* Si referuntur ad copulam, liciti sunt. Si ad maiorem voluptatem capiendam, veniales. Si ad pollutionem extra vas, vel cum illius morali periculo, mortales sunt.

64. *An liceant sponsis aliqui tactus?* Oscula, aliique honesti tactus licent, alios prohibitos esse affirmo.

Caput VI.

De impedimentis dirimentibus.

§. 1. *Impedimenta dirimentia.*

65. *Scio solius Ecclesiastici Principis munus esse Matrimonij quà Sacramentum est, impedimenta statuere, ad quæ quidem iusta causa requiritur; huiusmodi potestatem sibi soli ex generali consuetudine Papam reseruasse, mortalémque culpam esse, cum dirimente impedimento contrahere. Rogo quotuplex sit impedimentum?* Duplex equidem, & impediens, & dirimens; illud impedit ne Matrimonium fiat, hoc factum relaxat.

66. *Quot sunt impedimenta dirimentia?* Iuxta ius antiquum sunt duodecim: iuxta nouum autem quatuordecim. Hisce carminibus vulgariter expressa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.

Si

Si sis Affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuæ:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

67. *Errors impedimentum expende.* Error circa personam siue sit antecedens & causa contractus, siue comitans, & causa, vt actus voluntarius non fiat, dirimit Matrimonium. v. gr. Mariam accipio mihi persuasus Catharinam esse, quam sic ad coniugium expeto, vt minimè ducerem Mariam. Profectò error circa qualitatem non vitiat coniugium, nisi per modum conditionis ea qualitas, in qua erratur, apponeretur. §. 1. *Error.*

68. *Conditionis impedimentum exprime.* Conditionis seruilis error in contractu liberi cum ancilla, vel serui cum libera irritat Matrimonium, licet seruus pro determinato tempore liber esset futurus. §. 3. *Conditio.*

69. *Quid si huiusmodi error deteriorem errantis non efficit conditionem?* Non dirimit. *Dominus seruum tradit liberæ nescienti seruitutem.* Hoc ipso à seruitute liberat, vt iniuriam resarciat. Idem affirmo, si dominus tradat ancillam libero seruitutis conscio, & ancillam per instrumentum dotet; fit enim illa hoc ipso libera, & in vtroque casu Matrimonium est validum.

70. *Num seruus domino inuito possit Matrimonium inire?* Potest, nec propterea potest à domino puniri, nec vsum Matrimonij valet dominus impedire. Verùm sic Matrimonio contracto, illi potiùs obsequendum, cuius necessitas magis vrget; cæteris paribus, coniugi potiùs satisfaciendum.

71. *Quid de filiis?* Conditionem matris sequuntur quoad seruitutem; quoad honores autem & notabilem conditionem patris.

72. *Voti explica impedimentum.* In approbata Religione votum solemne, aut simplex in nostra Societate irritat Matrimonium subsequens. §. 4. *Votum.*

73. *Cognationis impedimentum preme.* Impedit Matrimonium carnalis cognatio: vinculum scilicet personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum, Impedit etiam spiritualis cognatio; impedit & legalis. Profectò naturalis distinguitur per lineas ascendentium, descendentium, & collateralium; & per gradus, ex quibus vsque ad quartum hodie consanguinitas iure Canonico dirimit. Profectò in primo gradu tam in linea recta, quàm collaterali naturali iure irritum est Matrimonium; in aliis autem, licet sit probabile in linea recta in infinitum §. 5. *Cognatio.*

dirimi : attamen probabilius arbitror, ad eum tantùm terminari, ad quem generantis virtus non ampliùs peruenit. Certè Pontificia dispensatione iusta de causa in omnibus iniri potest coniugium, excepto primo. In cuius expositionem adnoto in cognatione duplicem esse lineam, rectam & transuersalem. *Recta* est, quando multi successiuè de vno procedunt. v. g. filius à patre, nepos à filio: &c. *Transuersalis* autem, quando multi de vno descendunt, sed non successiuè vnus ab alio sicut in Recta : v. g. ex patre duo filij, ex his duobus filiis alij duo, &c.

74. *Quonammodo huiusce cognationis gradus dignoscentur?* Duplicem regulam exhibeo. Prima quidem ad lineam rectam numerus graduum numerum personarum æquat, vna sublata : v. gr. pater ac filius sunt duo, vna sublata persona, altera remanet, vnde primo in gradu pater & filius aderunt. Secunda verò ad lineam transuersalem, duabus propositis personis ex eadem radice procedentibus, in eodem aderunt inter se gradu, quo ipsi cum radice à qua procedunt, insunt : v. gr. duo fratres vnius parentis filij primo in gradu sunt, inter se, quia vterque cum parente primo in gradu versatur : item duo consobrini secundum inter se gradum æquabunt ; quia singuli secundo in gradu cum ipsorum auo consistunt.

75. *De spirituali cognatione quid?* Est spiritualis cognatio Ecclesiæ statuto consurgens ex collatione Baptismi, & Confirmationis : & susceptione baptizati, & confirmati. *Cognatio hæc Matrimonio contracto superuenit.* Non dirimit ; ad summum impedire debiti petitionem affirmarim. *Inter quosnam contrahitur?* Inter baptizantem & baptizatum, huiusque patrem, & matrem ; inter susceptorem item, & susceptum huiusque patrem, & matrem. Idem assero in Confirmatione accidere.

76. *Cognationem denique legalem explica.* Propinquitas quædam est ex adoptione proueniens : adoptio autem ex legitima extraneæ personæ in filium, vel nepotem assumptio, quæ tunc perfecta est, cùm adoptatus in adoptantis transit potestatem, illique succedit vel tanquam necessarius hæres, ex testamento in quarta parte ; vel tanquam filius ab intestato in totum.

77. *Adoptionis imperfectæ differentiam exprimè.* Hoc à perfecta prædicta differt, quòd per eam non transit adoptatus in adoptantis potestatem, nec illi tanquam necessarius hæres ex testameno succedit, sed tantùm ab intestato.

78. *Denique*

78. *Denique cognationis huiusce species adnota.* Tres sunt. Prima in linea recta inter adoptantem,& adoptatum. Secunda à latere inter adoptatum & filios carnales adoptantis. Tertia per modum affinitatis inter adoptatum & vxorem adoptantis;& inter adoptantem & vxorem adoptati.

79. *Quanam igitur cognatio legalis dirimit?* Perfecta tantùm dirimit Matrimonium subsequens quo ad omnes eius species; imperfecta autem impedit tantùm ne fiat. Porrò ad gradum quartum se extendit descendentium adoptati, eorum videlicet, qui dùm is adoptatus fuit in adoptati erant potestate.

80. *Criminis discutiamus impedimentum.* Crimen duplex. Primum Adulterium cum machinatione mortis alterius coniugum, quod dirimit Matrimonium subsequens cum quocunque alio. Admonuerim tamen necessarium esse, vt Matrimonium contra quod est facta machinatio, verum sit: vt machinatio sortiatur effectum,subsecuta scilicet coniugis alterius nece: vt homicidium sit vxoris, nam si vir occidatur, secundùm aliquos non incurritur impedimentum: vt tam mortis machinatio, quàm adulterium interueniat, nisi vterque ad necem sit cooperatus; tunc enim adulterium non requiritur: vt quando alter machinatus est mortem, adulterium commissum sit vtrique notum: vt homicidium coniugis eo fine factum sit, vt cum altero coniugium texatur. Secundum delictum est adulterium cum fide data, vel adulterium cum Matrimonio de facto; in vtroque casu irritum est. Ad id autem requiritur, vt prius matrimonium validum fuerit:vt adulterium coniunctum sit, vel cum promissione futuri Matrimonij, vel cum Matrimonio de facto, vt promissio Matrimonij sit externa, quamuis ficta,modò fictio non appareat: vt adulterium scienter factum sit, vtroque scilicet sciente alterum esse coniugatum. Vt promissio facta ab vno, ab altero sit acceptata: vt adulterium perfectum sit, & consummatum. §. 6. *Crimen.*

81. *Disparitatis cultus impedimentum exponas.* Matrimonium fidelis baptizati cum infideli Gentili,Iudæo,Mahometano Ecclesiastico iure dirimitur; non quòd aliqua sit lege expressum, sed quod Christiani populi consuetudo vim legis habens obligationem inducit. §.7. *Disparitas cultus.*

82. *An Matrimonium Catholici cum hæretico coniuge sit validum?* Prohibitum quidem est iure Canonico, sed validum, & accedente Pontificis dispensatione licitum; modò nullum in Catholico adsit subuersionis periculum.

§. 8. *Vis.*

83. *Vim explicare aggrediamur.* Nullum quidem est Matrimonium vi, aut metu qui in constantem virum cadat, contractum. Profectò si post vim consentiat coniux, adueniátque maritalis actus, validatur.

§. 9. *Ordo.*

84. *De Ordinis sacri impedimento dissere?* Subsequens Matrimonium sola Ecclesiæ constitutione dirimit. *Potest ne quis post Matrimonium Ordinem sacrum suscipere?* Requiritur, vt liceat, vxoris licentia. Præterea vt si manens in seculo senex sit, & absque suspicione incontinentiæ votum castitatis emittat: si iuuenis, vt Religionem ingrediatur. Defuncto autem viro transire non potest ad alias nuptias ob votum Castitatis emissum.

85. *Quid si virum ad Cardinalatum, vel Episcopatum promoueri contingat?* Vxor in Religione cogitur profiteri.

86. *Amittit ne aliquid Clericus si fortè ad validum transit Matrimonium?* Ipso iure Ecclesiastica Beneficia amittit, sub quibus etiam pensiones continentur, titulo collatæ Clericali. Tamen priuilegio Canonis & fori gaudere potest, si vnicam virginem ducat; habitum, & Tonsuram gestet.

87. *De transeunte autem ad Matrimonium inualidum quid?* Coniugium iniens dum est in sacris, ipso facto incurrit excommunicationem. Contra verò si coniugatus absque vxoris licentia ad sacros Ordines accedat, efficitur irregularis, hoc est: neque in susceptis ministrare, nec ad Superiores suolare poterit.

§. 10. *Ligamē.*

88. *Quid ligaminis impedimentum?* Ligamen est vinculum prioris Matrimonij, quo constante, secundum est initum. Poligamia Diuino iure in lege Euangelica est prohibita. Profectò vnum virum plures habere vxores posse fuit cum Israëlitico populo dispensatum; quia non erat contra primarium Matrimonij finem, qui prolis educatio, & generatio est: at plures viros vnam habere vxorem naturali est iure interdictum.

§. 11. *Publica Honestas.*

89. *Publica honestatis impedimenti adnecte expositionem.* Publica honestas est propinquitas ex sponsalibus, vel Matrimonio rato proueniens; quando scilicet desponsatus quis cum Maria, nubit postea cum Catharina sorore Mariæ. Nullum est huiusmodi coniugium. Quod si cum secunda copulam ineat, prohibetur cum vtraque Matrimonium instituere. Profectò quæ ex sponsalibus prouenit, non excedit primum consanguinitatis gradum tam in recta, quàm in tranuersa linea. At quæ prouenit ex Matrimonio rato, perdurat etiam nunc vsque ad quartum.

90. *Affini*

90. *Affinitatis iam impedimentum euoluamus.* Propinquitas est personarum ex carnali commixtione proueniens affinitas, omni carens parentela. Eius gradus numera, quemadmodum consanguinitatis gradus annumeraſti; quia quoto gradu quis consanguineus est viri, vel fœminæ cognitæ, eodem est viro vel fœminæ affinis. §. 12. *Affinitas.*

91. *Quotuplex linea?* Duplex, vna ascendentium & descendentium, v.g. Socer & vitricus, socrus & nouerca, gener & nurus; priuignus & priuigna; altera collateralium; eorum scilicet, qui alteri coniugi consanguinei sunt.

92. *Quando maris semen in fœminis vas non immittitur, contrahitur affinitas?* Minimè. *Vsque ad quemnam gradum dirimit?* Si ex copula licita, nempe ex Matrimonio oriatur, dirimit vsque ad quartum; si ex fornicatione, vsque ad secundum, ex Tridentini restrictione.

93. *An affinitas dirimet iure Ecclesiastico, an iure naturæ?* In primo gradu rectæ lineæ probabile est iure naturæ dirimere, in reliquis tantùm Ecclesiastico.

94. *De impotentiæ impedimento disseramus.* Si impotentia coëundi sit absoluta, & perpetua in viro, (frigiditatem voco) subsequens irritat Matrimonium; nec satis est fœmineum vas penetrari, si intra illud etiam non seminetur. Profectò in fœmina impotentia hæc arctitudo appellatur, quæ si tanta sit, vt semen recipere intra vas non queat, etiam irritat: secus, si tantùm absque vitæ periculo parere non possit. §. 13. *Impotentia.*

95. *Impotentia tantùm est respectiua, cum fœmina hæc haud est illi viro apta; & è contra.* Tunc quidem si huiusmodi respectiua impotentia sit perpetua, etiam dirimitur Matrimonium illius viri aut fœminæ respectu.

96. *Quandonam censetur hæc respectiua impotentia perpetua?* Quando nulla humana arte absque corporali periculo potest remoueri. *Si fœmina iam sit nupta, & medicorum iudicio per incisionem apta viro reddi possit?* Teneri iudico citra mortis, aut grauis morbi periculum pati incisionem. *Suppono impotentiam solùm esse accidentalem, siquidem ex sola senectute id prouenit.* Matrimonio non obstat.

97. *Quid si impotentia sit in maleficio.* Si perpetua sit, subsequens irritat Matrimonium. Verum censetur perpetua esse, si tolli non possit sine alio maleficio, vel sine miraculo. Item cùm constat post triennium experientiæ eodem modo remanere, perpetua præsumitur impotentia.

98. *Si temporalis solummodò sit, siquidem ex ætatis accidat defectu, vt ante pubertatem?* Irritum est Matrimonium Ec-

cleſiaſtico iure, ſi poſt pubertatem adhuc potens non ſit. Conſulo maturius tempus expectari.

99. *Matrimonium, deſperata iam ſalute, mortis tempore celebratur: validum ne eſt?* Ita planè; quia accidentaliter tunc vir impotens ad prolem. Profectò proles iam antea habita, ſi naturalis ſit, legitima redditur.

100. *Poteſt ne Hermaphroditus Matrimonium inire?* Poteſt quidem iuxta ſexum, qui præualet. *Vterque æqualis eſt.* Eligat, quem velit. At eo electo, alium non poteſt eligere.

101. *Diſſoluitur Petri Matrimonium: non poteſt aliam ducere vxorem?* Si diſſolutum fuit ratione frigiditatis in ipſo, prohibitus eſt ei tranſitus ad alias nuptias. Si autem diſſolutum eſt ratione arctitudinis in fœmina, diſſimili alij viro potenti ad ipſam poteſt copulari coniugio. Si denique ratione maleficij ſit diſſolutum, vterque tranſire ad ſecundas nuptias poteſt.

102. *Impotentia Matrimonium prius conſummatum ſubſequitur?* Non dirimitur; quia iam fuit conſummatum. *Si autem ratum ſolummodo?* Probabilius reputo non diſſolui.

103. *Quid ſi coniuges coïre non poſſint, aut ſemen prolificum non eſſe cognoſcatur?* Si non poſſunt coïre, à copula abſtineant. Si poſſint, etiamſi ſemen prolificum non ſit, copulari non prohibentur. Profectò ad impotentiæ capiendum experimentum, triennium conceditur, cum dubia eſt.

§. 14. *Raptus.*

104. *Dixiſti iam Clandeſtinum Matrimonium iure nouo prohibitum, vbi Tridentini viget obſeruatio. De raptu, nouo etiam impedimento appoſito quid dicendum?* Raptus quidem peccatum luxuriæ eſt, quo perſona aliqua cum violentia abducitur ad turpem actum cum ea exercendum. Vnde ad raptum tria requiruntur, violentia, abductio, & vt cauſa libidinis fiat. Ad pœnas autem incurrendas requiritur, vt mulier rapta honeſtæ ſit vitæ. Hoc quidem impedimentum impediens erat iure Canonico, at nouo Tridentini iure dirimens eſt pro tempore, quo rapta exiſtit ſub raptoris poteſtate, nec ſeparata eſt, & tuto in loco, ac libero conſtituta. Pœnas denique infamiæ incapacitatis omnium dignitatum vltra obligationem dotandi decenter raptam arbitrio iudicis raptor incurrit, cùm raptus ſit cauſa, cum rapta Matrimonium contrahendi.

CAP.

CAPVT VII.

De impedientis Matrimonium impedimentibus.

105. *IAm impedimenta Matrimonium impedientia solummodò, recole.* Hisce carminibus exprimuntur. §. 1. *Impedientia.*

Ecclesia vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, aut Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat; prohibent hæc coniugium sociandum.

106. *Quotnam igitur impedimenta huiusmodi sunt?* Quinque. Primum dicitur interdictum iuris, tempus scilicet feriatum, v.gr. Aduentus, & Quadragesimæ, in quo prohibitæ sunt nuptiæ quoad benedictionem scilicet, & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi. Igitur Matrimonij contractum traductionem sponsæ in domum sponsi, consummationémque ipsam prohibitam non esse affirmo, modò absque solemnitate fiant, & alicubi contraria consuetudo non vigeat.

107. *Exprime Catechismi impedimentum.* Secundum est Catechismus, imperfecta scilicet cognatio quædam spiritualis orta ex eo, quòd quis puerum baptizandum teneat in Catechismo respondendo Sacerdotis interrogationibus. Hæc quidem Matrimonium subsequens cum iisdem personis, cum quibus dixi spiritualem cognationem impedire. Non desunt qui asserant impedimentum hoc post Tridentinum non permanere. §. 2. *Catechismus.*

108. *Sponsalium impedimentum explica.* Tertium est priora sponsalia. Hæc Matrimonium de præsenti cum alia quacunque impediunt, nisi iusta adsit sponsalia dissoluendi causa. §. 3. *Sponsalia.*

109. *De voti impedimento quid?* Quartum est votum simplex Castitatis; impedit enim contrahendum, at contractum Matrimonium non dirimit. §. 4. *Votum.*

110. *Crimina impedientia recense.* Quintum impedimentum, est septuplex crimen. Primum incestus, copula scilicet habita cum consanguineis coniugis vsque ad gradum prohibitum. Secundum raptus alienæ sponsæ, siue de præsenti, vt omnes censent; siue de futuro, vt probabile reputo; §. 5. *Septem crimina.*

impedit hoc crimen Matrimonium cum rapta, & cum quacunque alia. Tertium est vxoricidium; si enim fiat authoritate priuata etiam in adulterij commissi vindictam, impedit cum alia quæcunque Matrimonium: non ita viricidium, vti probabilius affirmo. Quartum crimen, est susceptio proprij filij in Baptismo, vel Confirmatione, si fiat animo insidiandi Matrimonio, vt scilicet alter coniux priuetur debito coniugali, ob impedimentum inde consurgens spiritualis Affinitatis; impedit autem cum quacumque alia hæc culpa Matrimonium. Quintum crimen, Presbytericidium, quomodocunque. Sextum solemnis pœnitentia: impedit enim, donec illa durat. Scio, hodie solemnes pœnitentias in vsu non esse. Septimum crimen est Matrimonium cum Moniali de facto: impedit enim cum aliqua quacumque.

CAPVT VIII.

De dispensationibus Matrimonialibus.

§. 1. *Dispensationes.*

111. *Evoluisti sigillo* 1. *Dispensationis legum materiam, pluraque ad Matrimoniales dispensationes attinentia attigisti. In præsenti de alijs quæstionibus instituti huiusce proprioribus periculum faciamus. An potestas Papæ dispensandi in omnibus Matrimonij impedimentis?* Non est potestas illi dispensandi in impedimentis iure diuino naturali dirimentibus, v.gr. coniugium cum filia, sed in iis omnibus, quæ iure Canonico tantùm dirimunt. Vnde patet in voto etiam solemni sacro Ordini annexo, & professioni Religionis dispensare posse.

112. *An in omnibus impedimentis iure Canonico appositis valeat dispensare Episcopus?* Solùm potest dispensare in impedientibus regulariter loquendo, si excipias incestum cum consanguineis vxoris, Matrimonio consummato. Sponsalia, & simplex castitatis, vel Religionis votum. Item potest cum coniugatis dispensare ad debitum petendum.

113. *Quænam causæ requiri assolent ad Matrimoniales dispensationes?* In genere sex adnumerabo. Prima est extinctio magnæ litis. 2. Inæqualitas Matrimonij qualitatis ob loci angustiam, vel nimiam cognationem, nisi consanguineo, vel affini tradatur. 3. Defectus dotis competentis. 4. Conseruatio facultatis in eadem cognatione. 5. Conseruatio illustris

lustris familiæ in eodem sanguine. 6. Excellentia meritorum siue petentis dispensationem, siue eius, pro quo petitur.

114. *Rescriptorum expende circunstantias, ne periculo subiaceant subreptionis.* Non adsit veri taciturnitas, nec falsi relatio. Tunc quidem subreptitiæ Dispensationes, siue rescripta quæcunque gratiæ, vel iustitiæ censentur ex taciturnitate veri, quando tacetur veritas, quam iura expressis verbis iubent declarari: vel talis est, quæ spectet intrinsecè ad dispensationem; sitve illius causa finalis. Profectò tunc ex falsi expressione rescripta vitiantur, cùm falsitas contingit circa finalem causam, ita vt ea falsitate non expressa literæ Negarentur, aut eis moderamen esset adhibitum. Quod si vna sola causa narretur, qualiscumque illa sit, si falsa est, rescriptum non valebit. Si literæ motu proprio concedantur, valent non obstante subreptione tacitæ veritatis: secus si esset subreptio falsitatis narratæ. Demùm si falsi expressio, aut veri taciturnitas contingit tantùm circa causam impulsiuam, licet dolo contingat, in neutro foro literæ vitiantur; si autem sit circa causam finalem, aut ex causa rescripti totius, totum vitiabitur, siue dolo, siue ignoranter contingat. Porrò si solius partis est causa, quæ quidem pars est omnino separata ab alia, illa sola pars vitiabitur, in qua est subreptio, si verò pars habeat coniunctionem, separabilem tamen quoad valorem, tunc si neque per fraudem, neque malitiam subreptio admissa sit, valebit in vtroque foro rescriptum, quoad illam solam partem, in qua subreptio non fuit: si verò per fraudem & malitiam, ea quoque pars vitiabitur, in qua subreptio non fuit; non tamen ipso iure in conscientiæ foro, sed post iudicis sententiam.

115. *Plura sunt impedimenta, v. gr. consanguinitatis, Affinitatis, voti*, &c. Omnia in eadem Dispensatione sunt exprimenda.

Quonammodo circa sanguinis impedimentum explicandum relatio conficietur? Primò explicandus est gradus. 2. An mixta multiplex cognatio. 3. An linea recta, vel transuersalis. 4. In gradu & distantia inæquali exprimendum est, si mulier stipiti sit propinquior. 5. Si minor gradus exprimatur pro maiore etiam ex ignorantia inuincibili: v. g. quartus pro tertio vitiabitur dispensatio. 6. Gradus Affinitatis cum consanguinitatis gradu confundi non debet; alioquin dispensatio irrita. 7. Cum distantia à stipite inæqualis est, sufficit remotiorem gradum exprimere, omisso propinquiore, modò is primus non sit. §. 2. *Variæ impedimentorũ narrationes.*

116. Quid

116. *Quidnam præstandum circa narrationem impedimenti publicæ honestatis, ex Matrimonio rato, aut Affinitatis?* Primò exprimendus est gradus, sicut in consanguinitate. 2. An duplici titulo affines; vel duplex publicæ honestatis impedimentum. 3. Si affinitas ex fornicatione iterata sit contracta, non est opus exprimere copulam multiplicatam fuisse. 4. Non est opus explicare in affinitate, aut publica honestate maiorem fœminæ ipsi stipiti propinquitatem. 5. Exprimendum an publica honestas sit ex Matrimonio, an ex sponsalibus. 6. Explicanda est distantia graduum in linea recta, vel transuersali.

117. *Explica narrationem circa cognationem spiritualem perficiendam.* Primò, exprimenda persona, quacum vinculum intercedit. 2. An baptizauerit, vel tenuerit; idem est de Confirmatione. 3. Si plures tituli.

118. *Suppone impedimentum esse voti, seu iuramenti: quid tunc?* Non est necessum, actus repetitionem exprimere; quia per repetitionem nouum vinculum non additur. Certè valet Dispensatio in voto, vel iuramento Deo facto, si vnum pro alio exprimatur. *Iuramentum ad Confirmationem voti factum est.* Vna cum voto dispensatur, facta solius voti mentione; quia quasi vnum reputatur: secus res habet, si iuramentum non dependeat à voto. In dubio quidem, præsumendum est in voti confirmatione esse immissum. Cùm votum non nubendi, v.gr. in damnum tertij vergit, explicandum. Professus & simul Ordinatus in sacris vtrumque debet exprimere solemne votum. Item exprimendus gradus Sacerdotij, Diaconi, aut Subdiaconi.

119. *Quid si habitæ copulæ sit, quando dispensatio consanguinitatis, aut affinitatis petitur?* Exprimendum est. Si copula contigit ante Papæ Dispensationem, vel applicationem Dispensationis Pontificiæ ab Ordinario: si tractatus interuenit de Matrimonio ineundo: si contractum est copulæ ~~dare operam~~ ex pacto habita, spe faciliùs dispensationem obtinendi; vel certè copula habita eo animo est. Alioqui quidem Curiæ stylo subreptitio censetur dispensatio.

120. *Expirant ne commissiones in Matrimonij impedimentis morte concedentis?* Minimè, si res integra est.

121. *Ad valorem dispensationis sufficit concessio per verbum, fiat?* Ita. Ad probationem autem, & ad agendum in iudicio, literæ expeditæ requiruntur. Causæ item dispensationum debent verificari tempore concessionis Papæ, alioqui subreptiæ censentur.

122. *Quid*

122. *Quid, quando dispensatio matrimonialis alicui committur, qui tamen obierit?* Si solùm delegati nomen exprimitur,& ex adiunctis contrarium non constet, in dubio censenda est personalis delegatio, & consequenter illius obitu extinguetur.Si autem solum nomen dignitatis explicatur,nisi ex circunstantiis contrarium colligatur, realis censenda erit delegatio,& consequenter illius morte non expirabit, sed ad successorem in dignitate transibit.

CAPVT IX.

Praxis circa materiam de Matrimonio ex Societatis IESV *Doctoribus.*

§.1. *De Matrimonij natura, & causis.*

123. *Necessarium ne Matrimonium?* Ita planè non in individuis humanis seorsum,sed tota in specie. Vnde si seculares ad speciem propagandam deficerent, tenerentur Clerici,ac Religiosè ducere vxorem. *Sanch.tom.1.de Matr. lib.2.d.3.n.4.* Sanch.

124. *Potest ne aliquando Matrimonium inter fideles non esse Sacramentum?* Potest v.gr. si contrahentes (qui sunt huius Sacramenti ministri) non habent intentionem celebrandi Matrimonium tanquam rem sacram, non esset, Sacramentum,cum ad Sacramenti essentiam concurrere debeat intentio ministri: & tamen valeret in ratione contractus. *Vasquez tom.2.in 3.part.d.138. cap.5.* Scio *Sanctium tom.1. lib.2.d.10. num.6.* contrarium docuisse. Vasq. Sanct.

125. *An Matrimonium per Procuratorem celebratum sit Sacramentum?* Ita planè; (quidquid *Estius*, & *Syluius* in contrarium asserant) qui contrahentes in absentia intendunt saltem implicitè Sacramentum efficere. Vnde tenentur curare, vt in gratia sint,saltem cum Procurator eorum nomine contrahit. *An ne ipse Procurator in gratia teneatur existere?* Non, quia absentium nomine agit,& ipse non recipit Sacramentum. *Sanctius* sic *tom.1.lib.2.d.21.q.2.n.10.* Sanch.

126. *Contractus matrimonialis inter infideles,quonam modo sit Sacramentum, cum ad fidem conuertuntur?* Ait *Rebellus part.2.lib.2.quæst.2.num.2.* coniuges infideles ad fidem conuersos,vbi primum nouos consensus exprimunt,vel antiquos aliquo signo confirmant, gratiam recipere, & eorum Matrimonium Sacramentum euadere. *Sanchez* autem *tom.1.lib.2. d.9.* Rebell. Sanch.

disput. 9. num. 5. Matrimonium asserit infidelium per Baptismi susceptionem Sacramentum fieri absque vllo consensu, eo quod incipiat vnionem Christi cum Ecclesia repræsentare.

Laym. 127. *Quidnam de huius Sacramenti materia, & forma?* Docet *Laymanus lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. num. 3.* materiam esse coniugum corpora mutuo tradenda, formam

Sanch. verò eorundem verba. At *Sanchez tom. 1. lib. 2. d. 6.* docet, internum consensum esse materiam, verba verò formam.

Sanch. 128. *Consensus ne contrahentium, qui est causa efficiens instrumentalis Matrimonij, præstari ne potest per nutus & signa?* Potest, nec necessaria sunt verba. *Sanchez lib. 3. d. 31. num. 10.* quia licet in iuribus, quos citat consensum per verba exprimi dicatur nullum tamen præceptum habetur. Addit contrahentes per signa, cum possint per verba, venialiter detrahentes per signa, cum possint per verba, venialiter delinquere.

129. *Debet ne consensus vtriusque coniugis simul eodem tempore exhiberi?* Sufficit præberi simul moraliter, id est, quod magno interuallo non distet vtriusque consensus. Porrò

Henriq. *Henriquez lib. 11. cap. 3. num. 6.* magnum interuallum reputat duos annos. Arbitrio prudentis dandum, qui attentis circunstantiis id decernat.

Conin. *Coninch de Sacram. disp. 24. dub. 7.*

Sanch. 130. *Dixisti, consensum fictum nullum reddere Matrimonium: rogo, an teneatur qui fictè contraxit, iterum ex animo contractum inire?* Docet *Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 11. num. 5.*

Laym. non teneri. Alquis improbauit, asserens in praxi, viam ad decipiendas fœminas aperiri. At ex *Laymani lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 1.* approbatione, vel praxi potest hisce in casibus addici: si decepta fœmina falsò sese virginem ostentauit: si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeantur: si decipiens sit status longè eminentioris: si decepta, postquam deceptionem agnouit, aliam compensationem sponte recipiat; si deceptor aliud matrimonium ex animo contraxit.

Sanch. 131. *Quid si Matrimonium ex defectu consensus inualidum, quis reualidari velit?* Putat *Sanchez lib. 2. d. 32. n. 12. & 13.* sufficere, vt conjux, qui consensum non præstiterat, præstet, si alter deceptionem ignorat; quia consensus ignorantis verè & legitimè præstitus in contractu, habitualiter perseuerat.

132. *Liberum debere esse consensum dixisti: rogo, an matrimonium initum cogente patre, validum sit?* Pater peccat mortali

mortaliter,& matrimonium nullum est. *Sanchez tom.1. lib.4.* Sanch.
disp.22. addens huiusmodi parentem non ideo *Tridentini sess.24.cap.9.* excommunicationem contrahere. Porrò filius non tenetur patri cogenti obedire;& iusta ex causa contradicentibus parentibus:potest ducere vxorem. *Hurtad. de Matr. d.6.diffic.9.n.32.*

133. *An consensus conditionatus sufficiat ad validitatem matrimonij? v.g. contrahis cum hac licita conditione: Contraho tecum,si pater tuus annuerit: conualidatur ne huiusmodi consensus purificata conditione*; Asserit *Coninch de Sacram. d.29.* Conin.
dub.1.concl.3.num.11. quia cæteri contractus conditionales tenent purificata conditione,absque nouo consensu. Subscribo si conditio coram Parocho & testibus (vel saltem Parocho,& testibus agnoscentibus) impleatur.Placet *Rebellus p.2.* Rebell.
lib.2.q.10.sect.6.num.44. docens, tale matrimonium reualidari absque nouo consensu, si contrahentes expresse paciscantur, vt matrimonium, adueniente conditione statim fiat, & in eodem consensu saltem virtuali permaneant.

134. *Obstat ne libertati coniugij pactum, quod vir perpetuò in domo vxoris habitet?* Non obstat; sed si accidat noua causa domicilium mutandi,non tenet pactum etiam iuramento firmatum. *Sanchez tom.1. lib.1. d.40. n.2.* Sanch.

135. *Dixisti, Matrimonij ministrum, seu causam efficientem principalem esse ipsos etiam contrahentes: an probabile sit, esse Sacerdotem, seu Parochum eos coniungens?* Docet *Vasquez in 3.* Vasq.
p.tom.4.c.4.n.41. opinionem Cani id asserentis improbabilem esse, & nota dignam. Obiicis *Toletum lib.7.cap.6.num.4.* Tolet.
asserentem, ante Tridentinum non fuisse necessarium ministrum,esse tamen post illud.Intelligendus Cardinalis de præsentia Parochi. Alioqui enim Sacramentum sine ministro constitit, nec Ecclesia aliquid potest de essentia Sacramenti immutare.

136. *An qui in peccato contrahit, duplex peccatum perpetret?* Asseruit *Vasquez in 3.p.tom.3. disp.136.cap.3.num.38.* Vasq.
quia & ministrat & recipit Sacramentum. At *Filliucius tom.1.* Filliuc.
tract.1.cap.6. num.87. vnum peccatum tantùm committere docet; quia quamuis sit minister, non est tamen ad hoc specialiter deputatus.

137. *An Matrimonium contractum ab impuberibus validum sit?* Multi asserunt, ante pubertatem; (quæ in mare est annorum quatuordecim, in fœmina duodecim) nisi malitia suppleat ætatem, esse inualidum matrimonium. At *Sanchez* Sanch.
tom.1. lib.1. d.17.num.6. contrarium affirmat; quia matrimonium

nium per verba de præsenti inter impuberes permissum est, *c. fin. de spons. impub. c. vnic. §. idem quoque, eodem tit. in* 6. quasi contraheretur per verba de futuro.

138. *Potest ne talis ætas per vnum, aut alterum mensem anticipari, absque causa?* Potest; quia quod parum distat nihil distare videtur. *Rebellus lib. 3. q. 16. sect. 2. num. 16.* At *Hurtadus de Matr. d. 21. diffic. 12. num. 45.* requirit ætatem mathematicè completam; quia termini in iure statuti indiuisibiliter sumi debent, vt de pretio rerum patet.

Rebell.

139. *Petrus surdus & mutus à natiuitate est: potest ne vxorem ducere?* Docet Sanchez posse si cœcus non sit simul à natiuitate, & polleat ingenio; quia potest signis doceri quid sit matrimonium, & suum aliis consensum significare. *Sanchez tom. 1. lib. 1. d. 8. n. 12. Cœcus à natalitio est.* Non potest contrahere ob contrariam rationem. *Sanchez n. 13.*

Sanch.

Sanch.

§. 2. *De Matrimonio per Procuratorem.*

140. *Scio, Matrimonium per Procuratorem contrahi posse: exprimè huiusce contractus leges.* Procurator viri potest esse fœmina; quia est tantum instrumentum verba ministrans. Non requiritur in eo ætas determinata, & potest sine scriptura institui, & à fortiori sine Parocho, & testibus; quamuis matrimonium postea coram prædictis sit iucundum. Non debet Procurator suum mandatum excedere, alioquin matrimonium foret nullum. Ex *Sanctio & alijs.*

Sanct.

Mittit quis Procuratorem ad contrahendum, & postea incidit in amentiam: validum ne matrimonium? Asserit *Sanchez tom. 1. lib. 2. d. 11. num. 12.* quia manet consensus virtute, cum non sit reuocatus: ob quam rationem valet etiam Baptismus datus amenti, qui ante amentiam petiit, ex *cap. maiores, de Baptismo.*

Sanch.

141. *Validum ne Matrimonium per litteras?* Ita planè. Duplicem modum adnoto. Primus, exarantur litteræ, mittuntur per nuncium cum potestate acceptandi consensum nomine contrahentis: quod est, contrahere simul per litteras, & procuratorem. Secundus est; scribitur in litteris consensus & acceptatio traditionis alterius, quibus coram Parocho & testibus lectis, si altera pars consentit, tenet matrimonium. Ex *Sanchez, & aliis.*

Sanch.

§. 3. *De Denunciationibus.*

142. *Scio, contrahentes ante factas denunciationes peccare mortaliter, sed validum esse matrimonium: rogo, potest ne sine mortali vna, ex tribus omitti?* Posse, si periculum impedimenti probabiliter absit, *Sanchez* asseruit *tom. 1. lib. 3. disp. 5. num. 8.*

Sanch.

143. *Vt omittantur denunciationes, aut differantur, quinam*

potest

potest dispensare ? Parochus solum in articulis mortis dispensat cùm concubinarius velit ducere concubinam ad conscientiæ quietem, aut filiorum legitimationem, & non esset facilis ad Ordinarium aditus. Extra hunc casum solus Ordinarius cum causa iusta dispensare potest, ad omissionem denunciationum, vel ad translationem (ex timore ne malitiosè contractus impediatur) vsque quo contractus celebratus sit. *Coninch. de sacr. d. 27. dub. 5. num. 53.* Conin.

144. *Quinam nomine Ordinarij ad dispensationem denunciationum sit intelligendus ?* Ex *Sanctio d. 3. num. 4.* Episcopus, & alij Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Abbates, &c. *Dispensare ne potest Vicarius Episcopi generalis?* Potest, quia Ordinarius est, nisi huiusmodi facultatem sibi Episcopus reseruauerit. *Sanchez num. 13.* Sanct. Sanch.

145. *Petrus contrahens pertinet ad Vallisoletanam diœcesim, Maria ad Burgensem : an necessarium sit, Ordinarium vtrumque dispensare ?* Sufficit alterutrius Ordinarij ; quia hac in re sponsi se habent vti vna persona. *Sanchez lib. 7. d. 7. num. 7.* Sanch.

146. *Vbinam faciendæ denunciationes ?* In Parochiis, vbi sponsi diutius sunt commorati. *Sanchez lib. 3. d. 6. num. 6.* Sanch.

147. Possunt ne fieri denunciationes extra Ecclesiam. Ita, si locus aptus ad diuulgationem. *Sanch.* apud *Villalobos tom. 1. tract. 13. d. 24. num. 3.* Addit, & in pro festo die, exigente causa, & populo concurrente vt in festo. Sanch.

148. *Possunt ne tribus continuis Paschatis diebus denunciationes proferri ?* Non, necessarium enim, vt inter vnam & aliam duorum saltem dierum spatium intercedat. *Layman lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 10.* Laym.

149. *Reuelandum ne impedimentum occultum ex vi denunciationum ?* Asserit *Sanchez tom. 1. lib. 2. d. 13. num. 2.* eum, qui solus scit, teneri manifestare ; quia ex *c. præterea, de spons.* vnus testis sufficit, ad impediendum Matrimonium. Sanch.

150. *Dixisti, Matrimonium ex Concilio, requirere Parochi & duorum testium præsentiam : debet ne Parochus sponsos interrogare ?* Ita quidem, de mutuo consensu liberè emittendo, non autem si aliquod impedimentum habeant. *Sanch. tom. 1. lib. 3. d. 38. num. 8. & 10.* Imò si constet Parocho de sponsorum consensu, non peccat mortaliter non interrogando. Ex *eiusdem* assertione. §. 4. *De Parocho, & testibus.* Sanch.

151. *Scio debere, post consensus expressionem probari : Ego vos coniungo in nomine Patris*, &c. peccaret ne si omitteret? Solum venialiter ; quia nec materia est grauis, nec grauis obli-

Conin. gatio ex verbis Concilij deducitur. *Coninch. de Sacram. d.27. dub.4.num.45.*

152. *Quinam Parochus debeat assistere, si coniuges ad diuersas Parochias pertineant?* Vel Parochus sponsi, vel sponsæ; & Parochus vnius in Parochia alterius. Minimè verò omnino

Sanch. extraneus sine licentia proprij. *Sanchez tom. 1. lib. 3. d. 19. num. 11.*

153. *Quid si Parochus extraneus assisteret, aut Sacerdos alius sine licentia proprij Parochi?* Incurreret ipso facto suspensionem *Tridentini sess. 24. c. 1. de reform.* Vbi moderata fuit pœna excommunicationis lata in *Clement. 1. de priuat.* & pœna suspensionis triennalis *cap. vlt. §. fin. de cland.* contra Parochum assistentem matrimonio clandestino: & commutata

Hurt. in arbitrariam Ordinario. *Hurtado de Matrimon. d. 15. diffic. 17. num. 55.*

154. *Matrimonium coram Parocho & testibus contractum inualidè, reualidandum Pontificis dispensatiuè: requiritur ne cum reualidatur præsentia Parochi, & testium?* Affirmat Ce-

Rebell. *mitolus lib. 1. quæst. 120. num. 3.* At *Rebellus p. 2. lib. 3. quæst. 9. part. 5. & 6.* negat, si impedimentum est omnino occultum, & ad forum externum deduci non potest; quia Tridentinum requirit huiusmodi præsentiam, ad matrimoniorum clandestinorum exterminationem. Ad hoc non est clandestinum, quia in facie Ecclesiæ, & quidem quoad apparentiam, & præsumptionem, validè.

155. *Valet ne saltem pro sponsalibus contractus sine Parochi, ac duorum testium assistentia?* Asserit *Henriquez lib. 11. cap. 5.*

Henriq. *num. 4.* Alij negant; quia cum sic contrahentes contraueniant Concilio, potius videntur irrisionis actum exprimere, quàm aliqua ratione validum.

§. 5. *De loco, & tempore, quo celebratur coniugium.*

156. *Potest ne Episcopus prohibere, ne Matrimonium denuò contrahatur? Reginaldus tom. 2. lib. 32. cap. 33. num. 242.* negat; quia vbi nullum est impedimentum, Parochus coniungere debet volentes contrahere in facie Ecclesiæ. Vt autem matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari dicatur, non est necesse, vt in ipsa Ecclesia materiali fiat; sed vt *Abbas in c. fin. de clandest. desp. num. 9.* testatur satis est si fiat coram fidelium

Regin. multitudine.

157. *Potest ne celebrari coniugium in rurali domo, ad quam recreationis gratia sponsi profecti essent, vno aut altero die commoraturi, si ditioni alterius Parochi domus illa subdita sit?*

Saa. Asserit *Saa v. Matrimonium num. 2.* proprium Parochum in ordine ad Matrimonium esse Parochum, in cuius Parochia

alteruter

alteruter habitat etiam ex paruissimo commorationis tempore.

158. *Quandonam nuptiæ haud possint celebrari?* Matrimonium semper celebrari potest etiam tempore interdicti. Excipe tempus intercluſum à media nocte præcedente primam Dominicam aduentus, vſque ad festum Epiphaniæ; & à media nocte ante feriam quartam Cinerum vſque ad Dominicam in Albis. In quibus non prohibetur matrimonij consummatio; nec sponsæ in domum sponsi priuata traductio: sed benedictio nuptialis, & traductio sponsæ solemnis.

159. *Quodnam peccatum est hisce in temporibus traducere solemniter sponsam in domum sponsi, & conuiuia facere?* Aliquis mortale asseruit. At *Sanchez tom. 2. lib. 7. d. 7. num.* 18. aut non esse peccatum, aut tantum veniale, docuit; quia id vſus obtinuit, Prælatis conniuentibus. Sanch.

160. *Tenetur ne coniux alterius seminationem expectare, si possit?* Asserit *Sanchez tom. 3. lib. 9. d. 17. num.* 5. non teneri; quia aliqui edocent, semen mulieris nec actiuè, nec necessario ad generationem concurrere. §. 9. *De Copula cõiugali.*

161. *Potest ne vxor parum venerea frigida manere, nec veneri cooperari cum debitum reddit?* Affirmat *Præpositus in 3. part. quæst. 6. d. 4. num.* 35. quia hoc, ex illorum sententia, ad generationem sufficit. Alioqui sterilis petere, & reddere debitum non posset. Sanch. Præp.

162. *Est ne peccatum vllum ad fœminam grauidam accedere?* Aliqui putant esse veniale, secluso incontinentiæ periculo. *Coninch d. 34. dub. 9. concl.* 4. nullum esse peccatum probabilius asseruit. Conin.

163. *Quodnam piaculum est, ad menstruatam accedere?* Putat *Sanchez d.* 21. *num.* 2. probabiliter nullum esse peccatum. Sanch.

164. *Peccant ne venialiter coniuntes captandæ voluptatis causæ?* Negatiuè respondet *Sanchez d.* 29. *quæst.* 3. quia licet primarius copulæ coniugalis finis sit speciei propagatio, sunt alij fines secundarij, nempe sedatio concupiscentiæ, &c. Sanch. Sanch.

165. *Vllum ne piaculum coïre, solum ad valetudinem conseruandam, quando alia remedia non desunt?* Veniale peccatum esse *Henriquez* ait *lib. 11. cap. 15. num.* 5. sed *Sa* nullum esse docuit; quia individui conseruatio finis secundarius Matrimonij est. Henriq.

166. *Quid si id gerant, vitandæ fornicationis causa, etiamsi aliis remedijs concupiscentia sedari posset?* Nec venialiter peccant; quia oppositum nimis graue onus coniugali exi-

Laym. steret statui. *Laymanus lib. 1. tract. 10. part. 10. part. 2. cap. 4. num. 2.*

Sanch. 167. *Coniuges copulam interrumpunt de communi consensu, ne noceat valetudini: peccant ne mortaliter, aut venialiter?* Ab vtroque eos piaculo liberat *Sanchez tomo 3. lib. 19. num. 3.* si absit seminationis extra vas periculum.

Posse Sanch. Less. Fagund. Suar. 168. *Coniuges loco in sacro recluduntur: possunt ne licentia coniugali vti sine piaculo?* Non si inibi per longum tempus maneant. Tempus id assigna. *Sanchez d. 15. n. 22.* existimat mensem. *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 86.* semimensem *Fagundez p. 2. lib. 4. cap. 4. num. 21.* decem dies *Suarius in 3. part. quæst. 84. art. 3. d. 81. sect. 4.* quatuor vel quinque dies. Aliquis ex externis asseruit, copulam coniugalem occultam in Ecclesia non esse sacrilegium, etiam si in ea coniuges non sint concluſi. Probabiliter ex sententia *Antonini Diana p. 1. tract. 7. resol. 19.*

§. 7. De sponsalibus. Sanch. 169. *Quanam in ætate sponsalia contrahi possunt?* Non possunt contrahi ante vsum rationis; quia voluntarium non est absque discursu. Ille autem rationis vsus sufficit, qui sufficit ad peccandum licet ante septennium. *Sanchez tom. 1. lib. 1. d. 16. n. 16.*

Rebell. 170. *Ad forum autem externum quænam ætas requiritur?* Septennium completum ait *Coninch*, ita vt saltem inceptus sit dies vltimus. At *Rebellus part. 2. lib. 4. quæst. 5. concl. 2. n. 2.* sufficere, ait completum esse moraliter, v.gr. licet octo, vel decem dies deficerent.

Sanch. 171. *Requiritur ne consensus contrahentium expressus, an sufficit tacitus?* Hic sufficit, quando (v.g.) parentes, ipsis præsentibus, & tacentibus contrahunt. An si alij contrahant, ipsorum silentium non erit indicium sufficiens consensus; quia *c. vnicum, de despons. impub. in 6.* hoc de parentibus tanquam quid speciale statuitur; & regula illa, *Qui tacet, consentire videtur,* vera est in fauorem, non in tacentis præiudicum. *Sanchez tom. 1. lib. 1. d. 22. num. 7.*

Sanch. 172. *Quid si parentes, vel tutores pro filiis & pupillis absentibus contraherent?* Sponsalia tunc vim haberent, cum accederet eorum ratihabitio expressa, vel tacita, sed per signum aliquod sensibile manifestata. *An satis esset quod astantes silerent?* Non quia id *cap. vnico* disponit, quando sponsalia in eorum præsentia contrahuntur. *Sanchez num. 18. Coninch* autem *num. 39.* tunc illorum taciturnitatem sufficere docet, quando coram patre vel tutore referente tacerent:

tacerent : secus si referant ; alij , quorum non interest ; quia his non tenentur suam mentem significare , sicut illis.

173. *Debet ne esse mutua sponsalium promissio ? Sanchez* Sanch. *tom.1. lib.3.d.5. num.12.* existimat, posse quem acceptare promissionem absque repromissione; in quo casu solum promittens maneret obligatus, donec alter ex nimia dilatione repromissionis & matrimonij obligationem patris tacitè contemnere videretur.

174. *Dixisti sponsalia inter personas legitimas contrahi debere : num qui matrimonium contrahere non possunt , poterunt sponsalia contrahere ?* Minimè, v.gr. consanguinei, nisi apponatur conditio , *si Papa dispensauerit.* Sic probabiliter ali- Sanch. qui. At *Sanchez lib. 5. d. 5. quæst. 3. num.12.* esse inualida putat huiusmodi sponsalia non solum accedente conditione, sed accedente iuramento ; vnde potest vterque contrahens ante & post dispensationem resilire. Adnotat tamen teri resilientem ad restitutionem, si magnæ expensæ fuerint in impetratione dispensationis insumptæ.

175. *Præfixit sponsus in sponsalibus tempus ad matrimonium contrahendum , vel non præfixit : rogo , quandonam matrimonium sit ineundum ?* Si præfixit : contrahat eo tempore aduentante. Si non præfixit , tenetur contrahe- Sanch. re vterque alterutro exigente. *Sanchez disputat. 28. numer.2.*

176. *Scio, sponsalia inita ab impuberibus , dissolui , si aduenient pubertate vnus aut alter resiliat : rogo , si factus puber dissentit quidem , sed non audet reclamare , num teneatur con-* Conin. *trahere ? Coninch dubitat.2.num.6.* putat si factus puber, statim non reclamat , (intra triduum ex *l. fin. cap. de err. adu.*) censeri in foro externo sponsalia confirmare. At in foro conscientiæ satis esse , tempore statuto interius dissentire.

177. *Per ingressum Religionis dissoluuntur sponsalia : an eo ipso, quod vnus ingreditur, vterque manet ab obligatione liber ?* Asserit *Toletus lib.7. cap.21.* At *Rebellus lib.4. quæst.8.* Tolet. *sect.6.* docet dissolui obligationem solius ingredientis, donec profiteatur.

178. *Superuenit paupertas alterutri sponso.* Non tenent sponsalia ; quia promissio non obligat rebus notabiliter immutatis. *Superueniunt diuitiæ.* Non ob id sponsus ab obli- Conin. gatione sponsalium eximeretur. *Coninch dubitat. 8. numer.69.*

179. *Scio solui sponsalia, si alter sponsus oculum, aurem, nasum amittat, aut morbo contagioso afficiatur, aut immedicabilis oris graueolentia: rogo, an sufficiat ad dissolutionem alia sponsæ superueniens deformitas faciei, aut corporis?* Si in sponsa deformitas sit talis, vt à principio existens sponsum ab sponsalibus diuertisset, liber manet ab obligatione sponsus. Sanch. *Sanchez d. 57. n. 4.*

180. *An eadem deformitas in sponso sufficiat ad sponsalium dissolutionem?* Non, quia in viro non magni ponderis pulchritudo. At si valde magna esset deformitas ita, vt spectantibus horrorem ingereret, aut cum turpitudine hac inhabilitas ad officium suum exercendum coniungeretur, sponsalia perirent.

181. *Occultus est defectus.* Si pernicioſus, v.g. morbus contagiosus, improbi mores, grauis infamia, non potest alter sponsum alterum defectus ignarum cogere ad contrahendum. Patiens verò non pernicioſum qui alterum ad sponsalia non induxit, probabiliter potest alterum cogere, probabilius Conin. non potest. *Coninch. dub. 12. n. 91.* Sanch.

182. *Dissoluuntur ne per votum castitatis?* Negat *Sanchez tom. 1. lib. 1. d. 46. num. 9.* Alij probabilius asserunt, nec peccare sponsum, qui sacris se addicit, vel votum emittit Ordinis sacri, vel castitatis; quia sponsalia censentur contrahi sub conditione. *Nisi sponsi meliorem statum velint eligere.*

183. *Scio dissolui per Matrimonium ratum alterutrius, its vt altero contrahente per verba de præsenti, alter liber remaneat semper: rogo, an contrahens omnino etiam liberetur?* Sanch. Asserit *Sanchez d. 48. num. 3.* ex iurium auctoritate. Alij asserunt non extingui sponsalia, sed suspendi vsque ad illius Matrimonij solutionem.

184. *Per fornicationem dixisti sponsalia perire: fornicatus vnus, scio alterum liberari: rogo autem, an delinquens etiam liberetur?* Minimè ex *c. quemadmodum 23. de iureiuran.* sponsa se ab alio impudicè tangi permittit per oscula, amplexus, &c. Manet solutus sponsus. *Id sponso contingit.* Illigata manet sponsa; quia non vtrique dedecus resultat æquale, & ius solum eos in fornicationis causa æquales indicit. *Sanchez d. 55. num. 5.* Limitat *Coninch. disp. 23. 7. num. 56.* nisi oscula, & tactus sponsi cum altera adeò frequenter gererentur, vt meritò timeri posset, ne minus sit sponsam dilecturus, aut fidem ei seruaturus. Sanch. Conin.

185. *In fornicationem vterque incidit sponsus: dissoluun-*

tur

turne sponsalia? Aliqui asseruere probabiliter, delictum vnius delicto alterius compensari, & neutrum resilire posse. Quemadmodum post adulterium vtriusque coniugis neuter ius repudij habet. At *Coninch. num.* 63. (probabilius mihi) docet solum sponsum resilire posse; quia maior est iniuria sponsi, quàm sponsæ, altero fornicante. Nec valet adulterij paritas; quia separatio thori difficilior, quàm sponsalium. Conin.

186. *Est in foro secreto coniux certus de vxoris adulterio, quod non potest probare: potest ne innocens non expectato Ecclesiæ iudicio, vxorem dimittere?* Affirmo cum *Sanchez* posse, si aliorum non sequatur scandalum; quia vir in foro conscientiæ potest sibi ius dicere, cum defectus probationis sua ex culpa non proueniat. §. 8. *De Matrimonio varia.* Sanch.

187. *Dixisti, post Matrimonium consummatum ex consensu vnius coniugis alterum posse ingredi Religionem dummodo alter etiam ingrediatur si sit iuuenis: duo requisiero, vnum an sufficiat, coniugem ingredi Religionem S. Ioannis, seu Melitensium? alterum, quandonam dicatur coniux senex esse, vt sufficiat remanentem in seculo votum castitatis emittere?* Respondeo ex *Sanctio* sufficere Religionis Melitensis ingressum; quia verè Religio est voto præcipuè castitatis solemni munita, quod speciatim requiritur ad coniugis pudicitiam. Adiicio ad secundam quæstionem, senem ad hunc effectum dici, si vir sit sexagenarius, quinquagenaria fœmina: aut eam habeat ætatem vterque, quæ ex habituali praua valetudine illi ætati respondere videatur. Sanct.

188. *Post Matrimonium ratum, scio, ius apud vtrumque coniugem abstinendi duplici mense à consummatione, vti valeat ad Religionem audare: rogo, an fœmina quæ vim passa esset intra bimestre, possit, viro renitente, ad Religionem transire?* Posse cum *Laymano* sentio; quia sponsus grauem illi intulit iniuriam, cùm non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre. Laym.

189. *Parentes negant colloquium filijs indignum Matrimonium contrahentibus se inscijs: an his abneganda sit absolutio, donec filios alloquantur?* Non abnegetur, si id præstant non ex odio, sed ex iusta vindicta ad alterius emendationem. Sic *Laymanus.* Monuerim tamen parentes, vt sese gerant nec grauius nec duriùs, quàm mensura delicti postulat. Laym.

190. *Scio Tridentinum prohibere, dominos temporales, aut Magistratus habentes iurisdictionem in foro externo seculari cogere aliquem ad Matrimonium contrahendum: rogo, num parentes hac lege teneantur, sub excommunicationis pœna?* Quam-

Sanct. uis parentes coactione sufficiente (loquor cum *Sanctio* & aliis Doctoribus) ad peccatum mortale filios compellant ad Matrimonium, excommunicationem non incurrunt; quia Concilium de dominis temporalibus ac Magistratibus tantummodo loquitur. *An Reges, aut Imperatores intelligantur sub dominorum temporalium nomine?* Non; quia ob dignitatis excellentiam speciatim exprimi deberent.

191. *Matrimonium ex graui metu contractum est, scio eum qui metu coactus fuit, posse resilire: rogo, num etiam is qui liber est à metu resilire valeat?* Affirmatiuè respondeo cum Sanct. *Sanctio*, modò ipse vim aut metum non intulerit; quia nullam iniuriam intulit, quam per Matrimonium sarcire teneatur.

192. *Potest quis loqui, Matrimonium contrahit per signa & nutus: an delinquat? Sanchez* asserit venialiter peccare. Ego equidem, sufficienter sic expresso consensu, nullam in eo culpam agnosco.

193. *Matrimonium ante legitimam ætatem contractum esse validum scio, si malitia suppleat ætatem: rogo tamen, num sic contrahens grauiter delinquat?* Contrahentem sine licentia Episcopi, & iusta interueniente causa mortaliter peccare docent *Henriquez*. At *Sanchez*, quem sequor, non delinquere affirmat: quia lex præscribens ætatem, malitiam solummodò spectare videtur.
Henriq. Sanch.

194. *Matrimonio copulati infideles baptizantur: rogo, an illud Matrimonium ante Baptismum contractum, post ipsum possit verum fieri Sacramentum?* Negatiuè respondeo cum *Vasquez* Addo tamen ex *Coninch* sententia, Deum eiusmodi coniugatis ad fidem conuersis maiorem gratiam ad ferenda onera Matrimonij impertiri, quàm infidelibus, fidei ac Baptismi ratione.
Vasq. Conin.

§. 9. *De debito coniugali.*

195. *Num coniux possit primo bimestri debitum abnegare, etiamsi non cogitet ingredi Religionem?* Posse assero cum *Sanchez*; quia potest per bimestris decursum ad Religionis statum ineundum à Deo vocari.

Sanch. 196. *Est ne licitum pactum inter coniuges sese continendi, ne proles multiplicetur?* Cum Sanctio sentio licitum esse, seclusa incontinentiæ periculo. Imò & ob illam causam debitum abnegare, ne ob prolis multiplicationem ad inopiam redigantur. *Sanchez* nullam esse culpam docet, *Saa* autem solummodò esse venialem.
Sanch. Saa.

197. *Coniux scit Matrimonij nullitatem ob impedimentum*

tum dirimens, potest ne reddere debitum coniugi bona fide petenti? Scio id aliquo in casu quosdam excusare frustra quidem. Ego equidem *Sanctio* adhærescens iudico nullo euentu posse huiusmodi coniugem debitum reddere ante dispensationem obtentam, licet periculum vitæ subiret; quia nullo in casu licita fornicatio est. Sanct.

198. *Dubium superuenit de Matrimonij valore, scio tunc nec posse coniugem petere, nec reddere: rogo num post diligentiam adhibitam id præstare possint, licet adhuc dubitent?* Possunt quidem & petere, & reddere, authore *Suario. Quid si coniux cum tali dubio contraxisset?* Existimo cum *Sanctio* petere non posse, posse tamen reddere; si alter coniux bona fide contraxerit. Suar. Sanct.

199. *Post bimestre quis nondum consummauit Matrimonium, & dubitat de eius valore: potest ne reddere debitum?* Posse quidem, nec Religionem ingredi teneri *Salas* affirmat. Salas.

200. *Postquam maritus perfecta actione à complexu maritali recessit, vxor libidine incitata, quia non ipsa perfecerat, tactibus se prouocat, ad seminandum: rogo num sese mollitiei crimine polluat?* Ei hanc actionem licere cum *Sanchez* affirmo; quia est, non mollities, sed consummatio actus coniugalis. Contrarium probabilius. Sanch.

201. *Postulat cum veniali culpa vir, quia iusta causa non adest, à coniuge debitum cum situs variatione, causa scilicet voluptatis: rogo, num reddendo venialiter etiam peccet fœmina: aut absolutè possit abnegare? Henriquez* docet abnegare sub veniali debere. Ego cum *Sanctio* iudico teneri ad reddendum; debet enim præsumere aliam subesse causam. Quod si sciat nullam aliam esse præter delectationem, adhuc existimo posse sine veniali reddere, imò debere; quia etsi immoderata illa voluptas maritum ad veniale afferat, debet fœmina præsumere illam maiorem voluptatem coniugis strictiorem dilectionem coniugij conciliare. Henriq. Sanct.

202. *Num consummetur Matrimonium ex sola viri seminatione?* Cum *Sanchez* existimo non censeri consummatum coniugium, nec contractam affinitatem, nisi etiam fœmina seminauerit; quia fiunt coniuges vna caro per seminum commixtionem. Sanch.

203. *An sit circunstantia, haberi inter coniuges copulam in Oratorio priuato, ad fores Ecclesiæ à parte externa, in Monasterio, in Sacristia?* Nec inter coniuges, neque inter non coniuges esse circunstantiam speciem mutantem docet *Fagundez.* Fagund.

§. 10. *De sponsalibus aliæ.*

204. *Post votum Religionis, vel castitatis quis virginem corrupit sub spe, & pacto coniugij: tenetur ne illam ducere?* Scio *Laymanum* probabiliter asserere non teneri ducere illam; quia promissio facta virgini nulla fuit, nempe promissio rei illicitæ contra votum. Vasq. Aſt ego cum *Vasquez* iudico teneri eum ducere defloratam, nisi illa gratis remittat obligationem, aut alia illi ratione satisfaciat.

205. *Potest ne quis pubes factus, non expectata alterius pubertate, statim ab sponsalibus resilire?* Sanch. *Sanchez* asserit posse; quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus.

206. *Quid si sponso, rursum rogo, repente noua hæreditas obueniat, ita vt sponsa iam illi sit inæqualis?* Affirmaui cum Sanct. *Sanctio*, non ideo ius habere resiliendi; quia deceptus non fuit in sponsæ conditione, in qua nulla facta est mutatio. Idem dicendum de sponsa, si noua illi accedat hæreditas; paupertas enim superueniens magis obest, quàm aduenientes prosunt diuitiæ, plusque statum rerum afficit.

207. *Post sponsalia cum Maria, sequuntur sponsalia & copula cum Francisca: dissoluuntur ne prima sponsalia?* Docet Sanct. *Sanctius* non dissolui; quia illicitè contracta est illa obligatio. Vrget quidem ratio, attamen ex sententia aliorum iudico dissolui; quia posterior promissio est fortius vinculum, & strictior obligatio iniuriam, & damnum resarciendi. Quod si illicitè contracta noua sit obligatio, tamen post contractionem grauior quidem est, obnoxiórque satisfactioni.

208. *Tenetur ne contrahens suos aperire defectus?* Non tenetur, Conin. *Coninch* authore, aperire eos, qui nuptias reddunt minus appetibiles, non tamen pernicioſas, præsertim cum huiusmodi defectus aliquam infamiam habeant adiunctam. Vnde colligo posse sponsam vti aliquo artificio, ne sponsus corruptam deprehendat. Imò licèt apertè se virginem affirmaret, non propterea lethaliter delinqueret. Posſètque cogere sponsum huius occulti defectus ignarum, ad standum sponsalibus, & coniugium contrahendum.

209. *Potest ne m sponsalium contractu licitè apponi pœna resilienti?* Conin. Posse asserit *Coninch*. Attamen Sanch. *Sanchez* docet resilientem non teneri persoluere etiam iuramento obfirmatam.

210. *Sufficit ne in sponsalibus fictus consensus?* Non sufSanct. ficere *Sanctius* docet; quia promissio animo ficto facta non obligat, cùm is, qui promittit, se obligandi animum non habeat.

habeat. Scio *Vasquez*, & *Turrianum* oppositum defendere probabiliter. Vasq. Turr.

211. *Quis sub spe & conditione coniugij fictè tamen promissi virginem corrupit: tenetur ne eam ducere?* Teneri putat *Lessius*, nisi sit longè nobilior, vel opulentior, vel putans illam esse virginem, in copula reuera non esse deprehendat. Less.

§. II. *De impedimẽtis.*

212. *Rogo, an Matrimonium in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ, v.g. inter socerum & nurum, inter vitricum & priuignam, sit irritum iure naturæ?* Respondet negatiuè *Sanctius*. Imò *Hurtado* docet neque in primo gradu consanguinitatis lineæ transuersæ irritum iure naturæ esse, v.g. inter fratrem & sororem. Vnde occurrente necessitate in iis Papam posse dispensare affirmo. Sanch.

213. *An per fornicariam copulam iure naturali affinitas contrahatur?* Non contrahi *Sanchez* existimat. Vnde si Christianus habuit copulam cum muliere infideli, poterit deinde sibi matrimonio iungere illius sororem Christianam factam. Sanch.

214. *Num peccet Parochus excommunicatus non toleratus assistens Matrimonio?* Non, quia in re necessaria ad suum munus spectante communicat. *An peccet grauiter sponsum benedicens?* Venialiter assero peccare solummodò; quia in re parui momenti, nempe ad Sacramentum non necessariâ, peccat. Ex *Sanctio*, qui quidem adiicit posse etiam excommunicat um alteri impertiri licentiam, vt matrimonio assistat.

215. *Dubitat quis, cum aliquod impedimentum habeat, & post adhibitam diligentiam adhuc dubitat: potest ne sine dispensatione contrahere?* Posse *Sanchez* docet; quia possidet libertas. Sanch.

216. *Est ne duplex peccatum cum impedimento dirimente contrahere, transgressio scilicet iuris, & sacrilegium propter Sacramenti nullitatem?* Vnicum delictum esse *Filliucius* affirmat. Filliuc.

217. *Septem dixisti impedimenta criminum esse, impedientia quidem, non dirimentia Matrimonium: rogo an possit contrahere aliquo horum criminum reus?* Assero ex *Sanchez* & aliis hæc septem crimina per diuturnam desuetudinem non iam impedire. Vnde qui hæc crimina admisit non tenetur dispensationem petere ante contractum. Sanch.

218. *Potest ne tempore interdicti Matrimonium licitè contrahi ab ipso interdicto?* Posse iudicat *Sanchez*; quia in interdicto Sanch.

interdicto Matrimonium non comprehenditur, nisi exprimatur.

219. *Peccat ne qui scienter cum excommunicato contrahit?*
Sanch. Assero cum *Sanctio* non delinquere, nisi sit denunciatus, aut publicus Clerici percussor.

220. *Sufficit ne præsumptio verisimilis de morte viri, vt mulier valeat ad secundas nuptias transire?* Abnego cum
Laym. *Laymano.* Si tamen persuasio esset valde probabilis, & iustissima causa credendi, non peccaret illa, bona fide ad secundas nuptias auolans; quia in moralibus ad actiones instituendas sufficit probabilissima opinio, licèt non omnino certa.

221. *Coniuges ante benedictionem Matrimonium consummant: vel ante denunciationes factas contrahunt.* Con-
Sanch. summando nec venialiter peccare censet *Sanchez*, contrahentem mortaliter delinquere idem Doctor affirmat. *Quid si ante Matrimonium denunciationes factæ quolibet casu non fu-*
Laym. *rint?* Ante consummationem faciendas esse *Laymanus* docet, nisi Episcopo prætermittendæ omnino videantur.

§. 12. *Speciales circa impedimẽta resolutiones.*

222. *Dixisti, quinque impedimenta Matrimonio obstare, ne licite possit iniri. Votum, interdictum, sponsalia, Catechismus, crimen: rogarim, de quonam voto sermo?* De voto simplici Religionis, aut castitatis; quod quidem remanet etiam in Religiosis nulliter per metum professis; quia votum castitatis ob connexionem essentialem cum statu Religioso, semper valet, vt potest, & ideo saltem vt simplex. *Sanchez, lib. 7. d. 37. num. 13.*

123. *Circa impedimentum criminis, rogito, an suo in vi-*
Conin. *gore persistat?* Respondet *Coninch de Sacr. d. 30. dub. 3. n. 25.* per diuturnam desuetudinem esse sublatum. Si scrupulo quis pungatur, & dispensationem petere velit ad vberiorem conscientiæ pacationem, adeat Episcopum.

224. *Dixisti, impedimenta dirimentia antiquitus plura per Tridentinum ad duodecim redacta, queis Concilium duo de nouo adiecit: Dixisti legalem cognationem contrahi per adoptionem alicuius in filium; scis autem duplicem esse: perfectam, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, fitque eius necessarius hæres, de potestate supremi Principis tantum; & imperfectam, qua retinet nomen generis, quaque adoptatus sub potestate patris carnalis remanet, nec sit hæres necessarius adoptantis testantis, sed tantum intestati, Magistratus authoritate: rogo igitur, an adoptionis cognatio vtriusque irritet Matrimonium?* Asserit *Præpositus in 3. part.*
Præp. *quæst. 7.*

quæst. 7. dubitat. 13. num. 109. quia indistinctè loquuntur. At *Sanctius tom. 2. lib. 7. disput. 63. num. 8.* ptobabilius docet solam cognationem adoptionis perfectæ dirimere, itaque interpretanda esse iura; quia in re pœnali restringi debent. Sanch.

225. *Nasci dixisti hoc impedimentum inter adoptantem & adoptatum, & filios, nepotesque adoptati vsque ad quartum gradum: inter filios adoptantis & adoptatum: & inter vxorem adoptantis & adoptatum, vxoremque adoptati & adoptatum: rogo, an inter duos adoptatos Petrum & Mariam adsit impedimentum?* Nullum planè; quia cum rarò plures adoptari soleant, ad hoc iura non respexerunt, nec debent extendi. *Rebellus part. 2. lib. 3. quæst. 7. concl. 3. num. 12.* Rebell.

226. *Crimina quatuor dixisti Matrimonium dirimentia, quorum primum, si adulter promittat adulteræ, se illam ducturum, mortuo viro: rogo, si promissio sit ficta, contrahit ne adulter impedimentum?* Asserit *Sanchez disput. 79. num. 10.* Sanch. Sed *Henriquez lib. 12. cap. 14. num. 13.* affirmat debere esse, Henriq. vt impedimentum huiusmodi exoriatur, seriam, mutuam, & reciprocam promissionem. *Layman. verò lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 10. num. 4.* putat debere esse promissionem puram, aut purificatam ante coniugis mortem; quia suspensa, & quæ pendet ex futuro euentu non dicitur simpliciter promissio. Laym.

227. *De cultus disparitate notatu digna exprime. Vterque coniux est baptizatus; sed vnus Catholicus, alter hæreticus: quidnam?* Validum est Matrimonium, sed illicitum. *Coniuges infideles conuertuntur.* Debent in Matrimonio, si non sit contra ius naturæ contractum, permanere. *Alter solummodo conuertitur.* Requirere debet alterum, num conuerti etiam velit, aut absque Dei offensa cohabitare; si renuat, pro libito potest cum alia contrahere; quia primum Matrimonium solutum est. Ex *Sancio.*

228. *Suppono coniugem adeò distare, vt commodè requiri non possit: potest ne qui Matrito conuertitur pro libito contrahere, non monita coniuge America, aut Africana?* Docet *Sanchez lib. 7. disp. 74. num. 12.* posse; quia moraliter certum est, quod nolit conuerti, & lares relinquere. Sanch.

229. *Coniux infidelis, qui coniugem conuersam non vult sequi, potest ne aliud matrimonium inire?* Potest (ait *Sanch. d. 77. num. 6.*) quia nullo id sibi iure prohibetur. Non seculari; Sanch.

quia

quia nullum est; nec Ecclesiastico; quia ad illud non tenetur. Peccat planè contra ius naturale & diuinum prioris coniugij leges violando; quia conuersum coniugem sequi tenebatur at Matrimonio dissoluto, nil superst, quo ad aliud contrahendum prohibeatur.

230. *Dixisti, Matrimonium Catholici cum hæretica, validum planè, sed illicitum: rogo, an possit aliqua circunstantia licitum reddi?* Docent *Sanchez d.72.num.5. Filliucius & alij* coniugium cum hæretica, aut infideli non esse ità malum intrinsecè, vt honestari non valeat. Alij probabiliter addunt, licitum esse etiam si in aliquo casu adesset periculum peruersionis, magna, & eximia id causa exigente, v.gr. augmenti, & propagationis Ecclesiæ, tranquilli eius status, aut liberationis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe oppressi detinerentur; quia exponere se periculo peccandi ex magna, & vrgenti causa peccatum non est; non enim amatur periculum, sed illud ingens bonum, quod absque huiusmodi periculo acquiri non potest.

Sanch. Filliuc.

231. *Dixisti circa impedimentum publicæ honestatis, cum qui spopondit cum aliqua, non posse, ea viuente, vel mortua, cum consanguinea eius in primo gradu contrahere post Tridentinum sess.24.cap.3.qui verò contraxit, prohiberi vsque ad quartum gradum inclusiuè: rogo, an soluatur hoc impedimentum, si sponsalia communi consensu soluantur?* Putat *Sanchez lib.7. d.65.num.21.* non solui; quia remanet post mortem quæ est maior sponsalium dissolutio. Profectò tanti viri venia, argumentum non vrget. Ideo enim sponsa mortua, sponsalia non dissoluuntur, quia illa præsumitur decessisse, vel saltem debuisse decedere cum ea voluntate, cum qua sponsalia contraxit. At in nostro casu adest voluntas expressa sponsalium dissolutionis. *Rebellus part.2. lib.3. quæst.14. num.3.* adducens pro hac sententia Cardinalium declarationem.

Sanch. Rebell.

232. *Circa impedimentum de impotentia perpetua, quæsitarim, an possit spado, aut impotens nubere ad viuendum castè?* Minimè; quia de intrinseca Matrimonij ratione est traditio potestatis ad vsum, & copulam coniugalem, quam impotentes tradere non possunt. Vnde Bulla Sixti V. anno 1587. edita declaratur eunuchorum prorsus euiratorum matrimonia cum quibusuis mulieribus siue scientibus siue ignorantibus esse, & semper fuisse irrita. *Henriquez lib.12.cap.8. num.1.*

Henriq.

233. An.

233. *An in Confessione eunuchi circunstantia impotentiæ sit exponenda?* Docet *Cardinal. Lugo de Pœn. d.* 16. *sect.* 6. *num.* 338. explicandam non solum in peccato fornicationis, sed etiam in peccatis internis contra castitatem. At dubitat *Filliucius*, an talis circunstantia mutet speciem. Lugo. Filliuc.

234. *Tenetur ne mulier inepta ob nimiam arctitudinem pati incisionem?* Aliqui asserunt teneri pati, si absque periculo mortis, aut grauis, ac periculosæ infirmitatis potest; quia sibi imputandum est, quod sibi ante nuptias non prospexerit. At *Hurtado* & alij docent, si fœmina ex se sit apta ad copulam, vir autem eius inueniatur ineptus ad illam, non teneri pati incisionem, etiam si commodè valeat, quia cum defectus sit ex parte viri, ipsi incumbit remedium adhibere, & se reddere aptum: præsertim cum huiusmodi incisionem non facilè patiatur honestas. Matrimonium igitur dissoluendum, si spes adest infra triennium claustra rumpendi, id tempus de iure debet expectari. Hurt.

235. *Circa impedimentum duplex à Tridentino additum, rogo, quandonam raptus dirimat Matrimonium?* Quando raptus sit causa contrahendi, non si fiat causa libidinis. *Sanchez tom.* 2. *lib.* 7. *d.* 13. *num.* 4. Sacra Congregatione declarante. At *Saa v. Matrimonium num.* 9. contrarium docuit, aliamque declarationem adducit. Sanch. Saa.

236. *Rapta consensit quidem, sed tamen parentibus illata est iniuria.* Non consurgit impedimentum, *Sanctio* auctore *n.* 3. quia Concilium solum intendit libertati nuptiarum consulere, ne scilicet virgines nubere cogerentur. Scio *Saa* contrarium asseruisse. Sanct.

237. *Circa Matrimonium Clandestinum, quæsierim, an apud locum, vbi Concilium receptum non est, possit quis aduena eo animo accedens, contrahere sine Parochi ac duorum testium præsentia?* Aliqui asseruerunt posse Hispanum pergere ad Galliam animo inibi contrahendi clandestinè: licet mox in Hispaniam sit reuersurus; quia lex generalis non obligat personam nisi dependenter à loco in quo recipitur. Profectò apud *Zypæum lib.* 4. *titul. de Sponsa. & Matrimon. cons.* 6. legi contrarium à sacra Congregatione declaratum anno 1628.

238. *Apud Galliam (v.gr.) Tridentinum receptum non est: rogo, an impedimenta iuris antiqui, quæ per Tridentinum sublata sunt, in Gallia sublata esse intelligantur?* Affirmatiuè respondeo;

respondeo; quia credendum est, intentionem Concilij fuisse, vbi seruari per omnia temporum iniuria non permittit, ibi obseruari debere, (posse saltem) possibilia. *Præpositus 2.2. quæst. 95. d. 1. dub. 7. num. 27.* Promulgatio Romana, quæ sola ad onera non fuit sufficiens, sufficiens fuit ad iuuamina, & ad onera tollenda; quia ad hoc ob ius libertatis multo pauciora sufficiunt, quàm ad onera imponenda requiratur.

Præp.

AD

AD MARIAM VIRGINEM DEIPARAM EPILOGATIO.

VT meus hic tandem libellus assurgat ab humili, ac verticem teneat: vt iusti Voluminis dignitatem, ac speciosum Theologiæ moralis titulum sibi vendicet, in primis te, qui liber es sapientiæ præstantissimus, tuo verius, quàm suo munere adeat. In te namque solertissimus pariter, ac mitissimus Agnus librum prodit hominibus, qui septemplici signatum custodia (vt Richardus Laurenti. lib. 12. de laud. Virg.) *miram, & ignotam sacrorum rationĕ includit. Primus Tractatus, seu sigillum fert immotam legũ seueritatem, tuámque vicissim & singularem immunitatem, & studiosam obseruantiam: ijs namque quamuis omnino soluta, tamen libentia colla submittis. Secundus inter tot scelerum sordes purum præstat Artificis gaudium, quod ex*

tanta peccatorum eluuie, ne minimam quidem labem contraxeris. Tertius, in Æquitate versatur, quam à te nimis seruatam, quæ tua sunt, nec vlli debita peccatorum omnibus impertiendo, ostendit. Quartus disputat de Censuris, quarum vinculis extimescendis eripis, duram eorundem cernicem tua interpellatione frangendo. Quintus est de Fide, Spe, Charitate, ac Religione, téque virtutum omnium collegium, ac domicilium deprædicat. Sextus triplicem, id est, Sacerdotalem, Religiosum, secularémque complectitur statum, quorum in ea maxima felicitas, si tuis studiosè incumbit Officijs. Septimus de Sacramentis, te sacrarium omnium Sacramentorum appellat. Ditescat igitur ab vbertate tua meus libellus, vt & legentibus vtilitatem, & excipientibus plausum excitet, qui totus ex ære tuo censebitur quicumque mihi quippe tuo seruo contigerit, ac tandem certissimo flexu redibit ad gloriam Agni IESV, *qui non sine communi omnium salute Iesuitis suis sacrum Volumen resignauerit.*

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni vsque ad apicem omnia subiectantor.

Laus Deo Dei-parenti, Iosepho, Ignatio, Antonio.

INDEX

INDEX

Rerum, & Verborum.

Prior numerus paginam, posterior eiusdem paginæ sectionem denotat.

A

Abortus, vide *Homicidium*.
Absolutio. 767. 13. & seq.
Acceptilatio. 457. 47
Accusatio. 708. 13

Acedia.

Acedia. 292. 81 eius filiæ, Desperatio, Pusillanimitas, Torpor, Malitia, Rancor, Mentis euagatio. ibid. 84

Actio.

Actio humana. 3. 1
Actiones humanæ, & earum circunstantiæ. 5. 12
Adoratio. 62. 12 quid. ibid. quotuplex. ibid. 14
Adulterium, vide *Luxuria*.
Aduocatus. 712. 39
Alienatio. 663. 40
Ambitio. 283. 17
Amor sui. 285. 35
Animi inquietudo. 283. 21
Apostasia. 564. 47
Apostatæ pœna. 581. 82
Arma, equos ad infideles transferens. 583. 96
Assecuratio. 452. 1

Astrologus.

Astrologi iudiciarij pœnæ. 58. 84
Auaritia. 283. 19 eius filiæ. ibid. 20

B

Baptismus.

Baptismus quid. 746. 1 quotuplex. 747. 2 eius ritus, & proprietas, ib. 4 materia. 748. 5 forma. ib. 7 minister. 749. effectus. 750. 17
Beatitudo. 2. 5 & seqq.
Bellum, vide *Homicidium*.

Beneficiarius.

à Beneficiario obseruanda, vitanda. 657. 11
Beneficiariorum dominium. 658. 14

Beneficium.

Beneficium Ecclesiasticũ. 654. 2 Beneficia conferens. 655. 4 quot modis confiscantur. 656. 6 forma conferendi. ibid. 7 ad beneficium conditiones. 657. 9
Beneficij amissio. 660. 22
Beneficiorũ pluralitas. 659. 17
Bestialitas. 140. 46

Bigamia.
Bigamia. 536. 37 quotuplex. ib.
Blasphemia.
Blasphemia. 71. 24 & 287. 11 quotuplex. 71. 25
Blasphemia hæreticalis. 581. 86. & seq.
Bonum, & malum morale. 4. 10
Bulla.
Bulla Cruciata. 234. 1 eâ fruēs. ibid. & seqq.
Bullæ Cruciatæ Commissarij potestas. 246. 68
Bullæ compositio. 259. 1. casus varij. C ibid. 2
Cambium.
CAmbium quid. 416. 1 quotupl. 417. 2 varia. 419. 15
Casus.
Casus fortuitus. 366. 33
Casus reseruati. 775. 56
Censura.
Censura quid. 460. 1 quotuplex. ibid. 2
Censuræ subiectum. 464. 20 modus. 465. 25 excusatio. 466. 32 effectus. 467. 40 absolutio. 468. 46
Censuram ferens. 461. 5
Census.
Cēsus quid. 412. 1 quotupl. ib. 2
Censuum iustitia, & conditiones. 413. 4
Cessatio.
Cessatio à diuinis quid. 528. 1 quotupl. ibid. 2 eius effectus. 529. 9
Charitas.
Charitas quid. 528. 1 & seqq. 1 quotuplex. 600. 3 eius præcepta. ibid. 6
Charitas ad Deum. 601. 10 ad proximum. ibid. 1
Charitatis proximi ordo seruandus. 603. 8
Clamor. 287. 50
Clauis.
Clauium potestas. 773. 42
Clausura.
Clausura Monialium. 731. 84 Regularium. 732
Clericus.
Clericus in sacris, vel religiosis professus matrimonium contrahens. 582. 88. Clericus. 654. 1 Vide *Prælatus.*
Coactio. 6. 15
Collocutio.
Collocutio lasciua in Confessionario, simulando confessionem. 587. 121
Commissarius.
Commissarius Bullæ Cruciatæ, vide *Bulla.*
Commixtio.
Cōmixtio cū Dæmone. 140. 47
Commodatum.
Commodatum quid. 375. 38 eius conditiones. ibid. 39
Communio. 190. 12
Compensatio. 457. 52
Compromissum. ibid. 48
Confessarius.
Confessarius eligendus. 240. 236 per Cruciatam electus à quibus peccatis possit absoluere. 243
Confessarius sollicitās. 582. 91
Confessariū denunciandi obligatio quādo cesset. 589. 131 à Cōfessario obseruāda. 777. 74
Confessio.
Confessio quotuplex. 188. 1 quid. 770. 25 eius conditiones. 771. 26

Confessio

Confessionis, seu pœnitentiæ minister. 773. 45 eius sigillum. 776. 63
Confessionem ante prænoscenda circa dolorem. 295. 2 propositum. 296. 3 integritatem. ibid. 4

Confirmatio.

Confirmatio quid. 760. 1 eius materia. ib. 3 forma. ib. 4 dispositio. ib. 5 minister. 761. 7 suscipiens. 762. 11 effectus. ibid. 12

Coniux.

Coniugum debitum. 865. 50 Impedimenta *dirimentia.* 866. 65 Error. 867. 67 conditio. ib. 68 votum. ibid. 72 Cognatio. ib. 73. crimẽ. 869. 79 disparitas cultus. ibid. 81 vis. 870. 8 Ordo. ib. 84. ligamen. ib. 88 honestas publica. ibid. 89 affinitas. 871. 99 impotentia. ibid. 94 raptus. 872. 104 *Impedientia.* 873. 105 Catechismus. ibid. 107 spõsalia. ib. 108. votũ. ib. 109 Crimina septem. ib. 110 impedimentorũ varia. 875. 115
Coniugum mutua obligatio. 104. 11 & seqq.

Conscientia.

Conscientia quid. 23. 1 quotuplex. ibid. 2 erronea. ibid. 4 probabilis. 24. 8 dubia. ibid. 11 & seqq. scrupulosa. 25. 15 & seqq.
Conscientiæ examinatio. 296. 5
Consuetudo. 48. 69 & seqq.
Contentio. 282. 14 & 612. 67

Contractus.

Contractus quid. 360. 1 quotuplex. 361. 2
Contractûs obligatio. 364. 21
Contractuũ dolus quis. 365. 28 quotuplex. ib. 29 eorum culpa. 366. 31 accidentia. ib. 35
Contrahens. 362. 13
Contritio, & attritio. 769. 18
Contumelia. 161. 15 & seqq. & 288. 52

Cor.

Cordis obduratio. 284. 27

Correptio.

Correptio fraterna. 604. 18 delicti corripiendi notitia. 605. 24 fructus ex correptione. ibid. 26

Corruptio.

Corruptionis opportunitas. 606. 28 ordo. ibid. 32 edicta. 607. 40

Crux.

Crucem, aut imagines Sanctorum percutiens. 582. 89
Curiositas. 282. 16

D

Dæmon.

DÆmonem inuocans ad tentandam alterius pudicitiam. 583. 99

Decalogus.

Decalogus. 59. 1. & seqq.
Decalogi præcepta decem, & quinq; Ecclesiæ. 298. 6 & seqq.

Decimæ.

Decimæ quid. 208. 3 earum solutio. ibid. 4 materia. 209. 8 quibus soluendæ. ibid. 10 quomodo soluendæ. 210. 12 & quando. ibid. 14
Degradatio. 530. 14
Delegatio. 457. 52

Denunciatio.

Denunciatio Tribunali facienda. 509. 17

Depositum.

Depositum quid. 371.1 quotuplex. ibid.2

Desperati. 292.85

Detractio. 162. 18 & seqq. & 291.79

Deus.

de Deo diligendo præceptum. 617.& seqq.

Discordia. 282.13 & 611.66

Dispensatio.

Dispensatio matrimonialis. 874.111

Dispensationis validitas, & nullitas. 222.5 vis amissa. 226.27. expensæ. ibid.31

Diuinatio. 639.70

Diuinorũ cessatio vide *Cessatio.*

Diuortium. 860.14

Dominium.

Dominium quid. 331.8 quotuplex ibid.9. eius acquirendi rationabilium modus. 332. 14 irrationabilium ratio. 16

Dominus.

Dominorum & seruorũ mutua obligatio. 104.13 & seqq.

Donatio.

Donatio. 372. 7 eius species. ibid.14 remuneratoria. 373. 18 omnium bonorum. ibid. 19 causa mortis. ibid. 20 inter viuos. ibid.21 propter nuptias. ibid. 22 pura. ibid. 23 in diem ibid. 24 conditionalis. 374.25

Duellum, vide *Homicidium.*

E

Ebrietas. 289.60

Ecclesia.

Ecclesiæ, seu Templi libertas. 694.1

Ecclesiasticus.

Ecclesiasticus, quis appellandus. 687.1

Eleemosyna.

Eleemosyna.608.42 ex quibus bonis facienda. 609.50

Eleemosynam qui possint facere. ibid.54 Clerici beneficiarij obligatio ad eleemosynam. 610.60

Emphyteusis.

Emphyteusis quid. 428.1 quotuplex. ibid.2. illius successiones. 229.10

Emptio.

Emptio & venditio. 396.1

Eucharistia.

Eucharistia quid. 825. 1 eius institutio. ibid. 2 necessitas. ibid. 3 materia. 826. 4 forma. ibid. 7 effectus. 829.9 minister. 829. suscipiens. 830.23

Eucharistiâ abutens in sortilegio. 580.101

Enictio. 364.26

Excommunicatio.

Excommunicatio maior quid. 474. 1 quotuplex. ibid. 2 eius effectus spirituales. 476. 7 temporales. 478.20 accidentarij. 480. 37 absolutio. 481.39

Excommunicatio minor. 482. 46

Excommunicatio reseruata contra Clericorum percussores. 493.74

Excommunicationes in particulari. 486. 62 reseruatæ contra personas publicas. ibid. 63 contra Clericos. 487. 64 contra Regulares. ibid.

ibid.65 contra omnes. 488. 66 in Bulla Cœnæ. 489. 67 non reseruatæ contra magistratus,& iudices. 490.68 contra dominos temporales. ibid. 69 contra Regulares. ibid. 70 contra Religiosos. ibid. 71 contra Clericos. 491. 72 contra omnes. ibid.73
Excommunicationes frequentiores ad vsum ex reseruatis. 492. 74 ex non reseruatis. ibid.75
Excommunicatus vitandus. 484.53

Extrema Vnctio.

Extrema Vnctio quid. 842. 1 eius materia. ibid.3 forma. ibid. 6 Minister. 843.7 suscipiens. ibid. 12 effectus. 844.15 ritus. ibid. 16

F

Fallacia. 283.23

Famulus.

Famulorum merces. 424.17

Festum.

in Festo die quid præceptum. 96.3 prohibitum quid.ibid. personæ addictæ festi obseruationi. 97. 10.causæ excusantes à custodia festi.98. 13 delictum contra festi obseruationem. ibid.14
Festorum obseruatio. 95.1

Feudum.

Feudum quid. 431.1 quotuplex.ibid.2 eius cõditiones. 432.6 dominus & feudatarius.ibid.7 successio.433.11
Fideiussio. 453.16

Fides.

Fidei essentia, & materia 558. 1.& seqq. necessitas ratione medij.559.7 ratione præcepti. ibid.11. Confessio.561. 23 mysteria. 563. 34 ignorantia rerum. 563.35
Filij, vide *Parentes.*

Finis.

Finis hominis vltimus. 2. 1 & seqq.
Fornicatio, vide *Luxuria.*
Fraus. 284.25

Furtum.

Furantis filius, vxor, & alij. 153.9 & seqq.
Furtum. 151.1 & seqq.
Furtum minutum. 152. 4 & seqq.

G

Gloria.

GLoria vana. 281.8 eius filiæ. ibid.8

Gratia.

Gratia quid,& quotuplex.30.1 eius necessitas. 31.2 & seqq.

Gula.

Gula. 288. 55 eius filiæ, Mentis hebetudo, Inepta lætitia, Multiloquium, Scurrilitas,Immunditia. 290.66

H

HÆresis. 564.47

Hæreticus.

Hæreticorum fautor, defensor, receptator. 582.93

Homicidium.

Homicidium punitiuum.112.1 & seqq. defensiuum. ibid. 5. & seqq. voluntarium. 113. 8 & seqq.per abortum. 114. 15 per ludum. ibid. 17 casuale. ibid. 18 & seqq. Ex duello. 115. 22 & seqq. Ex bello 116. initio. Occidens

maleficio vir, aut fœmina vnicam personam, aut damnum graue inferẽs. 583.102

Horæ.

Horæ Canonicæ. 630.22
Horarum in Choro restitutio. 631.28

Hostia.

Hostiâ super quam Missam celebrauit, vtens in sortilegio. 583.100
Hypocrisis. 282.16

I

Idolantia. 281.9
Idololatria. 639.67

Ieiunium.

Ieiunium quid. 195. 1 quotuplex. ibid.2
Ieiunij obligatio. 197.15

Ignorantia.

Ignorantia quotuplex. 7. 17
Immunditia. 290.71

Immunitas.

Immunitas Ecclesiastica ab onere. 683. 1. quotuplex. ibid.2. à foro. 686.17
Incestus, vide *Luxuria.*
Inconsideratio. 285.33
Inconstantia. 285.34
Indignatio. 287.48

Indulgentia.

Indulgentia. 237. 18 & 806.1 quid. 807.6 quotuplex. ib.7 eius concessio 808.18
Indulgentiæ capax quis. 810
Indulgentiæ pro defunctis. 813.44
Indulgentiarum valor. 811.35
Iniuria. 331.7
Inobedientia. 282.15

Inquisitio.

Inquisitionis officium impediens. 583.95

Inquisitor.

Inquisitorum potestas. 571.1 Iurisdictio. 573. 16 causæ additæ Tribunali. ibid.11 modus procedendi. 575.29 Tortura reorũ. 576.38. Sententia. 578.55. Confiscatio. 579.65 Pœnę hęretici. ib.70

Interdictum.

Interdicti essentia, diuisio, causæ, relaxatio. 518.1 & seqq. eius effectus. 520.12
Interdicta in particulari. 522. 27

Inuidia.

Inuidia quid. 291.73 eius filiæ quinque. ibid.76

Ira.

Ira. 286.40
Iræ filiæ sex. 287.47

Irregularitas.

Irregularitas. 531. 1 eius effectus. 532.7
Irregularitas ex defectu. 534. 19 ex defectu animi. ibid. 20 ex defectu corporis. 535. 21 ex defectu natalium. ib.22. ex defectu Sacramenti, seu bigamia. 536. 27 ex defectu lenitatis. 537 alij defectus. 538.7 ex delicto. 539.41 circa Baptismum. ib. 42 circa Ordinem. ib. 50 ex censuræ violatione. 540.54 ex delicto hæresis. 541. 56 ex infamia. ibid. 62 ex homicidio voluntario. 542.66 ex homicidio casuali. 543. 78. ex homicidio necessario. 544.91
Irrisio. 163.33

Iudæi, & Mauri.

Iudæi, & Mauri cõuersi. 583.97

Iudaismus. 564.41
Index. 707.1
Iudicium.
Iudicium temerarium. 159.1 & seqq.
Iuramentum.
Iuramentum quid. 65.1 eius conditiones. 68.12 transgressio. ibid. 14 Amphibologia. 69.16 commutatio, dispensatio, interpretatio. 70.18
Iurisdictio.
Iurisdictionis potestas. 773.44
Ius.
Ius quid. 330.1 quotuplex. ibid.1
Iustificatio. 32.5
Iustitia.
Iustitia quid. 330.3 quotuplex. ibid.6

L

Læsio.
Læsio in bonis spiritualibus. 341.39 in bonis naturæ. 342.46 in bonis annexis spiritualibus. ibid. 47 in bonis corporis. 343.54 in bonis famæ. 344.5 in bonis externis. 345.77
Lætitia.
Lætitia inepta. 290.68
Legatum. 375.33
Legislator. 63.4
Lex.
Lex. 35.1 eius diuisio. ibid.3
Lex irritans. 44.52
Legis obseruandæ obligatio sub peccato. 42.39 & sequentib. Regulæ docentes quando obligent grauiter. 43.45
Legis satisfactio, seu adimpletio. 45.59
Legum promulgatio. 38.16 acceptio. ibid. 21 materia. 40.28 subiectum. ibid. 30
Legum interpretatio. 46.63 abrogatio. 47.66
Liberum. 4.4
Locatio.
Locatio quid. 422.1 quotuplex. ibid.2
Locatoris & conductoris mutua obligatio. 423
Locus.
Locus sacer quis. 695.12
Ludus.
Ludus 435.1 solutio. 436.7 personæ ludentes. 437.14 Vide *Homicidium.*
Luxuria.
Luxuria. 284.29
Luxuria cordis. 134.1 Oris. ibid. 2 Auditus & visus. ibid. 3 Tactus. 135.6 & seqq.
Luxuriæ septem species, simplex fornicatio. 136.11 stuprum. 137.18 adulterium. ibid. 21 incestus. 138.27 raptus. ibid. 31 Sacrilegium. ibid. 34 contra naturam. 139.39

M

Magia. 641.85
Magister.
Magistri & discipuli mutua obligatio. 107.30 & seqq.
Maledictio. 72.29 & 286.43
Maleficium, & Maleficus.
Maleficium. 642.87
Malefici, & sortilegi. 583.98
Malitia. 293.88
Mandatum. 455.30

Matrimonium.
Matrimoniũ clandestinũ quid. 862.30 quotuplex. ibid.33
Matrimonium quid. 858.1 eius indissolubilitas. 859.5 minister. ibid. 8 solemnitas. ibid. 9 consensus. 860.17
Maurus, vide *Iudeus.*
Mendacium. 160.1 & seqq.
Mens.
Mentis cæcitas. 284.31
Mentis tumor. 487.49
Mentis hebetudo. 290.67
Mentis euagatio. 293.90
Meritum.
Meritum quid. 32. 8 quotuplex. ibid.
Metus. 6.16
Missa.
Missæ sacrificium, quid. 169.1 Institutio. ibid. 2 celebratio. 172. 15 audiendi obligatio. 174.27
Mons.
Mons pietatis. 392.23
Montes Romæ. 392.28
Multiloquium. 290.69
Musica. 631.27
Mutuum. 377.47

N

Negotium.
Negotia gesta. 456.34
Notarius. 712.39
Nouatio. 457.52
Nouitas.
Nouitatum inuentio. 281.10
Nuptiæ.
Nuptias binas contrahens. 581.85

O

Oblatio. 208
Obseruantia.
Obseruantia vana. 641.82
Odium.
Odium. 291.77 & 611.61
Odium Dei. 285.36
Officium.
Officium recitandum. 632.38 recitandi ordo. 633.41 peccatum non recitandi. 634. 45 attentio ad recitationem. ibid. 49 tempus recitationis. 635.52 à recitatione causæ excusantes. 636.56 pœnæ non recitantis. ibid.57
Oratio.
Oratio quid. 628.5 quotuplex. ibid.6
Ordo.
Ordo quid. 849.1 eius institutio. ibid.2 numerus. ibid.3 materia. 850.6 forma. ib.8 effectus. ibid. 9 minister. 851.13 ritus. 852.18 suscipiens. ibid.19
Ordinis potestas. 773.43

P

Paganismus. 563.38
Parens.
Parentum & filiorum mutua obligatio. 102.1 & seqq.
Peccatum.
Peccatum originale. 265. 1 actuale. 266. 6 habituale. ibid.7
Peccatum mortale. 267.12 veniale. ibid. quotuplex. ib.13
Peccatum commissionis, & omissionis. 270.22 cordis. 271.28. oris 273.39 operis. ibid.42
Peccati malitia. 265. 8 effectus. 274.45 excusatio. ibid. 47
Peccata mortalia, grauia Principum

cipum supremorum. 302. 14 & seq. Ecclesiasticorum. 303. 16 & seqq. Regularium. 305. 21 Monialium. 306. 22 Religiosorum militarium. ib. 23 Togatorum. 307. 24. Magistrorum. 308. 25 Scholasticorum. ibid. 26 Magistratuum. ibid. 26 Senatoris. 309. 27 Scribæ senatus. 310. 28 Tutoris. ibid. 29 Testamentarij. 311. 30 Præpositi ærarij. ibid. 31 Administratoris Regalis patrimonij. ibid. 32 Præpositi Portus sicci. 312. 33 Medici. ib. 34 Pharmacopolæ. 313. 35 Chirurgi. ibid. 36 Tonsoris. ib. 37 militiæ, Ducis. 414. 38 militis. ibid. 39 agricolæ. 315. 40 lacus vuarum præpositi. ibid. 41 custodis agrorum. ibid. 42 Mercatorum. 316. 43 Procuratoris mercium. 317. 44 Artificum. Argentarij. ib. 45 Bibliopolæ. ibid. 46 Typographi. 318. 47 Pictoris. ibid. 48 ludi chartarum ministri. ibid. 49 Histrionis. ib. 50 Obstetricis. ib. 51 reliquarum artium mechanicarum. 319. 52 Iudicis. 320. 53 Auditoris. 321. 54 Prætoris criminis. 322. 55 Fiscalis. ibid. 56 Aduocati. ibid. 57 Relatoris. ibid. 58 Secretarij. 324. 59 Tabellionis. ibid. 60 Procuratoris. 325. 61 Receptoris. 326. 62 Lictoris. ibid. 63 Custodis carceris. 327. 64 Rei. ibid. 65 Testis. ibid. 66 Coniugum. 328. 67 & seq.

Peccatorum numerus. 169 20

Pensio.

Pensio quid. 661. 47 quotuplex. ibid. 28

Periurium. 284. 20

Pertinacia. 282. 12

Pignus. 454. 23

Pœnitentia.

Pœnitentiæ virtus. 765. institutio. 766. 6 necessitas. ib. 9 materia. ibid. 10 forma. 767. 12 effectus. ibid. 15

Pœnitentiam non implens ab Inquisitoribus impositam. 583. 103

Pœnitentis dispositio. 772. 38

Præcipitatio. 285. 32

Prælatus.

Prælatorum & Clericorum mutua obligatio. 105. 20 & seqq.

Prærogatiuæ status regularis. 728. 70

Prærogatiua.

Præscriptio. 333. 17

Præsumptio. 283. 18

Precarium. 376. 43

Pretium.

Pretium rei quotuplex. 398. 8

naturale quotuplex. ibid. 9

Primitiæ. 208. 2

Princeps.

Principis & vasalli mutua obligatio. 106. 25 & seqq.

Priuilegium.

Priuilegium, quid. 213. 1. quotuplex. ibid. 2

Priuilegium accipiens. 214. 3

Priuilegium audiendi sacrum. 235. 10 sepulturæ. ibid. 12 edendi carnes. 236. 13 vtendi lacticiniis. ibid. 14

Priui

Priuilegij vſus. 215.8 ambiguitas,& explicatio. ibid.10 quonam modo amittatur. 216.16
Procurator. 712.39
Prodigalitas. 284.28
Proditio. 284.26
Profeſſio. 723.37
Promiſſio. 361.4
Purgatorium. 813.43
Puſillanimitas. 292.86

R

Rancor. 293.89
Raptus, vide *Luxuria.*

Regulares.

Regularium priuilegia. 730. 75
Religio.627.1 eius ſtatus. 718. 1 ingreſſus. 720.12 abſceſſus.721.20 Nouitij. 722.26 Expulſi. ibid.30

Reſtitutio.

Reſtitutio in particulari. 341. 39.
Reſtitutionis neceſſitas. 336.1 circunſtantiæ.339.26 cauſa excuſans à reſtitutione. 441. 35
Reſtitutioni perſona obnoxia quæ. 337.5
Reus. 711.34
Rixa. 288.53 & 612.68

S

Sacerdos.

Sacerdos pœnitentem ſollicitans ad Venerem. 584. non Sacerdos Confeſſiones audiens,& abſoluës.582.92

Sacramentum.

Sacramenti definitio. ib. 1 numerus. ibid. 3 neceſſitas. 740.4
Sacramenta in communi. 740. Sacramentorum cauſa efficiens ac finalis. 741.5 materia ac forma. ib.8 miniſter. 742.9 ſuſceptor. ibid. 13 effectus. 743.16
Sacrilegium. 642.92 Vide *Luxuria.*
Sarraceni. 564.44

Satisfactio.

Satisfactio quid. 778. 78 eius conditiones. ibid.79
Scandalum. 612.70
Schiſma. 612.74
Scurrilitas. 290.70

Secretum.

Secreti reuelatio. 161. 12 & ſeqq.

Seculum.

Seculi futuri horror. 285. 38
Seditio. 612.69
Seruus, vide *Dominus.*

Simonia.

Simonia quid. 670. 1 in quas perſonas cadat. 671.4 quotuplex.672. 14 eius materia. 673. 15 pretium. 676. 28 cauſæ excuſantes. 677. 30 pœnæ. 678.34

Societas.

Societas in communi. 445.1 negotiationis. 446. 1 ruſticorum. 447. 15 officiorum Romanæ Curiæ.448.21 omnium bonorum. 449.24
Sodomita. 583.105

Sollicitans.

Sollicitantium pœnæ. 590.133
Sors. 453.14
Sortilegus, vide *Maleficus.*

Spes.

Spes quid. 597.1 eius præcepta. 598. 3 peccata contraria. 598.7

Spolium.

Spolium.
Spolium Ecclesiasticum. 664. 47
Sponsalia.
Sponsalia. 862
Sponsalium dissolutio. 864.48
Sponsio. 453.7
Stipulatio. 456.43
Stuprum, vide *Luxuria.*
Superbia.
Superbia. 280. 1 quid. ibid. 3
Superstitia. 638.65
Suspensio.
Suspensio quid. 508.1 quotuplex. ibid. 2 eius causæ. 510. 28
Suspensiones in particulari cõtra Episcopos. 522.31 contra Capitula. 513.33 contra Regulares. ibid. 34 contra Clericos. ibid. 35
Suspensi.
Suspensi peccata, & irregularitas. 511.23
Susurratio. 163.32 & 291.70

T

Templum.
TEmpli priuati immunitas, 697.10
Templorum violatio. 699.31
Testamentum.
Testamentum quid. 374. 32 clausum. 375.34
Testificatio.
Testificatio apud Tribunal. 591
Testis.
Testis. 710.23
Testis falsus apud Tribunale Inquisitorum quonam modo puniendus. 584.106
Timor.
Timor quotuplex. 598.5
Torpor. 293.87
Transactio. 457.50
Tributum.
Tributa. 702. 1 à quo imponenda. ibid. obligatio soluendi. 703.8
Tutela.
Tutela & cura. 456.40

V

Vassallus, vide *Princeps.*
Venditio.
Venditio in particulari. 399. 25 periculum & commodum rei venditæ. 402. 36
Violentia. 283.22
Vita.
Vitæ præsẽtis affectus. 285.37
Voluntarium.
Volunrarium quid. 3. 2 quotuplex. ibid. 3 vnde tollatur. 4.6
Votum.
Votum quid. 78. 1 quotuplex. ibid. 4.
Votum paupertatis. 724. 45 castitatis. 727. 62 obedientiæ. ibid. 63
Voti materia. 79.5 diuisio. 80. 12 obligatio. ibid. 13
Voti conditionalis obligatio. 82.28
Voti fractio. 84. 34 irritatio. ibid. 35. commutatio. 85.44
Votorum commutatio. 245.58
Vouere quis possit. ib. 29 delicta votis contraria. 83.33
Vsura.
Vsura quid. 387. 1 quotuplex. ibid. 2. eius restitutio. 390

FINIS.

PRAXIS MATERIARVM INDICVLVS.

A

ABsolutio. pag. 789. n. 142
Accusatio. 714. 51
Acedia. 294. 103
Actus humani. 8. 19
Adoratio 64. 23
Adulterium. 142. 56
Aduocatus. 717. 70
Alienatio. 669. 76
Auaritia. 293. 96

B

BAnnitus. 116. 431
Baptismus. 752. 20
Bellum. 123. 68
Blasphemia. 75. 45
Bulla Cruciata. 247. 75

C

CAmbium. 420. 23
Casus reseruatio. 794. 169
Censura. 470. 58
Census. 415. 11
Cessatio à diuinis. 530. 19
Charitas. 613. 75 & 624. 137
Commodatum. 385. 103
Communio annua. 193. 29
Comœdia. 624. 135
Concionator. 737
Confessarius. 791. 151
Confessio. 782. 97
Confessio annua. 190. 16
Confirmatio. 762. 13
Coniugale debitum. 888. 195
Coniugium. 882. 156
Coniux. 110. 47
Conscientia. 26. 18 & seqq.
Contractus in communi. 367. 36
Contractus gratuiti. 378. 54
Contritio. 780. 87
Copula coniugalis. 883. 160
Correptio fraterna. 613. 75

D

DEbitum coningale. 888. 195
Decima. 211. 16
Degradatio. 530. 19
Delectatio morosa. 147. 81
Denunciatio. 880. 142
Depositum. 378. 54
Detractio. 164. 39
Dilectio Dei. 63. 21
Dispensatio. 228. 31
Dominium. 335. 24
Dominus. 110. 49
Donatio. 379. 64
Duellum. 130. 96

E

ELeemosyna. 617. 96
Emphyteusis. 439. 15
Emptio & venditio. 405. 54
Eucharistia. 831. 34
Excommunicatio. 495. 83
Extrema Vnctio. 844. 17

F

FAmulus. 110. 49
Festum. 99. 15
Feum. 435. 25
Fides. 566. 60

Fornica

Fornicatio. 140.49
Furtum. 155.17

G

Gabella. 704.13
Gloria. 293.92
Grassator. 117.35

H

Hæresis. 567.70
Homicidium. 116.31
Horæ Canonicæ. 643.95

I

Ieiunium. 198.27
Ignorantia. 8.15
Immunitas Ecclesiastica. 688.29. *Templorum.* 700
Incestus. 143.62
Indulgentia. 814.50
Inquisitionis Tribunal. 592.154
Interdictum. 523.31
Inuasor. 117.34
Inuidia. 294.99
Ira. 294.98
Irregularitas. 545.98
Iubilæum. 814.50
Iudex. 713.42
Iudicium. 164.34
Iuramentum. 72.30. & 76.34

L

Legatum. 380.71
Lex. 49.75
Locatio & conductio. 425.28
Ludus. 439.26
Luxuria. 140.49 & 294.97

M

Matrimonium. 877.123 *varia.* 887.186
Matrimonij impedimenta. 891.212. & 892.222.
Mendacium. 166.48
Metus. 924. & seqq.
Miles. 128.89
Missa. 175.27
Mutuum. 385.106

O

Officium Canonicum. 643.95
Ordo. 852.26

P

Parentes. 107.32
Parochus. 881.150
Peccatum. 12.5
Peccata in communi. 276.56 *capitalia.* 293.92
Pensio. 668.70
Pœnitentia. 780.87
Pollutio. 146.76
Precarium. 385.103
Priuilegium. 219.33
Procurater. 717.75
Promissio. 369.48

R

Reus. 713.42
Restitutio. 346.83 & 645

S

Sacramenta in genere. 744.19
Sacrilegium. 143.64
Satisfactio. 795.179
Scandalum. 620.117
Secretum. 166.49
Sigillum Confessionis. 797.194
Simonia. 681.39
Societas. 449.28
Sodomia. 147.81
Spolium Ecclesiast. 669.78
Sponsalia. 884.169 & 890.204

Status

Status Religiosus.	733.96	*Testimonium falsum.*	164.34
Statutum.	56.104	*Testis.*	713.42. & 881.150
Stuprum.	141.52	*Tributum.*	704.13
Suspensio.	514.36	*Tyrannus.*	116.31
Suspicio.	164.37		

T

Actus.	143.65	V *Oluntarium.*	11.37
Testamentum.	380.71	*Votum.*	86.51
Testimonium.	167.51	*Vsura.*	393.29

Collegij Soc. Iesv Paderborna
1609

FINIS.

Ex Jodoens Hanckelen.

sideratione. L. inconsideratæ.

Folio 132. n. 222. addit Excusant ab Excom. q. ad locū duelli accedit inspiciendi eam modo duellū secutū non sit: q. spectat obiter est in transitu vel ex occultō

Fol. 202 n. 43 addit Illud certo affirmarim ex Dario et aliis. fossores, ferrarios et simili labore vexatos in illis diebus quibus non laborant nisi festum non sint sed voluptuose à laboribus abstinent nisi duo aut tres dies dominerent, non teneri ieiunare; tum qa à labore præcedenti debilitati sunt, tum qa indigent viribus ad seqūtem


Th
2235
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN